LOGICAE MEXICANAE, siue

COMMENTARIORVM IN VNIVERSAM ARISTOTELIS LOGICAM.

Autore R. P.

ANTONIO RVBIO RODENSI,

Societatis Iesu Theologo, & Professore in Regia Mexicanorum Academia.

PARS POSTERIOR.

Cum priuilegio S. Cæs. Maiest. & Superiorum permissu.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Arnoldi Mylij Birckmanni

Anno Domini M. DC. V.

Explicantur hac posteriori parte.

Duo libri perihermenias, seu de interpretatione.

Duo libri de posteriori analysi, aut resolutione,

item

Tractatus quinque de habitibus intellectualibus

Duo Indices, quorum prior quæstiones, posterior, res obseruatione dignas continet.

R. PATRIS. ANTONII RVBII RODENSIS THEOLOGI E SOCIETATE IESV THEOLOGIAEQVE PROFESSORIS

COMMENTARIA IN DVOS LIBROS PERIHERMENIAS, siue de interpretatione, vna cum dubijs, & quæstionibus.

PROOEMIVM TOTIVS OPERIS.



ERVM, ac vocum simplicium explorata natura prosequitur Aristoteles alteram Dialecticæ partem explicare, quam perihermenias, siue de interpretatione inscribere voluit, vt hoc titulo materiam, aut obiectum, finem, atque vtilitatem totius operis, nec non ordinem eius, cum cæteris eiusdem Dialecticæ partibus ob oculos poneret: quid autem interpretatio significet obscurum non est cũ idem sit, atque explicatio, vel declaratio. De interpretatione igitur inscribitur opus, quasi de declaratione eius, quod in mente habetur. Sed dissentire iam incipiunt interpretes Aristotelis circa interpretationem, de quibus nam dicatur? Videlicet de simplicibus vocibus, nomine, verbo, cæterisque orationis partibus: vel de sola enunciatione verum, aut falsum significante: nam cuncta comprehendere simplicia, tenuit expresse Magnus Albertus in Procemio huius operis, Porphyrium sequutus, qui primus ibidem id docuit, ea fortassis ductus ratione, quia non solum enunciatio (quãuis hæc præcipue) sed vox quælibet significatiua, rem aliquam designat medio conceptu eius in mente formato, ergo quælibet vere, & proprie mentis interpres iure appellanda est. At D. Thom, lect. 1. horum commentat cum Ammonio solam orationẽ enunciatiuam, mentis declaratiuam esse arbitratur, quia ille solum interpretari aliquid proprie dicitur, qui aliquid veritatis, aut falsitatis, in eo contentum exponit, ergo interpretationis nomine, solum insignitur illud quod veritatis, aut falsitatis in mente existentis declaratiuum est, sed id solum enunciationi conuenit, ergo cum ea interpretatio conuertitur. Simplicia vero partes dumtaxat interpretationis appellare sufficit, & quidem nõ omnia, quemadmodum neque ex omnibus componitur, sunt enim voces quædam, vel nutus aliquem animi naturalem affectum, naturaliter exprimentes, vt brutorum, aut etiam hominum gemitus, ac singultus, sed interpretationis nomine non insigniuntur: quia nec verum, aut falsum denotant, neque partes sunt, enunciatio verus mentis interpres componatur, de sola enunciatione ergo dicitur interpretatio.

Ecce titulus sic explicatus materiam totius operis, siue obiectum ostendens, conueniunt itaque hi duo modi interpretandi interpretationem, quod vterque tam simplicia enunciationem componentia, quam enunciationem ipsam aliquo modo interpretationem vocat, & sub titulo huius operis comprehendit: sed primus simpliciter in recto, quanquam solam enunciationẽ, principaliter; postremus verò non nisi enunciationem in recto, simplicia vero in obliquo, ac secundum quid. Quem magis probamus, enunciationem

Marginalia: Quid sit interpretatio — Dubium. — Albertus Magnus. — 2. — D. Thomas. — Amonius. — Quid inter pretari proprie dicitur. — 73. — Quid sit obiectum huius tractatus.

nem videlicet cuius partes, hoc est simplicia, nomen, & verbum explicantur, & de qua probantur proprietates, vel passiones, & hic est communis omnium interpretum consensus. Cæterum enunciatio duobus modis considerabilis est: in communi, prout comprehendit simplicem & compositam, quæ aliis verbis categorica, & hypothetica vocātur; & in particulari pro sola categorica, aut simplici; quo autem ex his modis accipiatur, dum obiectum huius operis esse dicitur, non est certum apud omnes, nam ex antiquioribus, Boetius, & Ammonius, quos secuti sunt Louanienses, in procemio huius operis, & ex modernis Magister Masius tenet solam simplicem enunciationem pro obiecto, accepisse Aristotelem, & reprehendit acriter author iste Villalp. & Tolet. nostrum, contrarium tenentes; videlicet enunciationem in communi accepiam, prout vtranque comprehendit: affertque in primis pro se D. Thomas vbi supra hypotheticam enūciationem excludentem. Quod etiam ratione cōfirmat, quia nullibi Aristoteles rationem eius, partes, vel proprietates tradidit, sed solius categoricæ, ergo haberi solam pro materia huius tractatus assumpsit. Accedit antiquorum ratio in eo fundata, quod enunciatio composita non continet absolutam veritatem, aut falsitatem, sed quasi ex suppositione, putabant enim solam conditionalem esse hypotheticam, & quia hæc non est vera, vel falsa, nisi ex quadam hypothesi, vt, si currit mouetur, hoc est suppositio, quod currit mouebitur: vniuersaliter affirmabant, non continere absolutam veritatem, hinc ducentes tale argumentum ad probandum, non comprehendi sub obiecto huius operis. Enunciatio apta ad syllogismum ea est quæ aliud de aliquo absolute enunciat: nam per hanc solam aliquid de aliquo cōcludi potest, sed hypothetica nihil absolute enunciat, vnde nihil ex ea concludi potest, nisi virtute categoricæ subsumptæ, vt si ita arguas; si homo currit, mouetur, sed ita est, quod currit, ergo mouetur, ex quo euidenter videtur deduci non pertinere ad præsentem considerationem, quia opus hoc ad syllogismos ordinatur, ergo eam dumtaxat enunciationem habet pro obiecto, ex qua syllogismus cōficitur qualis est sola simplex.

Enūciatio dupliciter consideratur

Prima sententia.

Boetius.

Amonius

Louanienſ.

Masius.

D. Thom.

Primū argumentū.

4.

Opposita nihilominus pars non est, tam aliena a mente Aristot. & ratione, vt prædicti authores eam sustinentes iustam reprehēsionem mereantur. Nam Aristotel. cap. 4. lib. prioris de enunciatione in genere agens, eam diuidit in proprias species, scilicet in vnam, & plures; vnam in simplicem, & coniunctione vnam: siue in cathegoricam, & hypotheticam, & ambas suas propriis definitionibus explicat, vnde sequitur non exclusisse enunciationem compositam ab huius operis consideratione, & obiecto.

Secunda sententia.

Aristotel.

Probatur efficaci ratione, quia enunciatio composita verum, vel falsum importans per se pertinet ad considerationem Dialecticam, non ad alteram eius partem, quia in nulla de enunciatione, eiusque speciebus differitur, nisi in ista, ergo per se ad illam pertinebit, atque adeo ad obiectum eius.

Prima ratio.

5.

Huic rationi, quam attulit Tolet. noster efficaciorem aliam adiungere placet, argumentum illud antiquorum interpretum, quasi in ipsosmet retorquentem. Tractatus iste per se ordinatur ad syllogismos, ergo per se considerat enunciationem quamlibet per se ad syllogismum aptam, sed talis est non solum simplex, sed etiam composita, vel hypothetica, cum apertum sit quosdam esse syllogismos ex illis, quosdam ex his compositos, ergo sicut vterque syllogismus ad libros priorum, in quibus proinde syllogismum vtrique communem pro obiecto accepit Aristot. pari ratione vtraque enunciatio spectabit ad considerationem huius operis, eiusque obiectum; ac tandem, quia eiusdem scientiæ est considerare genus, eiusque species, vt docet expresse Aristotel. 1 de posteriori resolutione tex. 39. sed enunciatio in genere hic definitur ab Aristot. hic consideratur: ergo vtraque eius species videlicet simplex, & composita. Quod autem antiqui interpretes docuerunt, solam conditionalem esse hypotheticam aperte falsum est, & Aristoteli aduersum, qui definiens enunciationem vocat cōiunctione vnam, sed coniunctiones, quibus vinciūtur propositiones categoricę ad constitutionem hypotheticæ, non solum sunt conditionales, sed copulatiuę, ac disiunctiuę, vt vel Dialecticæ tyronibus peruium est, ergo non solum conditionalis censenda est enunciatio composita, sed principalius copulatiua, atque disiunctiua, in quibus absoluta veritas reperitur.

Secunda ratio.

Aristotel.

6.

Nostra igitur sententia, his duabus assertionibus explicatur. Prior est communem enūciationem

Prima assertio.

tionem simplicem, & compositam, ambientem esse adæquatum huius partis obiectum. Posterior, solam simplicem explanasse Aristoteles cum suis partibus, & proprietatibus: de composita autem pauca admodum tradidisse, quia illa præcipua species enunciationis est, & principalis huius considerationis materia: tum etiam, quia ad finem constituendorum syllogismorum illa ferè deseruit, hæc vero raro admodum, cum non sit frequens hypotheticorum syllogismorum vsus, & hoc est quod D Thomas voluit, vt verba illius ostendunt, neque enim ait de sola simplici enunciatione agere Aristotel. sed de hac sola determinate, quasi dicat eius dumtaxat rationem partes, & proprietates ex professo tradere, quod admittimus: sed non propterea ab obiecto penitus exclusa censetur, cũ non nihil de ea tradiderit. Nihil fere de quibusdam vltimis prædicamentis, tradidit Aristoteles, in præcedenti lib. quia raro eis in compositionibus vtimur, raro item in disputationibus se se offerunt, nec tamen propterea ab obiecto eiusdem operis excluduntur, sic ergo de enunciatione composita in præsentiarum censendum est.

Secunda assertio.

D. Thom. 7.

Quis sit finis & institutum. 8.

Ex eodem titulo innotescit finis, seu institutum eiusdem operis, quod non est aliud, ac enunciatiuam orationum, eiusque partes nõ solum materiales, vt nomen, & verbum, sed etiam subiectiuas, vt affirmationem, & negationem nobis exponere, eiusdemque proprietates ostendere, vt cap. statim primo, Aristot. ipse se facturum promittit dicens. *Primum oportet ponere quid nomen, & quid verbum, postea quid est negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio, &c.*

Aristotel.

Obiectio.

Sed opponet fortasse quispiam, iam de simplicibus egisse Aristotel. in lib. prædicamentorum, cum non sit aliud prædicamentum, quam simplicium prædicatorum ordinatio, atque etiam 1. libro de priori resolutione, cap. 1 vbi terminum descripsit, quod sit extremũ propositionis, in quod resoluitur propositio. Ibidemque de propositione ex professo agit.

Solutio.

Respondet Albert. Magnus, in proœmio huius operis enunciationem, & propositionem re idem esse, & quadam ratione accidentali differre. Nam enunciatio dicitur propositio in quantum disposita in syllogismo secundum ordinem trium terminorum, medij scilicet, & extremorum, sed in quantum vnum de vno enunciat, nondum in syllogismo posita, apta tamen poni, enunciatio vocatur: propterea Aristot. duobus illis locis de syllogismo ac demonstratione agens non enunciationem, sed propositionem descripsit tanquam eius actualem partem. Cæterum hoc loco enunciationem, vt à tali ordine actuali ad syllogismum abstrahentem tradit. Ideo non sub propositionis nomine, sed enunciationis: sub diuersis igitur considerationibus ac respectibus oratio eadem enunciatiua propositio, & enunciatio vocatur, ad diuersasque Dialecticæ partes pertinet. Eodem modo respondere possumus ei, quod de nomine, & verbo obiicitur: simplicia quidem tradidisse Aristot. in prædicamentis, ex quibus fieri enunciationes possunt, non tamen vt eiusdem enũciationis actuales partes sint, sed vt in categoriis disponuntur, secundum debitos modos subiectionis, & prædicationis, hoc est, in quantum prædicari, & subiici apta sunt. In præsenti autem opere eadem simplicia tradit, sed in quantum actuales partes enunciationis sunt, ac propterea, vt nomina, & verba vocantur, sub his enim nominibus eam actu componunt. Eadem etiam simplicia tradit in resolutionibus prioribus, prout extrema sunt syllogisticæ propositionis in modo, & figura dispositæ syllogismum, vt partem eius actualem componentem. Hic vero vt tanquam nomina, & verba enunciationis partes sunt.

Titulus etiam docet quem locum pars hæc inter cæteras Dialecticæ obtineat, & quonam modo cum eis ordinetur, tenet enim (vt egregie Albertus Magnus) medium inter omnes, quia post categorias proxime collocatur primum tenentes locum: & ante libros omnes de syllogismis in vniuersali, & in particulari differentes, tenentesque postremum, quod ex ordine operationum intellectus, quas Dialectica dirigit plane colligitur. Agitur enim hac in parte de secunda operatione componente ac diuidente. In prędicamẽtis de prima apprehendente, & ordinante simpliciter. In libris syllogismorum de tertia secundum autem inter primum, & tertium mediam tenet sedem. Sic autem cum eis ordinatur, vt finis proximus categoriarum sit, & quasi medium ad syllogismos ordinatum, vnde tanquam medium participat vtroque extremo, est enim interpretatio ex simplicibus categorijs ordinatis, quid compositum & com-

Quem locũ obtineat pars hęc. 9.

& comparatione syllogismorum, quid cõponens, atque adeo respectu illarum, quoddam totum. Horum autem comparatione quædam pars proxima quidem, nam ex simplicibus etiam quasi ex partibus remotis propositione media, (quam componunt) syllogismos extruimus.

Quæ sit vtilitas eius. 10. Vtilitatem denique eiusdem tractatus, nõ modicam ostendit inscriptio, finis etenim totius Dialecticæ est syllogismum constituere, tanquam vniuersale instrumẽtum artis disserendi, sed præcipue demonstratiuũ, ad quem tanquam ad finem principalem omnes partes Dialecticæ ordinantur, ad hunc autem finem consequendum, non solum vtilis est interpretatio, de qua in hac parte agitur, sed omnino necessaria, non secus ac elaborati lapides, ac ligna necessaria sunt ad domum perficiendam, est enim enunciatio proxima materia syllogismorum, ac demõstrationum, sine qua proinde minimè constare poterunt.

Vnde colligatur autor huius operis. Authorem non indicat titulus, sed colligitur plane, ex eadem verborum cõcisione, & obscuritate per omnia simili ei, qua in cęteris partibus vtitur, & sufficeret communis totius scholæ vox, quæ opus hoc sicut cætera Dialecticæ partes Aristoteli semper adscripsit; quapropter nec audiendi sunt, nec referendi quidam, qui absque vllo rationis, vel authoritatis momento, id negari ausi sunt, nescientes profecto quid per passiones animæ intelligat Aristoteles, quas in lib. de anima se explicuisse ait, & ideo negantes de illis in eo opere egisse, quod cum ex officina eius prodiisse constet, colligunt non esse ei
11. præsentem tractatum adscribendum, quod profecto non inferrent, nisi ignorassent affectus animæ internos (de quibus copiose disseruit in libro de anima) passionum nomine designasse, vt tradetur inferius. Modus autem procedendi, ex discursu totius operis cognoscitur, qui plane scientificus est per diuisiones, definitiones, quibus medijs proprietates enunciationis demonstratiue ostendit.

In quos libros diuidatur. Diuisio denique non est eadem apud Gręcos, Latinosque interpretes, nam Græci sub vno eodemque libro vniuersum claudentes opus, nulla ferme diuisione vtuntur, sed iam vniuersa schola complectitur diuisionem Latinorum, in duos libros. In quorum primo, de enunciatione, & eius partibus; verbo, nomine, oratione, affirmatione, negatione, appositione disseritur. In secundo de enunciationibus modo affectis, quas ideo modales vocant. Primus liber diuiditur in sex capita, quorum primus quasi totius operis proœmium est, in quo Aristot. subiectam proponit materiam. In secundo, de nomine, & verbo disserit. In tertio, orationem, atque enunciationem propriis definitionibus explicat. In quarto, varijs diuisionibus vtitur, quibus medijs earundem subiectiuæ partes, vel species manifestantur. Quintum oppositiones enunciationum, & regulas veritatis earundem continet. Postremum vero de 12.
quibusdam diuersum veritatis modum à cæteris habentibus agit, quales sunt enunciationes de futuro contingenti, in eius autem operis commentatione eundem nos seruabimus modum procedendi, ac in cæteris Dialecticæ partibus explicatis, vt primo nudam textus expositionem præmittentes notabilia: deinde, quibus magis illustratur, adiiciamus minora rursus dubia ex textu iã elucidato exorta, ac tandem methodicas quæstiones, quibus grauiora proponuntur ac soluuntur dubia.

CAPVT PRIMVM.

PRIMVM oportet ponere, quod sit nomen, & quid verbum, &c. 1.

TEXTVS EXPOSITIO.

Bimembris diuisio capitis. *BIMEMBRIS est diuisio primi capitis, cuius prior pars quasi proœmium est totius operis, in quo natura eius propo-*
2. *nitur, posterior vero de vocum, & conceptuum significatione agit. Materiam totius operis hisce verbis proponit Aristoteles.* Primũ oportet ponere, hoc est definire quid nomen, quid verbum, postea quid negatio & affirmatio, & enunciatio, & oratio, &c.

Ad quamlibet enim scientiam pertinet partes subiecti explicare, non solum essentiales, sed etiam subiectiuas (si eas habuerit) quia, vt in posterioribus resolutionibus vidimus, eadem est facultas de genere, eiusq; speciebus disserens. Ex prædictis autem quædam sunt partes essentiales enunciationis, quasi physicæ, seu materiales nomen, & ver-

verbum. Metaphysica vero oratio cum sit quasi proximum genus, aliæ sunt subiectiuæ, vt affirmatio, & negatio, cum apertum sit enunciationem in affirmatiuam, & negatiuã tanquam genus in species diuidi. sensus igitur huius præfatiunculæ talis est.

Sensus præfationis.
3. *De enunciatione acturi, eiusque passiones, vel proprietates probaturi, oportet partes eius definire, ex quarum rationibus definitio ipsius enunciationis apertior fiat, quam etiam præmittere necesse est, cum sit tanquam medium accipienda ad præfatas proprietates demonstrandas. Præceptum namque est in initio, cuiuscunque scientiæ obseruandum ab eodemque Aristotele tradendum 1. lib. de posteriori resolut. capit. 1. de subiecto duo hæc præmittenda esse, an sit, & quid sit: quid autem subiecti per definitionẽ explicatur, ideoque præmittenda est definitio enunciationes, quam designabit Aristoteles cap. 4. huius primi libri partibus eius, in tribus antecedentibus prius expositis. Quod autem in hoc proœmio enunciationem priusquam orationem enumerauerit; ponere etiam, potius quam definire dixerit, nullum habet mysterium, ac proinde in his, & in similibus immorandum non erit; sed ad secundam capitis partem elucidandam properandum.*

Secũdum mẽbrum.
4. *In qua de vocum significatione agit Aristoteles dicens.* Sunt ergo ea earum quæ sunt in anima passionum notæ, & ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce, &c. *Inter res, conceptus, voces, atque scripturam talis est ordo, vt à rebus tanquam ab obiectis imprimantur conceptus in mente quos nisi oporteret aliis significare, nõ essent necessariæ voces, & si præsentibus dumtaxat, redundarent scripturæ, sed quia vtrũque conditio hominum postulat, vt videlicet cum præsentibus, atque absentibus agat, propriosq; conceptus eius explicet, ideo voces, & scripturæ necessariæ reputantur, & vtrasque significatiuas esse omnino oportet à rebus igitur tanquam à primis conceptus dignoscuntur, quos voces præsentibus designant, absentibus vero scripturæ, sed ad primum, hoc est ad rem significandum, iuxta prædictum ordinem tendunt.*

Cõceptus propter res & voces propter conceptus.

Tria ad vocum significationẽ spectãtia.
5. *De vocum autem significatione tria docet, primum quod significet conceptus, eisque mediis res. Secundo modum significandi ostendit. Tertio quo pacto se habeant ad veritatis significationem, nam id, quod vocibus significare intendimus veritas est, vel falsitas in intellectu res percipiente clausa. Ad primam igitur accedentes ait; sunt ergo ea, quæ sunt in voce, non aũt sunt voces, quia vt bene D. Thomas voces ex se non significant conceptus, nisi ad significandum imponantur, vnde vox se habet quasi materia nominis aut verbi; significatio vero tanquam forma, vt suo loco ostẽdetur: bene igitur nomina, & verba, quibus passiões animæ significamus, in voce esse dicuntur, id est, quasi ex voce adiunctã significatione coalescere, passionum autẽ nomine non intelligit naturales, (quas etiam bruta animalia quibusdã in articulatis vocibus significant, vt dolorem, vel tristitiam, similesve naturales animæ sensitiuæ affectus, nam in his nihil veri, aut falsi contineri potest, neque vllus proinde ordo ad enunciationem) sed conceptus mentis, quos res intelligendo formamus, in quibus veritas, vel falsitas consistere possunt, & ex quibus enunciationes fiunt. Quos propterea passiones animæ vocat quia in anima recipiuntur eorumq; receptio passio quodam modo vocatur, quamuis perficiens potius quam ad corruptionem disponens, itaque voces significant conceptus, scripturæ autem voces quarum vi seiunguntur, sed modus significandi conceptuum, vocum, & scripturarum diuersus est, nam conceptus significant res naturaliter, voces autem conceptus, & res, ex libera hominum impositione, & simili modo scripturæ voces, conceptus, & res, probat Aristotel. primum, quia natura hominum, cæterarumque rerum nunquam variatur, sed semper eodem modo se habet, cum sit determinata ad vnum, & idcirco eadem apud omnes est, semper ignis calefacit, semper sursum tendit, vnde sequitur, quod ea, quæ naturalia sunt, eadẽ semper sint apud omnes, sed conceptus non secus atque res, quas significant iidem sunt apud omnes, non quidẽ numerica identitate (nam hæc pro eadem*

D. Thom.

Cõceptus naturaliter res. Voces vero ipsos conceptus, & res ad placitũ significant.

Cõceptus rerũ iidem sunt apud omnes nõ numero, sed specie.

idem hominum diuersitate variatur) & distinctum numero conceptum format Petrus à Paulo, sed eosdem esse conceptus apud omnes vult Aristot. significatione, & modo significandi, ita vt conceptus, quem Græci de homine formant, siue etiam Barbari, hominem ipsum repræsentet, tanquam naturalis eius similitudo, non minus, quam à Latinis, vel aliis cuiuslibet alterius linguæ, vel nationis formatus. Quemadmodum homo ipse e-
7. iusdem rationis est apud omnes, quantum ad essentiam, & naturam. voces autem, & scripturæ non sic, sed ex hominum beneplacito ad significãdum imponuntur. Quod opposita, sed non minus certa ratione ostendit si naturalia eadem sunt apud omnes, sequitur euidenter non esse naturalia, quæ apud diuersas rationes variantur, sed talis est significatio vocum & scripturarum, ergo non erit naturalis, sed ex libera hominum voluntate depẽdens. Probatur minor, quia diuersis longe vocibus significatur homo apud Hebræos, Græcos, & Latinos diuersis characteribus, literisq; vtuntur ad tales voces exarandas. Docet postremo, quonammodo se habeant voces, & scripturæ in ordine ad veritatem, vel falsitatem. Vt hinc etiam nobis innotescat quomodo se habeant ad enunciationem, in qua verum vel falsum reperitur; videlicet tanquam partes eam componentes, Modus autem talis est, vt quemadmodum operatio intellectus duplex est, vt tertio lib. de anima tex. 1. statuitur: vna quæ vocatur simplex rerum apprehensio, quæ nihil veri vel falsi continet, altera compositio, aut diuisio, quã proprie veram vel falsam appellamus, & ex consequenti conceptus per tales operationes formati etiam sunt simplices, & compositi, vt conceptus hominis, & conceptus huius,
8. quod est eum esse animal rationale: ita se res habet in vocibus, atque scripturis, quæ correspõdent conceptibus, nam simplices dictiones vocales, seu scriptæ nihil veri aut falsi important, vt nomina, aut verba per se sumpta, etenim qui simplicem vocem homo, vel animal profert, nec verum dicit, nec falsum sed voces compositæ in modum enunciationis verum iam vel falsum dicunt. Proferenti

Voces nõ eędẽ apud omnes.

Quomodo se habeant voces, & scripturę in ordine ad falsitatem vel veritatem

enim simplicem vocem nominis aut verbi, nec possumus ei attribuere, quod verum dicat, nec opponere quod dicat falsum. Bene tamen si propositionem hanc forte protulerit, homo currit vel ambulat, & par est ratio de simplici voce scripta, atque etiam de compositione, idq; probat Aristot. exemplo nominis compositæ figuræ. quasi argumento à maiori, si vna aliqua vox per se sumpta verum contineret, aut falsum, maxime illa, quam compositam vocamus, vt hirco ceruus, aut hypocentaurus, nam cum verum, aut falsũ in compositione reperiatur, harum vocum compositio, maiorem præ se fert apparentiam significationis veri aut falsi, quam aliarum simplicitas, sed qui tales voces profert, aut scribit, nihil verum vel falsum dicit, neque enim obiicere ei possumus, quod mentiatur, ergo in vna simplici voce, vel composita, non reperitur veritas, vel falsitas, nisi addatur, inquit Aristotel. esse, vel non esse simpliciter, vel secundum tempus: nam dum verbum nomini adiungitur, iam dicitur rem se habere, sic aut in tali tempore, in quo verum potest esse, vel falsum, tanquam in enunciatione ex eis composita, & his continetur sententia totius capitis.

CIRCA EXPOSITVM textum adnotanda.

NOTABILE I.

SED vt expositio textus illustrior reddatur, libet notabilia quædam subiicere. Et sit primum tanquam certum præsupponens per passiones animæ conceptus, & intellectiones denotare Aristotelem, quod non est alienũ ab eius doctrina, & modo loquendi, vt quidam voluerunt, ex eo ducentes argumentum ad probandum opus hoc non fuisse ab Aristotel. editum, nam 1. lib. de anima tex. 12 13 & 14. (in quem locum eorum considerationem remittit) omnes animæ tam sensitiuæ, quam intellectiuæ operationes sub nomine passionum comprehendit. Quo supposito intellectiones, vel conceptus per voces significari hac in parte docet, nam & si ad res tandem significandas ordinentur conceptus, voces, & scripturæ, sed

Quid per animę passiones denotet Aristot.
9.

sed voces proximè solos conceptus significãt, & scripturæ solas voces.

Probatur vtrunque aperte, quia voces significant ex libera hominum impositione, homines autem non imposuerunt eas ad significandas res nisi prout ab ipsis cognitas,
10. *vnde secũdum modum cognitionis fuit semper modus impositionis, quod præsertim verum est, vt egregiè D. Thom in vocibus significantibus res vniuersales, quas constat non esse tales à parte rei, vt Platonis schola profitebatur, sed in quantum cognoscuntur per abstractionem à singularibus, in quibus sunt, ac de quibus prædicantur, non enim significat vox homo, hominem in communi à parte rei existentem, sed vt per intellectum à singularibus abstractum operatione intellectus cognoscentis ipsum, non consideratis singularibus; & ad eum sic cognitum significandum imposita fuit vox, quæ pro inde cõceptum hominis, proximum significat, & eo mediante hominem ipsum. accedit voces sic ad significandos internos conceptus adinuentas, atque impositas esse, vt si posset homo absque vocibus eos propalare, aliisq; hominibus aperire, minime eis vteretur, neque ad significandum imponeret, cuius illud est euidens signum, quod quia Angeli per so-*
11. *lam ordinationem internam suorum conceptum ad alios, eos quoties volunt, & quibus volunt aperiunt, nec vocibus vel alio signo sensibili vtuntur, imo nec nos vt nostros eis manifestos faciamus, vnde infertur euidenter ad significandos conceptus ad inuentas fuisse, tantundemq; de scripturis censendum est voces proximè significare, quia in earum supplementum adinuenta sunt, & ad significandum imposita, si enim posset homo absentes alloqui, vel iis proprios conceptus declarare, cessaret proculdubio scripturarum necessitas, & vsus. Conceptus itaque primo significant res, cum ex earum impressione formentur. Voces primo conceptus, & quasi remote res per eosdem significatas, scripturæ primo voces, & quasi remote conceptus vocibus significatos, & remotius res, quod eleganter docuit D. Augustinus, libr. 15. de Trinitat. cap. 10. in fine his verbis.* Inuentæ sunt etiam literæ per quas possemus, & cum absentibus colloqui, sed istæ signa sunt vocum, cum ipsæ voces in sermone nostro earum, quas cogitamus signa sint rerum. *Et hunc ordinem, vt innueret Aristot. illo verbo vsus est.* Quorum autem hæ primorum primo notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt, &c. *Quasi dicat quarum rationum primarum primo significantium res, & ad quas proxime significandas imponuntur voces, hæc scilicet nomina & verba, aut hæ scilicet voces ipsæ notæ sunt, id est signa.* 12.

D. Thom.

D. August.

Aristotel.

NOTABILE II.

Quomodo in significatione differunt voces, scripturæ, & conceptus.

D. Thom.

Secundo obseruandum est, circa modum significandi vocum, scripturarum, & conceptum, diuerso longè modo conceptus significare res, ac voces conceptus, & scripturas voces, vt bene D. Thomas in commentariis huius cap. horum enim quodlibet iuxta propriam conditionem significat, & cum conceptus ex propria conditione habeant esse quasdam similitudines ex rerum impressione formatas, per modum naturalis similitudinis, easdem repræsentant.

Voces autem, & scripturæ non sic, non enim ex rerum, vel conceptuum impressione habent esse, nec ex propria natura aliquid significare, sed cum voces sint soni quidam dearticulatus, & scriptura, quod figura calamo formata ex libera hominum voluntate ad significandũ determinantur, nihil ergo in eis similitudinis reperitur, sed sola constitutio: ac propterea Aristot. de modo significandi conceptum loquens illis verbis vsus est. Quorum hæ similitudines, res etiam eædem, *id est quarum rerum hæ, scilicet passiones similitudines sunt. De vocibus autem nõ dixit esse similitudines passionum, sed solum notæ, hoc est ex hominum institutione signa; & pari ratione de scripturis intelligendum est, non significare voces per modum similitudinis, sed solum esse earum notas.*

Aristotel.

NOTABILE III.

Quo [illegible]

Perscribens Aristoteles ordinem, quem ad veritatem significandam habent voces,

tes, docuit simplices non significare verū vel falsum, quod exemplo nominis compositi ostendit, hoc autem accipiendum est de simplicibus nude acceptis, hoc est absque aliqua virtuali significatione, vel subintellectione alterius vocis, ex cuius coniunctione verum. vel falsum possunt significare, verbi gratia, verbum ambulo, quod primæ personæ sit, virtualiter habet inclusum, aut subintellectum pronomen ego, tanquam suppositum, ratione cuius dum profertur in communi modo loquendi verum, vel falsum significat. Si tamen nude accipiatur, hoc est absque tali subintellectione, id nō habet, simplex etiam nomen adhiberi contingit ad respondendum interroganti verbum eiusdem interrogationis subintellectum habens, ratione cuius verum, vel falsum significat, vt dum interroganti quis natet? respondemus, piscis, idem verbum natat subintelligitur. Horum autem ratio est, quia propter vtramque subintellectionem, nomina, & verba, alioquin simplicia, modum enunciationis habent. Idcirco verum, vel falsum significare possunt.

13.

NOTABILE IIII.

14. Explicatur Aristotel.

NEgans Arist. simplicia significare veritatem aut falsitatem conditionalem illam adiecit, nisi addatur esse, vel non esse, vel simpliciter, aut secundum tempus, indiget autem explicatione vtrumque, primum quidem: ne intelligatur solum per additionem huius verbi, sum, verum vel falsum significare, cum non minus significetur per additionem aliorum verborum, vt si dicamus hominem ambulare, currere, vel disputare. Sensus igitur est, simplicia non significare verum, vel falsum, nisi addatur verbum, ex cuius additione iam enunciatur quidpiam esse, vel non esse, vt cursum deambulationem, aut aliquid aliud iuxta significationem verbi, in quo veritas reperitur vel falsitas.

15.

Quid sit verbū simpliciter vel secundum tempus. Triplex expositio.

Postremum quoque exponere necesse est, cum non constet quid per verbū simpliciter, quid etiam per verbum secundum tempus intelligatur, exponitur autē multipliciter ab interpretibus, sed ex multis expositionibus placuit seligere tres, quæ magis videtur mētem Aristot. attingere, duas posuit Albertus Magnus 2, de partibus enunciationis cap. 2.

Albertus Magnus.

Prima expositio.

Primam per verbum simpliciter intelligentem verbum non limitatum ad certum tempus per aduerbium temporis adiunctum, & per verbum secundum tempus, quod sic limitatur, additur verbum simpliciter dum hominem currere, disputare, aut legere, enunciamus. Additur autem secūdum tempus, si dicamus hodie currere, legisse heri, & disputaturum cras: Et expositio hæc non est propria ipsius Alberti, sed quam ipse ex Ammonio desumpsisse videtur. Ideo expositio secunda Auicennæ Alexand. & Magnesij, magis ei placuit, quam vt intelligamus. obseruandum est, prædicationes esse in duplici differentia, nam quædam sunt, quorum prædicata ad essentiam subiectorum pertinēt, vel propriè passiones eorum sunt, vt homo est animal rationale, vel risibile, aliarum vero prædicata, nec sunt prædicata nec se habent tanquam propriæ passiones, sed accidentia, vel in re ipsa, vel ex modo prædicandi: & in prædicationibus primi generis verbum non vnit extrema pro aliqua differentia tēporis, sed absoluitur, vt aiunt, à tempore, & solum denotant naturalem rerum connexionem, & propterea dicuntur propositiones perpetuæ veritatis, quia similes extremorum connexiones nullum tempus præscribunt, sed perpetuæ sunt, semper eodem modo se habentes: prædicata vero aliarum propositionum non semper se habent eodem modo, sed adesse, & abesse possunt, adesse hoc tempore, & abesse altero, limitatur autem per copulam ad certum tempus inhæsionis, pro quo vera, vel falsa iudicatur propositio, & idcirco dicitur tale verbum secundum tempus. sed verbum in propositionibus primi ordinis, vtpote non vniens extrema pro aliqua differentia temporis verbum simpliciter nominatur.

Ammonij secunda expositio. Auicennæ.

Nota. 16.

Vltimam expositionem attulit D. Thom. per verbum simpliciter intelligens verbum præsentis temporis, quod solum tempus simpliciter propterea vocatur, quia nihil temporis existit, nisi nunc præsens coniungens partem præteriti cum futuro, quod ratione

Tertia expositio D. Thom. 17.

talis

talis coniunctionis tempus præsens vocatur, illud autem quod actu existit appellatur tale simpliciter, præteritum autem, & futurū, cum non existit non dicitur nisi secundum quid, & ex consequenti verbum, vnum vel ulterum denotans, non appellatur verbum simpliciter, sed secundum tempus, hoc est secundum differentiam temporis determinati non suscipientis determinationem temporis simplicem, sed cum addito præteriti vel futuri.

QVAESTIO I.

An voces significent conceptus, & scripturæ voces ad placitum, conceptus vero naturaliter res.

Rationes in oppositum proponuntur.

Aristot. EXamine indigent, quæ de significatione, & modo significandi horum trium docet Aristot. & in primis videtur falsum, quod voces significent conceptus, nam vt idem Aristot, ait. 1. lib. elench. cap. 1. Vocibus vtimur non potentes res ipsas ad locum disputationis nobiscum ferre, ideo enim eis pro rebus vtimur, quemadmodum lusores calculis pro pecuniis, non ergo pro conceptibus, Vnde audita hac voce homo, vel equus, res ipsas, non conceptus intelligimus, res igitur igitur significant non conceptus? Ad hæc: illud est significatum vocis, Confirmatur. pro quo vox ipsa in propositione substituitur, aut supponit, sed voces non supponunt pro conceptibus sed pro rebus, ergo non cōceptus sed res significant: Probatur minor in hac propositione, homo disputat, vel ambulat, non supponit subiectum pro conceptu hominis, de quo falsum est vtrumque affirmare, sed pro homine ipso qui vtramque exercet actionem, ergo solus ipse per talem vocem significatur. secundo illud voce significari dicitur, in cuius cognitionem signum, quod eam significat, facit aliquem deuenire. Homines autē ex verbis deuenimus in cognitionem rerum nō cogitationem eorum, qui nobis loquuntur, nisi quando etiam indicare nobis volunt, hoc, aut illud se cogitare, tum enim ipsa cogitatio est significatum vocis, non res cogitata, ergo ex propria impositione, cōmuniquē vsu vocum intelligitur solas res significare, aut solos cōceptus, non vtrumque.

Tertio, quæ de modo significandi conceptuum, & vocum docet Aristot. non minus falsa videntur, nempe conceptus naturaliter significare, voces vero ex hominum instituto. Probatur primum, nam ratio quam ad id probandum attulit falsum supponit, nempe conceptus eosdem esse apud omnes, quia de eadem re non omnes eundem conceptum formant, sed valde diuersum, vt de ente concipiunt nonnulli, quod vniuocum sit respectu substantiæ, & accidentis, alij quod analogum, de relatione vero, quod entitas sit distincta à fundamento, alij vero quod eadem, sic & de cæteris rebus, quæ in opinione versantur, & de nomine æquiuoco nō vnum, vel eundem formamus conceptum, sed plures, atque diuersos, vt constat de nomine, canis, ergo conceptus diuersi sunt, atque adeo non significant naturaliter.

Probatur tandem, falsum esse, quod voces significent ad placitum: nam plures sunt naturaliter significantes animi affectus & passiones, vt gemitus, ac suspiria, & omnes significant naturaliter prolatorem, nam per locutionem distinguimus hominem à cæteris animalibus, suas etiam voces edentibus, ergo non benè assignatur discrimen inter conceptus & voces, quod illi naturaliter istæ verò ex libera hominum impositione significent.

Referuntur variæ sententiæ.

DVplex modus dicēdi refertur circa conceptū, vocūque significationē; antiquior vnus, affirmans nomina & verba solos cōceptus, & nō res significare, modernus alter ex directo oppositus est, tenens solā rē significare, cōceptus vero non significare, sed solū exprimere, quid autem intersit inter significationem, & expressionem explicatur: hoc supposito quod significatum nominum, & verborum est duplex immediatum, ac minus præcipuum appellatum quo, & remotum ac præcipuum appellatu quod, primum significatum sunt conceptus; postremum res, etenim nomina, & verba adinuēta fuēre ad manifestandos conceptus occultos, atque etiam, vt rerum loco substituantur in propositione, vt Aristot. docuit. 1. elench. cap. 1. Sic igitur se habent ad conceptus, vt eos declārent, nō tamen, vt pro eis substituātur, & hoc est eos exprimere, & non significare, illius enim dūtaxat, quod aliquid significat, locū tenere

Primus modus dicēdi. Secundus modus. Aristotel.

nere poteſt, ac propterea res dicuntur ſignificare pro quibus ponuntur, quas tamen non exprimunt: conceptus itaque exprimunt, & non ſignificant, res vero ſignificant, & non exprimunt.

Maſius.

Pro hac ſententia, ita explicata retulit Magiſter Maſius, Sotum lib. 1. ſummul. in ſolutione ad primum, & Mercatum, in commentarijs eiuſdem loci, ſi tamē quiſpiam Sotum

Sotus.

20. conſuluerit videbit oppoſitum tenere, licet enim probabile ducat, iuxta definitionem ſigni ab Auguſtino traditam, & à nobis mox referendam, nihil prorſus ſignificare, niſi illud quod ſenſibus ſpeciem alterius rei à ſe diſtinctæ ingerit, qua mediante illam ei cognoſcere facit, atque adeo conceptum tali conditione carentē, non proprie ſignificare, ſed tandem, ne communem ſententiā deſeruiſſe videatur, cum proprie ſignificare admittit hiſce verbis *Nihilominus, ne tam longè eijciamus modum loquendi ſcholarum, concedimus duos modos ſignificandi formaliter, & inſtrumentaliter, & dicimus Auguſtinum, tantum loquutū fuiſſe de modo ſignificandi inſtrumētaliter.*

Mercatus.

Mercatus vero licet conceptus non eodem modo ſignificare arbitretur, ac voces, quia non ducunt audientem in cognitionem eius rei, quam repræſentant, quod tamen nomina, & verba præſtant, ſimpliciter tamen eos ſignificare concedit: non eſt ergo cur eis dicta ſententia attribuatur.

Adnotandum pro totius cōtrouerſiæ deciſione.

Nota pro ſolutione

SEd pro ſolutione noſtræ atque communis, quadruplex diuiſio ſigni, aut eius quod eſt ſignificare explicanda eſt, vt cæteras

Prima diuiſio ſigni, in proprium atque improprium.

21. interim miſſas faciamus. Diuiditur primum ſignum, in proprium atque improprium. Duplicem conditionem poſtulat proprium; priorem, vt in alicuius à ſe diſtincti notitiam venire faciat, poſteriorem, vt in tale officium ſit ab ipſa natura, aut imponentis voluntate ordinatum, vtranque conditionem habent ſuſpiria, & gemitus, ſimileſque brutorum voces, & ideo naturaliter ſignificare dicuntur internos animi affectus, à qualibet autem ſi defecerit, ſignum improprium cenſebitur, vt ſi nihil præter ſe cognoſcere faciat, cuius modi ſunt voces non impoſitæ, ad rem aliam à ſe ſignificandam, vt Blitiri, & ſimiles, vel certè ſi in alicuius rei notitiam deuenire faciat, non ſit tamen in id officij deſtinatum, ducit nos veſtigium naturaliter in notitiam animalis vox in notitiam proferentis, & effectus quilibet in cognitionem ſuæ cauſæ, ſed propterea à proprietate ſigni deficiunt, & impropria iure vocantur, quia non ordinantur ad id præſtandum à natura, quæ propriam rationem eis conceſſit à tali officio minime dependentem, videlicet, vt eſſent qualitates, ſubſtantiæ, vel quidpiam aliud generis alterius, ſeu prædicamenti. Omiſſo improprio ſigno, ſubdiuiditur proprium in naturale, ad placitum, & ex conſuetudine, quod certe magnam cum naturali ſimilitudinem habet, cum conſuetudo (vt aiunt) altera ſit natura, ſignum igitur naturale eſt, quod à natura ordinatum eſt ad aliquid ſignificandum, vt brutorum voces naturaliter ſignificant eorum paſſiones ad placitum, quod non ex propria natura, ſed ex libera hominum impoſitione, vt ramus pro foribus pendens: ex conſuetudine vero, vt vox ipſa oſtendit, quo conſueuimus aliquid ſignificare, quo pacto mappæ appoſitæ tempus prandij adeſſe denotant.

Secunda diuiſio ſigni proprij, in naturale ad placitum, & ex conſuetudine.

22.

Tertia diuiſio ſigni in externum & internū.

Tertia diuiſione neceſſe eſt diuidere ſignum in externum, & internum, externum eſt idem quod ſenſibile mediis ſenſibus aliquam ſpeciem, aut ſimilitudinem in intellectu nobis imprimens; per quam in eius rei notitiam, quam ſignificat deuenīamus, cuius modi ſunt voces: aliud eſt internum ſpirituale, vel corporeum, internum ideo vocatum, quia non patet exterius, internum ſignum, (licet corporeum) dicitur idolum, quod imaginatio, vel phantaſia fabricatur rem poſſibilem, ſeu exiſtentem, vel omnino fictam repræſentans, vt montem aureum, vel quidpiam ſimile, internum etiam ſignū eſt exemplar domus fabricandæ ab artifice in mente formatum, ad cuius ſimilitudinem domus ſtruitur, & quicunq; conceptus mentis externum duntaxat ſignum, deſcripſit D. Auguſt. 2. lib. de doctrina Chriſtiana, cap. 1. his verbis. *Signum eſt, res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire, ſicut veſtigio viſo tranſiſſe animal, cuius veſtigium eſt cogitamus, & fumo viſo ignem ſubeſſe cognoſcimus, & voce animalis audita affectionē animæ eius animaduertimus.*

D. Auguſt.

23.

Quarta ac poſtrema diuiſio eſt, ſignum vnum eſt manifeſtatiuū dumtaxat, aliud manifeſtatiuum, & ſuppoſitiuum ſimul: primi generis eſt illud, quod rem aliquam à ſe diſtinctā ſignificat, aut repræſentat, pro qua nō

Quarta diuiſio. Signi in manifeſtatiuū & ſuppoſitiuum.

substituitur, vt sonus cãpanæ manifestatiuũ est lectionis signum, sed nõ supponit pro ea, manifestatiuum autem, & suppositiuum est, quod non solum nos ducit in alterius rei cognitionem, sed pro ea substituitur, vt prorex dicitur hoc modo repræsentare personam Regis.

Primum illatum. Ex quibus diuisionibus elicitur primo, duplicem esse vocum significationem, propriam vnam, et impropriam alteram, hanc naturalem, illam ad placitum, hanc communem eis etiam, quas significationis expertes vocamus, imo quibuscunque effectis suas causas naturaliter indicantibus: illam vero peculiarem. Naturalis significatio communis atque impropria est, qua voces prolatorem significant, et qua semetipsas repræsentant, ad placitum vero specialis, et propria, qua significant res illas, ad quas significandas imponuntur.

Secundum illatum. Secundo elicitur nomina, et verba diuerso modo conceptus, et res significare, nam respectu rerum signa sunt significatiua, & suppositiua simul, cum pro eisdem rebus, ad
14. quas significandas imponuntur substituantur in propositionibus, cæterum respectu conceptuum significatiua tantum, non suppositiua, significat quidem vox homo conceptum, quem de homine formamus, sed in propositione non supponit pro eo, sed pro solo homine, et hoc fortasse est, quod secunda illa sententia voluit, dicens nomina, & verba solas res significare non conceptus, de significatione suppositiua (vt sic loquamur) intelligens.

STATVITVR PROPRIA SENTENTIA medium tenens, inter vtrumque extremum.

MEDIA via incedendum est circa vocum significationem, si à doctrina Aristot. & communi consensu, tam antiquorum, quam modernorum interpretum recedere nolumus, quam duo-
15. bus assertionibus explicamus. Prior est, voces significant immediate, vt quo, ac minus principaliter, conceptus, res vero immediate etiam, vt quod, ac principalius, & quidem quod conceptus significent, aperta est sententia Aristot. ac D. Thomæ, Aristot. namque in huius capitis initio, hæc verba protulit. *Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum, quæ sunt in anima passionum notæ, &c.* Vbi verbum, notæ, tantundem ac signa valere, & passionum nomine internas animi conceptiones designari, docent vniuersi interpretes, quod & nomen ipsum plane indicat: nam passio animæ, internum eius affectum seu cogitationem, aut conceptionem importat, quare remota valde est, a mente Aristotel. & a propria verbi significatione, modernorum expositio, qui per passiones animæ, non conceptus formales, vt significant res, sed potius easdem res significatas (quas obiectiuos conceptus appellant) designasse Aristotel. asseuerant, cum tamen res extra existens, nec ab eo, nec ab alio vnquam nomine passionum animæ fuerit designata. Diuus autem Thomas, non minus expresse id docuit, pluribus quidem suæ doctrinæ locis, his præsertim duobus, quæstione 8. de potentia, articul. 1. vbi hæc verba scripsit. *Conceptio differt ab actione intellectus, quia consideratur quasi terminus actionis, & tanquam quoddam per ipsum constitutum, hæc autem conceptio intellectus in nobis proprium verbum dicitur, hoc enim est, quod verbo exteriori significatur, vox enim exterior, neque significat ipsum intellectum; neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem, qua mediante refertur ad rem, &c,* prima parte, quæst. 27. articul. 1. 16.
Vbi sic loquitur; quicunque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit producit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiuæ proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis.

Sed rationibus iam probatur. Prima, quia dum aliis loquimur non solum cogitationes nostras significare volentes, sed res, mentem nostram eis aperimus: ergo easdem res a nobis conceptas significamus, & ex consequenti conceptus, quibus mediis eas interius concipimus; alioqui veritas enuntiationum vocalium, non esset prius ac principalius in mente, quam in rebus significatis, aut vocibus, quod plane falsum esse inferius monstrabimus.

Secunda ratio, voces imponuntur ad significandas naturas vniuersales, sed non sunt vniuersales, quatenus sunt extra, sed vt ab intellectu concipiuntur a singularibus abstractæ, ergo non significantur per voces, nisi mediis conceptibus quibus[illegible] de eisdem 17.

formatis, conceptus igitur significantur per voces. Argumentum est à D. Thoma, in expositione Aristotelici textus constitutum: quod autē proxime significantur, &, vt quo, tantum, vt assertio nostra profitetur naturæ eorum consentaneum est: nam si res significantur per voces, vt à nobis concipiuntur, ergo conceptus quasi medii sunt, quibus res conceptas designamus, proxime ergo significantur, & eadem ratione non sunt, quod exprimitur, aut quod dicitur vel intelligitur, sed quo exprimuntur, aut dicuntur res. Non ergo sunt qui significantur, sed quibus obiecta ab eis repræsentata designantur.

28. Posterior eiusdem assertionis pars, quod res significentur etiam proxime, vt quod non est minus necessaria, licet primo aspectu videatur priori contraria. Etenim si conceptus, vt quo tantum significantur, Tametsi proxime designentur non tollitur quin res etiam proximum significatum sit, quia illud dumtaxat censetur remotum significatum, quod altero medio significato etiam, vt quod designatur, quemadmodum voce hominis significantur homo, & Petrus, & quia vterque significatur tanquam quod, solus homo proximum significatum dicitur, remotum vero Petrus. Sed per vocem sola res significatur medio tamen conceptu, ergo non tollitur quin proxime significetur, itaq; vtrumque significatum in suo ordine, & gradu proximum existimatur, quia vnicum est, & neutrum tollit, quin alterum immediatum sit, propter diuersum modum, & ordinem quo significantur.

Solum superest probādum, quod res principalius significentur quam conceptus, id autem conuinci potest: primo, quia nomina, & verba illud præcipue significāt, ad quod significandum fuerunt imposita, sed imponuntur absque dubio ad res significandas, cōceptus vero non significant, nisi quia ad eas intelligendas formantur. Vt earum naturas, & proprietates inuestigare possimus, quo fit vt scientiæ non circa conceptus, sed circa res ipsas conceptas, vocibusque significatas, tanquam circa obiecta propria versentur, ergo res erit præcipuum significatum vocis, conceptus vero solum, tanquam medium significabunt.

29. Et hinc desumitur secundum argumentum, nam illud censetur præcipuum in aliquo ordine, quod se habet tāquam finis alio- rum, cum finis sit, cuius gratia sunt cætera, sed in ordine significationis conceptus sunt propter res quas repræsentant, & non res propter conceptus, quos non formamus, nisi pro rebus percipiendis, ergo cum res, & conceptus designentur per voces, illæ erunt præcipuum significatum, conceptus vero minus præcipuum.

Assertio postrema: voces significant conceptus, & res ad placitum, & similiter scripturæ voces, sed conceptus significant res naturaliter, cuius vtranque partem, non solum expresſit Aristot. sed efficaci ratione probauit. Quia voces, & scripturæ ex libera hominum voluntate, determinantur ad significandum, conceptus vero ex propria natura id habent, vtriusque autem illud est euidens signum, quod diuersæ nationes, diuersis vtuntur vocibus ad easdem res significandas, diuersis item characteribus, non tamen diuersos, sed eosdem conceptus formant, ergo horum significatio naturalis est, earum vero libera, accedit diuersa vocum, & conceptuum natura, & modus, quo formantur, nam voces per collisionem instrumētorum mutuam fiunt, linguæ videlicet, dentium, ac palati, & non ex impresſione alicuius obiecti: vnde, ex conditione naturali id solum habent, quod est esse sonos quosdam tali modo, talibusque instrumentis dearticulatos qua perfectione carent brutorum voces, & si aliquam eius similitudinem habent ex humanæ prolationis analogia, eam participant, vt Psittacorum voces testes sunt. Scripturæ item ex calami impresſione fiunt, non secus, ac imagines ex impresſione penicilli, vnde tales quædam figuræ sunt ex propria natura, non aliud quàm se ipsas repræsentantes, superueniente igitur hominum impositione, qui eis cum absentibus agentes vtuntur, quidpiam aliud significant. Sed vnum circa scripturas animaduersione dignum puto, videlicet, quod quemadmodum voces diuerso modo sunt conceptuum, ac rerum signa, pari ratione scripturæ, non eodem modo res significant, & voces, sed longe diuerso, nam rerum sunt signa, non solum significatiua, sed etiam suppositiua, cum pro eis impresſione scripta substituantur: vocum vero significatiua dumtaxat, nec enim absentibus voces nostras scriptas designamus, sed res, quas mente concipimus, sicut præsentibus per voces: vnde eandem conti-

Assertio postrema.

Aristotel.

30.

continent veritatem scriptæ propositiones, atque vocales; haud dubie quin ex eisdem rebus, atque conceptibus significatis, cum de quacunque propositione vocali vel scri-
31. Aristotel. pta pronunciatum sit illud ab Arist. cap. de substantia, ab eo quod res est, aut non est, vera vel falsa dicitur propositio; vnde fit pro rebus significatis in propositionibus supponere, non secus, atque voces. Sed quemadmodum necessitas vtendi vocibus loco rerum, inde ortum habuit, quod non possumus hominibus mediis sensibus res percipiẽtibus conceptus nostros aperire, atque adeo res conceptas eisdem notas facere, nisi mediis vocibus & modo simili, quia cum absentibus non possumus vocibus agere, ad easdem res conceptas eis manifestandas vtimur scripturis. Cæterum, sicut voces pro solo vltimo, ac principali significato supponuntur, ita etiam scripturæ. Itaque necessitas vocis, & scripturæ ex proximo significato ortum habuit. Veruntamen non nisi pro principali substituuntur, quia tota earum impositio, & significatio ad illud ordinatur.

Soluuntur rationes oppositæ.

Ad primũ argum. ex Aristotel. 32. NVNC autem argumenta soluere oportebit, & testimonium Aristot. probat quidem; nomina, & verba ad res significandas esse imposita, pro quibus eis in disputationibus vtimur, sed quia disputationes non sunt de nudis rebus, sed à nobis disputantibus cõceptis, vnde, & diuersorum opinantium mentem referre necesse est ad veritatem exquirendam, idcirco conceptus proxime significant, quos per voces manifestos facimus, quanquam non nisi rerum significatarum gratia. Necessitas itaque vtendi vocibus in disputationibus pro rebus, ostendit mediis conceptibus eas significare, quemadmodum non nisi eisdem mediis explicatur à nobis earum natura, conditio, seu proprietas.

Ad confir. Confirmationem soluit allata à nobis distinctio, de signo suppositiuo, vel solum significatiuo; etenim licet illud sit significatũ vocis præcipuum atque vltimum, pro quo substituitur in propositione; habet tamen aliud proximum, & quo mediante in illud nos ducit: primum significatum est res ipsa, conceptus vero tanquam medium significatum, nec enim res principaliter designatas percipere possumus, nisi per conceptus, quos de eisdem auditis vocibus facimus, cum intelligere nostrum, pro hoc statu sensuum ministerio perficiatur, vnde eo ipso, quod res præcipuum est significatum vocis, necesse est conceptum in suo ordine, & gradu significare. 33.

Ad secundum. Secundum argumentum, probat quidem præcipuum significatum vocis rem esse, & nõ conceptum, quia in eius notitiã deuenire nos facit. Cæterum cum non rem nudam, vt est extra per vocem cognoscamus, sed à loquente conceptam, necesse est aliquo modo conceptum etiam significari per vocem, si non vt quod, nec tanquam finem, vt quo saltem, & tanquam medium significandi rem conceptam. Et id quidem ex discrimine inter voces hominum, & brutorum inuento facile potest conuinci. Per has namque internum aliquem affectum intelligimus; & nudum quidem, hoc est, non ab eis conceptum. At per humanas voces, à quocunque prolatas, non nudas res, sed ab eis conceptas, & nobis significatas: quod vsque adeo verum est, vt si posset quisque cõceptus aliorum, absque signo aliquo externo percipere; non foret necessarius vsus vocum, vt constat in Angelis, quorum vnus alteri loquitur per solam ordinationem conceptus interni. Necessitas igitur vtendi humanis vocibus ostendit, res quidem præcipue significare, conceptus vero loquentis tanquam medium quo res ipsæ significantur nobis.

Ad tertium. Tertium argumentum, de modo significandi conceptuum procedit, cui negare minime possumus diuersas opiniones versari de eisdem rebus, diuersosque proinde à diuersis conceptus formari, quod certe nec menti, nec rationi Aristotel. contrarium est, nec enim in hoc sensu, vult eosdem esse conceptus apud omnes, neque id necessarium est ad naturalem eorum significationem, sed sufficit hos diuersos conceptus, idem apud omnes repræsentare, vt in eisdem exemplis in argumento assumptis ostẽdere possumus, diuersi sunt conceptus à diuersis formati, de distinctione quantitatis à substantia, aut relationis à fundamento quibusdam distingui accipientibus; aliis eandem rem esse. Cæterum conceptus isti apud omnes diuersi sunt, vnde eandem prorsus rem apud omnes repræ-

repræsentant, conceptus quidem distinctionis cuicunque repræsentat distinctionem, & conceptus identitatis, cuicunque repræsentat identitatem, siue Græcus natione, siue lingua Latinus, aut Hispanus, Barbarus, vel Scyta. in quo sensu eosdem apud omnes, voluit esse Aristotel. quæ identitas non minus est inuariabilis, quam id entitas rerum naturalium, itaque non minus cernitur naturalis significatio conceptuum in iis, qui identitatem repræsentant quam in repræsentantibus distinctionem, quia non minus inuariabilis est illorum, quam istorum repræsentatio, quod in vocibus, atque scripturis, haud quaquam contingit, non enim per eandem vocem res eadem apud omnes significatur, quia non eadem, sed diuersa vtuntur diuersæ nationes, ad eandem rem significandam, atque etiam in diuersis characteribus, atque
34. scripturis diuersis, nunquam tamen diuersis conceptibus, sed eisdem rei eundem semper formant, & diuersæ diuersum.

Secunda solutio. Vnde secundo possumus respondere, eosdem omnino conceptus esse apud omnes, non quidem diuersatum rerum, quia hoc plane repugnat, petit etiam rerum diuersitas conceptuum diuersitatem, sed earundem, quod etiam verum est, vbi reperitur diuersitas opinionum, rem namque eandem esse, aut diuersam duobus modis contingit; materiali, & formali ratione, & eodem modo concipi solet, vnde diuerso modo opinantes, circa distinctionem vnius rei ab altera, aut
35. circa alterum modum se habendi in se, vel in ordine ad aliud, diuersam rem formaliter concipiunt, licet eandem materialiter, & ideo diuersum conceptum formare necesse est, vt in eisdem exemplis constat, vnus enim cõceptus format quantitatis, vt rei distinctæ a substantia, alius vt eiusdem: itaque non sunt diuersi, de re vt eadem, sed vt diuersa, atque adeo de rebus formaliter diuersis, aut de diuersis rationibus formalibus eiusdem rei, qui apud omnes diuersi sunt, veuerum semper sit diuersos conceptus diuersarum rerum, vel rationum formalium, apud omnes esse diuersos, eosdem vero, si eiusdem sint rei, vel rationis formalis, & hoc est conceptus simpliciter esse apud omnes inuariabiles, sicut inuariabilis est natura rerum: ex quo euidenter infertur naturalis eorum significatio. Ex quibus etiam soluitur illud, quod de nomine æquiuoco in eodem argumento opponebatur, etenim cum diuersæ sint res significatæ, necesse est diuersos conceptus de illis formari, qui apud omnes diuersi sunt, quemadmodum diuersa est apud omnes earum rerum conditio, & ex consequenti inuariabilis eorum significatio.

Finali argumento libenter damus voces, non nihil habere naturalis significationis, in quantum aliquem animi affectum denotant, vel certe prolatorem, tanquam efficientem causam repræsentant, non secus, atque effecta quæcunq;, sed quãtum ad modum significandi res alias, pro quibus accipiũtur in propositionibus valde à cõceptibus differunt, siquidem ex libera hominum impositione, & non à natura ad eas significandas ordinãtur, vnde diuersæ nationes (vt dictum est) diuersis vtuntur vocibus ad eandem rem significandam, diuersisque characteribus pro absentibus, cum tamen conceptus earundem rerum iidem apud omnes sint, & diuersarum diuersi. Illud tamen prætereundum non est, quod & si libera sit vocum ad significandum impositio: maxime tamen conformatur naturæ rerum, ita vt prudentes impositores propriam singularum conditionem attendentes, iuxta eam singulis adaptauerint determinatas voces. Vnde non sic est pure ad placitum talis significatio, quin aliquid de naturali admixtum habeat, ob idq; forrassis Plato (vt referunt) naturalem eam vocabat, non secus ac nos artificialia, quæ valde imitantur naturam naturalia vocamus, nisi quis velit naturalem appellasse vocum significationem, nõ qua ordinatur ad significandum res determinatas ex impositione, sed qua suum prolatorem indicant, seu aliquem animi affectum, quod commune habent nonnullæ voces humanæ, cum inarticulatis brutorum. Solet hac in parte tractari a modernis quibusdam de verbo mentali, nomine cõceptus designato, de modo, quo per actum intelligendi producitur, ac de distinctione eiusdem ab intellectione. Quæ cum Dialecticorum captum valde superent, Philosophis relinquenda statui, & in tertium librum de anima referenda, vbi commodius explicabuntur, & capientur: & pariter ad Metaphysicam referendum censeo tractatum de natura veritatis, quem huic etiam capiti adiungendum putant.

Ad vltimũ. 36. Plato. 37.

CAPVT SECVNDVM, DE nomine.

1. NOMEN igitur est vox significatiua, secundum placitum sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

2. *PROPOSITA totius operis materia, vocum significatione explicata, ac modo, quo veritas in eis inuenitur quasi continuato sermone prosequitur Aristoteles intendens primam orationis partem nomen videlicet describere, inquiens nomen est vox significatiua secundum placitum sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata: nihil aliud in toto capite agens, nisi quasdam huius definitionis partes explicare nominaq; infinita, & obliquos casus ab ea excludere.*

Explicantur sigillatim definitionis particulae.

Prima pars definitionis est, vox, quasi pro genere posita, per quam separatim intelligitur nomen ab inarticulatis sonis naturalibus quidem, vel instrumento alicuius artificis editis, nam vox quid aliud perfectius importat, cum sit sonus ab animali ore prolatus, cum imaginatione quadam, vt docet Aristoteles, secundo libro de anima. tex. 90. Significatiua rursus dicitur, vt separetur à
3. *vocibus nihil significantibus dearticulatis, vt blitiri secunda persona & inarticulatis, vt sibilus, aut quid simile, & secundum placitum, quia nullum nomen significare dicitur, nisi quando fit nota, hoc est signum, idest quando ad significandum imponitur, vt à vocibus naturaliter significantibus separatum censeatur, cuius modi sunt infirmorum gemitus, aut leonum rugitus, & has omnes particulas, nec explicuit, nec probauit Aristoteles, quia ex vocum significatione cap. praecedenti tradita, satis patent, sed nec sequentem nominis significationem, sine tempore esse docens, ipsumq; à verbo distinguens, quia explicatio eius ex eiusdem verbi definitione sequenti cap. tradenda pendet, opponitur enim quantum ad modum significandi nomen, & verbum, cum tempore significare videbimus, & explanato modo significandi cum tempore manifestum erit quid sit, sine illo significare postrema definitionis particula est, cuius nulla pars significatiua est separata, per quam distinguitur nomē ab oratione, cuius partes separatae non minus quam coniunctae significāt. Hanc particulam simul explicat, ac probat Arist. tali argumento: si partes alicuius nominis ab eo separatae significarent maxime compositi, cuius modi est equiferus, hircocerũus, sed partes eius separatae, nihil significant ergo multo minus partes nominis simplicis. Argumentum à maiori (vt aiunt) desumptum est: nam cum nomen compositum plura nomina, tanquam partes saepe complectatur, maior profecto ratio erat, vt separata significarent, quam partes simplicis, quae syllabae potius quam integra nomina sunt. Maior syllogismi euidens est, sed minorem probat, quia partes huius nominis equiferus, si ab eo separentur, nullam prorsus significationem habent: cum equiferus non significet idem ac equus ferus, sed aliud animal ab equo distinctum, significari ergo nunime potest per partes separatas, vnde fit nihil significare, vt partes talis nominis sunt, si separentur.* 4.

Argumentum quo probat Aristo. postremam definitionis particulam.

Addit tamen Aristoteles, quod & si nihil significent, videntur tamen significare cum per se sumpta integra sint nomina, cum tamen partes nominis simplicis vnius duntaxat syllabae rationem habentes, nec significent, nec significationis apparentiam habeant, vt partibus homini equi, vel leonis, satis est manifestum.

Excluduntur à definitione nomina Infinita.

Excludit tandē ab hac definitione nomina infinita hac de causa, quia omne nomen significat aliquam rē determinatam, pro qua infinitum in propositione substitui non potest, sed nomen infinitum quale est illud, quod negatione afficitur, vt nō homo, non leo, nihil determinatū significat, nam cum ex negatione accipiatur, supra verum nomē cadente, tam 5.
do eo quod est, quam de eo quod non est enunciari potest, ea duntaxat excepta re supra quā negatio cadit, leo enim dicitur nō homo, chimera & hircocerũus similiter, & quod summum est, nihil dicitur non homo, carens

igitur determinata significatione à vera nominis ratione, merito excluditur, quòd addit Aristoteles, quia cum non sit oratio nec negatio, hoc est nec propositio negatiua, siquidem eius partes nihil separatæ significant, solum cum hoc addito diminuente vocari potest nomen infinitum, vt voce ipsa indicetur defectum potius nominis, quam verum nomē esse.

Obliqui demum casus à vera ratione nominis degenerant, sicut à perfectione casus recti; vt Catonis & Catoni, nam impositio in recto facta est, cuius significatio ad obliquos deriuatur, & idcirco casus nominis, potius quam nomina vocātur, vt efficaciter ostendit hac ratio, quia hoc est proprium nomini, vt verbo adiunctum significet verum vel falsum, vt homo currit, vel legit: sed casus obliquus adiunctus verbo, non significat verum aut falsum, vt hominis currit, hominis legit, ergo nō sunt vera nomina, sed quædam veluti nominis deriuationes, aut participationes.

CIRCA EXPOSITVM textum notabilia.

NOTABILE I.

6. Cur prius de nomine egerit Arist. PRIVSQVAM alia animaduersione digna expendamus; rationem reddere oportebit, ob quam à nomine initium sumpserit Aristoteles: obiectum huius tractatus, vt fuit à nobis superius constitutum, est enunciatio scopus vero naturam eius explanare, sed cum totum quoddam sit, cuius cognitio ex partium notitia dependet, ab his fuit necessario incipiendum. Partes autem enunciationis, vt bene adnotauit D. Thomas, in commētariis huius capitis, duplices sunt, Physicæ, ac Metaphysicæ; prioris conditionis sunt; nomen & verbum, hoc enim se habet tanquam forma, illud tanquam materia: posterioris vero oratio, quæ genus est enunciationis, & significatio veritatis, aut falsitatis locum differētiæ tenens, inter vtrumque autem genus partium, physicæ sunt cognitione priores, quibus entitas rei cōsistit, & à quibus tanquam à radice seu fundamento accipiuntur genus, & differentia, vnde prius illæ in considerationem veniunt pro totius naturæ inuestiganda, ex quibus materia prius consideranda est tanquam primum subiectum à quo formæ dependent, ex cuius potentia educuntur, & in qua veluti in primo proprioq; subiecto recipiuntur, habet autem in enūciatione, nomē, locum materiæ, verbum, formæ, cuius est prædicatum cum subiecto coniungere, ideo prius nomen consideratur. Accedit alia ratio D. Thomæ, Alberti Magni, atque Ammonii non contemnenda, nomen enim ex proprio modo significandi, quasi substantia est, cum rem designet, quæ subiicitur, aut prædicatur, verbum autem actionem, vel passionem, quæ sunt accidentia; substantia autem prior est natura, & consideratione accidentibus.

Tertiam rationem adiecit Toletus noster, ex nominum simplicitate desumpta, etenim cū nomen rem simplicem significet, simplicius verbo est, quasi compositum quoddam, significante actionem, videlicet cum tempore, simpliciora vero ordine naturæ notiora sunt, cum ex paucioribus eorum notitia dependeat, qua ratione ductus Aristotel. 1. lib. poster. cap. 23. Arithmeticam priorem Geometria posuit, quia quantitatem discretam contemplatur, non habentem in continuo positionem, & ideo simpliciorem linea à Geometria considerata, his igitur de causis merito inter enunciationis partes, primum locum nomini concessit. 7.

NOTABILE II.

CIRCA cōtextum totius capitis totamque nominis definitionē illud adnotatione dignum est, quod à quibusdam his solis verbis cōstare dicitur, nomen est vox significatiua, cuius nulla pars separata significatiua est. Alii vero, vt Petrus Hispanus, & Magister Sotus. 2. lib. summularum, cap. 1. quos sequitur Tolet. diminutam esse arbitrantur, nisi duæ aliæ particulæ addātur, videlicet finita, & recta, vt per priorem excludantur nomina infinita, per posteriorem obliqui casus, vtrisque enim præcedentes omnes particulæ conueniunt, vt consideranti facile constare An sit sufficiens definitio nominis. 8. D. Thom.

constare poterit: primum sensum tenuit D. Thomas, quem nonnulli sequuntur, postremum vero moderni, præsertim Toletus noster in huius expositionis principio, vbi egregium artificium Philosophi commendat, qui non statim integram definitionem proposuit, sed paulatim, quia partes probatione indigebant.

Cur D. Thomæ sententia sit probabilior. Placet nihilominus sensus D. Thomæ magis verborum contextui conformis, nam dum in principio capitis definitionem proposuit Aristoteles, illas solas particulas expressit, post vero nullam esse addendam docuit, sed infinita nomina & obliquos casus à proposita definitione exclusit, si autem eas particulas addere voluisset, eas profecto exprimeret, nam definitionis verba expressa esse oportet, quod autem non sint necessaria, sed priores sufficiant patet, nam per eas satis exclusa censentur nomina infinita, atque obliqui casus. si enim nomen est vox significatiua, finitum omnino esse oportet, quia infinitum nullā rem determinatam significans, non dicitur simpliciter significare, postquam nō minus de his quæ non sunt, quam de his quæ sunt enunciari potest, ad placitum autem significare, non nisi in casu recto dicitur nomen, quia secundum eum impositio facta est, obliqui autem casus non sunt, nisi deriuationes quædam, aut variationes eius, quare, nec dicūtur significare ad placitum, nisi ex participatione recti, nec perinde nomina absoluta appellatione vocantur, sed pro solo casu recto supponit nomen, ideoq; absque vlla additione rectus dumtaxat censetur definiri. Sufficiunt igitur pro integra nominis definitione particulæ ab Aristot. designata: nomē est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat.

9.

DVBIVM VNICVM.

An voces æquiuocæ sint nomina.

VIDENTVR plane vera esse nomina, quibus omnes definitionis particulæ conueniunt. Canis enim vox est significatiua secundum placitum, cuius nulla pars separata significatiua est, ergo verum nomē, quod autem dicitur multa, ac diuersa significare, ac propterea non esse vnam, sed multiplicem vocem non soluit argumentum, nam quod multiplex sit non tollit esse vocem, saltem in plurali, & si in singulari accipiatur modo in ordine ad vnum significatum, modo in ordine ad alterum aptari ei poterit integra definitio, ut videtur argumentum conuincere. Respondetur æquiuocum, per primam particulam exclusum censeri, cum non sit vox sed potius voces, licet enim materialiter non sit, nisi vna vox, formaliter tamē, hoc est, ex parte significationis, sunt plures, cū plura, ac diuersa significet, negandum est igitur quod ei integra definitio conueniat, nam si in ordine ad vnum dumtaxat significatum accipiatur non est iam nomen æquiuocum, quemadmodum etiam neque aduerbiis, tota definitio competit, nihil per se significantibus, sed consignificantibus, quæ perinde exclusa censentur per secūdam particulā.

Ratio dubii.

10. Respondetur rationi dubitandi.

GRAVIORES CONTROuersiæ exagitandæ.

QVATVOR sese offerunt grauioribus controuersiis examinanda circa definitionem. Primum, an bene definiatur nomen per vocem. Secundum an definiatur nomen per vocem, ac per verum genus. Tertium, an verum sit nomina significare ad placitum. Quartum, an partes compositi nominis sint per se significatiuæ, & rursus an nomen infinitum sit à definitione excludendum: ac demum an obliqui casus sint vera nomina, & ita sex controuersiis agitatis absoluemus totum caput de nomine.

11.

QVAESTIO. I.

An bene definiatur nomen per vocem.

Variæ sententiæ proponuntur.

PRO negatiua parte hæc videntur facere, quemadmodum dantur mentales termini, atque scripti, pari ratione no-

nomina, quibus proinde quadrare definitiò minime potest, tum ex parte vocis, tum ex parte significationis, ex parte quidem vocis constat, cum voces non sint, ex parte autem significationis, conceptibus saltem non ad placitum, sed naturaliter significantibus.

Et confirmatur, quia non minus in mente sunt propositiones, quam in vocibus, & scriptis, sed longe perfectius, cum harum veritas vel falsitas ab eis dependeat, sed propositiones quælibet nominibus, & verbis constant, ergo vere sunt nomina, & verba in mente, dari igitur debuit communis quædam definitio omnia comprehendens, aut certe per vocem diminuta designatur, non omnibus competens, quibus competit definitum.

Doctores Louanienses. Respondent Louanienses, in scholiis huius capitis, definitionem, solum conuenire nomini vocali, adaptari tamen posse mentali, & scripto paucis mutatis, vt si loco vocis scripturam ponamus, nominibus scriptis accommodabitur, quibus certum est cæteras particulas conuenire, mentali vero duabus particulis mutatis, nempe vocem, & secundum placitum, cum nec mentale nomen vox sit, neque ad placitum, sed naturaliter significet, & hunc modum dicendi sequitur

Masius. Magister Masius, quæstione prima huius capitis.

An vniuoce dicatur nomen de vocali, & scripto. 12. Sed an vniuoce de nomine mentali, vocali, & scripto prædicetur nomẽ in communi, negatiuam partem tenet contra Sotum. 2. li. summularum capit. 1. vniuoce prædicari affirmantem, cui tamen se non subscribere ait, quia cum significatio nominis vocalis a mentali dependeat, cui primo couenit etiam nomen de hoc per prius dicetur, quam de vocali, & scripto.

Alia tamen longe diuersã est sententia Magistri Soti si fideliter referatur, distinguit enim de nomine, ac de signo, aitque, nomen prout à nominando dictum, sic dici analogice de illis tribus, vt proprie de vocali, & scripto, de mentali vero, non nisi per metaphoram, quia non proprie nominamus, nisi per voces: at si de nomine sermo sit pro signo, vniuoce cum conceptu conuenire docet, quamuis principalius eidem conceptui conueniat, vt animal vniuoce conuenit homini, & equo, licet homini principalius.

Resolutio quæstionis.

EGO vero diuersam in primis esse quæstionem censeo de nomine, ac de signo: nam etsi ad rationem nominis spectet significatio: hæc tamen sola non constituit nomen, sed simul cum pluribus aliis in eius definitione positis, stare igitur poterit in ratione nominis, & signi diuerso modo se habere, quidquid ergo sit de ratione signi, de qua statim dicemus, ad formam propositæ quæstionis respondere oportet, an exacta sit definitio nominis per vocem designata: non enim satis est dicere posse mentali atque scripto adaptari paucis mutatis, cum constet, vel vno solum mutato verbo, definitionem mutari, in aliámque valde diuersam transire, quam eo ipso, quod mentali, & scripto accommodaueris non poterit conuenire vocali, & si vocale dumtaxat nomen per hanc definitionem voluit Aristotel. explicare (quod indubitatum profecto est) reddere oportebit rationem, ob quam illud solum descripsit non mentale, aut scriptum. 13.

Duabus igitur his assertionibus respondemus. Prior est, nomina proprie loquendo in vocibus dumtaxat reperiri, non in mente: quamuis reperiantur conceptus propriissime significantes easdem res. Prior asser.

Quam sic probo, nomen proprie loquendo est id, quo rem aliquam exterius designamus iuxta conceptum mentis de ea formatum, vnde cessaret nominum necessitas, cessaret eorum impositio ad significandum, cessaret demum eorum vsus, nisi oporteret aliis hominibus nostros conceptus exterius aperire, vt Aristotel. 1. lib. elench. capit. 1. his verbis plane insinuauit. *Nam quia fieri non potest, vt res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus, pro rebus vtimur signis, & quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum ij qui calculis supputãt, &c.* Ostendens nomina sic se habere ad significandas res, sicut se habent calculi in ludis, quibus pro nummis, vel argenteis designandis vtuntur lusores, quemadmodum ergo calculi non dicuntur mentales conceptus, quibus mediis, absque dubio fiunt suppositiones exterius per calculos designatæ: pari ratione, non dicuntur nomina, nisi voces ad significandum compositæ quibus Probat. 1.

vtuntur.

vtuntur homines ad proprios conceptus aperiendos, alienosque percipiendos.

Confirm. Confirmatur ex eodem Aristotele, in ante prædicamentis, vbi æquiuoca definiens ea esse ait, quorum nomen commune est, ratio vero substantiæ nomini accommodata diuersa: per rationem autem substantiæ, iuxta omnium interpretum expositionem, conceptum intelligit, censet igitur nomen à conceptibus distingui.

Probat. 2. Probatur secundo. Quia certum est prius fuisse conceptus proprios rerum in mente, quam essent nomina, & hæc tunc primum cæpisse, cum primum voces fuerunt impositæ ad significandum, nomina igitur proprie loquẽdo solum in vocibus reperiuntur, non in conceptibus. Probatur vtrunque assumpsit in antecedenti, ex sacro tex. Gen. 2. vbi hæc verba legimus. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis ipsum est nomẽ eius, &c.* Ex quibus plane colligitur res non habuisse propria nomina, priusquam certis quibusdam vocibus fuerunt à primo totius humani generis parente compellatæ, imo neque nomina vltra extitisse his exceptis: quod Deus ipse ad primum ipsum parentem significandum imposuit; & primus ipse parens ad designandam mulierem: cum tamen 15. proprios singularum rerum conceptus, non solus Deus, nec soli Angeli, sed primi homines in mente habuerint, de solis igitur vocibus dicuntur proprie nomina, non de conceptibus.

Probat. 3. Probatur demum euidenti experientia: nam dum non habemus vocem propriam ad aliquam rem significandam impositam, dicimus talem rem innominatam esse, quanquam proprium eius conceptum in mente habeamus, ergo communis modus concipiendi, & loquendi in vocibus tantum nomina proprie agnoscit, ad quarum similitudinem conceptus easdem res significantes naturaliter, nomina possunt vocari; & ex quarum participatione in scripturis reperiuntur nomina huius rei gratia ad significandum imposita; quia cum absentibus non possumus agere vocibus, vnde quasi quoddam vocum supplementum dicuntur, & ideo ratio nominis à vocibus deriuatur in scripturas.

Assertio 2. Assertio secunda est: exacte Aristotelem definisse nomen per vocem: hæc sequitur plane ex priori, nam si in solis vocibus reperiuntur propriè nomina, quanquam ad conceptus per similitudinem, ad scripturas per participationem deriuentur, non oportuit communiorem aliam definitionem tradere, sed satis fuit illud definire, cui proprie, ac primo conuenit ratio definitionis, ex eius namque definitione, facile est rationem aliorum, ad quæ deriuatur, intelligere.

Ad primum autem argumentum in principio propositum dicimus: nomina, & verba propriè sumpta non componere quamlibet propositionem, sed solum vocalem: mentalis vero non ex his, sed ex conceptibus constat, qui termini mentales propriissimè dicuntur: vniuersalior est enim ratio termini ratione nominis, cum terminus de quolibet propositionis extremo dicatur, nomen vero de sola voce imposita, qua vtimur ad nostros conceptus propalandos. Et eadem ferè est solutio confirmationis, nam propositio in communi sumpta non componitur ex nominibus sed ex terminis mentalibus; aut vocalibus, sola autem vocalis nominibus proprie, aut vocibus constare dicitur: sunt quidem in mente conceptus rerum significatarum sine tempore, atque etiam copulæ coniungentes prædicatum mentale cum subiecto: qui tamen nec nomina proprie, nec verba dicuntur, quanquam similitudinem cum vtrisque habeant, ad solas etenim voces, quibus cum hominibus exterius agentes vtimur nomina & verba limitantur, si proprie de illis loquendum est. Ad primũ Argument. 16. Ad confir.

QVAESTIO II.

An nomen definiatur per vocem tanquam per verum ac proprium genus.

Svpposito quod per vocem conuenienter definiatur nomen, adhuc circa eandem particulam inquirendum superest an per eam, vt per verum genus definiatur, vel certe tanquam per subiectum, vt definiri accidentia solent. 17.

Refertur prima sententia affirmatiua. Et opposita D. Thomæ.

Qvidam, de quorum numero sunt Michael psellus, August. Niphus, & Ludouicus

uicus Lemosius in huius loci commentariis, distinguendum putant de voce, nam si accipiatur materialiter, prout est sonus quidam certis quibusdam instrumẽtis ab animali factus, certum est non esse genus nominis, sed subiectum, vel materiam: si vero formaliter prout iam ad significandum imposita, verum genus nominis est, & pro tali collocatur in definitione, non enim inquantum nuda vox genus est nominis, sed totum hoc, *vox significatiua ad placitum*: reliquæ vero particulæ habẽt locum differentiæ, per quas ab eis vtique separatur nomen, cum quibus in tali genere communicat.

Probat. 1. Pobari potest hæc sententia. Primo, quia vox significatiua ad placitum prædicatum quidditatiuum est nominis, orationis, atque enunciationis, & vt tale prædicatur de his tribus, specie absque dubio differentibus, verum igitur erit genus. Probatur antecedens, nam vox significatiua ad placitum non est materia prædictorum, sed communem importat formam, nempe significationem, communis autem forma eorum, quæ distinguuntur specie genus est.

Confir. Et confirmatur, quia quamuis aliquid materiæ clauderet ex parte vocis, non est

18. id à generis ratione alienum, quod inter partes speciei intrinsecas locum materiæ tenet.

Probat. 2. Secundo, quia vox non potest esse materia nominis, nam ex materia, & forma vnum fit totum essentiale, aut accidentale, sed ex voce, & significatione non potest fieri vnum totum, quia vox est ens reale, significatio ens rationis, & ex ente reali, & rationis plus quam genere diuersis, non componitur aliquid vnum.

Probat. 3. Tertio, si vox esset materia, haberet quidem rationem subiecti, cui inhæret forma, sed forma nominis non inhæret in aliquo subiecto, sed solum est in intellectu obiectiue, vt cætera entia rationis, ergo non habet vocem pro subiecto. Adde si placet entia rationis esse quasdam relationes ab intellectu excogitatas, ergo significatio erit relatio inter aliqua extrema exercita, sed nullum est extremũ, ad quod referatur vox, aut si ad aliquod refertur, non nisi relatione reali, cum ipsa sit ens reale, ergo nõ erit subiectum significationis, neque ex consequenti materia nominis, sed verum genus, per quod quidditatiue definiatur.

Oppositam sententiam tenuit cum Ammonio D. Thomas; vocem non genus, sed nominis materiam esse, per eamque ab Aristotele definiri, tanquam per subiectum, quam sequuntur iam omnes fere moderni, eam ex doctrina Aristotel. elicientes 5. lib. de generatione animalium. cap. 7. vbi de animalium voce differens, hæc de humana subiunxit. *Hanc enim facultatem natura homini potissimum tribuit, quoniam oratione solus animalium homo vtitur, orationis autem materia vox est, &c.* Ex quibus tale argumentum constituunt: materia nec in rebus naturalibus, nec in arte factis generis rationem habet, sed vox est materia nominis, ergo non potest esse genus eius, maiorem inductio ostendit, nam lignum, quod est materia statuæ, non est genus eius, neque corpus quod est albi substratum.

D. Thom.

19.

Probatur 1. Ex Aristot.

Probat. 2. Secundo res naturales, & arte factæ generedistinguuntur, cùm hæc ad prædicamentum qualitatis, illæ ad prædicamentum substantiæ spectent, sed vox est res naturalis, nomen arte confectũ, nam significationem, quæ est quasi forma nominis, humana ratio fabricatur per liberam impositionẽ; quemadmodum statuam per specialem artem, genere igitur distinguuntur. quare repugnat vnum esse alterius genus. Et cõfirmatur, nam genus entis rationis debet esse ens rationis non reale, sed nomen est ens rationis, vox autem ens reale ad prædicamentum qualitatis pertinens, ergo non erit genus illius.

Confirmat.

Pro resolutione quæstionis notabilia.

Nota Aristotel. PRo solutione huius quæstionis præsupponenda sunt, quæ de natura vocis egregiè tradit Aristotel. 2 lib. de anima.

cap. 8. de auditu. Est autem primum genus 20.
vocis esse sonum, nam omnis vox sonus quidam est, sed non omnis sonus est vox, vt ex propria definitione soni erit manifestum, qui non est aliud, vt docet Aristot. cap. eodem, quam producta qualitas in aëre, vel aqua ex collisione duorum corporum, quod quidem voci conuenit, sed addit ab animali esse emissum, ac certis quibusdam instrumẽtis factum nempe gutture, palato, dentibus, lingua, & aliis cum imaginatione aliquid significandi, vnde significatiuus quidem sonus est. Vox (vt verbis eisdẽ Aristotelis vtar) duplex est, vox inarticulata, vt rugitus leonis, aut mugitus bouis: & dearticulata, hoc est, sylla-

syllabis distincta, ita vt describi possit, vt homo, & animal, & hæc adhuc subdiuiditur in eam, quæ ad significandum non est imposita, vt blitiri, & significatiuam, vt leo, & bos, & pari ratione inarticulata diuidi potest in significatiuam, vt gemitus, aut mugitus, & nihil significantem, vt sibilus, qui sine causa, vel fine proferri solet. Ex his igitur diuersis vocibus nomen solum est de articulata vox, ad significandum imposita, vt verba definitionis docent, ita vt vox sit materia: vt verba Aristotelis, in 1 argumento secundæ opinionis relata ostendunt, forma vero significatio non naturalis, nam voces animalium naturaliter significantes non sunt nomina, sed ex impositione procedunt. Vnde fit nomen, oratio, & enunciatio, quorum communis materia est vox de genere artificiatorum esse, cathedræ, vel statuæ similia, quemadmodū enim statuarius ex ligno pro materia suæ artis assumpto statuam efficit, pari ratione primi sapientes, voces pro materia assumentes, easque ad significandum

21. imponentes nomina, ac verba diuersa ediderunt, ex quibus orationes, atque enunciationes componimus: nomen itaque & verbum quasi quædam concreta arte facta censenda sunt, pro subiecto vocem, & pro formali significationem importantia, non secus atque in naturalibus album, aut coloratum, quæ pro substrato corpus, pro formali albedinem, aut colorem important.

Secūdo nota ex Arist. — Secundo, tanquam certum in doctrina Aristot. præsupponēdum est, proprium modum definiendi artificiata esse per materiam, aut subiectum loco generis, & per talem formam loco differentiæ, vt si domum ait 8. metaphys. tex. 6 definire velis, dicis esse lapides, & ligna tali modo adaptata, aut cōposita: si limen, lapidem, aut lignum sic positum pro foribus. Non quod hæc non possint per genus, & differentiam suo modo explicari (vt ibidem docet) sed quia clarius, distinctiusque eorū natura per materiam, & formā explanatur: ex quibus modus essendi proprius euidentius constat: eundem etiā modū definiendi cuncta accidentia in concreto tradit, maximeque commendat D. Thom. opusculo de ente, & essent. cap. 7. vt albū per corpus, statuam per æs, aut lignum.

In quod conueniat vtraque sententia. — Quibus prælibatis vtraque sententia proposita, illud tanquam certum admittit, nudam vocem, non esse genus nominis, nec per eam tanquam per genus definiendum esse, sed tanquam materiam, quod euidenter probant argumenta secundæ opinionis, sed quia hoc etiam admittit prima, arbitror eam non rectè impugnare: distinguunt enim eius patroni vocem, secundum esse naturale quod habet, qua parte sonus quidam animalis est cum imaginatione aliquid significandi factus, aut emissus, quam nos iure appellamus nudam, vtpotè à significatione abstrahentem, & rursus in quantum iam ad significandum impositam: & sub consideratione priori libenter admittunt non esse genus nominis, aut orationis, sed materiam, aut subiectum, nec per eam hoc modo sumptam fuisse ab Aristot. definitum, sed vt significatiuam ad placitum, quo pacto rerum genus esse affirmant, itaque sola vox nec genus est, nec vicem generis in præsenti definitione habet apud ipsos, sed tantum illud, *Vox significatiua secundum placitum;* quod profecto non impugnatur argumentis secundæ opinionis, nec enim negatur ab his authoribus vocem in communi sumptam, esse nominis atque orationis materiam, vt docuit Aristoteles, nec etiam asseritur materiam esse genus rerum arte factarum; cuius oppositum conuincit primum argumentum, sed ex toto ipso, ac præsertim ex forma earum genus esse accipiendum, ac per illud definienda. Nec demum negant illud, quod secun- 22.

dum argumentum assumit, naturale non esse genus artificialis, nec ens reale genus entis rationis, sed negant inde fieri, vt nomen non definiatur per vocem, vt significantem secundum placitum; sic enim sumpta formaliter est ens rationis, & sub artificiatorum genere comprehensa.

Resolutio quæstionis D. Thomæ sententiam anteponens.

HVC ergo reducitur controuersia, hic certè status quæstionis est, an videlicet per vocem in communi sumptam definiatur, ac per materiam, vel subiectum vice generis, cæteris omnibus particulis pro differentia positis, vel per illud totum, vocem significatiuam ad placitum, tanquam per verum genus, duabus dumtaxat particulis rationem differētiæ habentibus. Et videtur mihi probabile hoc postremū, nam vox significatiua ad placitū, idē valet,

Status quæstionis.

Prima conclusio.

valet, ac signum vocale, sed signum est verum genus ad naturale, sub quo continetur conceptus, & ad signum ad placitum, sub quo continentur nomen, verbum, & oratio, ergo erit proximum genus vocale signum ad nomen, verbum, & orationem, per quod optime poterit quodlibet eorum definiri, & hoc est quod Ammonius sustinet in scholiis huius capitis nomen inquiens per vocem esse ab Aristot. definitum hac in parte, sed potuisse per signum, tanquam per verum genus definiri, cui nos addendum esse censemus; probabile esse, quod hoc modo fuerit ab Aristot. definitum.

Secunda conclusio. Nihilominus probabilius longè est per vocem, tanquam per materiam esse definitum nomen hac in parte, & non per totum illud vox significatiua ad placitum, tanquam

24. Probatur primo. per verum genus. Quod sic probatur, nam cum modus iste definiendi artificiata, & quæcunque accidentium concreta magis sit ab Aristotele probatus, magisque congruat eorum naturæ; quæ clarius atque distinctius explicatur: credendum est eo potius quam altero vsum fuisse in his definitionibus.

Probatur secundo. Secundò, quia cum sigillatim posuerit omnes has particulas vocem, & significatiuam, & ad placitum, & per hanc postremam separauerit nomen à vocibus brutorum naturaliter significantibus, vocem dumtaxat eis communem designauit, cæteris pro differentia positis, sed vox non potest esse verum genus, vt ex omnium opinantium consensu constitutum est, ergo tanquam subiectum, vel materia ponitur, & vt talis officio generis fungitur, non secus atque corpus in definitione albi, aut homo in definitione risibilis.

Resolutio quæstionis. Nostra igitur sententia tria continet. Primum, totum illud, vox significatiua ad placitum. æquiualens signo vocali, proximum genus nominis, & verbi esse, per quod vtrunque definiri potest, & hoc tanquam certum affirmamus. Secundum, probabile esse, quod

25. sic fuerit ab Arist. definitum. Postremum, longè probabilius esse, nō per verū genus esse definitum, sed per solam vocem, tanquam per materiam, vel subiectum loco generis, & per cæteras particulas loco differentiæ, vt mos est artificiata, & quæcunque accidentium concreta definiri.

Prioris sententiæ rationibus satisfit.

Ad primum cum confirmatione. Primum argumentum cum confirmatione, solutione non indiget, cum id probare contendat, quod nos libenter admittimus, nempe hoc totum, vox significatiua ad placitum, verum genus nominis esse, per quod definibile sit: quod vero sic definiatur, in quo tota quæstionis difficultas consistit, omnino negamus.

Ad secundum. Id etiam, quod secundum argumentum assumit, concedendum est, videlicet ex materia, seu subiecto, & forma fieri vnum substantiale, & accidentale, neque obstat quod vox sit ens reale, & significatio ens rationis: nam ens rationis accidentaliter potest conuenire enti reali, & vt genus, & species animali, & homini, nec etiam repugnat ex his quæ genere, & plusquam genere differunt vnum accidentale coalescere, vt contingit in albo, quod vnum accidentale est, ex rebus diuersi generis constitutum.

Ad tertium. Vltimo etiam argumento damus, vocem esse subiectum significationis, non quidem, vt accidentis verè inhærentis, sed per modum inhærentis, nam entia rationis, & si non inhæreant alicui subiecto, sed concipiuntur ab intellectu, ad modum relationum realium inhærintium, quod sufficit, vt cum subiecto, cui attribuuntur vnum quid efficiant accidentale, non reale, sed rationis, sunt

26. enim in entibus rationis concreta, & abstracta, ad similitudinem eorum quæ in entibus realibus reperiuntur: quod denique additur in confirmatione eiusdem argumenti, significationem esse relationem rationis verum est, & ita refert vocem ad rem significatam, nec sequitur talem relationem fore realem, eo quod vox ipsa, quam refert, realis sit, nam multa sunt entia realia, quæ non referuntur relatione reali, sed rationis ad ea, ad quæ non ordinantur ex propria natura, sed per apprehensionem intellectus, & liberam voluntatē eam imponentis ad significandum.

QVAESTIO TERTIA.

An verum sit nomina significare adplacitum, vt in eadem definitione dicitur.

Negatiua sententia, & alij dicendi modi proponuntur.

HÆc est secunda particula definitionis, per quam profitetur Aristot. voces, quas

quas nomina appellamus, non esse signa naturalia, sed ex libera hominum voluntate, ad significandum imposita. quod tamen falsum apparet. Primo quia facultas loquendi naturalis est, habet igitur naturalia instrumenta, tenet planè consecutio, nam quibus facultatem natura tribuit instrumenta ad vsum eius apta tribuere debuit, alias frustratoria esset talis facultas, & natura deficeret in necessariis, sed instrumenta locutionis sunt voces non nudæ, nam bruta loquerentur, sed dearticulatæ, & significatiuæ, quia locutio ad proprios conceptus significandos ordinatur, quod vsque adeò verum est, vt eisdem brutis concesserit natura quasdam significatiuas voces ad naturales effectus propalandos, vt gemitus, ac suspiria; voces igitur humanæ naturalem habent significationem, atque adeò nomina, & verba, quæ non sunt aliud quā humanæ voces significatiuæ.

Secundum argument. Secundo essentiæ rerum sunt naturales, sed ad essentiam nominum, ac verborū spectat significatio, qua sublata nullū est nomē, nullum verbum, ideoque in eorundem definitionibus ponitur, naturaliter ergo eis conuenit, & non ex libera hominum impositione, vt voluit Aristot.

Triplex dicendi modus. D. Thom. Primus eius patronus. Triplicem de hac re dicendi modum extitisse inter antiquos Philosophos, refert D. Thomas in commentariis huius cap. Primus fuit eorum, qui posuerunt nomina, & verba naturalia rerum signa, vt nos de conceptibus censemus, & hæc videtur esse opinio Heracliti, & Cratilli, quam Pythagoræ, eiusque sectatoribus tribuit Dexippus lib. 1. quæstionum, in categorias. cap. 6. Secundus modus dicendi, ex diametro oppositus profitebatur nominum significationem sic ex hominum placito esse profectam, vt non differat quo nomine res quælibet significetur, sed integrum esse cuique diuersa nomina ad res diuersas significandas imponere: hūc modum dicendi tenuisse videtur Hermogenes, quidam Philosophus Aristotele, & Platone antiquior: vt Plato ipse in Dialogo de Cratillo retulit, cuius fundamentum fuisse videtur, quod postquam nominum significatio non est naturalis, sed ex libera hominum voluntate dependens, liberum cuique erit his, aut aliis vti nominibus ad res significandas, & quibus vtitur hodie, cras mutare alia de nouo imponendo, quid enim refert voces à pristina impositione, & significatione cadere, aliamque nouam successu temporis acquirere, nihil certè, si eorum impositio, & significatio libera est, nihil enim tam varium, nihil tam subiectum mutationibus, quàm quod ex hominum beneplacito dependet.

Secundus modus.

Eius patroni.

Vera sententia D. Thomæ explicatur.

Tertius dicendi modus. Postremus mediam inter vtrunque extremum tenet viam, nominum significationem non esse à natura admittēs, quemadmodum significatio conceptus. sed neque omnino liberam, vt pro libito quisque his, aut illis vocibus indifferenter vtatur ad res significandas, sed rerum naturis congruere, ita vt singulis iuxta propriam naturam accommodata sint nomina, quibus significentur. Itaque libera hominum impositio discretam quandam considerationem habuit comitem, vel certè præuiam, per quam singularum rerum cognitis naturis nomina tribuit eis similia, cui similitudini non obstat (ait D. Thomas) quod res eadem multis nominibus significetur, cum constet eidem rei multa posse assimilari. D. Thom. Hanc sententiam sequuti sunt Plato, in dialogo illo nuper memorato, vbi de vocum significatione, copiosè disserit Aristoteles. cap. præsenti, ac sequenti, & vbicunque de hac re sermonem facit, Cicero 1. Academicarum quæstionum. Quintilianus lib. 8. institutionum. cap. 6. Maximinus Tirius, serm. 23. D. Thomas, Albertus Magnus, cum cæteris antiquis, ac modernis expositoribus, vnde communis est totius peripateticæ scholæ vox, quæ sic explicanda, simul ac probanda est. 29.

Probatur. Nam res in duplici sunt differentia, quædam naturales, aliæ artificiales, & illis constat prædicta comitante discretione nomina fuisse à communi hominum parente accommodata, hoc enim sibi volunt verba illa nuper à nobis recensita. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, &c.* Quod in conspectu eius esse posita, qui per infusam scientiam absolutissimam omnium rerum notitiam habebat, vt ex ea iuxta singularum naturas nomina accommodaret, quibus perpetuo significarentur. *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Sic itaque libera fuit impositio vt ex diuina

diuina, atque speciali in primis commissio-
30. ne fieret: deinde vt ex perfectissima rerum
notitia procederet, & ab eo certe qui maxi-
me hinc discretione pollebat, & qui cum
esset omnium rerum dominus à Deo consti-
tutus, totiusquè naturæ caput, nomina non
ad tempus, sed in perpetuum duratura cun-
ctis rebus natura constantibus imponebat,
& similis est ratio de arte factis, nam maxi-
ma certe cum ratione coniunctum est, vt
bene adnotauit Plato, vbi supra arte facto-
rum nomina nõ esse à quolibet cuiusque ar-
tis tyrone imponenda, sed à peritissimo, qui
quasi eiusdem artis Princeps, ac dominus ha-
betur, vt singulorum instrumentorum, atque
effectorum per illam artem explorata natu-
ra conuenientia nomina accõmodare pos-
sit, hoc est talia, quorum significatio ex effe-
ctu, vel modo quo fiunt, aut ex aliqua eius
proprietate desumatur, quod tamen huma-
no more oportet accipere, ita vt maiori ex
parte verum esse cẽseamus, nõ semper, quia
contingere potest, vt nulla talis similitudo
in nominis significatione, aut impositione
seruetur, & quemadmodum hæc in com-
muni vera sunt, ac necessaria pari ratione,
quantum ad singulas nationes inuiolabili-
ter obseruata: Ita vt iuxta propriam linguam
propriis, atque adeo diuersis vtantur nomi-
nibus ad easdem res significandas, sed ser-
uata semper impositione eorum. Earundem
rerum similitudine, & ex hac nominum va-
rietate, & conceptuum vniformitate dedu-
xit Aristoteles cap. præcedenti efficax illud
argumentum ad probandum: conceptus na-
31. turaliter significare, voces ad placitum, quæ
apud omnes eadem sunt, naturalia censen-
tur, cum natura ad vnum sit determinata,
& semper eadem, quæ autem variantur apud
diuersas nationes, non censentur naturalia,
sed ex hominum beneplacito pendent, sed
conceptus sunt ijdem apud omnes, voces ve-
ro diuersæ, ergo illi naturaliter significant,
istæ ad placitum, tantum denique de nomi-
nibus apud diuersas nationes, valde diuersis
iudicandum erit.

Ex quibus intelligitur, quod cum res quæ-
dam arte fabricata sit nomen, materia con-
stet, & forma artificiali; non secus ac cætera
arte facta, materia quidem naturalis est, nẽ-
pe vox, supra quam impositoria ars (vt sic
loqui liceat) significationem tanquam for-
mam fabricatur, vnde ex parte materiæ na-
turale quid est nomen, ex parte vero formæ,
quasi arte factum, & quemadmodum for-
ma artis materiam sapit, in qua fundatur, &
ex discretione artis procedit, pari ratione
nominum significatio, quasi ab exemplari,
hoc est, rerum significandarum proprio cõ-
ceptu ortum habet, sicquè vocis àc rei signifi-
catæ naturam sapit.

Negatiuæ partis fundamenta soluuntur.

ET ex eadem significationis explanati- Ad argumentum primum.
one facilè soluitur vtrunque argumẽ-
tum positum, & primum quidem fal- Prima solutio.
sum assumit, nã vt bene adnotauit Ammo-
nius in huius capitis commentarijs, sæpe cõ-
tingit facultatem operandi naturalem esse,
instrumenta vero per artem fabricata, cum
tamen facultas ipsa naturalis sit. Quam do- 32.
ctrinam in solis humanis virtutibus, aut fa-
cultatibus veram esse crediderim, nam in cæ-
teris rebus homine inferioribus naturalia
absque dubio instrumenta sunt, non secus
ac facultates. Huius autem discriminis ra-
tio est eiusdem hominis perfectio, qui cum
rationis, ac discretionis capax sit, valet sibi
instrumenta perquirere, per artemquè fa-
bricare. Vnde natura ipsa sæpe facultate ope-
randi ei tributa instrumenta sibi per artem
fabricanda relinquit, cuius appositissimum
exemplum in corporalibus indumentis ha-
bemus: animalibus enim indumentum cor-
poris nescientibus quærere, tributum est ab
ipsa natura. Solus homo nudus omnino na-
scitur, sed ratione ac discretione valens in-
dumenta quærere, sibiquè fabricare, non
ergo sequitur nomina, & verba naturalia es-
se, quanquam loquendi facultas naturalis sit,
cum possit ea omnia sibi constituere, natura-
les voces ad significandum imponendo.

Secunda solutio eiusdem argumenti, ne- Secunda solutio.
gat plane nomina, verba, & orationes esse
loquendi instrumenta, sed fabricata certe
mediis instrumentis, quæ sunt guttur, pa-
latum, dentes, & lingua, à quibus dearticu-
latæ fiunt voces, quas libera hominum im-
positio significatiuas facit, sub forma no-
minum, verborum, & orationum consti-
tuit, hæc solutio ex Aristot. cap. 4. huius pri-
mi libri deprompta est.

Secundum argumentum soluit hæc di- Ad secundum.
stinctio, rerum essentias naturales esse, du-
plicem exhibet sensum: prior est, quod sint 33.
ipsissimet rebus intimæ, ac necessario con-
ueni-

uenientes, & quæ pro libito variari minime possunt, & sensus iste non solum in rebus naturalibus, sed etiam in arte factis verissimus est, nam licet quædam arte fiant, sed haud dubie quin iuxta præscriptum eius, & similes omnino exemplari in mente artificis existenti, à quibus quantum deficiunt, tantum à vera ratione arte factorum degenerant.

Posterior sensus est, essentias esse naturales, id est, principijs naturalibus materiæ, & formæ naturalis, & subiecti constantes, & modus iste non omnibus congruit, sed solis iis, quæ ab authore naturæ, vt tali, medijs causis naturalibus fiunt, à quibus valde differunt arte facta, quæ potius ex principiis artis procedunt, & à causis liberis, quãquam iuxta artis præscriptum operantibus, quanquam etiam naturalem materiam præsupponentibus, circa quam artificiatam operantur formam, quam ex potentia eiusdem materiæ obedientiali extrahentes integram rem artificiatam producunt, & huius ordinis cum sint nomina, & verba, non oportet essentiam habere hoc posteriori modo naturalem, sed solum modo priori.

QVAESTIO. IV.

An verum sit, partes nominis separatas non esse significatiuas.

34. Tertia definitionis particula prætermissa, qua dicitur nomen sine tempore significare commodius examinanda c.pite sequenti. superest postrema: *Cuius nulla pars est per se significatiua*, quam probauit Aristotel. argumento à maiori ex nomine compositæ figuræ desumpto, cuius partes potius separatæ significarent, quam nominis simplicis, nihil tamen significant, vnde sequitur nullius nominis separatas significatiuas esse.

Partes nominis separatas esse significatiuas suadetur.

Primum argument. QVam nihilominus particulam eodem argumento, in oppositum conuerso efficaciter impugnamus. Compositum nomen habet partes per se significantes, ergo eis non quadrat, atque adeo definitio minus bona erit, vtpote cunctis nominibus non conueniens, probatur antecedens, compositum nomen sæpe numero constat multis nominibus, vt equiferus, hircoceruus, & Respublicæ, aliquando etiam nomine, & verbo, vt agricola, sed quodlibet nomen per se sumptum, aut ab alio separatum integram habet significationem, atque etiam verbum separatum à nomine, vt colo ab agro partes nominis cõpositi separatæ propriam significationem retinent: nec fit satis argumento, dum dicitur significare quidem, non tamen iuxta significationem totius: natura enim, aut essentia totius intrinsece pendent ex partibus, & conditio eius, iuxta conditionem partium est. 35.
Probat vtrunque natura hominis, quæ corporalis est ex parte corporis, & spiritualis ex parte animæ, & ex parte eiusdem rationis, sed significatio nominis est totalis pendens ex partibus, erit igitur totalis: propter talem conditionem partium diuersa est significatio Reipublicæ, à significatione equiferi: quia ex diuersis partibus, diuersam significationem habentibus componitur, sicque de cæteris, totum igitur significat iuxta significationem partium, & partes proinde iuxta significationem totius: si ergo separatæ significant, significabunt iuxta significationem totius, quæ non est alia à significatione partium.

Quod secundo probatur argumento à posteriori: sed efficaci, si partes nominis compositi, vt agricolæ, aut Reipublicæ caderent à propria significatione, & imponerentur ad res diuersas significandas, vt possibile est, caderet totum ipsum à propria significatione, vt si ager imponeretur ad significandum parietem, & colo deambulationem: proculdubio agricola non posset significare hominem, agrum colentem, intrinsece igitur pẽdẽt, ex significatione partium, quas proinde iuxta significationem eius separatæ significabunt, agrum videlicet, & actionem ipsam colendi, vnde fit omnibus modis esse significatiuas. Secundo argumento

Vera sententia proponitur, & probatur.

MAgister Soto. 2. lib. summularum, cap. 1. Inter exponendam definitionem nominis, hanc difficultatem tetigit, cui respondet, nomini composito, tanquã cuidã incomplexo simplicẽ conceptũ in mente correspõdere, vnde cum partes per se sumptæ, integras ac diuersas habeãt significationes, quibus diuersi correspondent cõceptus, non dicuntur significari iuxta significa- M. Soto. 36.

gnificationem totius, neque eandem ab eis dependere: hoc tamen, nodum difficultatis minime soluit, quia licet vnica sit significatio totius composita, absque dubio ex partibus in quãtum significatiuis, nam ex vocibus nihil significantibus repugnat nomen componi, vt ex blitiri, & Sinaapsus nullum nomen significatiuum coalescere potest, & pendens ergo ab eis intrinsece, vt significantibus, atque adeo ex earum significationibus, quod ergo incomplexum sit, & simplici conceptui subordinetur, non tollit dependẽtiam, nam quibuscunque etiam rebus naturalibus compositis: vt homini, aut leoni, simplex correspondet conceptus; simplex igitur poterit correspondere nomini composito, & nihilominus compositam esse significationem eius, & ex partibus significantibus dependẽtem: vnde sequitur non tolli quin partes separatæ sint significatiuæ, iuxta significationem totius, nam dum separantur, eandem quam habent in toto significationem retinent, vt colo, & ager agricolam componẽtia ostendunt, discrimen autem solum esse potest, quantum ad modum, in quantum eadem significatio, quæ totum componẽs, partis habet rationem, separata, ab eo consequitur rationem totius. Sicut in partibus homogenij corporis contingit, quæ eiusdem naturæ sunt dum totum componunt, ac dum ab eo separantur, propter eandem formã specificam, & solum differunt ex modo se habẽdi, nam in toto habebant rationem partium, separata vero quælibet habet rationem totius, vt in aqua, eiusq́ue partibus, vtrunque cernimus. Quemadmodum ergo ex his partibus pendet tota aqua quandiu in ea sunt, & separatæ habent esse iuxta formam totius, cum quo conueniunt in eadem forma specifica,
37. pari ratione de partibus componẽtibus nomen, verum vtrunque erit, falsumq́ue, quod à Magistro Soto, multisq́ue alijs interpretibus dicitur; significationem nominis compositi non pendere ex partibus significantibus ex quibus resultat, & hanc esse potissimam rationem, propter quam separatæ non significant.

Resolutio quæstionis ex D. Thoma.

SOlutio igitur quæstionis, ex doctrina D. Thomæ, in commentarijs huius capitis petenda est, qui dum in explicationem huius particulæ incideret, benè annotauit significationem nominis esse quasi eius formam, sed quemadmodum partes separatæ non habent formam totius, sic nec partes nominis compositi totius significationem retinere possunt.

Hæc tamen doctrina D. Thomæ, vt ex ea quæstionem soluere possimus, hac distinctione illustranda est, totum duplex est, homogenium vnum atque imperfectum, cuius partes eandem formam totius habent, quam separatæ retinent, vt in partibus aquæ cernere licet, quælibet enim, aqua est dum in toto, & melius dum ab eo separatur: aliud est totum heterogenium ad sui cõpositionem partes diuersæ rationis postulans, vnde talis naturæ est eius forma, vt neque in partibus: dum sunt in toto, adæquatè sit, neque in eis possit separatis conseruari: exemplo nobis potest esse homo, & quodlibet aliud perfectum animal, vt leo, bos, & similia, cuius forma plures, ac diuersas partes postulat, tanquam adæquatum perfectibile, vnde licet informet singulas, quamlibet tamen non perficit, vel informat, vt adæquatum perfectibile, sed inadæquatum, vtpote eam simul cum cæteris postulans pro adæquata informatione: vnde fit neque in singulis à toto separatis conseruari posse, sed quẽadmodum ad primam informationem diuersitatem partium postulat: ita, vt in vnã nõ possint naturaliter introduci, pari ratiõe, nec in ea conseruari: non introducitur anima rationalis, in prima generatione hominis in solum caput, aut in solos pedes, sed simul in vtrumque, & postquam genitus est homo, in omnibus simul ab anima informatis: si quãlibet à toto separaueris, statim desinit eam informare, abscissa enim manus aut pes, non retinet animam rationalem. Vtriusque autem potissimam rationem, ex animæ definitione licet colligere, nam cum sit actus corporis Physici organici potentia vitam habentis, vt tradit Aristot. 2 lib. de anima, in principio, plura ac diuersa organa, quæ sunt partes corporis, postulat intrinsece pro sui introductione, atque etiam pro sui conseruatione, similis est animæ perfectorum animalium significatio nominis cõpositi, quæ ei pro forma est, cum notum sit, ex multis, ac diuersis partibus, hoc est, diuersæ significationis coalescere, ex partibus enim eiusdem significationis, qualia sũt nomina synonyma, vt gladius & ensis, nullũ nomẽ com-

Margin notes: 38. (beside "perfectum animal"); 41. (beside "possint naturaliter"); Prima ratio. (beside "retinet animam"); Aristotel. (beside "poris Physici"); 39. (beside "ficationis coalescere")

componere poteris, quemadmodum ergo ad primam eius constitutionem petit intrinsece forma huius nominis plures partes diuersæ significationis, sic etiam ad sui conseruationem, sicut in vna dumtaxat non incipit esse, sic non potest in vna conseruari, sed quamlibet si separaueris totius significationem statim destrues, & melius si vtranque, ita vt nihil eius in partibus separatis permaneat, quemadmodum neque anima in manu, vel pede abscisso permanet.

Secunda ratio. Accedit alia ratio, ex eadem similitudine desumpta, nam licet significatio nominis compositi, ex multis partibus componentibus resultet, sed in indiuisibili consistit quemadmodum anima rationalis, ac perfectorum animalium indiuisibilis est, & alio certo modo indiuisibilis, nam anima sic est indiuisibilis, vt non solum in toto corpore sit tota, sed etiam in qualibet eius parte, significatio vero, quodam modo indiuisibilior est, cum nec pars eius sit in parte componente, nec tota, sed solum sit in eis, in quantum simul coniunctæ totum nomen componunt, & hoc est esse incomplexam: hoc etiam simplicem conceptum ei in mente correspondere, atque ex consequenti ipsimet nomini composito (vt bene in hoc Magister Sotus, hoc est etiam partes separatas non significare iuxta significationem totius, quæ licet ex eis coalescat

40. ab eisque dependeat, longe tamen diuersa est à propriis significationibus per se sumptis, extra compositionem, vt in equifero, & Republica constat: non enim significat equiferus equum ferocem, sed aliud animal longe diuersum, nec Respublica quodlibet publicum negotium, sed congregationem ex certis quibusdam hominibus, ex eisdem legibus ordinatis compositam: si ergo propriæ significationes partium longe diuersæ sunt à significatione totius, quæ tanquam in indiuisibili consistens statim perit separata qualibet parte, sequitur plane partes separatas propriam significationem retinentes diuerso modo significare, atque dum erant in toto, & potius iuxta propriam conditionem significare, quam iuxta significationem totius longe diuersam, & iam omnino oblitam.

Conclusio. Solutio igitur quæstionis est recte appositam esse ab Aristot. hanc particulam, *cuius partes separatæ non sunt significatiuæ*, quam efficaci proculdubio argumento probauit ex partibus nominis compositi: de quibus euidenter à nobis ostensum est, nihil eius significationis retinere, quam habuit totum, & quam habuerunt ipsæ illud componentes: & in hoc distinguitur compositum nomen ab oratione, cuius partes non solum separatas, sed etiam coniunctas eam cōponentes propriam significationem retinere exploratum est: vnde euidenter etiam infertur partes nominis simplicis, nihil separatas significare, cum nec nomina sint, nec verba, sed syllabæ ex literis, tāquam ex primis elementis compositæ, syllaba autem separata nullam habet significationem, sed principium dumtaxat significationis est eius nominis, quod componit, non secus ac vnitas quælibet separata 41. numerus non est, sed numeri principium, quem cum cæteris constituere potest.

Prioris sententiæ argumentis respondetur.

Ad argum. ET ex doctrina tradita fit satis argumentis oppositis, quæ sic applicanda est eorum solutioni, vt dum obiecit primum argumentum nomen compositum partibus constare per se significantibus, distingendum sit: nam si intelligatur separatas eandem retinere significationem, quam habebant componentes totum, falsum censendum est, si verò propriam, verum. Definitio autem negans separatas significare primum sensum tenet, vt nomen ab enunciatione, & oratione separet, quarum partes eandem significationem habent separatæ, quam habuerunt componentes: ex quo satis constat non significare, iuxta significationem totius, quod vero propriam retineant significationem nihil refert, postquam illa valde diuersa est à significatione totius, vt ostendimus.

42. Ad formam secundi argumenti respondentes, negant plures, partibus à propria significatione cadētibus, totum quoque significationem amittere, quod profecto nunquam mihi persuadere potui, sed cum ostensum à nobis sit significationem compositi nominis ex partibus, vt significatiuis coalescere; & particularem huius nominis, vel illius ex his, vel illis partibus talem significationem habentibus, à quibus absque dubio dependet, non secus ac totum quodlibet à suis partibus: certum mihi est eis à propria significatione cadentibus, nomen ipsum cōpositum significationem amittere, quod in

quibuscunque aliis rebus compositis exemplari inductione probari potest, si enim dederis partes domus propriam significationem amittere, vt duritiem, robur, & quid simile, domus ipsa incunctanter corruet, sicque de cæteris constat compositis, tantum igitur erit de nomine composito iudicandũ, quo admisso negandum est partes eius separatas significare iuxta significationẽ totius, quæ cum omnino pereat separata qualibet parte, repugnat in partibus separatis vllo modo conseruari, hoc est, nec totaliter, nec partialiter, sed quam partes tunc retinẽt propria est valde, quæ ab ea, quam totum componentes habuerunt, est diuersa, & hoc est quod voluit Arist. significare, dum in defini-
43 tione posuit prædictam particulam, (cuius partes separatæ non sunt significatiuæ) quasi diceret, nihil antiquæ definitionis retinere, quanquam retineant propriam.

QVAESTIO V.

An nomen infinitum propterea sit à ratione nominis excludendum, quod tam de iis, quæ non sunt, quam de iis, quæ sunt, enuncietur.

VNVM præsupponit quæstio, & aliud inquirit: præsupponit nomen infinitum à vera ratione nominis exclusum, & quærit an ratio illud excludendi ea sit, quia non solum de his quæ sunt enunciatur, sed de iis etiam quæ non habent esse, vt de chimera, aut de hircoceruo. Primum autem licet expresse fuerit ab Aristot. definitum, circa finem capitis, adhuc tamen discutiẽdum est. Habebit igitur quæstio duplicem partem; prior erit, an nomen infinitum verum nomen sit, cui definitio Aristotelis congruere posit: posterior an de cunctis etiam non entibus enunciabile sit, ac propterea à vera ratione nominis excludendum.

Explicatio Masii.

Vt autem prior quæstionis pars melius intelligatur; explicanda est propria ratio nominis infiniti, circa quam adnotat Magister Masius quæstio, huius cap. 3. Hanc vocem duobus modis sumi posse: & vt est negatio vim habens remouendi vnum ab altero, aut in quantum transit in naturam cuiusdam syllabæ amissa facultate negandi: obtinet vim negationis, in hac enunciatione, homo non est lapis: vim syllabæ, & non negationis,
dum componit nomen infinitum, non ho- 44
mo, aut non leo; vbi nihil negat, sed cum aliis duabus syllabis ho & mo, totum ipsum nomen non homo componit, vnde quando dicitur in nominibus infinitis, præponendam esse negationem nomini infinito, sumenda est negatio, ait, non in vi negationis, sed in syllabæ naturam transfertur.

Refutat. 1.

Hæc tamen explicatio nominis infiniti, naturæ eius plane aduersatur, nam iuxta illam, in compositione eius, nihil à nomine finito, cui adiungitur, negabitur: cum negatio vi negandi penitus careat, quod quam sit falsum tripliciter ostendo. Primò nomen infinitum non retinet significationem finiti nominis cui adiungitur negatio, sed ab eo penitus remouetur, non homo enim non significat hominem, nec de eo enunciari potest, sed non remouetur ab eo, nisi ratione negationis adiunctæ, quam si abstuleris, statim redibit, ergo negatio in tali compositione, non omnino amittit vim negandi.

Refutat. 2.

Secundo, homo, & non homo sunt termini contradictorie oppositi, quibus repugnat de eadem re enunciari, sed oppositio contradictoria claudit ex vna parte negationem in vi negationis, nam inter terminos positiuos, nequaquam versatur, ergo vim negationis habet, non in compositionem termini infi-
niti veniens. Quod demum probat signifi- 45
catum eiusdem nominis, de nullo prorsus enunciabilis positiue, sed in quantum natura eius negationem finiti nominis, cui negatio adiungitur claudit, non enim significat leonem non homo, propter positiuam eius naturam, sed in quãtum negationem hominis importat, & huius rei gratia de non entibus, atque impossibilibus enunciatur, vt in secunda parte quæstionis patebit, quia licet non habeant veram essentiam, negatio tamen hominis nihil positiuũ, nullamve essentiam importat.

Explicatio M. Soti.

Alia igitur distinctione vtendum, vt propriam rationẽ infiniti nominis explicemus, qua vtitur Magister Sotus. 2 lib. summularũ. cap. 1. notab. 5. dicens negationem duobus modis sumi, neganter quidem, dum cadens supra copulam propositionis, totam propositionem

sitionem negat, vt dum dicimus hominem non esse lapidem alio modo infinitanter, dum vis eius alligatur termino, cui proxime adiungitur vlterius non transiens, vnde etiã si subiecto propositionis adiũgatur, non reddit negatiuam propositionem, vt constat de hac, non homo est leo; vtroque itaque modo in vi negationis sumitur, sed priori sine limitatione negandi, in quo sensu solet dici negationem esse malignantis naturæ, quia quidquid post se inuenit, destruit, & oppositũ reddit: posteriori vero cum limitatione ad significatum dumtaxat illius nominis, cui proxime adiungitur, & quia illud negat, ex quo determinata erat significatio eius, infinitum efficit, hoc est, non determinatum ad rem
46 vnam aut alteram significandam, sed ad omnes extensum, ea dumtaxat excepta, quam sine negatione significabat, quod vsque adeo verum est, vt etiam si infinitæ forent, eas omnes significaret, de cunctisque enunciabile esset, qua etiam ratione iure vocatur infinitum: vnde fit negationem sic sumptam vtrunque præstare: nam, & nomen componit tanquam syllaba, & significatum eius negat tanquam negatio; pugnat etenim cum natura negationis omni prorsus negandi vi carere, in quo deceptus plane deprehenditur Masius eam negandi officio penitus absoluens. Et ex his intelligitur propria conditio nominis infiniti.

An nomen infinitum sit verum nomen.

Probatur 1. QVibus præmissis, probatur iam non esse à vera ratione nominis excludendum, Primo, quia si excludi deberet maxime propter late patentem significationem, vt voluit Aristotel. quia cuncta significat, & cunctisque enunciatur, ea dumtaxat excepta re, quam significat nomẽ cui adiungitur negatio, nec solũ de entibus, sed etiam de non entibus. Hæc autem ratio insufficiens est, cum similem conditionem habeant vera nomina, vt imaginabile, & intelligibile, & id genus alia, tam de entibus, quam de non entibus enunciabilia: nam & impossibilia sub imaginatione cadunt, & intellectu percipi possunt, bene enim concipit intellectus chimeram, & hircocervum esse impossibilia, hac igitur ratione non foret excludẽdum nomen infinitum.

Secundo probatur, quia eiusmodi indeterminata significatio non cõuenit cunctis nominibus infinitis, ergo etiam si quædam excludantur, non debent excludi omnia: probatur antecedens, nam si transcendentia nomina infinita reddideris adiuncta negatione, vt non ens, non verum, non bonum (quod profecto nõ est impossibile) non dicentur de entibus, sed de solis non entibus, determinatam proinde significationem habebunt, veraque erunt nomina. Secundo Probatur. 47.

Notat 1. Masius. Circa solutionem huius quæstionis, duo adnotat Magister Masius vbi supra. Primum, duplex esse significatum infiniti nominis, vnum quod negatur, aliud à quo negatur, vt non homo significat hominem tanquam id, quod negatur, equum, leonem, & quodlibet aliud tanquam id quod ab homine negatur: illud vocat materiale, hoc formale: illud expressum, ac distinctum: hoc vero quasi implicitum, & confusum: nam homo expresse, ac distincte negatur, quodcunque aliud non expresse, aut distincte importatur, sed quasi confuse sub negatione hominis quæ cum cæteris ab homine conueniat, significari eo ipso per infinitum nomen dicuntur.

Notat 2. Adnotat secundo. Plus aliquid ad rationem nominis esse requisitum, quam ad rationem signi, nam ad rationem signi, hoc 48. vnum est requisitum, & sufficiens, vt aliquid potentiæ cognoscitiuæ repræsentet, siue in communi, siue in particulari, confuse, aut distincte, ratio autem nominis exigit determinatam alicuius repræsentationem, quia nomen significare debet naturam, vt homo, aut certam personam, vt pronomen demonstratiuum hic homo, vel certe, vtrumque simul, vt Socrates, aut Plato.

Masii sententia duo affirmans. His duobus adnotatis duo alia de nomine infinito affirmat: primum, esse verum ac legitimum signum (vtor verbis illius) secundum non esse verum nomen. Probat primum hoc argumento, verum signum est, Probat 1. quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid repræsentat, sed voces infinitæ sunt eiusmodi, nam audita ac voce, non homo, statim se offert intellectui leo, bos, aut equus, quidpiamve aliud, quod non sit homo, ergo eiusmodi voces vera erunt ac legitima signa.

Probat 2. Probat secundum, quia expressa sententia Aristotelis est excludentis ad finem huius capitis easdem voces à definitione nominis. Ratione quoque, quia nomen, significare

ficare debet certam naturam, aut personam, vel vtrunque simul; sed vox infinita, nihil horum certum designat, non leonem, non bouem, aut asinum, sed omnia, & singula, sub quadam confusa ratione: deficit ergo à vera ratione nominis.

Probat. 2. Secundo verum nomen repræsentat intellectui quid res sit, vel certe quid ei conueniat potius, quam quid non sit, aut quid non sit ei attribuendum, sed voces infinitæ potius repræsentant, quid res non sint, vt non homo illud de formali significat, quod non est homo, nihil aliud determinare importans, neque enim designat, quid sit leo, aut bos, sed solum quod nō sint homines, ergo vera nomina, haud quaquam censenda sunt.

49. Refutatur prædicta sententia. Quidquid sit de diuersis significatis materiali, & formali infiniti nominis, de quibus mox dicemus, grauem patitur difficultatem aliud, nempe quod nomen infinitum, verum sit, ac legitimum signum, cum non sit mentale, aut scriptum, erit verum, aut legitimum signum vocale; erit etiam ex consequenti vox, vere ac proprie significatiua, non naturaliter, ergo ad placitum, & sine tempore, cuius nulla pars separata significatiua: quare erit verum ac legitimum nomen, cui integra definitio conuenit, quod enim à quibusdam particula finita, & recta adduntur, iam fuit à nobis refutatum, & quanquam finita adderetur, non nisi ob defectum significationis, quem non habebit, sed verum est ac legitimum signum.

50. Secundo. Vox infinita non potest alia ratione excludi à definitione nominis, nisi propter modum significandi imperfectissimum in duobus consistentem. In primo quidem, quia nihil determinate significat, in secundo, quia nihil positiuum formaliter, nam, & si de cunctis rebus ab ea, quam nomen significat dicatur, vt non homo de cunctis præter hominem, non tamen sub ratione eorum positiua, sed negatiua, videlicet, quia non sunt homo: itaque vox non homo, non significat leonem, quia leo est, sed quia non est homo, nec significat naturam leonis positiuam vt talem, sed præcise, vt negationem hominis claudit, vel vt vno verbo rem explicemus, solum significat negationem hominis in ea. Vnde fit nullam entitatem, nullam naturam, imo nullam rem significare formaliter, sed puram negationem, & hinc desumpsit occasionem Aristotel. excludendi illam à definitione nominis, quia cum per modū negationis significet omnia, & pura negatio vnius rei, tam non entibus, quam entibus conueniat, de cunctis enunciabitur, ac propterea à ratione nominis excludetur. Ex quibus euidenter sequitur excludendam esse à ratione signi: nam si verum ac legitimum signum est, quod aliquid intellectui repræsentat, vox infinita non repræsentat aliquid intellectui formaliter, sed solum negationem alicuius, ergo non est verum, ac legitimum signum, nisi forte secundum aliquam similitudinem, sicut figuram hominis hominem vocamus.

Et hinc demum intelligitur, quam præter naturam, & modum significandi vocis infinitæ sit, primum illud, quod Magister Masius docuit; videlicet vocem infinitam de materiali significare rem illam, quæ negatur: de formali vero, cæteras præter illam, vt non homo de materiali hominem, de formali vero bouem, leonem, & quascunque alias: potius enim dicendum est de formali solam negationem cuiusdam determinatæ naturæ significare: quamcunque autem rem positiuam, vt positiua est materialiter, vt non homo de formali solam negationem hominis, leonem autem, & bouem, & quamlibet aliam rem existentem, aut possibilem, seu etiam impossibilem materialiter, quod probatur euidenter, quia solum eam significat in quātum cadit sub negationem hominis, cuius comparatione propria eius natura materialiter se habet. Et habemus exemplum appositissimum in albo, quod de formali solam albedinem significat, corpora vero in quibus inhæret, materialiter, cuius ea est ratio, quia solum ea significat in quantum sub albedinem cadunt, aut ab ea denominantur: idem ergo de non homine censendum est. 51.

Vera sententia explicatur.

Prima assertio. NOSTRA igitur sententia tribus assertionibus explicatur. Prima est: vox infinita, nihil de formali positiuum significat, sed solam negationem alicuius, quamlibet autem naturam, aut rem positiuam, non nisi materialiter in quantum cadit sub eandem negationem.

Secunda assertio. Secunda, non est verum ac legitimum signum, sed similitudinē eius tenet, in quantum negationem, ac si aliquid positiuū esset, importat:

52. importat: vtraque assertio prædictis rationibus efficaciter confirmata est.

Tertia assertio. Postrema. Iure optimo exclusa est à ratione, ac definitione nominis, quæ præter verba Aristotelis expressa, & communem omniũ interpretum vocem, præfatasque rationes, sic probari potest ex doctrina tradita: nomina, & verba ex propria institutione, & conditione ordinantur ad constituendam propositionem doctrinalem, hoc est, aptam ad syllogismum, & demonstrationem, quibus mediis, doctrinæ ac scientiæ traduntur, sed demonstratio ac syllogismus talis, versantur circa rem aliquam, de qua doctrina, vel scientia, aut certe opinatiua cognitio traditur, ergo tales oportet esse propositiones, taliaque proinde nomina, & verba ex quibus componuntur, per quæ res aliqua significetur, de qua doctrina, scientia, aut opinio, tradi possit, quod vocibus infinitis absq; dubio non quadrat, nihil tale per se ac formaliter significantibus, sed solam negationem alienius, ergo à vera ratione nominis plane deficiunt.

Primum argumentum ad secundam partem quæstionis, nos vocat inquirendum, an infinitum nomẽ, tam de his quæ sunt, quam de his quæ non sunt: tam de possibilibus, quam de impossibilibus enuncietur.

Dubium: An nomẽ infinitum de impossibilibus æque, ac possibilibus enuncietur,

Ratio dubitandi ex diuersis locis Aristotel. CVIVS affirmatiuam partem licet expresserit hac in parte Aristotel. ex his tamen quæ docet. 1. lib. de priori resolutione cap. vltimo differentiam constituens inter propositionem de prædicato infinito, & negatiuam de prædicato finito, ex eisdem terminis constitutas, sic impugnari potest Hoc interest inter hanc, & illam propositionem, quod propositio de prædica-

53. to infinito, cum sit affirmatiua, non est vera, nisi subiecto existente in rerum natura, sed negatiua vera esse potest etiam non existente, vt si dicas, est non album lignum, præsupponis lignum esse, si vero dixeris lignum non est album, minime. Nam etiam si lignum non sit, verum est quod non sit al-

Aristotel. bum. Verba Aristotel. ita habent. *Est non album lignum, & non est album lignum, non simul sunt: si enim est lignum non album, erit lignũ quod autem non est album lignum non necesse li-*

gnum esse. Ex quibus duplex illud vulgatum apud Summulistas receptissimum emanauit principium. Propositionem affirmatiuam de subiecto non supponente, hoc est, non existente in rerum natura tempore per copulam designato esse falsam. Secundum: a propositione de tertio adiacente ad propositionem de secundo necessariam esse consecutionẽ: exemplum primi, vt Adam est, aut Antichristus est: exemplum secundi, vt Petrus est albus, ergo Petrus est, & ex eisdem verbis tale argumentum desumi potest propositio de prædicato infinito, nisi copula sit alia negatione affecta, est affirmatiua, ergo præsupponit subiectum esse, quare non poterit prædicari de non entibus, aut impossibilibus, sed falsum erit enunciare Adam est 54. non homo, aut chimera est non homo, sequeretur enim chimeram esse in rerum natura, si vera esset, & cum non sit, falsa erit propositio, cum sit affirmatiua de subiecto non supponente.

Duo hæc testimonia Aristotelis, quæ opposita plane videntur conciliat Magister Sotus, dicens aliud esse, quod nomen infinitum significet tam ea quæ sunt, quam ea, quæ non sunt: possibilia, vel impossibilia, aliud quod de cunctis in propositione verificetur: primum namque verum est, & ab Aristotele intentum cap. præsenti. Secundum autem plane falsum probatur ex posteriori libro, nam de his, quæ non sunt, vel impossibilia sunt, non potest dici, nisi in propositione affirmatiua, & de subiecto non supponente, atque adeo falsa: nec mirum id videri debet, nam nomen Adam primum parentem modo significat, de quo tamen non verificatur in propositione defectu existentiæ actualis, quam requirit subiectum, vt supponere dicatur in propositione, atq; adeo vt propositio affirmatiua, in qua de eo dicitur prædicatũ, vera sit. Oppositum nihilominus tenet expresse D. Thomas in his commentariis cum Boëtio, & Ammonio, quos ipsemet retulit hisce verbis. *Imponitur nõ homo à negatione hominis, qui æqualiter dicitur de ente, & non ente,* 55. *vnde non homo potest dici indifferenter. Et de eo quod non est in rerum natura, vt si dicamus chimera est non homo, & de eo quod est in rerum natura, sicut dicitur equus non est homo, vt Boetius, & Ammonius dicunt.*

Conciliantur à Mag. Soto.

Prima rat. Et hanc sententiam, vtpote ab Aristotele expulsam cap. præsenti, & ex intrinseca con-

ditione infiniti nominis euidenter elicitam tenent iam moderni fere omnes, verba Aristotelis hæc sunt. *Non homo verò non est nomē, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est, &c.* Quæ nō solum significationem sonant, sed enunciationem infiniti nominis de nō entibus. Ratio autem potissima ex intrinseca cōditione eiusdem hæc est, quia id est discriminis inter propositionem affirmatiuam de prædicato finito, & infinito, quod prædicatum finitum ponit aliquam formam, aut rationem positiuam in subiecto, ac propterea existentiam illius actualem postulat, aut certe veram essentiam, licet nō existentem, cui conuenire posit: infinitum vero nihil ponit circa subiectum, sed solam negationem alicuius; pura autem negatio, neque existentiam postulat, neq; essentiam, ergo de non entibus, ac impossibilibus enunciari potest.

Aristotel.

Confirm. 1. ratio.

Explicatur amplius, & confirmatur simul, nam dum dicimus chimeram esse non hominem, non affirmamus esse aliquid, neque habere essentiam, sed negationem hominis tali monstro à nobis vt impossibili concepto quadrare, quæ cum nihil ponat, non petit eam esse, nec esse possibilem: etiam si verum est eam non esse *simpliciter*: si verum est quod sit non ens, verum erit, quod sit non homo, nam sicut homo est inferior ente, sic non homo est inferior non ente, hoc verificatur de chimera, ergo & illud.

56.

Secunda ratio.

Secundo prædicata contradictoria habent immediatam oppositionē, ergo de quolibet ente, aut nō ente necesse est alterum illorum enunciari. Sed homo, & non homo sunt prædicata contradictoria, ergo necesse est eorum alterum de chimera, vel quauis alia re impossibili enunciari, non enunciatur homo, ergo enunciatur non homo: nec argumentum ex Aristot. testimonio desumptum conuincit oppositum, nam propositio affirmatiua de prædicato infinito duplex est, vna de prædicato pure infinito, alia de prædicato non pure infinito, sed quasi mixto ex termino finito, & infinito, vtriusq; exemplum possumus in eisdem terminis designare, prioris quidē, vt si dicamus, lignum est non album, posterioris, hoc est lignum non album: ita vt ex parte subiecti nomē demonstratiuum ponatur, quasi sensus sit, hoc, quod demonstratur, est lignum nō album, est autem latum discrimen inter vtranque, nam cum prædicatū pure infinitū, nihil ponat in subiecto præter negationem alicuius, nō præsupponit subiectū esse, sed nec esse possibile, vnde nec tenet in ea cōsecutio ad secundū, vt si dixeris, lignum est non album, ergo lignum est: prædicatum autē mixtum licet ex ea parte, qua infinitum nihil ponit in subiecto, cæterū ex parte finiti aliquid ponit, & quidem quod nō pertinet ad essentiam subiecti: nō est enim de essentia rei demōstratæ vt talis, esse lignum, licet re ipsa, quod demonstratur sit lignum, vnde præsupponit aliquam existentiam eius, alioqui falsa erit propositio affirmatiua enunciās, hoc est lignum non albū, si non sit in rerum natura. Arist. ergo loquitur de propositione de prædicato infinito mixto, quæ absq; dubio nō est simul cū negatiua, non requirente ad veritatem, existentiam subiecti, quod de propositione de prædicato pure infinito (de qua ibidem est sermo) etiam est verum, & ideo negatiuam infert, ab eaque infertur, bene enim sequitur, lignum est non album, ergo lignum non est album: atque è conuerso, lignum non est album, ergo lignum est non album, & vtraque vera est etiam ligno non existente: imo etiam si non esset possibile. 57.

Et vt illa duo axiomata deducta vniuersalia exponamus, alia distinctione vtēdum est, nam vel prædicatum propositionis affirmātis per se conuenit subiecto, aut nō per se, sed accidens eius est, vel modum accidentis habet, & quidem si per se conueniat, non verificatur de illo secundum actualem existentiam, sed secundum naturalem ac necessariā connexionem, quæ cum nullum tempus determinet, sed perpetua sit eodem modo semper se habens, propositio quoque perpetuæ veritatis esse dicitur, & copula à tempore (vt aiunt) absoluitur eadem extrema non cōiungens, pro vlla temporis differentia, si vero non conueniat per se prædicatum, absque dubio coniungitur subiecto, vt actu existenti, quia accidentia non inhærent, nisi in subiecto existenti, & copula propositionis, pro determinata differentia temporis ea coniūgit, quare ad veritatem eiusdem propositionis omnino requiritur, vt subiectum supponat, hoc est, vt significatum eius sit in rerum natura tempore per copulam importato: alioqui falsa erit propositio, & de hoc genere propositionū intelligitur vtrūque axioma. Necessaria est enim consecutio in his à propositione de tertio adiacente ad propositionē de secundo.

Distinctio.

58.

secundo, vt si dixeris, homo est albus, ergo homo est: in eisdem etiam falsa est propositio affirmatiua de subiecto non supponente: neutrum autem intelligitur in propositionibus primi generis, ad quarum veritatem non requiritur extremorum suppositio: cum non coniungantur secundum existentiam, sed solum secundum necessariam connexionem, ac propterea nec tenet cõsecutio à tertio adiacente ad secũdum, si dixeris: homo est rationalis, ergo homo est, equus est hinnibilis, ergo equus est, hæc distinctio ad propositiones de prædicato infinito applicanda est, ac dicendum nomen infinitum, per se significare tam entia, quam non entia; tam possibilia, quam impossibilia, quibus negatio alicuius formaliter significata per se, & æqualiter conuenit: vnde fit propositiones de prædicato infinito, siue de
59. subiecto possibili, aut impossibili enuncientur, esse necessarias ac per se, & in quibus copula non coniungit extrema secundum actualem existentiam, sed secundum naturalem connexionem extremorum, nec pro illa temporis differentia, sed absoluitur omnino à tempore, & perpetuæ veritatis propositionem constituit, in qua neque extrema supponere necesse est, neque consecutionem tenere à tertio adiacente ad secundum, vera est igitur in iisdem propositio affirmatiua, de subiecto non supponente, vt chimera est non homo, aut chimera est monstrum, ex quibus non licet inferre, quod chimera sit, cum non sint veræ secundum existentiam, sed propter necessariam extremorum connexionem.

Diuersa autem ratio est de intelligibili, aut imaginabili ex vna parte, ac de nomine Infinito ex altera, vt primo illi argumento ac principali fiat satis: nam duo illa nomina naturam positiuam significant ab iis potentiis intellectu, & imaginatiua potentia perceptibilem, vt proprium, & adæquatum obiectum, sub qua non entia, aut impossibilia eatenus comprehenduntur, quatenus ac si aliquid positiuum essent ac apprehenduntur, vel certe in quantum negationem illius continent, ad eandem namque potentiam pertinent opposita: nomen autem infinitum nihil de formali significat præter negationem alicuius rei, vt iam ostendimus, & hinc habet æque de entibus, ac non enti-
60. bus dici, æque de possibilibus ac impossibilibus, ac propterea merito excluditur à ratione nominis, itaque non tam propter late patentem significationem, quam propter modum significandi solam negationem, & nihil prorsus positiuum, nisi materialiter.

Dubium, an transcendentia nomina possint infinitari.

SECVNDVM argumentum aliam tangit difficultatem à natura infiniti nominis non alienam, an videlicet ex solis particularibus nominibus adiuncta negatione, componatur, vel etiam ex vniuersalissimis, vt ex ente bono, & vno, atque id genus aliis, quod aliis verbis inquiri solet, an vniuersalissima nomina, quæ transcendentia vocantur, possint reddi infinita, & videtur idem argumentum, negantem partem conuincere, *Pro parte negatiua.* nam si ad rationẽ nominis infiniti pertinet, vt nuper definitum est, vt tã de entibus, quam de non entibus sit enunciabile, sequitur prædicta nomina, non posse reddi infinita, nam si ens infinitũ reddideris adiũcta negatione, 61 non de entibus, sed de non entibus enunciabitur, sicut de vno vero, ac bono sentiendum est, vnde infinita fieri, haud quaquã possunt.

Ex alia vero parte non videtur negãdum, *Pars affirmatiua.* vniuersalissima hæc nomina posse infinita reddi, quia istæ propositiones, & similes, chimera est non ens, nihil est non ens, absque dubio sunt de prædicato infinito, cum sint affirmatiuæ, atque istæ etiam, homo non est non ens, cum sint negatiuæ, ergo non ens erit nomen infinitum.

Propter vtrunque argumentum (quod vere difficile est) diuisi sunt interpretes Aristotelis, nam propter primum tenuit Albertus *Albertus Magnus.* Magnus, in huius libri commentariis tract. 2. cap. 5. cum Auicenna, quẽ ipse refert eiusmodi transcendentia, in vniuersalissima significatione accepta, non reddi infinita, secus si contractiorem habeant, vt si pro ente reali dumtaxat, aut pro ente rationis, aut pro sola substantia accipiantur, quam sententiam amplectuntur Tolet. quæst. vnica, & Masius quæst. 5.

Sed propter secundam tenuit Magister *Mag. Soto.* Soto infinita posse fieri. 2. lib. sum nul. cap. 1. notab. 6. cui subscripsere Suesanus, & Louanienses in Scholiis huius capitis.

Propria sententia authoris.

Nota distinctionem.

NOS vero distinguendum in primis de transcendentibus putamus, cum hæc sint in duplici differentia. nam quædam important rationem particularem, quam addunt supra ens distincta ratione formali, ab ente ipso à cæterisque transcendentibus, & tales sunt omnes passiones entis, vt vnum quod addit supra ens indiuisionem: aliquid rationem particularem (aliquid enim quasi ens particularizatum sonat) vt sic liceat loqui, & res addit supra ens ratum, aut validum, seu constans, bonum ordinem ad voluntatem, & verum ad intellectum, & quanquam hæc omnia re idem sint, formaliter tamen distinguuntur inter
62. se, & ab ente, nam ratio boni formaliter non est ratio veri, aliud est transcendens vniuersalissimam rationem importans omnia ambientem, quod vocari merito potest primum transcendens, & hoc est ens: nam passiones eius licet transcendentes sint, quia vniuersa ambiunt prædicamenta, sed quia speciales, atque inter se formaliter distinctæ, non se ambiunt formaliter, & ideo quasi participationem ab ente, & quasi secundaria licebit transcendentia appellare, sicque de intelligibili, atque imaginabili iudicandum erit, nam si omne ens sit intelligibile, atque imaginabile, sed ratione boni exempli gratia, non est intelligibilitas, nec formale obiectum imaginationis, vnde nec rationes eorum includit formaliter, nec ab eis excluditur.

1. Assertio. Qua distinctione præmissa. Primo, tanquam certum in hac re tenendum arbitror omnia transcendentia, præter ens infinitari posse: ita tenet Albertus Magnus, vbi supra. Probatur (ni fallor) euidenter ratione, nam si eis negationem adiunxeris, tam de entibus, quam de non entibus enunciari possunt, vt non vnum de multis, non verum de bonis dicuntur formaliter, sicque de cæteris, quod vero de non entibus, exploratum est, ergo bene possunt esse infinitata, cuius fundamentalis est ra-
63. tio nuper designata, quia re ipsa omnia ambiant, sub formali tamen, ac propria ratione, nec se se ambiunt, nec ideo omnem rationem formalem particularium entium.

Certum secundo est, ens posse infinitari si limitatum accipiatur pro ente reali, vel pro solo ente rationis, aut pro sola substantia, nam sic acceptum, tam de entibus, quam de non entibus enunciabitur. 2. Assertio.

Tota igitur difficultas huius rei in solo ente vniuersaliter accepto posita est, an possit esse nomen infinitum, his affirmantibus, negantibus vero illis. Status quæstionis.

Ego vero distinguendum adhuc censeo, quia cum enti possit adiungi negatio, ac de non entibus prædicari in propositione affirmatiua, de entibus quoque negari in propositione negatiua, tanquam prædicatum infinitum necessario videtur admittendum, quod aliquo modo possit infinitum reddi. sed dupliciter id contingere potest vniuersaliter, simpliciter, ac perfecte, vel ex parte. Primo modo redditur nomen infinitum si nullo modo limitatum maneat, sed ad omnia præter significatum, cui adiungitur negatio, se extendat, ex hoc enim appellatur infinitum, quo pacto sola nomina particularia infinita esse possunt, nequaquam vniuersalissimum ens, nam si negationem ei adiunxeris, eo ipso limitatum ad sola non entia, aut impossibilia efficis, ideo non potest absoluta appellatione vocari infinitum, ex parte vero imperfecte, & secundum quid, non repugnat infinitum fieri, in quantum ad non entia, & impossibilia, absque limitatione extenditur, & aliquo modo ad omnia entia, quorum respectu in negatiua saltem propositione prædicatum esse potest infinitum, & hæc nostra distinctio argumentum vtriusque partis facile soluit, nam dum Aristoteles de nomine infinito agit tam de entibus, quam de non entibus enunciabile esse docet, de perfecta ac vniuersali infinitatione (vt sic loquamur) intelligit quam nos quoque admittimus vniuersalissimo enti non conuenire: argumento autem oppositæ partis satisfacit infinitatio ex parte ac secundum quid, quam euidenter probatum est ei non repugnare: Ex quibus etiam solutum est secundum argumentum, quod posteriori parti quæstionis occasionem dedit.

Nota distinctionem.

64.

Primum dubium: Appendix.

SED duo supersunt breuissima dubia pro complemento quæstionis, de natura infiniti nominis. Primum: an nomina infinita.

infinita inter absoluta, & connotatiua veniant numeranda.

Cui respondet Tolet. quaestione vnica ad finem, absoluta potius esse, quam connotatiua: cuius ea est ratio, quia cõnotatiua duo significant, de formali vnum, de materiali
65. alterum, vt album de materiali corpus, de formali albedinem: sed infinitum solam negationem concretam significat, vt non homo solam negationem hominis in cõcreto, ergo non sunt connotatiua sed absoluta.

Ego vero ad connotatiua potius reuocanda esse arbitror, propter idem argumentum sic in oppositum conuersum. Connotatiua vnum de materiali, aliud de formali significant, sed id habet nomen infinitum, siue ad entia, siue ad non entia comparetur, ergo ad connotatiua reducitur, potius quam ad absoluta, probatur minor, quia non homo de materiali significat bouem, aut leonẽ, de formali vero negationem hominis, non enim de eis enũciatur propter proprias naturas, sed praecise propter negationẽ hominis, quã claudunt, quemadmodum album non dicitur de corpore, quia corpus est, sed quia albedine afficitur, ergo simile est albo quantum ad modum significandi, vnum de materiali, de formali aliud: ac propterea ad connotatiua reducitur: tantundem habet, si ad non entia comparetur, vel impossibilia, in quibus materiale significatum in apprehensione saltem reperitur, nempe monstrum illud, quod fingimus, & impossibile reputamus & quod ab eadem hominis negatione, suo modo denominatur: reduci autem ad connotatiua dicimus nomen infinitum, potius quam esse cõnotatiuum, quia nec negatio est vera forma,
66. nec substratum verum subiectum, sed similitudinem formae, atque subiecti tenent.

Secundum dubium: Appendix.

Conclusio. SECVNDVM dubium est, an vniuoce dicatur infinitum nomen de entibus, & non entibus, vt non homo de leone, & chimera. Apparet enim statim non vniuoce, sed aequiuoce, aut analogice dici, quia si vniuersis entibus nihil commune vniuocum esse potest, minus multo entibus, ac non entibus, magis enim haec inter se distant, quam illa.

Bene nihilominus D. Toletus vniuoce vtraque significare docet, quia solam negationem alicuius formaliter significat, negatio autem aeque dicitur de entibus ac non entibus, vt negatio hominis aeque leoni, & hircoceruo conuenit, cum nihil in eis ponat, ergo vniuoce vtrique, quibus & si nihil reale possit esse commune, bene tamen ens rationis, esse etenim genus aut speciem, vt in praedicabilibus adnotauimus, vniuoce conuenit naturis substantialibus, & accidentalibus; vniuoce naturis realibus, & entibus rationis, sed negatio quam de formali importat nomen infinitum, est ens rationis: ergo nihil prohibet vniuoce de entibus ac non entibus praedicari, atque ex consequenti nomen ipsum infinitum.

QVAESTIO VI.

An obliqui casus vera nomina censenda sint.

Sententia affirmatiua suadetur.

NON tam propter difficultatem, quae exigua certe est, quã propter complementum totius disputationis, de natura nominis quaestionem hanc vltimam proponimus de obliquis casibus: an vera sint nomina, & quanquam negatiua pars expressè sit ab Arist. de infinita, non defuerũt eum sic interpretantes, vt solum docere voluerit imperfecta esse nomina, sed simpliciter & absolute talia, quam sententiam secutus videtur commentator in expositione huius capitis, quosdam fortassis stoicos secutus, quos pro ea retulit Ammonius, habet autem haec fundamenta. 67. Comment.

1. argum. Primum, obliquus casus vt Catonis, Catoni est vox significatiua ad placitum & sine tempore, cuius nulla pars est separata significatiua, eis igitur quadrat integra definitio nominis, cum per nullam ex his particulis excludi possint, quod enim, recta, à quibusdam additur vt casus isti excludantur, gratis profecto, & absque fundamento rationis fit, cum neque Arist. eam addiderit, neque vlla possit ratio afferri, per quam addendam esse conuincatur, ex praedictis si quidem particulis sufficienter constat, nominis explicatio:

2. argum. Secundo si, qua ratione excludendi essent, maxime quia verbo adiuncti non cõstituunt enunciationẽ verũ aut falsum significantem, vt Aristoteles affirmat, sed haec eius ratio in duo-

68. duobus deficit: in primo quidem falsum assumit, nam dum per obliquos casus sic loquimur, pœnitet me peccasse, mea interest legere, verũ absque dubio aut falsum significamus, deficit etiã in altero quia licet verũ esset, verbo adiunctos enunciationem non constituere, minime tamen necessarium videtur ad nominis rationem vt verbo adiunctum enunciationem constituat, quare non forẽt propter ea à nominis definitione excludendi, nam adiectiua vera sunt nomina, vt albus aut musicus, tamen non semper verbo adiũcta verum vel falsum significant, nihil enim tale significamus dicentes: albus est, nisi forte substantiue accipiatur, vt album est, aut album currit.

2. argum. Postremo, vt D. Thom. expressè docet, quodl. 4. ar. 17. diuersus modus significandi non separat diuersa nomina, nisi diuersa sit res significata: vnde infert idem esse nomen per omnes casus variatos, & rursus cum eadem sit res significata, per rectum, & per obliquos: idẽ cõceptus eis correspondebit in mente, ex hac autem, & illa vnitate plane sequitur: eandem rationem nominis indiuisibilem recto & obliquis inesse atque adeo non solum casum rectum, sed obliquos esse vera ac legitima nomina, licet imperfecta, quia perfectionem habet ille significandi modus.

Statuitur vera sententia Arist.

Sunt Arist. verba. ADeo expressa sunt verba Aristotelis, quibus obliquos casus definitione nominis excludit, vt nullam expositionem patiantur, à cuius sensu, nullum antiquorum aut modernorum interpretum recedit, & merito quidẽ, cum ex ipsamet origine, & impositione nominis manifestum sit, primi etenim impositores nomina ad significandum simpliciter destinauerunt. Deinde ad eandem rem diuersis nominibus significandam, per modum impositionis attributionis, ab aliis excogitata fuit variatio per casus, qua adhuc non inuenta cõseruaretur, absque dubio nominũ impositio & significatio, quod vsque adeo verũ est, vt nõ desint nationes, & prouinciæ nulla prorsus variatione vtẽtes hæc igitur non constituit vera nomina, sed quandam eorum participationem.

69.

Probat. 1.

Probat. 2. Quod secundo probatur, nã obliqui casus nihil significant, nisi per dependentiã, & attributionem ad rectum, à quo deriuantur, ergo si aliquam nominis rationem habẽt, purè absque dubio participatã ab eo, quod est per se tale, sed esse participatum, nõ vocatur tale simpliciter comparatũ ad esse per se à quo deriuatur, ergo ratio nominis per se inuenta in casu recto, per solam participationem ab eo in obliquis analoga est, analogia attributionis, & ideo non simpliciter in eis reperta, sed in solo recto.

Probatur. Postremo, quia ratio partis ex comparatione ad totum cõsiderãda est, sed nomẽ ex intrinseca conditione est pars enunciationis, quam simul cum verbo cõstituit, eius igitur ratio per comparationem ad enũciationem erit accipienda, sed obliqui casus non cõstituunt per se enunciationem cum verbo, vt 70.
si dicas Petri currit, Petro ambulat, ergo non sunt per se partes enunciationis, nec per se nomina, & hac potissimum ratione probauit Aristot. casus obliquos excludendos esse Aristotel.
à definitione. Dicimus per se non constituere enũciationem cum verbo, quia si aliquãdo eam constituunt, per accidens est, cum non ratione sui, sed recti, in quem resoluũtur, aut propter verbi imperfectionẽ talem modum significandi ex parte nominis postulantis id habeant, vt de impersonalibus notum est.

Rationes in contrarium adductæ diluuntur.

NEque argumenta pro altera sententia præiacta, quidquam probãt. Non primum, quia obliqui casus non sunt voces significatiuæ ad placitum ex se, sed in quantum quædam deriuationes sunt à recto descendentes, in quo facta est impositio independenter proculdubio ab eis, cum tamen ipsi intrinsecam dependentiam à recto habeant, propter quam præcisè vocãtur nomina, soli igitur recto conueniet definitio per se, & simpliciter, obliquis tamen per quandam attributionem, & ideo non simpliciter, sed secundum quid, quo solum modo nomina vocantur. Ad primum argum.

Ratio autem Aristotelis, quam secũdum argumentum eneruare intendit, efficax est, neque vllum directum patitur ex his qui obiiciuntur, quia casus rectus per se habet esse partem enunciationis, obliquus vero minime, quod ex eo probatur euidenter, quod rectus semper id habet, vt verbo adiũctus enũciationẽ constituat, obliquus vero raro, quod notanter voluit exprimere Arist. in calce capitis dicens, casus nominis cum est, vel fuit, 71
Ad secundum argumen.

vel

vel erit, neque verũ, neque falsum est, nomẽ vero semper: quæ autem non semper alicui cõueniunt, non per se, aut ex propria natura, sed per accidẽs conuenire censentur, cũ ergo nomen ex intrinseca conditione sit enunciatiõis pars (huius enim rei gratia ad significãdũ imponitur) sequitur obliquos casus, quibus non per se id conuenit, non esse verè ac simpliciter nomina, ex quibus patet, quod nec secundũ patiatur, negandũ est enim ad rationem nominis, non esse per se requisitum, vt possit verbo adiunctũ enunciationem cõficere, quod autem de adiectiuis nominibus obiicitur difficultate caret, nam id est discriminis inter substantiuũ, & adiectiuum, vt ex propria vtriusque etymologia planè colligitur, quod substantiuũ significat rem, vt per se subsistentem, vnde per se reddit suppositum verbo, per sequẽ constituit propositionẽ: adiectiuũ vero non significat rem, vt per se subsistentem, sed vt alteri adiacentẽ, vnde nõ est per se pars propositionis, sed substãtiuo præ-
72. suppoſito cum verbo, à quibus iã est propositio constituta, licet non ita perfecta, ac simul cum ipso, vnde sequitur adiectiuũ vt tale non esse nomẽ, nisi ratione alterius, atque adeo secundum quid, vt de obliquis casibus constitutum est.

Ad vltimũ argum. Nota.

Pro solutione vltimi argumenti notare oportet, idem esse nomen per omnes casus varia cũ ex parte rei significatæ, quam rem per se primo significat, obliqui vero non nisi in quantum ab eo deriuantur, vnde secundùm modum deriuationis est etiã modus significationis, videlicet possessionis, aut attributionis: modus autem iste diuersus sufficit, vt diuersus conceptus in mente eis correspõdeat: diuersus quidẽ non ex parte rei repræsentatæ, sed solũ ex parte modi, vnde nõ sunt nisi modaliter diuersi, & hæc est sententia D. Thomæ, & cõmunis omnium interpretum, vt Magister Sotus vbi supra refert, quam Doctor Tolet. & Masius, cum cæteris modernis sequũtur, quod enim ex D. Thom. obiecimus, nõ est ab eo assertũ, sed in argumẽto, sed contra oppositũ, cui respondet in solutione ad tertium, propriam sententiam ita profe-

D. Thom.

rens. *Ad tertiũ dicendũ, quod diuersitas cõsignificationis tollit nominis identitatẽ, in tantũ quod obliqui secundũ Philosophũ, non sunt nomina, sunt tamen vnum nomen, non simpliciter, sed in quantum conueniunt in vno ordine declinationis.* Ex
73. tali igitur nominis identitate, vel conceptu-

um diuersitate, non infertur casus obliquos esse vera nomina, cum vtrãque habeãt simul ac significationem per puram participationẽ recti, atq. adeo per attributionẽ ad illum, vel in quantum aliquid eius sunt.

80

CAPVT TERTIVM, de verbo.

VErbum autem est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsim, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur nota, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

PER omnia simile est caput hoc præcedẽti, in quo tria præstat Aristotel. definitionem verbi proponit vnam, vel alterã eius particulam explicatione indigentem exponẽs, infinita deinde verba, & casus verbi à definitione excludit, vt fecit de nominibus infinitis, obliquisq. casibus nominis, ac tandem in quibusdam nomen cum verbo conuenire ostendit. Diuisio textus.

Definitio verbi talis est, verbum autem est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorũ quæ de altero dicuntur nota. Subticuit autem Aristoteles præcedẽtes particulas in definitione nominis expressas; quæ absque dubio conueniunt verbo, sicut nomini, videlicet esse vocem significatiuam, secũdum placitum, imo eas non expreßit, quia verbo sunt cum nomine communes, vt bene D. Thom. quare facile à quocunque in præsenti intelligi possunt, & integra defintio verbi talis erit, vox significatiua, ad placitum consignificans tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum quæ de altero prædicantur nota. Definitio verbi.

Et quemadmodũ præcedẽtes particulas suppreßit: sic etiã earũ explicationẽ prætermisit, sufficientes in definitione nominis explicatas præsupponens, ac propterea à prima particula, per quam verbum à nomine separatur elucidare definitionẽ incipit: videlicet, quod cõsignificat tẽpus; cuius sensum hac distinctione virtualiter præmissa manifestum facit. Aliud est significare, aliud consignificare: significare enim aliquid, est illud repræsentare intellectui: consignificare vero est aliquid: Explicatur definitio verbi.

*aliquid principaliter significare, sed cum eo
denotare, aut connotare aliud: gratia ex-
empli: Hoc nomen albedo significat albedi-
nem, quia eam facit intellectui præsentem:
album vero eandem albedinem principali-
ter significat, sed vt in corpore existentem,
ideo consignificare, aut connotare dicitur
corpus: ita ergo aliud est significare tem-
pus, aliud consignificare illud: primum
non aliud importat, quam tempus ipsum fa-
cere intellectui præsens sicut quamlibet ali-
am rem significatam: postremum illud simul
cum altero significare: hoc est rem alteram
principaliter, denotando simul quod in tem-
pore fiat, & tempus quidem significare, no-
mini, absque dubio conuenit, vt anno men-
si, ac diei. Quemadmodum enim homo ho-
minem, leo leonem significat: pari ratione
hæc vox tempus, designat durationem illam
motus, quam vocamus tempus, & annus
certam illius partem, aut mensuram, consi-
gnificare vero tempus soli verbo, quia pro-
prium illius est actionem significare, deno-
tando simul, quod in tempore fiat, vt amat,
currit, iure igitur Aristot. de nomine protu-
lit, quod sit vox significatiua ad placitum si-
ne tempore, de verbo vero quod tempus cō-
significet, aut rem certe cum tempore, hoc est,
cōnotando quod tēpore fiat, aut exerceatur.*

Secunda particula est: cuius nulla pars
4. separata aliquid significat. *Separans ver-
bum ab oratione, & enunciatione, quarum
partes non minus separatæ, quam dum eas
componunt significationem retinent, vt de
partibus huius orationis, homo albus, certum
est, hanc autem particulam non exponit, eam
ex cap. præcedenti satis elucidatam præsup-
ponens, sed gradum ad tertiam facit.*

Est eorum quę de altero prædicātur no-
ta: *hoc est signum coniunctionis prædicati
cum subiecto, nominum officium est prædi-
cari, aut subiici: verbi autem vtrumque co-
pulare, & quia id habet in quantum est vox
significatiua, copulationem ipsam intellectui
repræsentat: manifestamq́; efficit, & hoc est
propriè esse notam eorum, quæ de altero præ-
dicantur, ea cum subiectis coniungens: si-
mulq́; coniuncta ostendens, quod in his pro-
positionibus constat homo est albus, equus*

*est hinnibilis, in quibus verbum, est, coniun-
git prædicatum cum subiectis, & coniun-
ctionē ipsam significat, hoc est intellectui præ-
sentem facit, extrema ei coniuncta simul o-
stendens, & hæc vltima pars definitionis ex-
cludit à ratione verbi quædam quibus præ-
cedentia competunt, vt participium, & ver-
ba aliorum modorum ab indicatiuo, quæ li-
cet consignificent tempus, non habent extre-
ma coniungere. nec cum eis compositionem
verum vel falsum significantem, nisi rati- 5.
one eiusdem indicatiui facere, ideoq; non
sunt notæ eorum, quæ de altero prædicantur,
nec proinde verba.*

*Excludit in secunda parte à definitione
verba infinita, & obliquo casu: illa quidem,
quia licet tempus cōsignificent, & prædicata
esse possint: quorum ratione viderentur a-
licui esse verba, siquidem munus vtrumq́;
verbo est proprium, nihilominus verba non
sunt, quia ad rationem verbi pertinet natu-
ram aliquam determinatam, vel determi-
natam certe actionem aut passionem signifi-
care: illud vero verbo substantiuo compe-
tit, hoc vero actiuis, aut passiuis, verbum
autem infinitum, vt non lego, aut non est.
Nihil horum determinate significat, sed tam
de re, aut actione existenti, quam de non ex-
istenti dicitur, tam de possibili, quam de
impossibili, ea solum excepta, cui negatio
adiungitur, vt non lego de cunctis præter a-
ctionem legendi, vt de actione loquendi, aut
currendi, atque etiam de chimera, aut hir-
coceruo, quibus non minus negatio legendi
conuenit, quam quibuslibet veris actioni-
bus: quapropter infinita merito appellanda
sunt, quasi nihil finitum, aut determinatum
designantia.*

*Casus autem verbi vt valuit, & vale-
bat, etiam excluduntur: quia verbum ex
propria conditione habet actionem, aut pas-
sionem significare, connotando quod in tem-
pore fiat: sola autem actio de præsenti talis
dicitur simpliciter, non præterita neque fu-
tura. Cum illa iam non sit, hæc vero non-
dum sit, nec tempus præteritum, aut futu-
rum appellantur, simpliciter tempora ea- 6.
dem ratione, sed cum illo addito diminuen-
te, futuri, aut præteriti: ergo solum ver-*

bum præsentis dicitur tale simpliciter: verba autem præteriti aut futuri, ab vtroque deficiunt, quia neque actionem, aut passionem significant, neque consignificant tempus, nisi secundum quid: ac propterea non verba simpliciter vocanda sunt, sed quasi verbi casus: quia quēadmodū casus obliqui deriuantur à recto per declinationem, pari ratione verba præteriti aut futuri temporis à præsenti per coniugationem.

Verbum tandē cum nomine conuenire ostendit, in duobus, quorum primum est, quod verbum per se sumptum, aut prolatum, hoc est, extra propositionem existens, rem aliquā significat sicut nomen, vt curro cursum, probat id, nam qui audit verbum prolatum, nō solum conceptum ipsius vocis, quem non vltimatum vocant, format, sed conceptū rei, qui vocatur vltimatus, sed qui conceptū vltimatum format quiescit, nec vlterius progreditur, sicut ille qui solum habet cōceptum vocis quærens naturaliter conceptum rei, ergo vere in eo conuenit verbum cum nomine, vt per se sumptum signū rei sit, cuius conceptum in animo audientis imprimit.

7. Conuenit secundo, in eo quod sicut nomen per se sumptum, nihil verum, aut falsum significat solum, pari ratione verbum seorsum acceptum. Probat, nam si aliquod verbum per se sumptum; id haberet maxime substantiuum, vtpote omnium absolutissimum, sed hoc non: quia veritas, aut falsitas solum reperitur in compositione, aut diuisione, per quam enunciatur aliquid esse, vel non esse, at verbum est, per se sumptum nihil est, id est, non importat talem compositionem, aut diuisionem, quam sine extremis, hoc est sine subiecto, & prædicato non est intelligere, ergo nec verum significabit, nec falsum.

CIRCA EXPOSITVM textum notabilia.

NOTABILE I.

CIRCA primam particulam definitionis, videlicet consignificare tempus, obseruandum est: nomen in eo conuenire cum verbo, quod actionem, vel passionē etiam significare potest, vt cursus actionem currendi, amatum passionem, qua aliquis amari ab altero dicitur, ac modo simili dilectio, atque dilectum, sed in modo eam significandi ab eo distinguitur, quia nomen non per modum actionis, vel non vt actionem, & passionem, sed vt rem: verbum vero, vt actionem, cuius ea est ratio, quia proprius modus actionis, & passionis est esse fluxum ab agente in passo receptum, temporeq́; mēsuratum: vnde tunc solum significatur per 8. modum actionis, aut passionis, quando sic significatur, & quia verbum, sic, vnam, aut alteram significat, ideo ab eo solum significatur, vt actio, & passio, & ex tali modo significandi, dicitur verbum significare cum tempore, aut consignificare tempus, nomen vero non hoc modo actionem significat, aut passionem connotando, quod tali tempore fiat, sed quasi nude nihil aliud denotando, at propterea, non per modum actionis, sed vt quamlibet aliam rem, vnde fit absolute pronunciandum esse: nomen non significare actionem formaliter, sed solum verbum. Fit etiam, quod dum verbum actionem, vt rem quandam significare cōtingit; vt dum dicimus currere est moueri: nō in vi verbi accipiatur, sed in vi nominis: quare non solum prædicatum, sed subiectum propositionis esse potest, quod à propria conditione verbi alienum est.

NOTABILE II.

CIRCA totam verbi definitionem adnotare secundo oportet; ei esse applicanda tria, vel quatuor, quæ circa definitionem nominis capite præcedenti adnotata sunt. Primum, bene definiri per vocem in definitione subintellectam: nam nomina, & verba, primo ac per se de voce dicuntur, per similitudinem vero conceptibus conueniunt: scriptura vero tan quam supple- 9. mento cuidam vocum ad agendum cum absentibus, verbum quidem secūdum vniuersaliorem significationem, quæ de verbo mentali, ac vocali dicitur, in quantum illud per internam mentis actionem expressum est, hoc vero per externam locutionem, primo ac per

se mentali conuenit: vocali vero minus principaliter, in quantum signum illius est, nunc autem specialius de verbis loquimur in quātum actionibus in tempore significandis adaptata sunt, quemadmodum nomina rebus imposita: ita vt singulas, per singulas voces designemus, atque intelligamus, & hoc modo dicimus proprie in solis reperiri vocibus, quod cap. praecedenti, efficaciter ostēdimus. Secundo intelligendum est verbum non definiri per subintellectam vocem, tanquam per veluti genus, vt de nomine adnotatum est, sed tanquam per materiam, & subiectum, vt reliqua arte facta, vel accidentalia concreta solent definiri. Tertio, illud etiam definitioni verbi applicandum est: quod circa definitionem nominis adnotauimus: non esse ei addendas duas alias particulas, finita, & recta, & multis interpretibus placuit cum eas non addiderit Aristot, sed per sola verba praecedentia completam esse voluerit: ita vt per vocem significatiuam, hoc est, rem aliquam significantem excludantur nomina infinita, nullam rem significantia, sed solam negationem, atque etiam obliquos casu nihil significantes, nisi ex sola participatione recti: his itaque particulis perfectam esse voluit definitionem verbi. Verbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars
10. *separata significat, & est eorum, quae de altero praedicantur nota, per quam sufficienter exclusa censentur verba infinita. atque etiam casus verbi, absque alterius particulae additione, prolixitas enim in definitionibus summopere cauenda est.*

MINORA DVBIA CIRca expositionem textus exorta.

DVBIVM I.

Quia nam ratione iterum posita sit illa particula, cuius nulla pars separata significat, in definitione verbi.

Respondet Ammonius 11.

RATIO dubitandi est, quia id circa particulas praecedentes nempe vox significatiua ad placitum, suppressit Aristot. quia cum communes sint verborum nomini noluit eas repetere, sed facile à quocunque supplēdas reliquit: sed praedicta particula etiā est communis verbo cum nomine, ergo non fuit in hac definitione repetenda.

Huic dubio respondet Ammonius quem retulit D. Thom. per hanc particulā separari nomen & verbum ab oratione sed oratio duplex est: vna ex nominibus composita, vt homo albus: altera ex verbis, vt currere, est moueri: in definitione igitur nominis posita est, vt nomen separetur ab oratione ex nominibus composita: repetenda igitur fuit in praesenti definitione, vt verbum etiam separet ab oratione, ex multis verbis composita.

Reijcitur haec respōsio.

Haec solutio non omnino placuit D. Thom. & merito: quia haec particula, quomodocunque accepta, nullam prorsus orationem admittit: siue ex nominibus, aut verbis compositā, cum partes cuiuslibet orationis separata sint significatiua, semel igitur posita in definitione nominis, à qualibet oratione nomen separabit, & verbum, cum commune vtrique sit non habere partes per significantes. Et rursus, vel nomen separauit à qualibet oratione, vel non, sed ab ea solum, quae ex nominibus componitur: si hoc secundum admiseris, euidenter sequitur non esse sufficienter nomen distinctum ab oratione, atque adeo, nec exacte definitum. Si primum, eo ipso, quod nomen ab vniuersis orationibus separauit, sequitur etiam fuisse separatum verbum superuacanea erit ergo omnino repetitio.

Melius respondet D. Thomas 12.

Quare aliter respondet D. Thomas specialem difficultatem esse in verbo circa significationem partium, nam cum ex propria conditione sit nota eorum, quae de altero praedicantur, & ideo compositionem significet extremorum, eamq; vtrunq; coniungēs faciat, maior dubitādi ratio circa illud, quam circa nomen suboriri poterat, an aliquo modo esset, complexum, cuius partes separatae aliquid significarent, quam tollere omnino oportuit expresse eam in definitione praesenti iterum collocando.

3. solutio

His solutionibus tertiam adiungit D. Toletus, inquiens, diuersam esse rationē, de his particulis, ac de praecedentibus, nā illae vnius generis locū obtinent, cōmunis quidē nomini,

& re-

& verbo, quæ ex æquo sunt enũciationis partes, ideo communi generi supresso, differẽtias addidit, quarũ altera est prædicta particula, cæterum cum hæc non minus sit utrique communis, quam præcedentes, specialem necessitatem, aut rationem designare oportet, iterũ eam repetendi. Placet igitur expositio D. Thomæ, particularem rationẽ in ipsamet natura verbi fundatam tradens, quæ cum non militet pro particulis præcedentibus non fuit necessarium illas repetere, & sic soluitur augmentum pro ratione dubitandi propositum.

DVBIVM II.

Quid sibi velit Aristot. in extrema definitionis parte, asserẽs verbum semper esse notam eorũ quæ de altero prædicantur

Ratio dubitandi. 1. DVPLEX est ratio dubitãdi, circa hãc extremam particulam, prior, quia sufficeret dicere verbum esse notam eorũ quæ de altero prædicantur, nec oportuisset addere, semper: nam si hoc est verbo intrinse-
13. cum necesse est ei semper conuenire. Posteri-
2. Ratio dubitandi. or, quia sufficeret etiam dixisse eorũ, quæ de altero prædicantur, nec oportuisse addere, ut eorũ quæ de subiecto dicuntur, vel in subiecto sunt, nam quodlibet prædicatũ propositionis, utrunque habet, videlicet ut de subiecto enũcietur, & in eo sit, imo hoc posterius est fundamentum prioris: ex eo enim, quod quidpiam est in altero, habet, ut de illo enunciari possit sufficienter ergo natura verbi explicata esset per solas particulas præcedentes eorum quæ de altero prædicantur.

1. Solutio. Duplicem refert solutionẽ Doctor Toletus priori parte huius dubitationis à diuersis designatam, & utranque reiicit: prior solutio est Boetii in commentariis huius capitis, dicentis, verba actionem semper, aut passionẽ significare, quæ accidentia sunt, & de substãtia enunciatur semper: nomina aũt non semper accidentia significant sed sæpe substãtiã, idcirco verbũ semper dicitur esse nota eorũ quæ de altero prædicantur.

2. Solutio. Secunda expositio, nõ omnino dissimilis est, quam Ammonius, & Psellus adhibet aiẽtes, verbum semper obtinere locum prædicati, & nunquã subiecti, & hoc sibi voluisse Aristot. dum semper esse notam, ait, eorum quæ de altero prædicantur: quod intelligendum est, si formaliter, ut verbum accipiatur: nam dum materialiter accipitur, ut si dicamus curro est verbũ, etiã est subiectum, & ideo non habet vim verbi, sed quasi nomẽ est, quod indifferenter potest esse subiectũ, & prædicatũ, utranque solutionẽ non sine causa reiicit Doctor Tolet. priorem quidem, quia non semper
verbum actionem, aut passionem significat, Reiicitur utraque solutio.
nec semper proinde accidens cum extẽt verba substantiua, ut sunt existo, & subsisto, substantiam, aut existentiã, seu subsistentiam significãtia: priorem autem, & posteriorem simul quia hæc particula nõ est posita ad distinguendũ verbũ à nomine, cum iã sit per primã
distinctum, videlicet per consignificare tem- 14.
pus. sed ut à participio & verbis aliorum modorum ab indicatiuo separetur, ut bene D. Thomas in eius explanatione, non est igitur sensus, quod verbum sit semper prædicatum, vel locum prædicati teneat.

Propterea Doctor ipse Toletus aliam ad- 3. Solutio.
hibet solutionem, verbum semper esse notam eorum, quæ de altero prædicãtur, id est semper significare aliquid, ut de altero dicitur, quod est semper aliquid prædicare de altero, quod duobus modis contingere ait, vno, ut id solum prædicet quod significat, ut in propositionibus quas vocant de secundo adiacente, non habetibus aliud prædicatum ab ipsomet verbo, quales sunt homo disputat homo loquitur, Alterũ dum solã propriã significationem, sed alteri adiunctã prædicat, ut in propositionibus de tertio adiacẽte homo est animal, vel homo est albus, aliquãdo enim prædicatũ quod significationi verbi adiungitur (Quænã sit propositio de secundo adiacente.)
substantiua est, aliquando accidens, & dum 15.
propriũ dũtaxat significatũ prædicat, vocatur à cõmentatore prædicatum, quod: dum simul cum eo rem alteram, prædicatũ quo.

Non omnino displicet, quod hæc expositio docet, ut suo loco ostendam, sed expositio ipsa non mihi videtur mẽtem Aristotelis attingere, quæ absque dubio ab eo abstrahit, quod est verbum aut significatũ eius esse prædicatum propositionis, & propriũ dumtaxat (Tertia solutio non omnino iuxta mentẽ Aristotelis.)

verbi officium indicat in eo consistens, quod est prædicatum cum subiecto coniungere seu nexum vtriusque esse, talemq; coniunctionem significare, & quia talis coniunctio extremorum, quædam compositio est, proprium munus verbi est, esse compositionis notam, in qua vnum de altero prædicatur, quod habere posse constat, etiam si hoc proprium significatum nudum, aut alteri admixtũ prædicet (quod modo, nec recipimus, nec reprobamus) abstrahit itaque esse notam eorum, quæ de altero prædicantur à significato proprio, vel ab alia re quacunque de altero enunciata, & solum in communi dicit verbum esse signum compositionis extremorum, in qua vnum (quod vis illud sit) de altero prædicatur, & quia id officii, non solum intrinsecum, sed propriißimum verbo est dum in vi verba accipitur, & quasi vltima eius differentia, propterea Aristoteles asseruit esse notam eorum, quæ de altero prædicantur:

Solutio ex D. Thom.

hanc solutionem,, vno verbo innuit D. Thomas, in expositione eiusdem particulæ inquiens. Dicitur ergo verbum semper nota eorum, quæ de altero prædicãtur, eo quod importat compositionem, qua prædicatum componitur subiecto, &c.

Ad ferendam rationem dubitandi

16. *Circa expositionem etiam sequentium verborum, quam posterior ratio dubitandi postulat, vt eorum quæ de subiecto vel in subiecto sunt, non consentiunt interpretes, nam Boetius cum Porphyrio, vtrumque ad accidentalia prædicata consequẽter refert, nam accidentia ait, & in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur, imo ideo dicũtur quia sunt:*

Solutio D. Thomæ

melius tamen D. Thomas diuersa prædicata vtroque illo verbo importari ait, primo quid in hoc est (eorum quæ de subiecto) prædicata substantialia, postremum, hoc est, (vel in subiecto sunt) accidentalia, quod his verbis docet. Est ergo intelligẽdum, quod verbum, semper est signum, quod aliqua prædicentur, quia omnis prædicatio fit per verbum ratione cõpositionis importatæ, siue prædicetur aliquid essentialiter, siue accidentaliter, &c. *Quibus etiam præteritam nostram solutionem priori parti dubij adhibitam magis confirmat.*

DVBIVM III.

Quem nam tenuerit sensum Arist. dum in calce cap. verba per se sumpta nominibus æquiparauit.

Ratio dubitãdi ex Aristotel.

OCCASIONEM *præbuit dubitandi Aristot. ipse dicens:* Ipsa igitur secũdum se dicta verba nomina sunt, *quibus verbis cum nomine videtur verbum confundere, quod non videtur vllo modo verum, cum partes propositionis specie diuersæ sint, quomodocunque accipiantur, & maius dubium offerunt verba subiuncta statim ad probandum verbi cum nomine identitatem, quia neutrum ait per se sumptum, verum, vel falsum significat. Si enim verbum, est, per se acceperis, nihil est, esse autem nihil in nullo sensu verum esse potest.*

Prima solutio.

17. *Diuersis modis respondetur huic dubio à diuersis interpretibus, omnes tamen in eo consentiunt, quod Aristotel. verba non vocauerit nomina per identitatem, sed per similitudinem, quam tamen in eodem non collocant, sed quidam vt Boetius, & Suesanus in eiusdem rei significatione: contingit enim sæpe numero eandem prorsus rem nomen & verbum significare, vt valeo, & valetudo, verbum tamẽ quasi per modum actionis, nomen per modum qualitatis.*

Solutio D. Thomæ

Aliter sentit D. Thom. cum Ammonio, inquiens nomen duobus modis vsurpari in communi & in particulari: in communi accipitur pro dictione aliquid significante, quæ vtrique absque dubio communis est, nam & verbum rem aliquam significat, non secus ac nomen, in particulari vero pro voce significatiua sine tempore: aßimilantur ergo verbum & nomen in hoc, quod vtrumq; est dictio quædam aliquid significans, quando ergo Aristot. ait verbum per se sumptum esse nomen, non accipit nomen specialiter, vt à verbo distinctũ, in qua acceptione illud cap. præcedenti descripsit, sed in communi pro dictione alicuius rei significatiua: non placuit hæc expositio Doctori Tolet. quia non est credendum ait, in eodem fere verborum contextu æquiuoce locutũ esse Aristot. de nomine

cap.

cap. videlicet præcedenti vno modo illud accipiens, & præsenti, altero: quapropter primam potius expositionem ipse approbat, quod similitudo teneat quantum ad rem significatam.

Ego vero vtranque expositionem approbans, tertiam adiicio, duo in verbo distinguentem, nam, & rem significat, sicut nomen, & prædicatum subiecto coniungit ex proprio munere, quod tamē non exercet nisi in propositione, vnde si extra propositionem munus non exercet, nihil fere habebit per quod à nomine distinguatur sed ei valde assimilabitur, non solum in significatione, sed etiam in modo essendi, in quo sensu vere vocatur nomen ab Aristot. & fauent huic expositioni verba illius, ait enim. Nam aliquid significat. quasi dicat, nā ab officio, absolutū nihil aliud habet, quam aliquid significare sicut nomen. Postrema etiam verba, de quibus secunda ratio dubitandi procedit, videlicet: Si ipsum est nudum dixeris, nihil est. Nō eodem modo exponuntur, nam Alexander in commentariis huius capitis, ideo dictum esse arbitratur, quia ens vel verbum substantiuum sum (eadem namque de vtroque ratio est, quantum ad rem significatam) æquiuocum est aut analogum, æquiuoca autem cum non significent aliquid vnum, sed multa atque diuersa, nihil esse dicuntur quantum ad significationem, ideo à ratione nominis, & verbi veniunt excludenda.

Hæc tamen expositio friuola est, & vt talis reiicitur à D. Thoma, quia nullus vnquam verbum est, à ratione verbi exclusit, nec nomen ens, à ratione nominis: cum non sint æquiuoca, sed ad summum analoga, hæc tamen vnum aliquid significant in cunctis analogatis, secundum attributionem, aut proportionalitatem repertum.

Eadem fere ratione excludenda est expositio Prophyrii, quam approbat Magister Masius quæst. 1. aientis, verbum est non significare, rem determinatam, sed solam cōiunctionem cum subiecto, quod visus est indicare Aristot. dicens quandam compositionem significare quam sine extremis non est intelligere, hoc tamē potiori ratione nihil appellari potest, quam verbum est, nam si nullam rem significaret, vt bene D. Thom. nec nomen esset, nec verbum, de quorum ratione intrinseca est alicuius rei significatiua esse.

Germanum igitur sensum verborum Aristot. tradit D. Thom ex Ammonio dicente verbum est, per se sumptum nihil esse quantum ad verum, vel falsum significandum, neque alium sensum potuit tenere Aristot. cum illis verbis nihil aliud cōtenderit, quam similitudinem verbi per se sumpti, cum nomine probare ex eo quod sicut nomen per se sumptum, nō dicit aliquid esse, vel non esse, & ideo non significat verum aut falsum: à pari ratione verbum, quod argumento à maiori conuincit à verbo est, omnium absolutissimo desumpto, dices per se sumptum nihil esse, id est, nihil de esse, vel non esse importare.

DVBIVM IIII.

An verum sit, quod audito verbo audientis animus quiescat.

AD probandum, quod verbum per se sumptum aliquid significet, sicut nomen, eam rationem attulit Aristotel. Constituit, inquit, intellectum in animo audientis, qui profert verbum, & qui audit quiescit. Ergo aliquid significat, qua tamen falsum supponere videtur, nam sola oratio perfecta modi indicatiui, integrum sensum efficiens quietum reddit animum audiētis, nihil vlterius de re inquirentis, quam quod per eam enunciatur, quo separatur ab oratione imperfecta aliorum modorum, per quam cum nihil de re prolata enuncietur, neque animus eam audientis quiescit, sed vlterius expectat, quid de ea enuncietur aut ab ea remoueatur, sed verbum per se sumptum nihil importat de esse, aut non esse, nec est oratio perfecta, aut imperfecta, ergo non est verum de eo quod animum audientis quietum, aut inquietum reddat, & quanquam verum esset, non est ad propositum, nam ad simplicem verbi significationem, non est necessarium, quod quietum reddat animum audientis, sed satis est si ei aliquid repræsentet.

Respondetur recte D. Thom.

Huic dubio bene respondet D. Thom in expositionius ne eius dicens, duplicem esse operationem intellectus. Primam quae est simplicium apprehensio, & secundam quae est compositio, aut diuisio: qui igitur verbum profert
22. *constituit animum audientis hoc est cōceptum simplicem vltimatum in eo efficit, quantum ad primam operationem, quod non efficeret vox non significatiua vt blitiri, qua audita solum conceptum nō vltimatum formamus, & cum in hoc separentur conceptus vltimatus & non vltimatus, quod iste solus vocis est, & non alicuius rei significatae, sicut vltimatus, efficax est argumentum Aristotelis ad probandum verbum aliquid significare, quia eo audito, quiescit animus audientis: hoc est conceptum rei format nihil vlterius inquirens, quantum ad primam operationem intellectus pertinet, quod non praestaret vox nullius rei significatiua sed ea audita adhuc expectaret animus quid per eam significetur aut intelligatur, quantum vero ad secundam operationem intellectus, sola oratio perfecta quietum potest animum reddere, de qua non loquitur Arist concedenda, ergo sunt quae obijciuntur, sed nihil aduersus rationem Aristotelis probare possunt.*

GRAVIORES CONTROuersiae, circa ea quae ab Arist. cap praesenti statuuntur agitandae.

TRIA super sunt alicuius momenti circa naturam verbi grauioribus expediendae controuersiis. An verbum consignificet tempus. An sit pars propositionis. An possit in propositione esse infinitum, vel necesse sit negatum esse quoties negatione afficitur. Et ideo triplex erit eodem ordine quaestio exagitanda.

QVAESTIO I.

An verum sit verbum consignificare tempus, vt prima particula definitionis asserit.

Pars negatiua suadetur.

CONSIGNIFICARE tempus idem est ac significare cum tempore, vt titulus quaestionis notior fiat: quod autē non semper verbo conueniat, nec proinde ei sit essentiale, his argumentis videtur conuinci.

Primo: propositiones per se, vt homo est animal rationale, homo est risibilis sunt perpetuae veritatis, in quibus propterea verbum non vnit extrema pro differentia temporis praesentis; imo nec pro vllo tempore determinato cum ante omne tempus fuerint verae, & futurae sint etiam cessante tem- 23.
pore cum motu coeli, idcirco cōmuni scholae voce dicitur in eis copulam absolui à tempore, quod profecto argumento est non significare tempus, nam si illud significat, à quo nam absolui dicetur?

Secundo, si verbum significat cum tempore maxime, quia significat actionem tempore mensuratam, sed multa sunt verba, quae actionem non significant, sed substantiam, vel actum essendi, vt substantiua omnia, & ex adiectiuis plura, vt quiesco, permaneo, non solum non significant actionem, sed priuationem eius ergo non conuenit omnibus verbis consignificare cum tempore.

Sed iam quod semper, & omnibus verbis conueniret, non solis, sed etiam nominibus, ergo non est verbo proprium, nec per hanc particulam separatur a nomine, vt voluit Aristot. probatur antecedens, nam participia, vt currens amans non sunt verba, sed nomina cum indifferenter possint esse subiecta, ac praedicata propositionis, quod verbo repugnat, & tamen significant cum tempore, nam currens, actionem currendi significat denotans, quod tempore praesenti 24.
fiat. Praeterea coena absque vlla controuersia est nomen, & tamen significat actū comedēdi, connotando, quod tali tempore, fiat & similiter ientaculum, illa quidem nocturno, hoc vero matutino, ergo consignificant tempus.

Probatur.

2. Argum.

3. Argum.

Opposita sententia Aristotelis explicatur.

HIS tamen non obstantibus expressam Aristotelis sententiam, pro essentiali differentia verbi respectu nominis in definitione ponentis, *Quod cum tempore significet*, recipiunt omnes eius interpretes, tam antiqui, quam moderni, quos propterea superuacaneum est recensere: verumtamen quia non ab omnibus eodem modo explicatur quidnam sit consignificare tempus, aut significare cum tempore, operae pretium erit, quid nam

Quid sit consignificare tempus.

nam sit in hac re iuxta mentem Aristotelis, & rei proprietatem tenendum afferre, vt melius intelligatur quonam modo ad essentiam verbi spectet.

Et prius id quod apud omnes, absque cõtrouersia recipitur statuendum est, nempe consignificare tempus, vt ipsamet nominis etymologia aperte indicat, non esse aliud, quam aliquid de principali significare, & ex consequenti tempus in quo est, vel fit vt intelligatur, quam diuersa sint, significare, & consignificare tempus, vel significare cum tempore, nam quod solum tēpus significat apertum est non consignificare tempus, aut significare cum tempore, vt de nocte, die, & anno constat, sed significare de principali aliquid, & ex consequenti tempus simul in quo sit, duobus contingit modis ab intrinseco, & ab extrinseco. Ab intrinseco quidem quando res ipsa principaliter significata, aut ex se, aut ex modo certe quo significatur, habet quod tali tempore fiat, aut mensuretur, & huius conditionis est actio per

24. modum actionis significata, aut aliquis alius actus, si per modum actionis significetur, nam actio, vel re ipsa motus est, aut mutatio, vel certe cum motu, vel mutatione exercetur: conuenit autem mutationi, & motui ab intrinseco, tempore mēsurari, cum tempus nihil aliud sit, quam numerus, seu mensura motus secundum prius & posterius, vt Aristot. 4 lib. Phys. testis est. Ab extrinseco autem tempus simul cum re altera significatur, quando non ex natura eius, aut modus quo significatur, certum tempus adiunctum habet, sed quia ex communi hominum consuetudine tali tempore fieri solet, cum ex modo quo significatur nullum designet tēpus, & ex hoc modo simul cum re altera, certum designat tempus, cœna, & prandium: nam de principali significant actionem comedendi, non quidem per modum actionis in tempore factæ, sed per modum rei, quo pacto significatur per cursum, vel deambulationem, vnde nec vt tali modo significata

26. tempus vllum postulat, in quo fiat, aut quo mēsuretur, sed quia ex communi hominum consuetudine nocturno tempore, aut meridiano fieri solent.

Aristotel.

Consignificare igitur tempus, vel significare cum tempore primum modum consignificationis importat verbo intrinsecum, quia actionem significat per modum actionis, cui intrinsecum est tempore mensurari, vel certe aliquem actum per modum actionis, quo pacto verba substantiua significant actum essendi. Ab extrinseco autem tempus quodam modo connotare, non est consignificare tempus simpliciter, aut cum tempore, ac propterea potest etiam nominibus conuenire.

Examinatur quomodo verbum tempus consignificet.

SED adhuc significare cum tempore duobus modis exprimitur à diuersis interpretibus, nam quidam dicunt significare cum tempore, non esse aliud quam rem de principali significare, prout ex se petit fieri in tempore: vnde curro significat cum tempore, quia significat actionem prout tempore præsenti fit: cursus vero minime, nam actionem currendi, non per modum actionis in tempore factæ, sed per modum rei significat, vt albedo albedinem: vnde aiūt participium non significare cum tempore, quia non significat actionem verbi per modum actionis, sed per modum formæ cōnotando subiectum, in quo est, vt currens, loquens, vel docens, hunc modum interpretādi attulerunt Porphyrius, & Niphus, in expositionibus huius capitis, quibus subscripsit P. Franciscus Suarez in scriptis eandem sententiam authoritate, & ratione confirmans. 25.

Nam Aristoteles explicans, quid sit consignificare tempus, sic loquitur. *Dico autem, quod consignificat tempus, vt valetudo quidem nomen est, valet vero verbum, significat enim nunc esse*, quasi dicat significat vnum simul consignificando quod hoc tempore fit. Aristotel.

Duplici autem ratione probat, quod participium non significet cum tempore, iuxta eandem interpretationem. Prima: nam currens actum currendi significat cōnotando subiectum, in quo est, non tempus in quo fit, magis quam album, & coloratum, ergo sicut hæc non dicuntur significare cum tempore, neque illud: vnde sicut album potest coniungi copulæ cuiuscunque differentiæ temporis, cum dicamus est album, fuit album, erit album, & id circo nullam determinat: pari ratione participium, vt si dicamus est currens, fuit currens erit currens. Participium non significare cum tempore. Probatur.

Secunda, istæ voces, videns, intelligens, absolute significant actus animæ in concreto absque ulla temporis consignificatione, ergo eadem est ratio de cæteris participiis, & si forte ei obieceris per hāc particulam definitionis separatum fuisse verbum à participio, quod iuxta eorum sensum non significat cum tempore, atque adeo per vltimam particulam, & semper est eorum, quæ de altero prædicantur, nota à nullo separari, atque adeo redundare omnino in definitione, admittit libenter pro se afferens commentatorem asserentem, non esse de substantia definitionis, & Petrum Hispanum, qui eam plane à definitione substraxit, lib. 2. summularum cap. etiam. 2 hisce dumtaxat verbis verbum definiens. Verbum est vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars per se est significatiua, separata, finita, & recta, & hinc est, ait, quod participium apud Dialecticos sub nomine includitur sicut pronomen.

Repositio Mag Soto. Magister Sotus lib. 2. summularum, cap. etiam 2. sic explicat significare cum tempore, vt in primis non sit vniri extrema in ordine ad aliquam temporis differentiam, vt quidam moderni Dialectici voluerunt, quia vnire officium verbi est, significationem cum tempore præsupponens, & ideo per diuersam particulam ab Aristot. explicatum.

89. At significare cum tempore proprius modus significationis eius, sicut proprius modus significandi nominis, est sine tempore, vnde sicut nomen etiam extra propositionem dicitur sine tempore significare, pari ratione verbum etiam si extrema non copulet: est igitur, inquit, significare cum tempore, actionem significare, aut aliquid per modum actionis, aut pasʃionis, in ordine ad aliquam differentiam temporis, hoc est, vt sunt in fieri, & motu; nam motus mensuratur, & cognoscitur per tempus, vt curro significat cursum, vt est in fieri, & de præsenti, & cucurrit, vt fuit in fieri, & curret, vt erit in fieri, sed cursus significat cursum, vt rem quandam, non vt in fieri. Vnde infert primo participium significare cum tempore, neque in hoc differre à verbo, vt amās, amaturus, nam significat actionem vt in fieri: quod probat, quia modificatur eisdem aduerbiis, quibus modificatur verbum, nam dicimus velociter currens, aut tarde currēs, sicut velociter, aut tarde currit, quam tamen modificationem, non recipit cursus, vel aliud nomen: signum igitur euidēs est, quod participium significat actionem vt in fieri, non secus ac verbum, & ex consequenti cum tempore sicut illud. Infert secundo, quod verbum non significat tempus, nec connotat illud, sed solum significat actionem, vel motum, vt est in duratione, quæ mensuratur per tempus, vel instans, in quo sensu ait accipiendum esse illud, quod dici solet verbum includere tempus, vel instans. 30.

In quo cōueniat vtraque sententia. Has duas sententias quantum ad modum explicandi, quid sit significare cum tempore, solis verbis differre inuento: nam prima non esse aliud affirmat, quam rem significare prout de se petit esse, aut fieri in tempore, aut est motus, seu mutatio, vel certe actio, aut pasʃio, quæ motui, aut mutationi coniunguntur, vel quidpiam aliud, quod per modum actionis cōcipitur, aut significatur, licet vere sit actus substantialis, vnde idem erit significare cum tempore, iuxta hanc sententiam, quod actionem, aut pasʃionem formaliter significare, & consequenter tempus, quo ex propria conditione mensurantur.

Et hoc idem est, quod asseruit secunda, videlicet significare actionem prout in fieri, quo pacto tempore mensuram postulat. Hoc igitur ex vtraque sententia accipere posʃumus ad explicandam nostram: videlicet significare cum tempore non esse aliud, quam significare actionē per modum actionis, vel aliquid modum eius habens, & consequenter per locum ab intrinseco tempus, quo mensuratur: nam cum actio sit principale significatum, & tempus quasi secundarium, sed intrinsecum, in quantum in primario ex necesʃitate admiscetur, non dicitur significari, sed consignificari, hoc est quasi cum altero principali simul designari, vt à nomine separetur, quod de principali potest significare tempus, atque etiam de principali actionem, sed hanc, vt illo mensurari petit, vel illud, vt hanc mensurat, minime nisi vnum eorum duntaxat, sine correspondentia ad alterum, videlicet aut actionem, aut tempus, vt res quædam sunt, in hoc ergo absque dubio conueniunt duæ istæ sententiæ. 31.

Differunt autem omnino in quantum ad participium, nam prior profitetur, nō significare cum tempore, sed esse purum nomen

per hanc particulam a verbo separatum sicut cætera: posterior vero significare cum tempore admittit, & ideo non per hanc particulam, sed per extremam separari: ratio autem huius differentiæ est, quia prior arbitratur nō significare actionem per modum actionis, sed per modum cuiusdam formæ, sicut cætera concreta, & subiectum sicut illa connotare, vt legens, aut loquens: at posterior, actionem formaliter velut est in fieri significare docens, consequenter affirmat consignificare tempus, quo mensurari postulat.

Vera sententia de consignificatione verbi.

Vera sententia. 32. NOS vero quasi medium tenere participium inter nomen, & verbum censemus, vtroque participans, vt vel ipsum nomen participii indicare videtur, significat quidem eãdem actionem cum verbo, sed non omnino sicut verbum: nam verbum puram, seu nudam actionem, participium vero, vt in subiecto existentem, ab eoque exercitam, amans enim actionem amandi, vt talem absque dubio importat, sed vt in amante inhærens, ab eoque exercetur, in quo nomini quoque assimilatur concreto designanti formam, & connotanti subiectum in quo est, & ex hac parte à verbo degenerat, quod puram actionem significare diximus, hoc est solum vt ab agente egressam, non connotando subiectum, quod denominat, vnde fit participium suo modo esse connotatiuum, & indifferenter posse esse subiectum, & prædicatum propositionis; indifferenter etiam coniungi posse, verbo præsentis præteriti, & futuri, sed semper significare actionem, vt fit, vt exercetur à subiecto indeterminata temporis differentia, semper enim amans actionem amandi importat, vt exercitam à subiecto tempore præsenti, siue dicas Petrus fuit amans, siue est amans, aut erit amans, in hoc enim deceptio prioris sententiæ consistit (nisi ego fallor) quod putat ex eo participium non significare actionem, vt actio est, quia subiectum connotat, cum tamen hoc non tollat
33. modum, aut formam actionis subiectum respicientis ex ea parte qua accidens est; licet in vltima ratione talem respectum non exprimat, vt de relatione diximus in prædicamento ad aliquid: actionem itaque, vt actio est, importat, quanquam non ita puram, ac verbum, sed simul connotando subiectum, in quo ad nominis naturam declinans à ratione verbi degenerat, sed vtriusq; similitudinem tenens, quasi medium ex extremis participans.

Nostram igitur sententiam tribus assertionibus explicamus: prima, significare cum tempore non est aliud, quam actionem, vt actio est, significare, significãdo simul tempus, quo ex propria conditione mensuratur, in hac re vera conueniunt omnes licet duæ illæ sententiæ verbis videantur differre. 1. Assertio.

Secunda participium vere significat cum tempore, cum significet actionem sub forma, & modo actionis, atque adeo determinatam differentiam temporis in qua fit, vel qua mensuratur. Hæc est contra primam sententiam, eam tamen simul cum præcedenti profitetur D. Thomas expresse in cõmentariis huius loci, priorem quidem hisce verbis. *Curro, cum sit verbum significans actionem, consignificat tempus, quia proprium est motum tempore mensurari, actiones autem nobis notæ sunt in tempore &c.* 2. Assertio. 34. D. Thom.

Posteriorem vero inter explicandam vltimam particulam definitionis, quod verbum sit nota eorum, quæ de altero prædicantur, per quam separari, ait, a participio, cum quo in cunctis præcedentibus particulis communicat: & hæc est communis fere omnium sentẽtia, quam, secuti D. Thomam, tenuerunt. (Præter Magistrum Sotum, & Mercatum. 2. lib. summularum, cap. 2.) Paulus Venetus tractatu 2. de partibus propositionis cap. 2. D. Toletus, Masius. Omnia, cum cæteris modernis. in expositione huius capitis, & ex ipsomet Aristot. probatur, qui vltimam particulam definitionis, tanquam necessariam, & propriissimũ verbi officium explicantem posuit ad separandum participium. Singularis est igitur, Petrus Hispanus eam à definitione auferens, sine qua diminutam plane verbi definitionem constituit, & ex adiunctis etiam aduerbiis tarde, velociter bene probatur à Magistro Soto, participium significare cum tempore: nec enim hæc adiunguntur, nisi his, quæ motum vel actionẽ, vt actio est, significant, cuius proprium modum denotant. Probatur ex Aristot. 35.

Tertia assertio: licet verbum non significet tempus principaliter, illud tamen simul cum Tertia Assertio.

cum actione principaliter denotata significat: quod potius est consignificare, vel cum eo actionem significare. Hæc est contra Sotum, qui videtur negare, quod verbum vllo modo significet tempus, & probatur euidenter ex verbis Aristotelis, dicentis verbum est, quod consignificat tempus, consignificare enim idem est, quod simul cum altero significare, & cum Sotus ipse concedat verbum significare cum tempore, non potest negare, quin aliquo modo tempus significet, cum idem sit significare actionem cum tempore, ac tempus vt est mẽsura eiusdem, nec oportet, tot argumenta aduersus Magistrum Sotum congerere, quot congessit Magister Masius, quæst. 2. huius capitis: cum verbis potius, quam sensu id videatur negasse, sed ad soluenda argumenta properandum est.

36.

Quomodo propositiones æternæ veritatis absoluantur à tempore.

Prima solutio. ET circa solutionem primi, de propositionibus per se (quas perpetuæ veritatis vocant, & in quibus verbum à tempore absolui aiunt) variæ sunt interpretum sententiæ: quidam enim ex antiquioribus, quinque differentias temporis posuerunt: videlicet possibile, & imaginarium, præter tres communes præteriti, præsentis, & futuri, & in his propositionibus copulam, tempus significare, aiunt, possibilem saltem, aut imaginarium, quod in infinitum se extendit, cum æternum esse potuisse valde probabile sit, à quo non absoluitur copula in prædictis propositionibus, licet absoluatur à reliquis tribus differentiis determinatis temporis.

Refutatio. Sed hæc ampliatio temporis friuola est, quam, nec verbum significare potest; nam omne verbum ex proprio suæ significationis modo habet determinatas, ac distinctas differentias temporis, præsentis, præteriti, atque futuri, vltra quas significatio eius non se extendit, nisi aliam velis verborum variationem instituere ad plures differentias temporis, neque vllus vnquam Philosophorum alias partes temporis inuenit, cum neque motus (cuius numerus est) alias habeat, si ergo ab his absoluitur verbum, absolutè dicendum erit à tempore absolui.

Prima ratio.

Secundo: quia veritas harum propositionum, neque ex vero, aut existenti tempore dependet, neque ex possibili, aut imaginario: nam quamuis nullum esset tempus possibile, nec motus, nec sub imaginatione cadere posset: & priusquam nobilia corpora fierent, aut etiam si nunquam fierent, eandem prorsus veritatem inuariabilem haberent; non ergo alligantur tempori, etiam possibili, aut imaginario. Secunda ratio. 37.

Secunda solutio. Propterea alii: copulã in his propositionibus, quantum est ex se tempus significare aiunt: necessariam nihilominus connexionem extremorum, significationem eius impedire: vnde fit ex duplici munere, quod in cæteris propositionibus verbum exercet, nempe consignificare aliquam differentiam temporis, & extremo pro ea vniri, à priori quidem omnino absolui, nullum significans tempus, & posterius solum exsequi extrema, absque vlla temporis significatione connectens.

Refutatur. Sed nec solutio hæc veritatem attingit, nam vel consignificatio temporis accidentalis est verbo, aut essentialis, accidentalem esse non concedes, cum ex propria definitione id habeat, imo ex propria impositione ad significandum: quemadmodum enim essentiale est nomini significare, & significare sine tempore: quo à verbo essentialiter separatur, pari ratione essentiale est verbo significare: & significare cum tempore, quo ab eodem nomine essentialiter separatur, quod si essentiale est ei consignificare tempus, sequitur plane, à tali consignificatione nullo modo absolui posse, nisi velis eo ipso absolui ab essentia.

Tertia solutio refutatur. Non est multum ab hoc dissimilis alius modus dicendi, quem Mag. Sot. retulit, 2. lib. summularum, capit. de verbo, verbum videlicet nõ coarctari ad vnam aliquam differentiam temporis, sed significare omnes, vel certe omne tempus: absolui igitur à tempore, non erit aliud quam non coarctari ad aliquod determinatum, quem modum dicendi merito excludit, quia ex propria impositione, aut variatione habet verbum præsentis, hoc solum tempus significare, non præteritum, aut futurum, & verbum præteriti hanc solam differentiam temporis, ecquis enim vnquam somniauit verbum, *sum*, aut *est*, significare tempus præteritum, aut futurum. Nullus certe, vnde nisi noua fiat impositio, noua ve variatio (vt bene Magister 38.

gister Sotus) non erit possibile verbum præsentis alias differentias temporis significare, vel omne tempus: vnde qui hoc dicunt, cōfundunt sane omnes differentias tēporis.

Alia solut. Magister Masius, primis duobus modis dicendi acquiescēs, tertium adicit ex propria sententia dicens, Aristotelem nomine temporis, quod consignificare verbum docet,
39. omnem durationem intellexisse temporis, æui, aut æternitatis: vnde licet verbum in his propositionibus nullum tempus significet, sed ab eo omnino absoluatur, significat tamen durationem æternitatis à qua repugnat absolui, ac propterea similes propositiones æternæ veritatis iure dicuntur, quia copula extrema coniungit pro mensura, vel duratione æternitatis easdem mensurantis, nouum proculdubio, & à mente Aristot. atque à verbi natura alienum

Refutat. 1. Ostendo primum, nam ideo Aristoteles, verbum consignificare tempus docuit, quia actionem de principali significat tempore mensuratam, sed actio mensuratur tempore, & non æternitate, quia fit cum mutatione, vel motu, cum ergo motus quisque tempore finito mensuretur: tantundem de actione necessario sentiendum erit, atq. adeo de verbo iuxta mentem Aristotelis, non durationem in communi; non æuum, aut æternitatem, sed finitū tempus cōsignificare.

Refutat. 2. Natura etiam verbi id postulat, quod ab intrinseco habet variationem temporum, & pro qualibet parte temporis, præsentis videlicet, præteriti ac futuri designatur casus verbi distinctus, rectus quidem, quo nomine intelligimus verbum præsentis, & obliquus: nam hoc nomine significamus verba præteriti, ac futuri; pugnat igitur cum propria verbi impositione, ac variatione aliam durationem a tempore consignificare.

Diluitur argumentum ex propria sententia.

Verbū duo habet. EXPLICARE igitur oportebit quonam modo ab eo absolui in prædictis propositionibus possit. Pro cuius explicatione obseruandum est, verbum duo
40. habere, & rem aliquam cum tempore significare, & extrema vnire, quæ vt distincta esse in eo significaret Aristot. per distinctas particulas definitionis vtrumque explicuit: per primam quidem consignificationem temporis, per postremam vero officium copulandi extrema, dicens semper esse notam eorum, quæ de altero prædicantur: extrema autem vnit iuxta propriam eorum conditionem: ita vt si actualem inhærentiam, aut existentiam in subiecto importet prædicatum, secundum actualem existentiam illud cum subiecto copulet, & in hoc sensu vera, vel falsa iudicanda sit propositio; si vero intrinsecam solum connexionem cum eo, secundum eam illud subiecto vniat, & non secundum existētiam: exemplum habemus in his duabus propositionibus, homo est albus, homo est rationalis, nam prædicatum prioris non potest subiecto conuenire, nisi ratione actualis inhærentiæ in eo, cum essentia vtriusque valde diuersa sit, iuxta eam igitur subiecto coniungitur officio verbi: prædicatum vero posterioris essentialem gradum importat intrinsecam connexionem habentem, cum subiecto: vnde secundum hanc intrinsecam connexionem, aptum natum est ei conuenire, potius, quam secundum actualem existentiam, quam absque dubio non importat: nam rationale essentialis est differentia hominis: actualis vero existentia extra essentiam illius est, vnde fit, secundum essentialem connexionem subiecto coniungi debere.

Quantum etiam ad consignificationem temporis, duo in verbo consideramus, actionem significare, cum tempore, & extrema vnire pro illa temporis differentia quam cōsignificat, & illud est verbo essentiale, & quasi actus primus: hoc vero non nisi accidentale, & quasi actus secundus: itaque vnire extrema essentiale est verbo, sed vnire pro tēpore significato, accidentalis actus consignificationis, qui circa extrema exercetur, quēadmodum essentiale est homini esse ratiocinatiuum, sed actu ratiocinari accidentale: vnde eorundem extremorum conditio expectanda est, vt iuxta illam exerceatur, si apta sint pro ea coniungi, vel suspendatur, si non sint apta: & quidem extrema propositionum accidentalium nō necessario vniuntur, cum prædicatum adesse, & abesse possit subiecto, vel re ipsa, aut saltem ex modo se habendi ad illud: vnde nec apta sunt semper coniungi, sed pro determinato tempore, ac propterea circa illa semper verbum, actum vniendi pro determinata differentia temporis, quam consignificat, exercet: cæterum

extrema propositionum, per se, necessariam habent connexionem, & semper eodem modo se habent, quare non petunt, pro determinato tempore vniri: ideo circa illa non exercet actum vniendi pro differentia temporis, quam significat, sed ea coniungit, secundum necessariam connexionem, a tempore abstrahens in ipsomet vniendi actu: vnit itaque extrema simpliciter, sed non coarctat vnionem ad determinatam differentiam temporis, extrema potius vnita in propria relinquens natura, & condi-
42. tione, & hoc est absolui à tempore: hoc item similes propositiones esse perpetuæ veritatis, quemadmodum eorum connexio necessaria est, atque perpetua, & semper eodem modo se habens, à tempore proinde nulla modo dependens.

Soluuntur rationes oppositæ initio quæstionis.

Ad formam argument. AD formam igitur argumenti, dum obiicitur verbum in his propositionibus absolui à tempore, admittendum est, negandum tamen quod infertur, ergo non significat tempus, non enim absoluitur à tempore, hoc est à significatione cum tempore, sed ab actu vniendi extrema pro determinato tempore, cuius exercitium natura ipsa extremorum impedit, & vt hoc verbo rem absoluamus, ex tribus quæ habet verbum, nempe significare cum tempore, extrema vnire, & vnire eadem pro differentia temporis consignificata, à duobus absolui repugnat, cum sint essentialia, sed à tertio, quod est actus accidentalis consignificationis circa extrema prout eorum natura postulat exercendus, absolui potest, & vere absoluitur in propositionibus per se, earum extremis petentibus, vt non pro tempore significato per copulam vniantur, sed secundum connexionem intrinsecam importatam.

Ad secundũ argument. Solutio secundi argumenti facile colligitur ex adnotata doctrina: dum enim dicimus verbum consignificare tempus, quia significat actionem tempore mensuratam:
43. non solum de vera actione, sed de quocunque actu essendi, vel existendi, per modum actionis significato intelligitur, necnon de priuatione eiusdem actionis, quæ tempore mensuratur, nõ secus ac ipsa actio. vt enim verba motus aut mutationis tempus, consignificant, quo mensurantur, pariter verba quietis, nam priuatio, & habitus eidem mensuræ subiacent.

Ad vltimũ. Vltimum etiam argumentum eadem doctrina soluit: nam de participio diximus, medium quoddam inter nomen, & verbum tenere, & vtroque extremo participare: nomine quidem, in quantum vnam rem significat, & eius subiectum connotat (quod concretorum nominum proprium est) verbo autem nam res significata, est actio per modum actionis, atque adeo vt certo tempore mensurata, quod est ab intrinseco consignificare tempus, vel aliquid cum tempore.

Quod vero de aliis nominibus actionem significantibus, connotando simul determinatum tempus, in quo fiunt, vt de cœna, & prandio obiicitur, hac distinctione soluẽdum est: connotare tempus duobus modis contingit, vno ab intrinseco, hoc est, ex natura rei significatæ, quæ non solum est actio, sed habens modum actionis tempore ab intrinseco mensuratæ, alio ab extrinseco, idest, non ex natura rei significatæ, quæ licet sit actio non significatur per modum actionis, nisi per modum rei, aut formæ, sed ex hominum extrinseco beneplacito, qui tali tempore eam ex cõsuetudine perficere consueuerunt: connotare igitur tempus primo modo, idem est ac significare cum tempore, vel consignificare tempus, vt verbo attri- 44.
buitur, vnde per talem particulam etiam ab his nominibus separatur, quæ cum solum ab extrinseco tempus connotent, non proprie dicuntur consignificare tempus, nec proinde significare cum tempore. Et hinc habes quo pacto intelligendum sit, quod à Magistro Soto vbi supra, nonnullisque aliis Dialecticis dicitur, non esse, idem connotare tempus, & significare cum tempore, vel consignificare tempus: nam connotare tempus ab intrinseco, idem prorsus est: ab extrinseco vero, diuersum valde, vnde si iuxta posteriorem sensum accipiatur (vt accipi ab eis credendum est) verum erit, si vero iuxta priorem, plane falsum.

QVAE-

QVAESTIO II.

Sit ne verbum vera pars propositionis.

Negatiua sententia suadetur.

Primum Argument. SI officium verbi attendamus, videbimus non esse partem propositionis, etenim cum propositio sit quoddam artificiatum vti domus: sic erit de partibus eius iudicandum, ac de partibus domus, quæ sunt
45. ligna, & lapides: illud autem quo mediante coniunguntur, non partis rationem, sed nexus partium habet, ac verbi officium est partis propositionis vnire, & quasi ligare, nempe subiectum, & prædicatum, ergo non erit pars, sed partium nexus.

Et si dixeris, verbum etiam significare actionem, quam prædicat de subiecto, vt cōstat in propositionibus, quas vocant de secundo adiacente, vt homo disputat homo loquitur, ratione cuius prædicatum propositionis erit, atque adeo eius pars: verum dicis, sed consideratio hæc verbi quasi materialis est: & in qua conuenit prorsus cum nomine: vnde eam attendens Aristot. in calce capitis protulit, verba per se sumpta esse quædam nomina, ex ea igitur solum habetur verbum materialiter acceptum, tāquam nomen, partem propositionis esse, sed adhuc nodus argumenti, non est solutus, cum ex formali eius officio, non nisi partium nexus quidam sit, in his adhuc propositionibus, in quibus res ab eo significata est prædicatum.

2. Argum. Sed adhuc sub materiali consideratione, probatur secundo, verbum non esse partem propositionis, de verbo præsertim substantiuo, nullam actionem significante, atque adeo nullam rem prædicante de subiecto Et si dicatur actum essendi, seu existentiam significare, verum dicitur, sed hanc non semper de subiecto prædicari probatur: nam in propositionibus de tertio adiacente sæpe contingit, non prædicari vnum de altero, secundum existentiam, sed secundum essentialem connexionem, vt in his: homo est animal, homo est rationalis: tunc ergo nullum verbi significatum prædicabitur; nec
46. proinde verbum ex parte rei significatæ prædicatum erit: Aliquādo etiam additur eade existentia, tāquam expressum prædicatū, vt si

dicamus, homo est existens: tunc ergo nihil ex parte verbi prædicabitur, nisi bis velis idē prædicatum nugatorie repetere.

Tertio, in easdem resoluitur partes, quodcunque compositum ex quibus cōsistit, sed propositio nō resoluitur, nisi in subiectum & prædicatū, vt Arist. testis est 1. lib. de priori resolutione, cap. etiam 1. vbi terminum describens ait, est in quem propositio resoluitur, tāquam in subiectum, & prædicatum; ergo solum hæc duo partes propositionis erūt. Et confirmari potest, ex cap. statim sequēti, vbi de conuersione propositionum agēs, solum secundum trāsmutationē prædicati, ac subiecti fieri docet, verbo semper manēte, non solum in eodē situ, scilicet in medio propositionis, sed idem prorsus officium exercēte, vniēdo extrema. Si ergo circa illud nulla fit trāsmutatio, nō erit pars propositionis, quæ per transmutationem partium conuertitur. 3. Argum. Aristotel. 87

Argumenta hæc, illi sententiæ robur adijciunt, quam quidam professi sunt aientes, nullum verbum esse partem propositionis, sed partium nexū, atque etiam alteri, eorum qui temperatius locuti, id de verbo saltem substātiuo tenuerunt: priorem retulit, ac secutus est Magister Sotus, in prima editione simularum, posteriorem vero, nostra adhuc tempestate, sustinet Villalpandus, & Sucsanus, verbi rationem, circa materiam terminorum elucidantes.

Proponitur secunda sententia, & quæstioni satis fit.

NIhilominus apud præcipuos Aristot. interpretes, pro constanti semper habitum est, nomen, & verbū esse partes enunciationis, & verbum quidem præcipuam, & quasi formalem: materialem autem nomē, ita tenuere Porphyrius, Ammonius, Boetius, & D. Thomas in elucidationibus huius capitis, Albert. Magn. 1. lib. de interpretatione. tractat de verbo. cap. 1. vbi dignitatem verbi quinque prædicabilibus ex eo præfert, quod ipsum solum sit formale prædicatum propositionis: illa vero non nisi materialia, hos sequūtur posteriores, vt Magister Sotus. 2. lib. summularum, in secunda editione Lobanienses, in scholiis huius cap. Card. Tolet. Mercatus, & quotquot. Arist. viua voce interpretantur, quod nō solum de verbo adiectiuo actionē, aut passionē significante, sed de substantiuo etiam signifi- D. Thom.

 cante

extrema propositionum, per se, necessariam habent connexionem, & semper eodem modo se habent, quare non petunt, pro determinato tempore vniri: ideo circa illa non exercet actum vniendi pro differentia temporis, quam significat, sed ea coniungit, secundum necessariam connexionem, a tempore abstrahens in ipsomet vniendi actu: vnit itaque extrema simpliciter, sed non coarctat vnionem ad determinatam differentiam temporis, extrema potius vnita in propria relinquens natura, & conditione, & hoc est absolui à tempore: hoc item similes propositiones esse perpetuae veritatis, quemadmodum eorum connexio necessaria est, atque perpetua, & semper eodem modo se habens, à tempore proinde nulla modo dependens.

42.

Soluuntur rationes oppositae initio quaestionis.

Ad formam argument. AD formam igitur argumenti, dum obiicitur verbum in his propositionibus absolui à tempore, admittendum est, negandum tamen quod infertur, ergo non significat tempus, non enim absoluitur à tempore, hoc est à significatione cum tempore, sed ab actu vniendi extrema pro determinato tempore, cuius exercicitium natura ipsa extremorum impedit, & vt hoc verbo rem absoluamus, ex tribus quae habet verbum, nempe significare cum tempore, extrema vnire, & vnire eadem pro differentia temporis consignificata, à duobus absolui repugnat, cum sint essentialia, sed à tertio, quod est actus accidentalis consignificationis circa extrema prout eorum natura postulat exercendus, absolui potest, & vere absoluitur in propositionibus per se, earum extremis petentibus, vt non pro tempore significato per copulam vniantur, sed secundum connexionem intrinsecam importatam.

Ad secundũ argument. Solutio secundi argumenti facile colligitur ex adnotata doctrina: dum enim dicimus verbum consignificare tempus, quia significat actionem tempore mensuratam: non solum de vera actione, sed de quocunque actu essendi, vel existendi, per modum actionis significato intelligitur, necnon de priuatione eiusdem actionis, quae tempore mensuratur, nõ secus ac ipsa actio.

43.

vt enim verba motus aut mutationis tempus, consignificant, quo mensurantur, pariter verba quietis, nam priuatio, & habitus eidem mensurae subiacent.

Vltimum etiam argumentum eadem doctrina soluit: nam de participio diximus, medium quoddam inter nomen, & verbum tenere, & vtroque extremo participare: nomine quidem, in quantum vnam rem significat, & eius subiectum connotat (quod concretorum nominum proprium est) verbo autem nam res significata, est actio per modum actionis, atque adeo vt certo tempore mensurata, quod est ab intrinseco consignificare tempus, vel aliquid cum tempore. Ad vltim.

Quod vero de aliis nominibus actionem significantibus, connotando simul determinatum tempus, in quo fiunt, vt de coena, & prandio obiicitur, hac distinctione soluẽdum est: connotare tempus duobus modis contingit, vno ab intrinseco, hoc est, ex natura rei significatae, quae non solum est actio, sed habens modum actionis tempore ab intrinseco mensuratae, alio ab extrinseco, idest, non ex natura rei significatae, quae licet sit actio non significatur per modum actionis, nisi per modum rei, aut formae, sed ex hominum extrinseco beneplacito, qui tali tempore eam ex cõsuetudine perficere consueuerunt: connotare igitur tempus primo modo, idem est ac significare cum tempore, vel consignificare tempus, vt verbo attribuitur, vnde per talem particulam etiam ab his nominibus separatur, quae cum solum ab extrinseco tempus connotent, non proprie dicuntur consignificare tempus, nec proinde significare cum tempore. Et hinc habes quo pacto intelligendum sit, quod à Magistro Soto vbi supra, nonnullisque aliis Dialecticis dicitur, non esse, idem connotare tempus, & significare cum tempore, vel consignificare tempus: nam connotare tempus ab intrinseco, idem prorsus est: ab extrinseco vero, diuersum valde, vnde si iuxta posteriorem sensum accipiatur (vt accipi ab eis credendum est) verum erit, si vero iuxta priorem, plane falsum. 44.

QVAE-

QVAESTIO II.

Sit ne verbum vera pars propositionis.

Negatiua sententia suadetur.

Primum Argument. SI officium verbi attendamus, videbimus non esse partem propositionis, etenim cum propositio sit quoddam artificiatum vti domus: sic erit de partibus eius iudicandum, ac de partibus domus, quæ sunt
45. ligna, & lapides: illud autem quo mediante coniunguntur, non partis rationem, sed nexus partium habet, ac verbi officium est partis propositionis vnire, & quasi ligare, nempe subiectum, & prædicatum, ergo non erit pars, sed partium nexus.

Et si dixeris, verbum etiam significare actionem, quam prædicat de subiecto, vt cõstat in propositionibus, quas vocant de secundo adiacente, vt homo disputat homo loquitur, ratione cuius prædicatum propositionis erit, atque adeo eius pars: verum dicis, sed consideratio hæc verbi quasi materialis est: & in qua conuenit prorsus cum nomine: vnde eam attendens Aristot. in calce capitis protulit, verba per se sumpta esse quædam nomina, ex ea igitur solum habetur verbum materialiter acceptum, tãquam nomen, partem propositionis esse, sed adhuc nodus argumenti, non est solutus, cum ex formali eius officio, non nisi partium nexus quidam sit, in his adhuc propositionibus, in quibus res ab eo significata est prædicatum.

2. Argum. Sed adhuc sub materiali consideratione, probatur secundo, verbum non esse partem propositionis, de verbo præsertim substantiuo, nullam actionem significante, atque adeo nullam rem prædicante de subiecto Et si dicatur actum essendi, seu existentiam significare, verum dicitur, sed hanc non semper de subiecto prædicari probatur: nam in propositionibus de tertio adiacente sæpe contingit, non prædicari vnum de altero, secundum existentiam, sed secundum essentialem connexionem, vt in his: homo est animal, homo est rationalis: tunc ergo nullum verbi significatum prædicabitur; nec
46. proinde verbum ex parte rei significatæ prædicatum erit: Aliquãdo etiam additur eadẽ existentia, tãquam expressum prædicatũ, vt si dicamus, homo est existens: tunc ergo nihil ex parte verbi prædicabitur, nisi bis velis idẽ prædicatum nugatorie repetere.

Tertio, in easdem resoluitur partes, quod- 3. Argum.
cunque compositum ex quibus cõsistit, sed propositio nõ resoluitur, nisi in subiectum & prædicatũ, vt Arist. testis est 1. lib. de priori re- Aristotel.
solutione, cap. etiam 1. vbi terminum describens ait, est in quem propositio resoluitur, tãquam in subiectum, & prædicatum; ergo solum hæc duo partes propositionis erũt. Et 87
confirmari potest, ex cap. statim sequẽti, vbi de conuersione propositionum agẽs, solum secundum trãsmutationẽ prædicati, ac subiecti fieri docet, verbo semper manẽte, non solum in eodẽ situ, scilicet in medio propositionis, sed idem prorsus officium exercẽte, vniẽdo extrema. Si ergo circa illud nulla fit trãsmutatio, nõ erit pars propositionis, quæ per transmutationem partium conuertitur.

Argumenta hæc, illi sententiæ robur adijciunt, quam quidam professi sunt aientes, nullum verbum esse partem propositionis, sed partium nexũ, atque etiam alteri, eorum qui temperatius locuti, id de verbo saltem substãtiuo tenuerunt: priorem retulit, ac secutus est Magister Sotus, in prima editione simularum, posteriorem vero, nostra adhuc tempestate, sustinet Villalpandus, & Sucsanus, verbi rationem, circa materiam terminorum elucidantes.

Proponitur secunda sententia, & quæstioni satis fit.

NIhilominus apud præcipuos Aristot. interpretes, pro constanti semper habitum est, nomen, & verbũ esse partes enunciationis, & verbum quidem præcipuam, & quasi formalem: materialem autem nomẽ, ita tenuere Porphyrius, Ammo- D.Thom.
nius, Boetius, & D. Thomas in elucidationibus huius capitis, Albert. Magn. 1. lib. de interpretatione. tractat de verbo cap. 1. vbi dignitatem verbi quinque prædicabilibus ex eo præfert, quod ipsum solum sit formale prædicatum propositionis: illa vero non nisi materialia, hos sequũtur posteriores, vt Magister Sotus. 2. lib. summularum, in secunda editione Lobanienses, in scholiis huius cap. Card. Tolet. Mercatus, & quotquot. Arist. viua voce interpretantur, quod nõ solum de verbo adiectiuo actionẽ, aut passionẽ significante, sed de substantiuo etiam signifi-

QVAESTIO II.

Sit ne verbum vera pars propositionis.

Negatiua sententia suadetur.

Primum Argument. SI officium verbi attendamus, videbimus non esse partem propositionis, etenim cum propositio sit quoddam artificiatum vt domus: sic erit de partibus eius iudicandum, ac de partibus domus, quæ sunt
45. ligna, & lapides: illud autem quo mediante coniunguntur, non partis rationem, sed nexus partium habet, ac verbi officium est partis propositionis vnire, & quasi ligare, nempe subiectum, & prædicatum, ergo non erit pars, sed partium nexus.

Et si dixeris, verbum etiam significare actionem, quam prædicat de subiecto, vt cõstat in propositionibus, quas vocant de secundo adiacente, vt homo disputat homo loquitur, ratione cuius prædicatum propositionis erit, atque adeo eius pars: verum dicis, sed consideratio hæc verbi quasi materialis est: & in qua conuenit prorsus cum nomine: vnde eam attendens Aristot. in calce capitis protulit, verba per se sumpta esse quædam nomina, ex ea igitur solum habetur verbum materialiter acceptum, tãquam nomen, partem propositionis esse, sed adhuc nodus argumenti, non est solutus, cum ex formali eius officio, non nisi partium nexus quidam sit, in his adhuc propositionibus, in quibus res ab eo significata est prædicatum.

2. Argum. Sed adhuc sub materiali consideratione, probatur secundo, verbum non esse partem propositionis, de verbo præsertim substantiuo, nullam actionem significante, atque adeo nullam rem prædicante de subiecto Et si dicatur actum essendi, seu existentiam significare, verum dicitur, sed hanc non semper de subiecto prædicari probatur: nam in propositionibus de tertio adiacente sæpe contingit, non prædicari vnum de altero, secundum existentiam, sed secundum essentialem connexionem, vt in his: homo est animal, homo est rationalis: tunc ergo nullum verbi significatum prædicabitur; nec
46. proinde verbum ex parte rei significatæ prædicatum erit: Aliquãdo etiam additur eadẽ existentia, tãquam expressum prædicatũ, vt si dicamus, homo est existens: tunc ergo nihil ex parte verbi prædicabitur, nisi bis velis idẽ prædicatum nugatorie repetere.

Tertio, in easdem resoluitur partes, quodcunque compositum ex quibus cõsistit, sed propositio nõ resoluitur, nisi in subiectum & prædicatũ, vt Arist. testis est 1. lib. de priori resolutione, cap. etiam 1. vbi terminum describens ait, est in quem propositio resoluitur, tãquam in subiectum, & prædicatum; ergo solum hæc duo partes propositionis erũt. Et confirmari potest, ex cap. statim sequẽti, vbi de conuersione propositionum agẽs, solum secundum trãsmutationẽ prædicati, ac subiecti fieri docet, verbo semper manẽte, non solum in eodẽ situ, scilicet in medio propositionis, sed idem prorsus officium exercẽte, vniẽdo extrema. Si ergo circa illud nulla fit trãsmutatio, nõ erit pars propositionis, quæ per transmutationem partium conuertitur. 3. Argum. Aristotel. 87

Argumenta hæc, illi sententiæ robur adijciunt, quam quidam professi sunt aientes, nullum verbum esse partem propositionis, sed partium nexũ, atque etiam alteri, eorum qui temperatius locuti, id de verbo saltem substãtiuo tenuerunt: priorem retulit, ac secutus est Magister Sotus, in prima editione summularum, posteriorem vero, nostra adhuc tempestate, sustinet Villalpandus, & Suesanus, verbi rationem, circa materiam terminorum elucidantes.

Proponitur secunda sententia, & quæstioni satisfit.

NIhilominus apud præcipuos Aristot. interpretes, pro constanti semper habitum est, nomen, & verbũ esse partes enunciationis, & verbum quidem præcipuam, & quasi formalem: materialem autem nomẽ, ita tenuere Porphyrius, Ammonius, Boetius, & D. Thomas in elucidationibus huius capitis, Albert. Magn. 1. lib. de interpretatione. tractat de verbo cap. 1. vbi dignitatem verbi quinque prædicabilibus ex eo præfert, quod ipsum solum sit formale prædicatum propositionis: illa vero non nisi materialia, hos sequũtur posteriores, vt Magister Sotus. 2. lib. summularum, in secunda editione Lobanienses, in scholiis huius cap. Card. Tolet. Mercatus, & quotquot. Arist. viua voce interpretantur, quod nõ solum de verbo adiectiuo actionẽ, aut passionẽ significante, sed de substantiuo etiam significante D. Thom.

47. cante actum essendi intelligunt.

Cœterum, quia in verbo duo considerantur. Primo, quod rem cum tempore significet, actionem, videlicet, vel alium actum per modum actionis, & quod eam cum subiecto copulet: moderni quidam, de quorũ numero est Magister Masius qu.3. huius cap. conc. etiã 3. Quasi mediã quandã inuenerunt viam inter hæc extrema asserentes, verbum ratione rei significatæ esse partem propositionis, nẽpe prædicatum, sed in quantum extrema copulat, non partem, sed nexum, quod primum, & secundum argumentum nostrum, videntur conuincere.

Expenduntur conditiones verbi.

Nota.

PRIVS tamen quam nostram proferamus sententiam, duo in verbo inuenta diligentius expendemus: primum quidem, quod rem cum tẽpore significet, quod

48. non solum in propositione habet, sed extra illam, curro enim etiam per se sumptum actionem currendi significat, connotans tẽpus præsens, quo mensuratur, & in quo fit, & hoc modo significandi separatur à nomine, quod rem sine tempore significat, habet secũdo esse notam eorum quæ de altero prædicantur (vt verbis Aristotelis vtamur) quod non est aliud, quam esse signum compositionis prædicati cum subiecto: sic enim rem cum tempore significat, vt eam simul applicet alteri, vt curro in hac propositione, homo currit, sic actionem currendi significat tempore præsenti factam, vt eam simul homini applicet, & cum hæc applicatio sit formalis compositio, verbum absque dubio cõtinet, & significat formalem compositionẽ: prædicatur itaque cursus de homine, & componitur cum eo, sed verbum curro est, quod illum de homine prædicat, & cum homine componit: cursus est quod passiue, & quasi materialiter enunciatur: verbum quod quasi actiue & formaliter eum de homine enunciat: cursus demum est prædicatum, quod cum de eodem homine enũcietur, sed curro est quasi prædicatum quo, cum sit ratio, & quasi forma enunciandi, vnde fit cursum, & quancunque aliã formã, quæ de subiecto enunciatur esse materiale prædicatum, verbum formale, benè ergo D Thom. verbum non solum ratione rei significatæ, se tenere ex parte prædicati, cũ de subiecto illa enuncietur, sed vt est nota compositionis: cũ sit hoc modo, quasi prædicatum formale, affirmat

Quibus modis verbum rem cum tempore significet.

Sed duobus modis contingit verbum rem cum tempore significatam applicare subiecto: vno quidem nudam, aut solã, vt in propositionibus de secundo adiacente, homo currit, aut disputat, in quibus solam actionem à se significatam cum subiecto componit. Altero, modificatam per aliud prædicatum. vt in propositionibus de tertio: homo est risibilis, homo est albus, in quibus non solum, esse, quod verbum significat, enunciatur, sed simul cum albedine aut risibilitate: nam sensus earum est, homo est illud ens, quod risibilitate, aut albedine afficitur, seu ens risibilitate, seu albedine affectum, iuxta primum igitur modum totale prædicatum est significatum verbi, iuxta secundum partiale, sed iuxta vtrunque materiale, & verbum formale. 49.

Propria sententia profertur.

Assertio & cont quæst. duplici parte contẽta.

QVIBVS ita expensis, vnica assertione explicatur nostra sententia, verbum quodcunq; siue substantiuum, siue adiectiuum sit, nõ solum est pars propositionis in quãtum actionem, vel rem aliquam cum tempore significat, sed lõge melius in quantum eam vnit, aut componit cum subiecto: hæc est absque dubio communis sententia, sic ab vniuersis interpretibus, quos pro ea retulimus intellecta, quã in hunc sensum egregie explicant D. Thomas, Albertus Magnus, & nouissime Doctor Toletus.

Probatur prima pars.

Probatur prima pars aduersus primam sententiam: nam verbum quodcunque, vt ex eius cõstat definitione, est vox significatiua ad placitum cum tempore, ergo aliquid ex propria cõditione significat: illud autem de subiecto prædicat, vt in cũctis propositionibus cernimus, ergo saltem ratione rei significatæ prædicatũ est propositionis semper: totale quidem in propositionibus de secundo adiacente, partiale vero in propositionibus de tertio, atque adeo eiusdem propositionis pars.

Secundo specialius probatur: primo in verbis adiectiuis, actionem vel passionem significãtibus, quam subiecto propositionis applicant: dum dicimus homo currit, homo disputat, de substantiuis vero non minus euidenter probatur: nam dum dicimus homo est, aut homo existit verum, aut falsum significamus, sed verum, aut falsum non est, 50.

nisi in compositione, qua vnum de altero enunciatur, ergo constituimus compositionem, vnum de altero enuncians, & nihil est aliud, quod de homine enuncietur præter actum essendi, aut existendi verbo significatum, ergo significatum verbi, absque dubio prædicatur, atque adeo verbum ratione illius erit prædicatum, & pars propositionis.

Et hoc argumento impugnatur etiam secunda sententia, negans verba substantiua esse partes propositionis.

a pars probatur 1. Secunda pars nostræ sententiæ probatur aduersus tertiam sententiam mediam: Pri-
51. mo, ex verbis Aristot in calce textus, vbi explicans quid sit, verbum esse notam eorum quæ de altero prædicantur, ait compositionem significare, quam sine extremis non est intelligere, sed compositio est pars formalis enunciationis, ergo & verbum, in quantum prædicatum cum subiecto componit: probatur minor, nam partes materiales compositionis sunt subiectum, & prædicatum: componuntur autem per verbum, vnum applicans alteri, ergo in verbo est formalis ratio compositionis, verbum est quod formaliter componit, & idcirco, quod formaliter prædicatur, hoc est, tanquam ratio componendi, à qua composita dicuntur subiectum, & prædicatum.

a Ratio. Secundo probatur, nam partes propositionis, non vniuntur materialiter per verbum, sicut lapides, luto aut calce ad constitutionem parietis aut ligna: clauo ad constitutionem cathedræ, sed formaliter ab eo quod eorum vnionem, & compositionem significat, ab eo quod per modum signi ea componit, ergo in eo consistit ratio formalis compositionis, & prædicationis, quare, si id quod materialiter prædicatur pars propositionis est, perfectiori longe modo pars eius erit prædicatum formale, hoc est id, ratione cuius de altero prædicatur.

Et hæc ratio (nisi fallor) deceptionem huius sententiæ luce clarius ostendit, ideo verbum, vt copulam partem propositionis esse negantis, quia illud quod partes vnit, non est pars, sed partium nexus, quod verum est in eo, qui materialiter vnit, sed plane falsum in eo, qui formaliter, hoc est, vnionem ipsam significans, & continens formaliter, quo pacto verbum venire, extrema docuit Aristoteles, & nos ex ipsiusmet enunciationis natura ostendimus.

Et si forte dixeris prædicatum se habere, vt formam in propositione iuxta omnium opinantium consensum, & proinde formalem partem propositionis esse, nō materialem, vt profitetur nostra sententia, verbum formalem partem efficiens. Obiectio 52.

Respondemus prædicatum esse formam, si cum subiecto conferatur, quod absque dubio determinat, si vero vtrunque cum verbo conferas, & ad totam propositionem compares, inuenies esse partem materialem. Probatur euidenter, nam si prædicatum est forma subiecti maxime, quia per coniunctionem illud determinat, ad talem compositionem constituendam, sed verbum, est, quod formaliter continet significat: efficitque talem compositionem vtrunque copulans, ergo ipsum est forma totius compositionis, & ex consequenti subiecti, ac prædicati, ex quorum compositione resultat propositio: necessario igitur fatendum est, vtrunque se habere, vt materiam, si cum eo conferatur, & ad totam propositionem comparetur. Solutio 88

Prioris sententiæ argumentis respondetur.

PRIMVM argumentum procedit de ligamento, vel nexu materiali, quod fatemur non esse partem rei arte factæ: negamus tamē sic se habere verbum in propositione, sed vt continens, atque significās totam compositionem extremorum: vnde in ipso est formaliter compositio, à qua subiectum, & prædicatum rationem compositionis participant: ac propterea pars formalis, ac præcipua propositionis est, vt nota eorum quæ de altero prædicantur, quasi materialis vero ratione rei significatæ, nec tamen existimandum est rationem materialem verbi, esse significare actionem cum tēpore, cum per eam à nomine distinguitur essentialiter, sed formalis est absque dubio, quanquam comparatione eius, quod est esse notam eorum, quæ de altero prædicantur, materialis vocari possit, vnde licet ratione rei significatæ, quam prædicat de subiecto sit quasi eius forma: si tamen cum semetipso conferatur, vt est nota, materiæ rationem habebit, aut partis materialis, simul cum nomine, vt expositum est. Ad prima. 53.

Argu-

Ad secundum. Argumentum secũdum, de verbo substãtiuo, sum, aut est, procedit, cuius significatum est ens, & hoc prædicat de subiecto, in propositionibus quidem de secundo adiacẽte solum, & tanquam prædicatum totale, in propositionibus de tertio modificatum ab altero, & ideo tanquam prædicatum partiale, sed cum ens non solum actum existentiæ, sed essentiæ importet, vnum, aut alterum prædicat, iuxta exigentiam extremorum, nam si prædicatum quod subiecto coniũgit, per se respiciat subiectum, aut essentialiter, non componit illud cum subiecto medio actu existentiæ, sed essentiæ, vt in his propositionibus contingit. Homo est animal, homo est rationalis, quia hoc modo con-
54. iungi perit: si vero accidentale sit secundum actum existẽtiæ coniungitur, quia actualem inhærentiam in subiecto perit: nullam connexionem intrinsecam cum eo habens, & si aliquando ex parte prædicati exprimatur actualis existentia, cum hæc eadem sub significatione verbi cadat: non est distinctũ prædicatum ab eo, quod per verbum significatur, sed idem, quare non cogimur prædicatum nugatorie geminare.

Ad testim. Testimonium denique, quod extremum argumentum obiicit, non habet difficilem solutionem: terminus namq;, quem eo loco definit Aristoteles, non comprehendit omnes, partes propositionis, sed solum extremas, vt vox ipsa indicat, videlicet subiectum, & prædicatum, & adhuc inter has cõnumerandum est verbum, tanquam præcipua cum ratione rei significatæ sit prædicatum, integrum, aut saltem partiale propositionis, atque etiam in quantum nota, tenet se ex parte prædicati, cum sit formale prædicati, & vt de quo: vnde licet materialiter non sit extremum, quia non est quod prædicatur est tamen formaliter, non enim coniungit subiectum, & prædicatum, sicut punctum partes lineæ, sed tanquam conti-
55. nens, & significans eorũdem extremorum compositionem, vt docuit Aristoteles. Ex quo habet esse præcipuã propositionis partem, licet medium locum secundum situm materialiter teneat, nam formaliter (vt bene D. Thomas) semper verbum se tenet ex parte prædicati

Ad obiect. Quod denique de conuersione obiicitur, eandem fere solutionem habet, nam cũ verbum sit ratione rei significatæ, prædicatum, ex parte illius etiam variatur propositio, vt dum conuertimus hanc propositionem, homo currit, dicentes currens est homo, & adhuc vt nota suo modo variatur, cum sit formale prædicatum, & diuerso modo extrema variata coniũgat, ac demum quanquam nullo modo ex parte illius variationis coniungeret, posset esse pars propositionis, nam conuersio nõ fit per mutationem omnium partium, sed extremorum materialium.

5.

QVAESTIO. III.

Possit ne verbum infinitum, in propositione collocari.

VNum præsupponit titulus quæstionis, & aliud quærit, præsupponit illud, quod apud Aristot, & omnes indubitatum est, videlicet verbum infinitum dari sicut nomen: statim namque ac definitionem verbi perfecit Aristoteles, verbum infinitum ab ea his verbis excludit: ***Non valet autem & non laborat non verbum dico significat enim tempus, & semper de aliquo est differentiæ autem huic, nomen positum non est, sed infinitum verbum sit, &c.*** Et ipsiusmet verbi natura postulat, vt infinitum fieri possit, si ei negatio adiungatur, non secus ac natura nominis, nam cum rem sicut nomen significet per adiunctam negationem, negabitur ab eo expositum: vt de quibuscunque entibus, ac non entibus dicatur, cum possit talis negatio eius rei, quam significat cunctis conuenire, vt cũ dicimus, non curro, non disputo, infinita hæc verba efficimus, cum possint quibuslibet entibus, aut non entibus conuenire: comedere enim, viuere, & legere, chimera, & hircoceruus sunt, non disputare, & non currere: verbum itaque secundum se sumptum infinitum esse posse nemo vnquã dubitauit, Explicatio. Aristotel. 56.

Sed an in propositione officium verbi exercens possit esse infinitum, hoc est quod quæstionis titulus sciscitatur.

Pars negatiua probatur.

PARTEM negatiuam tenent grauissimi interpretes Aristotelis, vt Boetius in cõmentariis huius loci, Albertus Magnus tractatu de verbo. cap. 2. & cap. 1. secundi libri de interpretat. vbi etiam D. Thomas, eandem videtur admittere his verbis, *Infinitum* D. Thom.

ver-

verbum cõstituitur per additionem infinitæ particulæ, que quidem addita verbo per se dicto, id est, extra enunciationem posito remouet ipsum absolute, sicut addita nomini remouet formã nominis absolute, & ideo extra enunciationem potest accipi verbum infinitum per modum vnius dictionis, sicut & nomen infinitum, sed quando negatio additur verbo in enunciatione posito, negatio illa remouet verbũ ab aliquo, & sic facit enunciationem negatiuam, quod non accidit ex parte nominis: nõ enim enũciatio efficitur negatiua, nisi per hoc: quod negatur compositio, qua importatur in verbo, & ideo verbum infinitum in enunciatione positum fit verbum negatiuum.

57. Quibus plane sentit, quoties verbo adiungitur negatio in propositione, toties esse negatum, & negatiuam propositionẽ constituere, atque adeo nunquam esse infinitum.

3. Aristot. Quod Aristot. etiam sentire videtur. 2. lib. huius operis, cap. 1. vbi enumerans propositiones de subiecto, & prædicato infinitis, non meminit propositionis de verbo infinito, vnde sequitur nullam talem apud ipsum reperiri, nam si daretur, absque dubio recensuisset.

4. Argum. Et videtur ratione conuinci: nam id est discriminis inter negationem neganter, & infinitanter sumptam, quod hæc nunquam propositionem negat, cum vis eius non se extendat ad totam propositionẽ, nisi ad solam vocem, cui proximè adiungitur, sed repugnat negationem adiungi verbo in propositione quin eam neget (vt bene D. Tho.) ergo repugnat infinitã ter teneri, atque adeo verbum in ea positum infinitum reddere.

Probatur minor. Repugnat negationem adiungi verbo quin illud negetur, sed negata copula negatur tota propositio, quomodocunque se habeant extrema, ergo semper negatio verbo propositionis adiuncta efficit eã negantem, atque adeo nunquam verbum infinitum.

4. Argum. Probatur secundo. Nam negatio adiuncta verbo, in propositiõe aliquid operatur, ergo negat saltem significatum verbi, supra quod proximè cadit, quemadmodum adiũcta nomini negat significatum eius: alioqui non efficiet verbum infinitum, vt dum dicimus homo non currit, aut non laborat, negatur plane cursus, vel labor, sed negata actione verbi de subiecto efficitur propositio negatiua,

58. cuius sensus est, cursum aut laborem homini non conuenire plane negatiuus, ergo nunquam efficitur propositio infinita, sed semper negatiua, & ex consequenti nec verbum, cui proxime adiungitur negatio.

5. Argum. Probatur tandem de verbo substantiuo, sum, vel est, cuius significatũ non est minus vniuersale, aut transcendẽs, quam significatum entis, sed ens nõ fit infinitum intra, nec extra propositionem, ergo nec infinitabitur vnquam verbum substantiuum saltẽ in propositione.

Affirmatiua sententia refertur, & præfertur negatiuæ.

Oppositam sententiam, quod verbum non solum extra propositionem, sed in ea positum, possit esse infinitum ex duobus locis Arist. evidenter colligo. Prior est cap. præsenti, vbi hæc verba legimus. *Non valet autem & non laborat, nõ verbum dico, consignificat enim tempus, & semper de aliquo est.* Quibus aperte docet verbum infinitum (de quo loquitur, cum neget esse absolute verbum) & consignificare tempus, & de aliquo enunciari, quod non contingit, nisi in propositione affirmatiua, sentit igitur in propositione posse collocari: eamque affirmatiuam efficere, non ergo negatam, sed de verbo infinito. Arist. 1.

Secundum testimonium habetur. 1. lib. de post. resolutione cap. 10. vbi ostendẽs demõstrationem, *quia* procedere ab effectu cõuertibili cum causa ad ipsammet causam; Hanc demonstrationem in prima figura cõstituit, stellæ non scintillantes sunt propè nos: Planetæ non scintillant: ergo sunt propè nos, lex autem primæ figuræ inuiolabiliter seruanda est, quod minor non sit negatiua: alioqui vitiosus redditur syllogismus: minor igitur prædictæ demonstrationis, videlicet planetæ, non scintillant, non potest esse negatiua, sed copula eius negatione afficitur: ergo erit de verbo infinito, & sic affirmatiua, cuius sensus est, planetæ sunt non scintillãtes, irrefragabile igitur argumentum est, conuincẽs verbum in propositione infinitũ effici posse ex mente Aristot. Secundum testimoniũ. 59.

Quod etiam conuincit ratio, nam vt verbum extra propositionẽ idcirco infinitatur, quia rem aliquam, aut actionem significat, quæ de eo negari potest: & negata eo adhuc manet verbũ, vt de quibuslibet entibus, ac non entibus dicatur, sed verbum in propositione 1. Ratio.

can-

candem retinet significationem: ergo simili modo poterit infinitum effici adiuncta negatione.

Insolutum. Et si fortè dixeris, diuersam esse rationem in propositione, & extra: nam licet vtrobique eandem significationem retineat: cæ-
60. terum in propositione officium, verbi exercet copulans prædicatum cum subiecto: vnde si negatio ei adiungatur necesse erit vtrũque negari, & significationem, & coniunctionem: hac autem negata propositio negans efficitur: vndepurè negatum erit verbũ, non infinitum. Quod autem necessariũ sit vtrunque negari patet: nam eo ipso, quod negatur verbum, vt copula, negatur subindè significatum eius, ergo eadem erit conuersa ratio: quod si negatur significatum, negabitur etiam coniunctio. In oppositum est, quod hęc duo distincta sunt in verbo esse vocem significatiuam cum tempore, & esse eorũ quæ de altero prædicantur notam: bene igitur potest negari primum absque negatione secundi. Quod ex eo suadetur, quia negatio infinitanter sumpta, solum negat significatũ vocis, cui adiungitur, nec vis eius vlterius transit, minimè tamen secundum, nisi negato etiam secundo, quia dum negatur compositio per verbum significata negatur propositio, & ideo negatio neganter accipitur: sic autem accepta malignantis naturæ vocatur, destruens, quidquid post se inuenit, & oppositum reddens, hoc est, negans totum, significatumque proinde verbi simul cum compositione.

Patroni illi. Hanc igitur partem tenent iam cum Ammon. omnes moderni interpretes, Suesanus, Toletus, Masius, in expositione huius cap. Magister Sotus. & Mercatus. 2. libro summularum, capite 2. de verbo.

Nota in quo cõueniant hæ duæ sententiæ 1. Vt discrimen inter has duas sententias percipiamus, adnotandum est in eo conuenire, quod verbum illa duo habet sub intrinseca ratione, & significare actionem, seu aliquid per modum actionis cum tempore, & esse notam eorum, quæ de altero prædicantur, hoc est compositionem extremorum continere, ac significare, & quod ex his duobus primũ dumtaxat extra propositionem habet: nam tunc non copulat extrema, nec proinde significat eorum compositionẽ, sed
61. solam actionem cum tempore, quam in propositione applicat alicui subiecto, & ideo vtrũque habet in compositione.

Secunda cõuenientia. Secundo conueniunt, extra propositionẽ infinitari posse, cum possit per negationem adiunctam significatum eius negari, & talem negationem dumtaxat, significans de cũctis entibus, & non entibus dici.

Differunt. Differunt autem circa considerationem verbi in propositione existentis, vbi cum cõpositionem extremorũ significet, arbitratur prima sententia non posse negationẽ ei coniungi, quin cõpositio negetur, quo supposito euidens est non infinitari: nam cõpositione negata, statim propositio negatiua efficitur, atque adeo de verbo negato, nõ infinito, & negato quidẽ, non solum secũdum cõpositionẽ, sed etiã secundum rem significatã, quæ cum ex parte prædicati se teneat negatione etiam afficietur. Posterior autem sententia non putat necessarium, quod compositio negetur, sed fieri posse, vt negatio adiuncta verbo solum cadat supra significatum eius, quod proinde neget, non negata compositione, & cum res significata habeat locum prædicati relinquetur propositio affirmatiua, de prædicato infinito.

Duplex fundamentum secundæ sententiæ. Primum. Cuius fundamentum duplex est, vnum, quia duo hæc in verbo distincta sunt, nempe significatum, & compositio: vnde fit negationem posse supra illud cadere, non negata compositione, quod est infinitum fieri.

Secundum. Secundum, nam verbum in quantum nota est eorum, quæ de altero prædicantur, nõ est capax infinitationis: quælibet siquidem compositio extremorum limitatur ad duo illa extrema, nempe ad tale prædicatum, & tale subiectum, qua proinde negata tota pro- 62
positio negatiua efficitur non infita: potest enim propositio esse de subiecto infinito, vt nõ homo disputat, atque etiam de prædicato infinito, vt homo est nõ leo, sed ipsamet propositionem esse infinitam repugnat, quia pro compositione supponit quam necesse est negatiuã esse, aut affirmatiuam, neque vllũ admittit medium: itaque infinitationomini, & verbo conuenit in quantum sunt voces aliquas significantes, & non alio modo, vnde sicut nomen, tam extra, quam intra propositionem potest esse infinitum, quia vtrobique potest significatum eius negari: ita vt negationis vis vlterius non transeat, pari ratione verbum extra, & intra propositionem infinitatur, absque vllo præiudicio compositionis significatæ, quam non est necessarium negationem semper afficere, & hæc

absque

absque dubio est probabilior sententia, & in doctrina Aristotelis expressa, vt duo illa testimonia à nobis inducta euidenter probant.

Rationibus pro negatiua sententia relatis satis fit.

Ad verba D. Thom. VERBA autem D. Thomæ (vt argumentis satisfaciamus) de ijs quæ frequenter accidunt intelligenda sunt: accidit autem frequenter, vt negatio adiuncta verbo in propositione neganter accipiatur, & ideo compositionem neget, & ex
63. consequẽti significatum verbi, quod est verbum ipsum negare: totamque propositionem negantem efficere: raro autem contingit infinitanter accipi, & tunc non negat infinitari verbum: hunc autem tenuisse sensum ostendunt verba statim sequentia, quæ
D. Thom. ita habent: *In nullo variatur veritas enunciationis, siue vt accepta negatiua particula, vt infinitante verbum, vel vt faciente negatiuam enunciationem, & ideo accipitur semper in simpliciori intellectu, prout est magis in promptu:* quibus apertè videtur concedere verbum posse infinitari in propositione.

Ad Aristot. Aristoteles vero specialem mentionem propositionum de verbo infinito: propterea non fecit, quia eadem est ratio de illis, ac de propositionibus de nomine infinito, quantum ad oppositionem eo loco consideratam: opponuntur enim propositiones ex parte subiecti, aut prædicati, & ex parte subiecti finiti, aut infiniti, atque etiam ex parte prædicati finiti, aut infiniti: & cum cũ propositio de verbo infinito sit affirmatiua ac de prædicato infinito, quia infinitatio verbi. tenet se ex parte rei significatæ, locum prædicati partialis, aut totalis tenentis eadem prorsus ratio est de illa, ac de propositione de nomine infinito, ex parte prædicati se tenente: quod enim prædicatum infinitum nomen sit, aut significatum verbi, non variat modum oppositionis: ideo non necesse fuit mentionem infiniti verbi facere, vt propositio eo constans distingueretur ab ea, quę constant nomine infinito, nisi velis secundo cum Doctore Toleto in eiusdem loci commentarijs, dicere verbum etiam infinitum,
64. simul cum nomine enumerasse Aristotelem (vt verborum cõtextus ostendit) quod quia difficile apparebit, verba perpendenti, solutioni primæ omnino standum est.

Primum argumentum soluit distinctio illa verbi, vt compositionem extremorum significantis, vel actionem cum tempore, quę ad minorem sic est applicanda, vt cum dicitur, negationem verbo adiũctam ipsum negare, verum sit quantum ad secũdum, & hoc est illud infinitum facere: falsum autẽ quantum ad primum quod intellige de negatione infinitanter accepta: nam si neganter accipiatur, totum negat: posse autem negari significatum verbi, non negata compositione ex eo intelligitur, quia cum valde diuersa hæc sint in verbo; non repugnat vim negationis supra vnum cadere, & non supra aliud: præsertim quia infinitanter accepta, nõ potest supra compositionem cadere, sed solum supra rem significatam, qua negata, propositio affirmans permanet, de verbo, ac de prędicato infinito. Ad prim.

Ad formam secundi argumenti dicẽdum est, aliud esse quantum ad effectum negationis, & formam propositionis prædicatum negari de subiecto: aliud vero negationem prædicati ei attribui: aliud est enim dicere homo non currit, aliud homo est non currens, nam illud fit per directam remotionem prædicati à subiecto, & per propositionem negatiuam, hoc vero solum per indirectam, ac per propositionem affirmatiuam, qui enim de homine affirmat negationem cursus, indirecte ab eo remouet positiuam actionem, & hoc est discrimen inter negationem adiunctam verbo infinitanter, aut neganter sumptam. nam si hoc modo sumatur, directe remouet actionem verbi à subiecto, eamque negare dicitur, & propositionem negatiuam cõstituere: si vero modo priori, solum indirectè remouet, nec eam negare dicitur, nec propositionem negatiuam cõ- 65.
stituere, sed affirmatiuam de prædicato infinito, cuius ea est discriminis ratio, quia dum neganter accipitur directe, & proximè cadit supra compositionem verbo significatam, qua negata, actio quoq; negato censetur, sed dum accipitur infinitanter directe, & proxime supra significatũ verbi, quod cum ex parte prædicati se teneat, non habet vim negãdi copulã, ipsum cum subiecto cõiungentẽ, sed affirmatiua relinquitur propositio, ac de prędicato infinito, quod negatam actionẽ verbi continens, subiecto attribuitur, quapropter non licet inferre negatiuam esse propositionem. Ad secundum.

Obiectio. Et si fortè dixeris eundem esse vtriusque propositionis sensum: negatiuè, scilicet de prædicato finito, & affirmatiue de prædicato infinito, vt homo non currit, & homo est non currens, & mutuo se inferre: bene etenim sequitur homo est non currens, ergo homo non currit, atque etiam homo non currit, ergo homo est nō currens: si ergo negatur actio verbi de subiecto in negatiua, pariter, & in affirmatiua, imo si vna negatiua est, pariter altera.

Solutio. Respondeo eundem esse sensum peræquiualentiam: ideoque mutuo se inferre, sed longè diuersum secundum formam propo-
66. sitionis, vnde non sequitur, quod si prior est negatiua, etiam sit negatiua posterior, quēadmodum non sequitur priorem esse affirmatiuam, ex affirmatione posterioris: refert autem multum diuersa forma propositionis affirmatiuæ, aut negatiuæ ad oppositiones, & syllogismos constituendos: nam propositio affirmatiua, homo currit, opponitur negatiuæ, homo non currit: non tamen affirmatiuæ de prædicato infinito, homo est nō currens, quantumcūque negatiuæ æquipolleat, nam oppositio formam negationis, & affirmationis in terminis, & propositionibus intrinsece postulat, & in ordine ad formam syllogisticā, ex vtraque negatiua, nullus consistit syllogismus, ex vtraq; affirmatiua, nullus in secunda figura, & ex minori negante nullus, in prima, neque in tertia.

Ad vltimū. Vltimum argumentum difficultate caret, nam idem censendum est, quantum ad infinitationem, de verbo *sum*, vel *est*, ac de nomine *entis*, quemadmodum ergo de nomine diximus non posse perfecte infinitari, si accipiatur secundum totum ambitum suæ significationis, sed solum ex parte, posse autem perfectè, si secundum contractiorem significationem: videlicet pro ente reali, vel rationis, aut pro solis existentibus, pro solis
67. substantiis, aut pro solis accidentibus, sic de verbo suo modo sentiendum est, & hæc de verbo notata sufficiant.

CAPVT QVARTVM, De enunciatione.

ORATIO autem est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed non vt affirmatio, vel negatio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

VTRAQVE parte materiali enūciationis explicata, prosequitur Aristot. inuestigare partes formales genus, videlicet & differentiam, atque etiā subiectiuas, quales sunt diuersæ eius species & quia genus eius est oratio, agit prius de oratione. Intentum.

Præstat autem in toto ca. tria, definitionē orationis elucidatā tradens, enunciationē, rursus definiens, ac diuidens quadruplici diuisione, ac tandem de contradictione inter enunciationes reperta disserens. Diuisio textus. 1.

Definitio orationis talis. Oratio est vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, sed non vt affirmatio: *in qua vicem generis habet vox, quemadmodum in definitione nominis, ac verbi per quam non definitur tanquam per verum genus, sed tanquam per materiā, aut subiectum, cum sit res arte facta vt patet, vox autem non solum est communis respectu simplicium, aut incomplexarum vocū, quales sunt nomē, & verbum: sed etiam ad complexas, & ideo locū generis, hac in parte obtinere potest, in qua conuenit oratio cum vocibus nihil significantibus, à quibus per secūdam separatur particulam sibi cum vocibus naturaliter significantibus communem, sed ab his separatur per tertiam, nempe secundum placitum, quam tamen subticuit Aristot. non solum quia communis est nomini, & verbo, & ideo in definitione nominis sufficienter explicata: quam ob causam, diximus eam in defintione etiam verbi suppressisse, sed quia commodius tradenda est in decursu capitis, & necessitate quidem cogente, vt cuidam tacitæ obiectioni Platonis fiat satis.* Definitio orationis. Arist. 2.

A nomine autem, & verbo separatur oratio per sequentem, nempe cuius partes separatæ aliquid significant: vtrique enim commune est, non habere partes quæ separatæ significent (vt copiosè traditum est cap. de nomine: partes autem orationis etiam separatæ significant: vt constat de partibus huius orationis: homo, est albus, addit tamen Aristoteles, vt dictio, non vt af- Per quid separetur oratio à nomine & verbo.

ut affirmatio, nisi fortè in potentia, si eis adiungatur verbum: tunc enim certum est, ut affirmationē significare, ut homo inquit, qui pars est huius enunciationis, homo est albus: & ab ea separatus aliquid significat, non tamen, ut affirmatio & negatio: quia nihil de esse, aut non esse importat, cui si addideris verbum affirmationem constituit, nec tamē (ait Aristoteles) oportet vniuersas orationis partes significare, ut dictiones, sed solum proximas: nam remota ut syllaba, ex quibus proximæ componuntur, nihil separata significant, ut constat in hac dictione sorex, cuius altera pars est rex, per se quidem regem significans, nihil tamen, ut pars eiusdem dictionis separata: sic enim rationem dumtaxat vnius syllabæ habet & parem esse rationem docet, de partibus compositorum nominum, quæ nihil prorsus significant separata iuxta totius significationem, ut cap. de nomine fuit constitutum.

Error quorundam. 3. *Sed circa modum significandi orationis ac partium eius fuit error quorundam Philosophorum Aristotele antiquiorum, quem multi (ut refert D. Thom.) adscribebāt Platoni, in dialogo Cratilo asserente naturaliter significare; ducebatur autē hac ratione.*

Potentia interpretatiua, per quam conceptus nostros, aliis aperimus est naturalis: ergo instrumenta eius sunt naturalia, sed oratio, & eius partes sunt instrumenta huius facultatis quibus vtimur ad manifestandos internos conceptus, ergo naturaliter significabunt.

Reiicitur hic error ab Aristot. *Ut hunc errorem excludat Aristoteles, constituit orationem non significare, ut instrumentum naturale, sed ex hominum beneplacito, ut de partibus eius præcedentibus capitibus docuit, argumento desumpto ex. 2. li. de anima, cap. de auditu, vbi ait instrumenta locutionis, aut interpretatiuæ virtutis esse pulmonem, guttur, palatum, dentes, & linguam, quibus humanæ voces formantur, formatæ vero ad significandum imponuntur, ex eisq; impositis, tanquam effectis instrumentorum naturalium, orationem fabricatur ratio: quemadmodum ars fabricatur domum lignis & lapidibus præsuppositis, quapropter res est potius per artem impositionis facta, quam naturalis, ex liberaq; hominum impositione significans cum suis partibus.*

Exposita definitione orationis, eam tanquam genus assumit ad definiendam enunciationem, in secunda parte capitis, dicens: Non tamen omnis ratio enunciat, sed ea solum, cui verum vel falsum dicere conuenit, *quibus verbis (ut bene adnotat D. Thomas) tacite diuidens orationem: eam simul definit, diuisio est, oratio, vna est non enunciatiua, enunciatiua altera.* 4.

Oratio duplex. *Ut vtrumque membrum diuisionis explicemus, adnotare oportet cum eodē D. Thom. orationem duplicem esse: vnam imperfectā, quæ nō generat perfectum sensum in animo audientis, sed quasi suspensum efficit, & aliquid vlterius expectātem, qualis est ea, quæ sine verbo efficitur, ut homo albus, homo iustus, expectat enim animus, quid de eo vlterius dicatur: altera est oratio perfecta, integrum sensum efficiens, ut dum verbum adiungimus prædictis orationibus: tā enim aliquem conceptum, quasi completum formamus, sed hæc adhuc perfecta oratio duplex est, vna per quam aliquid de aliquo enuntiamus, aut ab eo remouemus, quod per solum verbum indicatiuū fit, & hæc cōtinet, atq; significat verum, aut falsum, quod propriè ex attributione, aut remotione alicuius ab aliquo causatur: ut si illi orationi, homo albus, verbum indicatiuum, disputat, adiunxerit quis, iam aliquid de illo affirmat cum veritate absque dubio, aut falsitate: alia est oratio perfecta nihil enuncians, sed præcipiens, aut optans, quales sunt orationes cæterorum modorum, qui enim imperat, vel optat, nihil verum aut falsum dicit, vnde neque verum continent, aut significant similes orationes: quas propterea ad artem Dialecticam minime pertinere, ait Aristoteles, sed Rhetoricæ, ac Poeticæ relinquendas esse.* 5.

Cuius ratio ex fine Dialecticæ accipiēda est, qui non est alius quam veritatis indagatio, in quem finem consequendum argumentationem instituit, tanquam præcipuum instrumen-

strumentum, cuius partes sunt, non omnes orationes, sed enunciatiua dumtaxat, his igitur solis Dialectica vtitur. Rhetor vero, atq; Poeta, aliis etiam vtuntur ad finem earundem artium accommodatis, quod si verum est imperfectam orationē, quæ nihil de esse, aut non esse importat, non significare verum aut falsum, nec perfectam, per quā nihil alteri attribuimus, aut ab eo remouemus, licet verbo constet. Colligit Aristoteles solam enūciationem, cui vtrunq; quadrat verum, aut falsum significare, & hanc esse definitionem eius enunciatio est oratio, in qua verum aut falsum est, cuius genus est oratio, differentia vero esse veram, aut falsam, per quā ab orationibus imperfectis, atque etiam perfectis aliorum modorum, ab indicatiuo separatur, quod tamen nō sic aportet accipere, vt vtrū-
6. que conuenire posit eidem enuntiationi, hoc enim plane repugnat, sed vnum, aut alterū, aut vnū vni, alterum alteri, quibus verbis indicatur prima diuisio enunciationis, in enunciationē veram, & falsam: vera enunciatio est, quæ significat rem esse sicuti est, vt homo est rationalis. falsa, quæ significat rem esse aliter, ac est vt homo est lapis.

Nota quomodo varietur verbum sicut nomen.

Sed omnibus diuisionibus illud esse necessario præmittendum, ait Arist. vt enunciatio quæcūq; illa sit, verbo, aut casu verbi cōstet, hoc est, tēporis præsentis vel certe præteriti, aut futuri quæ casus verbi appellat, quia sicut nomē per casus variatur, sic verbū indicatiuū, quod simpliciter tale est, per tēpora.

Vnde infert definitionem esse quidem orationem, vt animal gradiens bipes: & esse vnam orationem, nihilominus nō esse enuntiationē, quia neque verbo, neque casu verbi constat: vnde nec aliquid de esse, aut non esse importat, nisi ei alterum eorum addideris, statim enim enuntiationem eam facies, vt si dixeris hominem esse animal gradiens duobus pedibus,

Definitionem autem esse vnam orationē, posset aliquis suspicari, quia sine interruptione alicuius coniunctionis prefertur, quod licet verum sit (ait Aristoteles) non tamen est sufficiens, cū multa possent dictiones sic pro-
7. ferri, quæ nec orationes sint, nec vnitatem proinde orationis habeant, vt homo, leo, bos, musicus, reddere igitur rationem vnitatis eius (inquit Arist.) alterius est speculationis.

Secūda diuisio est, enuntiatio, alia est vna, alia multiplex, vna est, vel quæ vnū significat, cuius species sunt affirmatio, & negatio, vt homo est animal, vel cuius partes coniunctione vniuntur, vt Petrus currit, & Ioānes loquitur, multiplex vero, quæ vel non significat vnum, sed terminis æquiuocis constat, vel cuius partes non vniuntur per coniunctionē, vt Petrus loquitur Ioānes ambulat. Secunda diuisio.

Sed ne aliquis suspicetur nomen, aut verbum esse enūtiationem vnam, propter vnum significatum, explicat Aristoteles, quo pacto enuntiatio dicatur ab vno significato: videlicet quia affirmando, aut negando vnū aliquid de alio enuntiatum significat: nomē autem, & verbū, vnam aliquam naturā, absq; affirmatione, & negatione: & tacita hac obiectione soluta pro sequitur diuisiones enūtiationis tertiā exprimens, quæ sub diuisione est prioris membri præcedentis in eo insinuata, videlicet enuntiatio vna, altera est simplex, vnū de vno enūtians, alia cōposita plures simplices coniunctione vnitas claudens: exēplum prioris, vt homo est animal: exemplum posterioris, vt homo est albus, & equus est hinnibilis, & eadem ratione possumus sub diuidere enuntiationē multiplicē, in simplicē multa significantē, propter æquiuocū terminum, vt canis est substantia: & in compositā plures claudentem simplices coniunctione non vnitas, vt Petrus legit, Ioannes tacet. Diluitur obiect. 8. Tertia diuisio.

Postrema diuisio est in eodem primo membro secunda diuisionis insinuata illis verbis, vel quæ vnum significat, cuius species sunt affirmatio, & negatio, cui propterea secundum locum possemus concedere, & est talis, enuntiatio simplex alia est affirmatiua, in qua vnum attribuimus alteri, vt homo est animal, altera negatiua in qua vnum remouemus ab altero, vt homo non est lapis. Quarta diuisio.

Agit tandem Aristot. de contradictione inter enuntiationes repertam cuius naturā vt explicet præmittit quatuor modos, quibus possibile est vnum de altero enuntiari, quorum primus est si enuntiemus non esse quod est, vt si quispiam enuntiet hominem non esse rationalem. Secundus, si enuntiemus Vltimum membrum cap.

mus esse quod non est, vt hominem esse lapidem. Tertius, si enunciemus esse quod est, vt hominem esse risibilem.

Postremus, si enunciemus non esse, quod non est, vt hominem nō esse equum: ex his autem modis enunciandi, duo priores constituunt enunciationes falsas: duo posteriores veras, cuius aperta est ratio nam ab eo quod res est, aut non est, vera, vel falsa enunciatio dicitur, sed priores modi enunciant rem aliter ac est. posteriores vero sicut est, illi ergo falsas, isti veras enuntiationes constituēt.

Primum illatum. *Ex horum modorum explicatione duo colligit Arist. primū, vniuersaliter verum esse, quod quidquid de aliquo affirmatur, negari etiam potest: & quidquid negatur posse affirmari nam si enunciare possumus non esse quæ sunt, & esse quæ non sunt, euidenter infertur, quæcūque, ac de quocunque affirmari posse sicut negātur & negari sicut affirmātur*

2. Illatum *Secundum, hanc esse vniuersalem contradictionis legem, vt affirmatio negationi contradicat, aut ei opponatur, & negatio affirmationi: nō tamē quæcunque affirmatio negationi opponitur, aut negatio affirmationi, sed ei quæ eodem subiecto, & prædicato constat: non enim versatur contradictio inter has duas enunciationes: homo est rationalis, equus non est lapis, licet prior affirmatiua sit, negatiua posterior, quia diuersis constant extremis sed duæ istæ opponuntur Petrus est rationalis, Petrus non est rationalis.*

Ex quibus talem definitionem contradictionis, aut oppositionis elicit: contradictio est affirmatio, & negatio eiusdem subiecti, de eodem prædicato, ad quam illam conditionem inprimis requisitam esse docet, vt terminus vniuocis vtraque enunciatio constet: nam si aliquem terminum æquiuocum habeant, erūt quidem eiusdem de eodem voce, non re, vt canis latrat, canis non latrat, & propterea nō opposita, quia ad significata diuersa referri possunt: ita vt vtraq; sit vera, 10. *vel vtraq; falsa, cæterasq; conditiones seruandas esse admonet, quas afferre ipse solet aduersus captiosas, nimisque molestas sophistarum importunitates eas enim attulit. 1. lib elench cap. 4. quas tamen hoc loco iure suppressit.*

QVAESTIO I.

An oratio secundum totum suum ambitum, vt perfectam, & imperfectam simplicē, & compositam comprehendit, definiatur.

Tres sententiæ inter se oppositæ referuntur.

Prima sent. TRIPLICEM de hac re sententiam inuenio. Nam Albert. Magnus. 1. lib de interpretation. tract. de oratione, cap. 1. expresse tenet cum Philopono non omnem, sed solam orationem perfectam definiri, cuius ea est ratio, quia oratio eo modo est definitum huius definitionis, quo genus in definitione enunciationis; eatenus enim sub præsentem cōsiderationem cadit, quatenus genus enunciationis est: enunciatio autem non definitur per orationem in communi, sed ni, sed per orationem perfectam: nam hæc sola genus proximum illius est, communis vero, remotum, & bona definitio per genus proximum tradenda est. Prima arg. 18.

2. Argum. Huic addenda est ratio Philoponi, nam partes, inquit in ordine ad totum accipiuntur, sed oratio imperfecta non est totum, quia totum perfectum quid sonat; ergo non habet veras partes, vt definitio postulat, dicens, orationem esse vocem significatiuam, cuius partes separatæ sunt significatiuæ: at hæc oratio imperfecta non distinguitur à nomine complexo, non enim petit, nisi plura nomina, vtcunque ordinata, quæ etiam complexum nomen efficiunt. Vt homo albus, homo iustus; ergo potius cum eo conuenit vniuocè, cum oratione autem perfecta ad summum analogicè, vnde non potest cum ea simul definiri.

2. Senten. Altera sententia est Aspasij, atque Porphyrij, in commentariis huius loci, qui solum orationem simplicem explicatam esse volūt, quia hæc sola potest esse genus enunciationis: non enim quæcunq; enunciatio definitur, sed simplex, cum hæc sic talis simpliciter, composita, nō nisi secundum quid. 19.

2. Ratio. Quorum sententia hoc argumento roboratur, ab ipsa definitione desumpto, oratio est vox significatiua, cuius partes separatæ aliquid significant, vt dictiones non vt affirmationes, sed partes orationis compositæ: signi-

significant, vt ostendit hæc oratio composita: homo loquitur, & equus currit, cuius vtraque pars est enunciatio affirmatiua; ergo non quadrat ei definitio, sed solum orationi simplici, partes significatiuas habenti vt dictiones, non vt affirmationes.

Pars affirmans cum D. Thoma eligitur.

Sententia. NIHILOMINVS cum Boetio tenet D. Thomas in huius definitionis elucidatione: orationem in communi, sub qua perfecta, & imperfecta, composita, ac simplex continentur, definitam esse ab Aristot. quod tribus argumentis conuincitur.

1. Ratio. Primo, integra definitio conuenit cunctis orationibus; ergo oratio eas comprehendens definitur, & ad probationem antecedentis assumo imperfectam, aut compositam, in quibus difficultas primæ & secundæ sententiæ consistit, quælibet harum est 20. vox significatiua, cuius partes separatæ significant, vt dictio non vt affirmatio, & negatio, ergo cuilibet conuenit definitio.

2. Ratio. Secundo, orationem à se definitam diuidit statim Aristot. in vnam: significatione, & coniunctione, hoc est, in simplicem, & compositam; ergo vtramque non minus definitio, quam diuisio comprehendit.

Postremo in exemplum orationis attulit Aristot. definitionem, asserens esse orationem, & vnam orationem, sed definitio est oratio imperfecta, vt cunctis patet, cum nullum verbum claudat, sed ex multis nominibus ordinatis fiat; ergo orationem etiam imperfectam definire, absque dubio voluit.

Argumentis aliarum opinionum occurritur.

PRO argumentorum solutione obseruandum est, quodlibet genus habere sub se plures species: non æque perfectas, sed perfectione, absque dubio inæquali: sunt enim, vt inquit Aristot. quasi numeri in quibus nullos reperies æquales, sed quilibet addit supra alterum vnitatem, & ideo inferior 22. numerus semper est imperfectus comparatione superioris: huc etiam pertinet, quod communi scholæ voce dicitur, sub quolibet genere esse, vnam primam speciem quæ sit, quasi cæterarum regula, & mensura, ita vt per maiorem ad illam propinquitatem, maior earum perfectio iudicanda sit.

His autem inæqualitatibus, & imperfectionibus non obstantibus; vna eademque definitione explicatur genus, in quantum omnes species comprehendit, quia sub ratione, & conceptu illius vniuocè conueniũt, quantumlibet magis, aut minus perfectæ sint ratione differentiarum, ita ergo iudicandum est de orationibus perfecta, atque imperfecta, simplici, & composita, quæ licet ex propriis rationibus inæquales sint, sed sub communi ratione orationis ab Aristot. definitæ, vniuocè conueniunt, neque enim per vllam particulam definitionis aliqua excludi potest, nec refert aliquid imperfectam esse, aut compositam, quia etiam communis ratio quæ definitur imperfecta est, nõ minus à differentiis perfectis, quam imperfectis abstrahens.

Admittendum est igitur, quod primum argumentum assumit: eam orationem esse definitam, quæ genus est enunciationis: negandum tamen, quod per genus proximum definiatur, sed per remotum cum omnibus inferioribus differentiis, qui perfectior modus est definiendi, quam per solum genus proximum, cum vltima differentia (vt 2. lib. de posteriori resolutione vidimus) 22. per talem namque definiendi modum clarius ac distinctius explicantur omnes gradus perfectionis, ex quibus essentia definiti completur: sic ergo definita est enunciatio; nam significatio veritatis, & falsitatis perfectam orationem importat, & insuper enunciatiuam, ab vtraque igitur separatur enunciatio, ab imperfecta imprimis oratione, ac deinde à perfecta non enunciatiua. Ad Primũ.

Argumentum Philoponi multum probat, ac propterea nihil conuincit, nam propositio illa: omne totum est perfectum distinguenda est: si enim de perfecto absolute accipiatur, quod sic definitur, cui nihil deest, plane falsa est, cum nullum compositum sit hoc modo perfectum: nam compositio ipsa plures secum imperfectiones affert, non est ergo absolute accipienda, sed in genere, vel ordine, in quo sensu perfectum erit totum, si nulla ei pars desit ad complementum suæ naturæ, requisita, licet imperfectum sit, cum aliis eiusdem generis, vel ordinis comparatum. Totum est ergo simpliciter oratio imperfecta, Ad argum. Philoponi.

perfecta, cui nulla pars deest, ad complementum suæ naturæ requisita: licet imperfectum comparatione enunciationis, & hoc sufficit, vt partes habeat per se significantes.

23. Confirmatio vero à nobis addita, sic soluenda est; oratio imperfecta coincidit sæpe reipsa, cum nomine complexo, sed semper distinguitur ab eo formaliter, per ordinem intrinsecum, quem ad diuersa important: nomen enim complexum, ex intrinseca ratione nominis importat ordinem ad enunciationem, vt pars eius materialis, aut integralis: oratio vero eãdem respicit, tanquam formalis, & metaphysica pars, quæ est eius genus: ideo diuersa est vtriusque ratio formalis, & sufficiens, vt nomini complexo, vt tali definitio orationis minimè conueniat.

Ad argum. secundæ opinionis D. Thom.

Argumento demum pro secunda opinione præiacto: respondet cum Alexandro, Aphrodisio, D. Thomas, verbum Aristotelis, vt dictio, non vt affirmatio, & negatio accipiendum esse, de partibus proximis orationis simplicis, & de remotis compositæ, nihil ergo prohibet proximas eiusdem significare, vt affirmationes

Quomodo explicetur solutio.

Hæc autem solutio sic explicanda est vt melius argumento satisfaciat) in definitione ea proponuntur, quæ per se conueniunt definito, hoc est, vt tali, non quæ alicui particulari dumtaxat, ex propria ratione attribuuntur, gratia exempli, in definitione animalis, solum ponuntur, quæ conueniunt naturæ sensitiuæ, vt tali, non quæ cõueniunt homini, vt homo est, nam si hæc ponerentur, vitiosa redderetur definitio, nõ conueniens omnibus sub definito contentis: vnde in definitione orationis, eas partes ponere oportuit quæ orationi, vt tali conueniunt, quales sunt quæ separatæ significant, vt dictio, non, vt affirmatio, & negatio: has enim omnis

24. oratio habet, siue sit simplex, vel composita: partes autem significantes, vt affirmatio nõ pertinent ad rationem orationis in cõmuni, sed talis, ac propterea nihil refert, ex eis cõponi orationem hypotheticam, dummodo partes habeat simplices, vt nomen, & verbum in propositionibus (ex quibus componitur) intrinsece inclusas, & quæ ei conueniunt, sub communi ratione orationis definitæ.

Ad formam igitur argumenti, sic est applicanda solutio, vt dum dicitur orationem compositam habere partes significantes, vt affirmationes, distinguendum sit: nam vel in quantũ oratio accipitur, & sic negandum est: nec enim conuenit ei tales habere partes, vt oratio, quo pacto definitur, sed vt composita, quando ergo additur in definitione, non vt affirmatio, sensus est: orationem, vt talem solum habere partes significantes, vt dictiones, quod si habeat etiam significãtes, vt affirmationes, non certe, vt oratio habebit, sed alia ratione particulari ad definitionem minime pertinente. 25.

An oratio sit genus enũciationis

Si autem interroges, an oratio verum sit enunciationis genus.

1. Sentent.

Quidam respondent non esse, præsertim, vt hac in parte definitur; nam enunciatio, non solum in voce, sed etiam in mente, & scripto reperitur, hic autem definitur sola oratio vocalis, ergo nequit esse enunciationis genus.

2. Sentent.

Nos tamen verum genus eam ponimus, cum vniuersis antiquioribus, & modernis interpretibus, vno ore id pronunciantibus: prædicatur enim quidditatiue de enũciatione, cæterisque orationibus perfectis, atque imperfectis, & tanquam superius prædicatum, erit igitur verum genus.

Sed vt singulis, singula respondeant; oratio geminam habet considerationem: vniuersalem quidem, à vocali, mentali, & scripta abstrahentem, & si hoc modo foret definienda, non certe per vocem, sed per signum, tamquam per verum genus. 26.

Alia est consideratio eius particularis, prout medium est, quo mentem nostram aperimus cæteris, & hoc modo præcipue reperitur in voce, à qua deriuatur ad scripturam: in mente vero non sic, sed tanquam naturale signum, atque internum quod tamen per orationem vocalem manifestum facimus: volens ergo Arist. eam sub hac secunda consideratione definire, per vocem, tanquam per materiam, vel subiectum eam explicuit, vt solet cætera arte facta definire; quemadmodum enim de nomine, & verbo diximus, pro fundamento esse naturalia, nẽpe voces per naturalia instrumenta formatas, sed pro formali, esse à ratione fabricata arte impositionis; & quia species à forma accipitur, connumerãda esse in arte factis, pari ratione de oratione dicendum est: ac propterea per vocem, tanquam per materiam definitur, sicut illa: oratio igitur pro vocali accepta genus est vocalis enunciationis: vniuer-

vniuersaliter vero considerata, erit etiam genus enunciationis vniuersalis.

QVAESTIO II.

An enunciatio sit ens reale, vel rationis.

Explicatio quaestionis. HOC est primum de enunciatione inuestigandum, pertinens ad esse eius, an videlicet reale sit, vel rationis, ad titulum autem explicandum non oportet
27. repetere, quae in praedicabilibus copiose tradita sunt, de natura entis rationis, & modo quo distinguatur ab ente reali, sed tanquam notum praesupponendum est; ens reale esse illud, cujus natura non pendet ab aliqua denominatione intellectus, sed ante illam est in natura rerum: ens autem rationis nô esse aliud, quam denominationem ab intellectu attributam rebus, vt à se cognitis, quas vniuersales, subiecta, vel quidpiam simile denominat: idest ergo quòd nunc quaerimus, an enunciatio, seu propositio sit realis denominatio, vocibus, atque conceptibus, seu compositioni ex his constitutae conueniens naturaliter, vel ex attributione intellectus. Et quidam de scripturis, vocibus, atque conceptibus, ex quibus integratur propositio, citra dubium est, quod sint entia realia, sed an propria forma enunciationis, seu propositionis, ex natura reali, quam habeat eis conueniat, vel non nisi ex modo quo cognos-
28. cuntur ab intellectu; in hoc est posita côtrouersia: in qua adhuc est certum realem esse operationem intellectus, per quam in modum subiecti copulae, ac praedicati ordinantur, vt sic ordinata constituant propositionem, sed an talem compositionem constituere sit in eis aliquid reale, à quo realiter compositio ipsa dicatur enunciatio: quaestionis locum habet.

Status controuersiae. Cuius statum, vt hoc solo verbo explicemus, certum est propositionem pro fundamento vocum, atque conceptum ordinatorum realem esse, sed an forma ipsa, aut formalis denominatio propositionis realis sit, aut rationis, & ita pronunciandum sit; propositionem non solum fundamentaliter, sed etiam formaliter esse ens reale, vel rationis. In hoc solum potest esse desidium: non quidem inter antiquiores interpretes, à quibus nec verbum de hac rescribitur, sed inter modernos, & paucos admodû qui nouam hanc controuersiam agitare caeperunt.

Refertur sententia Masij, & aliorum recentiorum.

QVORVM primus ex his qui scripta sua typis mandauerunt fuit Magister Masius. q. 2. huius cap. qui distinctione opus esse censuit de vocali, & scripta enuncione, pro certo ducens formaliter esse entia rationis: nam cum voces, & scripturae non significent naturaliter, sed ex libera hominum impositione, nihil reale in eis significatio erit: nihil reale denominatio nominis, verbi ac propositionis, sed quemadmodum vniuersales dicuntur res, ab intellectu eas cognoscente, per abstractionem à singularibus, vel certè per comparationem ad illa: pari ratione voces, & scripturae ad significandum impositae enunciationem, non ex propria natura, sed ex eo quod tali modo cognoscuntur, & ordinantur ab intellectu côstituunt, nec in earum natura inuenitur propositio, sicut nec inuenitur nomen, & verbum, subiectum, & attributum, sed denominationes istae à solo intellectu imponuntur. 1. Sententia 29.

Caeterum de enunciatione mentali, aliter statuendum censet, videlicet esse ens reale, propter diuersam conditionem conceptuum, ex quibus componitur; qui non solum habent esse reale materiale, sicut scripturae ac voces. Sed realem plane significationem, quae non est aliud quam naturalis repraesentatio rerum, quae obiiciûtur intellectui: motus enim, aut excitatus ab obiectis mediis speciebus, imprimis elicit rerum notitiam, seu cognitionem, per quam apud se formal côceptus earundem rerum, vt hominis, & animalis, ex quibus conceptibus componit propositionem, quam mentalem vocamus, quia in mente manet: hanc igitur propterea vocat ens reale, quia realis est, non solum quâtum ad materialem entitatem conceptuum, 30. sed etiam quantum ad significationem: propterea realem, quia naturalem, & non ex hominum impositione procedentem; sicut significatio vocum, & scripturarum.

Probat vtrunque ex definitione enunciationis,

tionis, cuius tota essentia, inquit, est verum
31 vel falsum significare; sed significatio veri, vel falsi, in enunciatione vocali, & scripta est ens rationis, cum ex libera hominum impositione procedat, quæ nihil reale in ea ponit, ergo, & enunciatio ipsa ens rationis est: ex opposito vero, quòd verum, aut falsum significet enunciatio mentalis, non pendet ab impositione, sed ab ipsa rei natura ortum habet; ergo naturalis est, & realis: probatur hoc vltimum, quia significatio conceptuum, ex quibus componitur est eadem apud omnes, vt docuit Arist. 1. cap. huius lib. ergo est naturalis.

6. Argum. Secundo. Illud, quod primo, & per se fit ab agente reali est effectus realis, sed enunciatio mentalis fit primo, ac per se ab intellectu formante, in se rerum notitias; ex quibus componit propositionem mentalem; ergo absque dubio erit ens reale: efficit quidem intellectus entia rationis, non tamen primo, & per se, sed quasi secundario, ac per accidens, cum non sint aliud, quam denomi-
32 nationes rerum consequentes, talem earum cognitionem: at cognitiones ipsas, & conceptus eas terminantes cum sit proprii actus, per se primo elicit, vnde necesse est reales esse.

Confirm. Eandem sententiam possumus hac ratione efficaciter confirmare: veritas complexa est realis, sed hæc reperitur in propositione vocali, & scripta, solum vt in signo, in mentali formaliter; ergo propositio mentalis significat simul, & continet realem veritatem, vt subiectum continet propriam formam realem est ergo ex proprio modo suæ signi-
33 ficationis ens reale, atque adeo formaliter, cum sit formaliter significatiua realis veritatis, & hæc sit eius essentia.

Formale enunciationis esse ens ratio suadetur.

Probat. 1. DVPLICEM partem cötinet hæc sententia: prior est negatiua de propositione vocali, & scripta, de quibus nullus vnquam dubitauit, quod sint entia rationis, posterior affirmatiua de mentali, quod sit formaliter ens reale: aduersus quam hæc argumenta, mihi certe difficilia oppono. Primo, etiam si conceptus, ex quibus mentalis propositio, integratur naturalem significationem habeant, sed non est eis naturale esse subiecta, aut prædicata, sed denominatio certe ab intellectu attributa, in quãtum sic ab eo ordinantur, vt vnus supponatur alteri, & alius ei attribuatur: vnde qui in vna propositione denominatur prædicatum, quia alteri attribuitur ab intellectu, in altera denominatur subiectum, quia alteri supponitur, aut alterei attribuitur, vt idem conceptus hominis, qui in hac propositione mẽtali, homo est animal, subiicitur; in hac, Petrus est homo, denominatur prædicatum: non ergo habent à natura vnam, neque alteram denominationem; quia naturalia non variantur, sed ab intellectu, in quãtum hoc, vel illo modo ordinantur.

Secundo: denominatio prædicabilis (nemine dissentiente) est ens rationis, ergo denominatio actualis prædicati. Probatur euidenter sequella, quia actus, & potentia eius- Probatur. 2.
dem ordinis sunt, prædicabile se habet, vt po 34
tentia, prædicatum vt actus; ergo si illud est ens rationis formaliter, etiam hoc; pugnat igitur cũ ratione harum denominationum alicui conuenire realiter, siue illud sit res, siue vox, aut cöceptus: nam res sunt, quæ prædicantur, in quantum vocibus significantur, atque conceptibus: esse igitur prædicata, & ex consequenti subiecta, componereq; propositionem mentalem, non conueniunt cöceptibus à natura, sed accidunt ex ordinatione intellectus.

Vidit Masius hoc argumentum, cui hoc Masius.
solum respondit: conuincere de prædicatis, & subiectis, atque enunciatione vocali, non de mentali, sed quam sit infirma hæc solutio quis non videat, cum planè conuincat argumentum: non minus accidere conceptibus, postquam ab intellectu formati sunt, subiecta, vel prædicata denominari, aut propositionem componere, quã nominibus, & verbis, postquam ad significandum sunt imposita: in vtrisque ergo sunt denominationes rationis, ex noua comparatione, & ordinatione intellectus consurgentes.

Postremo. Terminum, propositionem, Probatur 1.
definitionem, & syllogismum, nemo in rerum natura concessit, sed rebus, cöceptibus, & vocibus accidere ex tali ordinatione intellectus Peripatetici omnes ab Arist. edocti affirmant: ita vt postquam cöceptus producti sunt ab intellectu, necesse sit eos ab eodem intellectu ordinari, & ex tali ordinatione prouenire eis denominationẽ subiecti,

aut prædicati, & composito ex eis denominationem enunciationis: itaque conceptus hominis naturaliter, & realiter repræsentat hominem, & conceptus animalis animal, sed neuter habet esse subiectum, aut prædicatum naturaliter, neque vnquam consequetur talem denominationem, nisi per ordinationem intellectus, ergo absque dubio tales denominationes, non reales, sed rationis sunt; vnde fit propositionem mentalem, formaliter esse ens rationis, sicut subiectum & prædicatum: finge tibi obsecro voces significare naturaliter, vt nonnullos posuisse vidimus; & tunc rogo, an inde fieret esse prædicata, & subiecta, aut componere propositionem naturaliter, & realiter, vel necessaria adhuc foret comparatio intellectus subiectum prædicatum, & propositionem quasi fabricantis: quas proinde denominationes, nullus sane mentis naturales, aut reales vocaret, sed rationis; par ergo erit ratio de conceptibus etiam naturaliter significantibus, qui nihilominus, subiecta, prædicata, & propositiones, non nisi per denominationem intellectus vocabuntur.

Confirmat. Et confirmatur. Nam si propositio men-
36. talis sit ens reale formaliter, non spectabit ad Dialecticam cõsiderationem, iuxta communem sententiam ponentem obiectum eius ens rationis; quidquid enim sub ente rationis cadit, vel tale esse debet, vel certe aliquo modo ab eo denominari; quod patet non conuenire subiectis, & prædicatis mentalibus, atque enunciationibus, si entia realia formaliter ponantur.

Pro resolutione quæstionis notabilia.

Notatio 1. PRO huius quæstionis decisione adnotandum est: propositionem mentalem differre à vocali, & scripta, nam istæ nihil reale habent præter materiale vocum, & scripturarum, cum significatio sit in eis ens rationis, non secus, ac in pecunia valor: pendet enim illa ex libera hominis impositione, sicut iste, ex voluntate, & impositione principis: conceptus autem, ex quibus propositio mentalis extruitur, non solum secundum materialem rationem erunt reales, sed secundum significationem naturalem certe, & nullo modo pendentem ex voluntate, & impositione hominum; nihilominus naturalis hæc significatio non constituit conceptus in esse prædicati, aut subiecti, nec sufficiens est, vt plures eorum enunciationem constituant, sed eiusmodi denominationes dependent plane ab intellectu, sic eos ordinante, vt vnus subiiciatur alteri, & alter alteri attribuatur, ex qua ordinatione resultat enunciatio, & denominatio prædicati, ac subiecti, quam proinde non esse realem, sed rationis sub dubium, minime cadere potest: cum constans sit intellectum, nihil reale in eis ponere per talem coordinationem: itaque si significationem mentalis enunciationis spectes realis est, si denominationem prædicati, & subiecti, atque enunciationis, non nisi rationis.

Secundo adnotandum est aliud discrimen inter enunciationem mẽtalem ex vna parte, vocalem, & scriptam ex altera, quan- Nota 2.
tum ad veritatem, aut falsitatem: quòd in illis non est veritas, aut falsitas, nisi tanquam in signis eius veritatis, quæ in intellectu reperitur, hoc est, in propositione mentali, in qua absque dubio reperitur formaliter; hæc itaque non est vera, aut falsa tanquam signum, sed tanquam subiectum formaliter denominatum, vt animal non est sanum tanquam causa vel signum, sed tanquam proprium sanitatis subiectum vnde si definienda esset enunciatio mentalis secundum proprium modum veritatis, non esset dicendum, orationem esse verum aut falsum significantem, sed formaliter continentem; res quidem conceptas significant cõceptus, & enunciatio mentalis ex eis constructa, & ex tali significatione resultat in eis veritas, aut falsitas, à qua formaliter denominantur: vnde fit, non esse veritatis signa, sed subiecta: nam signum veritatis, sicut, & sanitatis, eam in altero existentem, non in se significat, vnde notanter Aristoteles, non definiuit enunciationem per significationem veritatis (vt quibusdam verba eius non attendentibus placuit) sed in qua verum aut falsum est: sic enim habent definitionis verba, vt omnes comprehenderet; nam in illis est, vt in signo, in mentali non nisi tanquam in subiecto; quod si per significationem definiret, aut eius definitio per significationem exponatur, non definietur enunciatio mentalis, sed
vocalis solum, atque 38.
scripta.

Reso-

Resolutio quæstionis & argumentorum solutio.

QVIBVS prælibatis nostra sententia duabus conclusionibus aperiēda est.

1. Assertio Prior. Enunciatio vocalis, & scripta; omnino sunt entia rationis formaliter, hoc est, siue spectes, significationem, siue denominationem enunciationis, nam vtraque pendet ab intellectu imponente quidem nomina, & verba ad significandum; & rursus iam imposita ordinante secundum modum subiecti, & prædicati, atque enunciationis, quidquid igitur prouenit vocibus ex vtraque operatione intellectus, ens rationis est.

2. Assertio. Posterior. De enunciatione mentali distinguendū est: dum quæritur sit ne formaliter ens reale, aut rationis: nam si spectetur formalis significatio rerum, & formalis cōtinentia veritatis, aut falsitatis ens reale est. si vero formalis denominatio subiecti, prædicati, atque enunciationis, non est realis, sed rationis, priorem partem probant efficaciter argumenta oppositæ opinionis, posteriorem vero, quæ à nobis aduersus eam proposita sunt; estque ratio per omnia similis de syllogismo, ac demonstratione, ac de enunciatione. Nam si quæsieris, an formaliter sint entia realia, aut rationis? sub eadem distinctione respondendū est; nam si men-
39. tales propositiones, ex quibus discursus ipse integratur, consideres, earūdem veritatem, & causalitatem, entia realia esse inuenies; si vero ordinationem intellectus, per quam sub forma, figura, & modo, disponuntur, & ex qua dispositione resultat formalis denominatio syllogismi, ac demonstrationis, nō nisi entia rationis.

Explicatio prioris sententiæ. & responsio ad argum. 1. Et iuxta sensum huius distinctionis potest explicari prior sententia, quo pacto modificata vera erit; cuius argumentum nihil aliud probat, quam enunciationem esse ens reale formaliter, spectata formali significatione, quod non habent vocalis, & scripta, de quibus absolute pronunciandum est, non nisi

Notand. 2. materialiter esse entia realia; quod vero ens reale sit secundum formalem denominationem prædicati, subiecti, & enunciationis non probat.

Ad secundum. Aliud etiam argumentum in fauorē eiusdem sententiæ à nobis additum, solum conuincit realem esse, mentalem enūciationem ex parte veritatis, quam formaliter cōtinet, quod admittimus, sed nō ex parte denomina-
tionis formalis; nam cōceptus ipsi, in quibus 51.
veritas reperitur formaliter: denominationem formalem prædicati, subiecti, & enūciationis suscipiunt ab intellectu eos ordināte, ad formamque enunciationis redigente.

Dubium. Sed si quispiam sciscitetur. Vtrum potius, absoluta locutione dicendum sit; videlicet enunciationem mētalem, formaliter esse ens

Responsio. reale, aut rationis? Respondeo postremū potius; quia sicut nomen prædicati, & subiecti sonāt denominationem ab intellectu, his vocibus attributam, pari ratione enūciatio for-
maliter, potius denominationem hāc com- 40.
positioni cōmunicatam ab intellectu sonat, quam realem significationem conceptuū; & hoc est, quod cōuincunt cætera argumenta à nobis præiacta pro opposita parte.

QVAESTIO III.

An definiatur enunciatio per veritatem, aut falsitatem quidditatiue.

ENTITATE enunciationis, quæ ad quæstionem an sit pertinet, cognita; sequitur iuxta ordinem scientificum quæstio, quid sit, pertinēs ad essentiā: & cum per veritatem, aut falsitatem fuerit ab Arist. definita, merito inquirimus, an hæc sit eius quidditas, vel essentia: & quidem de genere definitionis, nemo ambigit esse orationem tanquam superius prædicatū, & quidditatiuum, sub se cōtinens enūciatiuam orationē, ac cæteras species ab ea diuersas; de veritate igitur aut falsitate tota cōtrouersia est, an sit essentialis differentia.

Vtriusque partis fundamenta adducuntur, & pars negatiua præfertur.

Prima sententia asserens. CVIVS affirmatiuam partem tenet Magister Masius, vbi supra, cōclusione 2. affirmans enūciationis essentiam esse verum, aut falsum significare. Quod

1. argum. probare in primis possumus; nam has particulas posuit Aristot. in definitione, vt eam à cæteris, nō enūciatiuis orationibus separet; ergo pro differentia eius essentiali: & ita est, quod nō separatur ab eis per aliud, cū quibus tamē sub genere orationis cōuenit; ergo per hanc differentiam fit species ab eisdem distincta,

stincta, eritque proinde essentialis.

2. Argum.

Secundo, enunciatio ex propria conditione ordinatur ad syllogismum, & demõstrationem, sed veritas efficit eam ad componẽ-
41. da huiusmodi instrumenta aptam; ergo erit eius essentia.

Secunda sententia negatiua.

Nihilominus, si naturam eius diligenter, expendamus, inueniemus nõ, in significatione veritatis, aut falsitatis, sed in eo quod est, vnum de altero enunciare, ponendam esse quidditatem, vel essentiam, quam sentẽtiam tenuerunt antiquiores interpretes Arist. Alexand. Ammonius, & Niphus, in huius loci commentarijs, addente, per veritatem, aut falsitatẽ eam descripsisse Arist. eo nobis notiorem, quo plus ab externis rebus significatis dependentem; & prior pars quod significatio veritatis, aut falsitatis non sit ei essentialis, colligitur planè ex doctrina Aristot. ca. de substantia, ad finem. Vbi cum intimam substantiæ proprietatem posuisset, quod vna numero permanens sit susceptiua contrariorum, sibique statim obiecisset, eandem proprietatem conuenire enunciationi, cum eadem numero permanens mutetur, de vera
42. in falsam: Respondet suscipere quidem contraria nõ per sui mutationem, sicut substantiam, sed per solam mutationem extrinsecam; nempe rei significatæ, à qua eius veritas, aut falsitas dependet: ex quibus tale argumentum elicio. Eadem enunciatio *Petrus sedet*, mutatur de vera in falsam, ex mente Aristoteles, nam dum sedet vera est, falsa vero eo surgẽte; ergo significatio veritatis, aut falsitatis, non est ei essentialis, nam mutata essentia, non esset eadem, sed cum immutata manens de vera transeat in falsam, accidẽtia eius erunt; & vere ita est, vt docet Aristo. quod eadem propositio, *Petrus sedet*, permanet sub veritate, & falsitate successiue, cum idem sit prædicatum, idem subiectum, eadem vtriusque significatio, atque idem enunciandi modus; non ergo pertinebunt ad
43. essentiam eius veritas, aut falsitas, quod Aristotel. duobus alijs locis non obscurè indicat: nam primo lib. de priori resol. cap. 1. propositionem definiẽs, ait esse orationem, quæ aliquid de aliquo affirmat, aut negat, & primo lib. de post. cap. 2. propositionem, inquit, esse alteram partem enunciationis, in qua vnum de vno enunciatur, nulla vtrobique veritatis, aut falsitatis mentione facta, sed alterius, quod prius enunciationi, tanquam essentiale conuenit.

Alexandri Ammoni. & Niphus.

Probatur primo prima pars.

Secundo probatur.

Probatur secundo eadem pars; nam verum aut falsum significare, non est simplex prædicatum, sed quasi ex oppositis disiunctum, cuius quælibet pars indeterminata est: essentialia autem prædicata simplicia, & determinata esse omnino oportet; neque ex oppositis constare, ergo verum, vel falsum, non potest esse enunciationis essentia; nec sit satis argumento, si dicatur, significare veritatem essentiale esse enunciationi veræ, falsæ vero significare falsitatem: nam hoc profecto, non est aliud quam idem per idem explicare, ac si dixeris: essentiam albi esse albedinem, nigri vero nigredinem; aliud ergo prius constitutum in essentia designare oportet, cui veritas conueniat, & aliud, cui falsitas, quemadmodum dicimus homini conuenire, quod rationalis sit, & equo, quod sit irrationalis.

Argumenti solutio refutatur.

Refertur secundo.

Et secundo excludi potest eadem solutio: Nam vel enunciationi, vt enunciatio est cõuenit essentialiter veritas per se sumpta, aut
per se sumpta falsitas, non primum, quia om 44.
nis enũciatio esset vera; neq; secundum, quia omnis esset falsa; ergo non nisi totum disiũctum essentiale erit, quod tamen falsum esse probat argumentum tertium.

Tertio probatur.

Tertio, quia enunciatio genus est ad mẽtalem, vocalem, & scriptam; sed veritas, aut falsitas, non potest eis vniuoce conuenire; ergo non erit differentia enunciationis in communi. Probatur minor. Nam veritas, aut falsitas, conuenit mentali formaliter, vocali, & scriptæ, non nisi tanquam signo; ergo analogice, sicut sanitas vrinæ, & animali.

Refellitur solutio.

Nec soluitur argumentum, si dicatur mentali quidem, essentialiter competere, quòd sit vera formaliter, vocali, & scriptæ, quod veritatem, aut falsitatem significent; & enunciationi in communi, quòd verum, aut falsum contineat, abstrahendo, ab vtroq; modo, signi, aut subiecti: hoc, inquam, non soluit argumentum. Quia continere veritatem, vt sic, analogum est eis, ergo non est essentiale enunciationi, vt sic, in qua vniuoce conueniunt; esse etiam signum veritatis, vt sic, & subiectum, diuersissima sunt, vnde non possunt differentiæ esse eiusdem generis, nec diuersas eius species constituere.

Secundo vero pars probatur.

Secunda vero pars, quod enunciare vnum de altero sit enunciationis essentia, probatur ex ipso nomine, hoc absque dubio designante.

gnante. Et præterea, quia ex eo prouenit, quòd enunciatio verum, aut falsum significet; quia vnum de altero enunciat: nam si ita res habet, vt enunciatur, vera est enunciatio, si aliter, falsa; ergo quod primo in enunciatione intelligimus, illud est; hoc autem non nisi eo præsupposito; quod volens ostendere Arist. cap 1. In simplicibus qualia sunt nomina, & verba, atque in intellectu ea apprehendente(qui simplex propterea vocatur) ait, non esse veritatem, aut falsitatem, nisi addatur esse, vel non esse; censet igitur hinc prouenire, quòd enunciatio verum significet, aut falsum, quia enunciat aliquid esse, aut non esse. Et capit. præsenti definitionem: inquit, esse orationem: non tamen enunciationem, quia nihil de esse, aut non esse continet: fieri autem enunciationem eo ipso, quod ei addideris esse, aut non esse. Et rursus orationes modi indicantis, enunciationes esse, verumque, & falsum continere, quia esse, aut non esse enunciant: aliorum autem modorum nullam; ex eo solum, quòd non dicunt rem esse, aut non esse. Et confirmatur, nam causalis hæc propositio vera est, quia enunciatio vnum de altero enunciat, vera est aut falsa, conuertens vero planè falsa, quia verum, vel falsum significat, vnum de altero enunciat, vt consideranti constabit. Signum igitur euidens est prius hoc conuenire enunciationi, & ideo essentiale esse; posterius, illud, & ideo extra essentiam.

Essentia propositionis.

45.

Confirm.

Partis affirmatiuæ argumenta soluuntur.

Ad primũ argument.

PRIMVM argumentum solutum est ab antiquioribus interpretibus, aientibus, per veritatem, aut falsitatẽ, vt per quid nobis notius definitam fuisse enunciationem, non tanquam per essentialem differentiam. Ad syllogismum autem, (vt secũdum soluamus) non fit apta enunciatio, per veritatem, aut falsitatem, cum exploratum sit formam syllogisticam, indifferenter posse consistere, ex veris, aut falsis propositionibus, imo ex non significantibus, in quibus exempla apposuit Aristot. naturam eius explicans in lib. de priori, ac posteriori resolutione, non tamen ex affirmantibus, aut negantibus: nam sæpe ex vtraque affirmante constat syllogismus, & ex vtraque negãte nunquam: demonstratio vero, cum sit

46.

Ad secundũ argument.

specialis, ac perfectissimus syllogismus, nõ fit, ex quibuscunque enũciationibus, nec ex quibuscũque veris, sed solum ex necessarijs, & per se: vnde ex eius constitutione non potest desumi argumentum, ad probandum enunciationis essentiam in vno, potius quam in altero consistere.

Si autem scisciteris: quonam pacto se habeat significatio veritatis, aut falsitatis, ad enunciationem; si extra essentiam eius est: sit ne propria eius passio, vel commune accidens? Respondeo. Quantum ex Aristot. in prædicamento substantiæ, & ex natura enunciationis exposita licet colligere, quamlibet partem per se sumptam commune accidens esse, totum autem coniunctũ ex vtraque, quasi propriam eius passionem: quemadmodum essentiã numeri est quantitas discreta, diuisibilis in plures vnitates, par, vel impar proprietas eius, si sub forma huius disiuncti accipiatur, nam quodlibet per se non est, nisi commune accidẽs. Probatur primũ, nam veritas per se sumpta non reciprocatur cum enunciatione, ergo non est proprietas, & rursus ad esse, & ab esse potest salua eius essentia, cum dè vera transeat in falsam, non solum eadem numero enũciatio, sed omnino immutata, vt docuit Aristotel. ergo est commune accidens; tantundemque de falsitate probari potest.

Dubium cum responsione.

Nota.

77.

Quod vero, disiunctum sit proprietas, patet, siquidem cum enunciatione cõuertitur, & essentiam eius, in eo positam, quod vnum dè altero enunciet naturaliter consequitur; vnum de altero enunciare conuenit simpliciter enunciationi simplici, compositæ vero non nisi ratione suarum partium, ex quibus integratur, quæ sunt multæ enunciationes simplices.

QVAESTIO IV.

An enunciatio mentalis, sit vna simplex qualitas.

AD simplicitatem enunciationis, spectat præsens controuersia, quidditate eius iam discussa in præcedenti, sed solum de mentali procedit, vt titulus ostendit: nam dè vocali, & scripta apertum est, quòd sint compositæ, ex diuersis vocibus significantibus, prædicato, subiecto, & copula, aut certè ex multis propositionibus simplicibus, cõiunctione aliqua vnius, 78.

& quia

& quia mentalis enũciatio, qualitas quędam mentis est realis, per actum eius formata, merito inquirimus, an sit simplex qualitas, vel composita.

50. *Distinctio enunciationis formalis, ab obiectiua, & apprehensione, tam simplici, quam composita, quæ in statim controuersiæ perducit.*

QVOD vt clarius fiat obseruãdum est. ad secundam operationem intellectus duo spectare: videlicet apprehensionem, & iudicium, & vtraque operatio, ordine naturę pręsupponit in nobis simpliciũ cognitionem, aut apprehensionem: primũ namque, quod intellectus efficit, vocibus simplicibus res significantibus auditis est, eas diuersis cognitionibus simplicibus apprehendere, eo modo quo visus apprehendit diuersas res visibiles: vnde merito, prima hęc operatio vocatur simplicium apprehensio: his autem apprehensionibus simplicibus prædicati, subiecti, & copulæ præsuppositis accedit secunda operatio componẽs, ex eis enunciationem; sed nondum iudicãs de veritate eius, aut falsitate: hoc enim munus est alterius actus, etiam sub nomine secundæ operationis comprehensi, quem iudicium vocamus, quia de composita apprehensione, quasi sententiam profert intellectus, iudicans prædicatum conuenire subiecto, atque adeo veram esse, vel non conuenire, & ideo esse falsam.

Circa hunc ordinem operandi oportet adnotare, duo habere omnino certa: alterũ vero, non omnino certum, sed cõmuni ferè omnium sententia firmatum. Certum namque est intellectum simplicia apprehendere, ex quibus enunciationem constituit, nec minus certum, eundem intellectum iudicium ferre de conuenientia, vel de disconuenientia vnius respectu alterius, per quod iudicium mentale, exprimit enunciationẽ, in qua verum, vel falsum consistit; non est tamen ita certum enunciationem compositam in apprehensione reperiri, sed à quibusdam planè negatur, existimantibus, intellectum non componere enunciationem, nisi per iudicium: ita vt eadem sit prorsus operatio eius, per quam iudicat vnum conuenire alteri; ac per quam enunciatio componitur,

Duo notanda.

49.

& hoc idem esse tale iudicium ferre, & enunciationem componere, quod iudicium nulla præcessit, nec præcedere potuit compositio in intellectu, sed apprehensiones dumtaxat simplicium; quare apud hos, de sola enunciatione iudicata procedit controuersia, an sit vna qualitas simplex, vel ex multis simplicibus composita, non de enunciatione apprehensa; cum non solum nullam esse compositionem in sola apprehensione sed nec esse possibilem sentiant, quod hoc argumento conuinci putant: quia nulla potest esse compositio extremorum in intellectu, nisi cognita conueniẽtia, vel discõueniẽtia vnius respectu alterius, sed cognitio conuenientiæ, vel disconuenientiæ, est iudicium, ergo repugnat plane extrema componere intellectum, nisi per iudicium.

Sententia asserẽs nullam esse cõpositionem apprehensionem.

Vnicũ fundamẽtum.

Communis tamen consensus interpretũ Aristot. lib. 1. de interpretat. cap. 11. & lib 1. de priori resolutione, cap. etiam 1. Compositã apprehensionẽ ponit à iudicio distinctã, imo iudiciũ ipsũ ordine naturæ precedẽtem, quibus ego libens assentior, propter hæc duo argumenta; primum ex natura apprehensionis, & iudicij desumptum: Posterius ab experientia ipsa petitum: & primum eiusmodi est. Iudicium ex propria natura præsupponit aliquam apprehensionem, quod oppositum opinantes etiam admittunt, sed apprehensio præcedens iudicium, non semper est simplex sed sæpe cõposita; ergo non in solo iudicio reperitur compositio, sed etiam in apprehensione: probatur minor, primum quod audire solemus est integra compositio; ergo primũ est etiã quod apprehendimus, ita vt non prius simplicia separata apprehẽdamus, quã coniuncta, in prolata, & audita enunciatione & tunc certè vel sola compositio apprehensa præcedit iudicium vel si præcedant apprehẽsiones simplicium, non separatæ, sed coniũctæ in eadem compositione.

Arist. & cõmun sententia.

Probat. 1.

Et si forte dicatur, statim nos, ac integram enunciationem audimus, & ad intellectum nostrum peruenit, iudicare de conuenientia, seu discõuenientia extremorum, atque adeo primam operationẽ componentem esse iudicium, & primam compositionem esse enũciationem iudicatam; extat secundum argumentum ab experientia ductum, quod videtur conuincere oppositum: contingit enim aliquam nos enunciationem audire, & cognoscere, de qua non possumus iudicium statim

Secundum argument.

tim ferre, quia non constat nobis an prædicatum sit conueniens, vel disconueniens respectu subiecti: vt audita, & cognita hac enũciatione, *Astra sunt paria*, non statim iudicamus, vera ne sit, vel falsa, sed quasi suspensus manet intellectus iudicare nesciẽs; reperitur ergo enunciatio hæc in apprehensione, ante iudicium; quare non est impossibile reputandum, quod compositio, sit in apprehensione. Nec solum in speculatiuis, sed frequentius in practicis idem euenit, vt dum proponitur aliqua propositio, circa quam ineundum sit consilium, vt in bello, sit ne aggrediẽdum vel nõ? aut circa quã sit in pace deliberandũ, vt an hoc, vel illud sit hic, & nunc expediẽs, aut exequendũ? in quibus casibus enũtiationẽ apprehendimus, nondum circa illam iudiciũ ferentes, ergo necesse est fateri, quod composita apprehensio sit in intellectu, iudiciumque præcedat, & non solum simplex.

Soluitur fundamentum oppositæ sententiæ.

Nec argumentum prioris sententiæ conuincit. Quia non semper, ac intellectus cognoscit compositionem, aut eam facit: cognoscit statim conuenientiam, aut disconuenientiam vnius extremi respectu alterius, vel quia cognoscere eam non valet, vt in exemplis designatis constat; aut quia licet facile posset eam cognoscere, non statim eam considerat, quare non semper componit iudicando, sed sæpe solum apprehendendo.

De quo procedat difficultas.

Quo præsupposito: Quæstio tam de apprehensione, quam de iudicio procedit, cum in vtroque actu intellectus suo modo reperiatur enunciatio mentalis.

Quæ tribus modis accipitur, pro actu videlicet intellectus apprehensionem componentis, aut de illa iudicantis, pro termino huius actus intrinseco, & pro termino extrinseco. Quam distinctionem vt intelligamus adnotare oportet, per quamlibet operationem intellectus speciẽ expressam produci, tanquam terminum eius intrinsecum repræsentantem obiectum, vt actu intellectum: quemadmodum per impressam repræsentatur, vt intelligibile, & talẽ speciem appellamus verbũ mentis, & conceptum; itaque per simplices apprehensiones subiecti, & prædicati, & copulæ producit intellectus earundem rerum simplicium diuersos conceptus simplices. Ex quibus per secundam operationem, quam apprehensionem compositam vocamus, enunciationem componit, de qua iudicat postea, an prædicatũ eius subiecto conueniat, & vera sit, an potius ab eo remoueatur, & sit falsa; & hoc iudicium etiam habet pro termino compositionem conceptuum, quasi iudicatam. Et ecce tibi actus diuersos secundæ operationis intellectus: videlicet apprehensionem, & iudicium, & diuersos terminos per eos productos, quorum primus vocatur compositio apprehensa ex conceptibus, alter compositio eorundem conceptuum iudicata, & enunciatio mentalis, pro vtroque accipi cõsueuit, nempe pro actu, vel operatione, atque etiam pro termino eius, quanquam verè & propriè, pro hoc solo accipienda sit, quia vere, & proprie appellatur qualitas mentis, nam operationes non ad prædicamentum qualitatis, sed actionis pertinent, sed terminus iste duplex est, vnus intrinsecus, qui vocatur mentalis enunciatio formalis, ex conceptibus formalibus composita: alter obiectiuus, qui non est aliud, quam res significata per conceptus formales eiusdem enunciationis formalis, & vocatur enũciatio obiectiua: quam distinctionem vocalis enunciatio declarat, quæ ex vocibus significantibus componitur, & ex significatis rebus, vt hanc propositionem vocalem: homo est animal, pro vocibus accipimus, & pro rebus significatis: ex quibus veritas eius, aut falsitas depẽdet; pari ergo ratione eadem enunciatio mentalis: homo est animal, pro conceptione totali repræsentante eandem rem: videlicet hominẽ esse animal, accipitur, quem vocamus formalem, & terminum apprehensionis, aut iudicij intrinsecum, & pro eadem repræsentata, quam vocamus cõceptum obiectiuum, & terminum extrinsecum, quia medio conceptu mentali obiicitur intellectui, & eius operationem extrinsece terminat. 31.

Aliqua ad statuẽdum sententiam veram proponuntur.

Quibus præmissis distinctionibus certa sunt, ab incertis separanda, vt ad statum quæstionis breui possimus deuenire: certum est igitur, quod si enunciatio mentalis accipiatur, pro operatione intellectus secundum se considerata, quam apprehensionem vocamus, seu iudicium, non sit composita, sed simplex, quia vnico actu simplici efficit intellectus compositionem, ex simplicibus cõceptibus prædicati, & subiecti, vnico etiam actu fert iudicium de ea.

Enunciatio obiectiua est cõposita.

Certum est etiam secundo: quod si enunciatio mentalis accipiatur pro obiectiua: non sit simplex, sed cõposita, nam res significata

ficata per hanc propositionem mentalem, homo est albus, non est vna ac simplex, sed planè ex multis, & diuersis composita, siue mentalis enunciatio, per quam repræsentatur sit qualitas simplex, siue composita. De hac igitur enunciatione mentali, quam formalem vocamus, procedit quæstio, an eum vere, & proprie sit qualitas mentis, vnica, atque simplex sit, aut certe, ex multis qualitatibus simplicibus composita.

Tituli quæstionis explanatio.

Proponitur sententia negatiua.

Probat. 1.

ET videtur planè non esse simplicem, sed compositam, primo, quia par est ratio, de mentali, ac vocali enunciatione: cum hæc sit illius signum, sed vocalis

52. non est vna vox simplex, sed cōposita ex multis nempe ex voce significante rem, quæ prædicatur, & ex altera significāte rem, quæ subiicitur, atque ex verbo; ergo enūciatio mentalis, non erit vnus simplex conceptus, sed cōpositus ex multis simplicibus, videlicet ex cōceptu repræsentante prædicatū, & ex repræsentante subiectum, & copulam, neque aliud videtur intelligibile.

Probat. 2.

Secundo: conceptus sumit suam simplicitatem, aut compositionem à re, per eum naturaliter repræsentata, sicut, & vox à re significata, ex impositione, sed res repræsentata per propositionem mentalem est composita ex multis simplicibus, videlicet ex homine, & albedine, de eo enunciata; ergo mentalis enunciatio composita quoque erit ex multis conceptibus simplicibus earundem rerum.

Confirm.

Et confirmatur: quia prædicatum, & subiectum aliquo modo sunt opposita, vt constat in his propositionibus: homo non est non

53. homo, & album non est nigrum; ergo implicat contradictionem per vnum simplicem conceptum repræsentari, sed repræsentantur per enunciationem mētalem; ergo illa non est vnicus, ac simplex conceptus, seu qualitas mentis, sed composita.

Probat. vlt.

Postremo id est discriminis inter hominem, & Angelum, quod iste non intelligit componendo, nec diuidendo, sicut nec discursu vtitur, sed vnico intuitu: vnicoque, ac simplici conceptu fertur in totam compositionem, atque in totum discursum à nobis constitutum: itaque quod nos per plures conceptus, ille per vnum, ac simplicem intelligit: quod nos plures conceptus simplices in formam propositionis redigentes præstamus, ille vnico ac simplici: nos prædicatum, & subiectum huius propositionis, homo est albus, per plures species, ac per plures conceptus simplices percipimus, ille vero vnico, ac simplici, quo absque dubio totam propositionem à nobis fabricatam intelligit; vnde fit enunciationem talem, apud illum simplicem qualitatem esse. Cessaret igitur hæc differentia à cunctis posita: si etiam nos vnico ac simplici conceptu apprehenderemus eandem enunciationem vocalem, vnico ac simplici conceptu iudicatiuo apprehenderemus prædicatum conuenire subiecto, hoc est enim admittendum, 54.
si admittamus simplicem qualitatem esse mentalem nostram enunciationem: & non minus simpliciter, nec minus perfecte intelligeremus, quam Angeli; quod absurdum vt fugiamus fatendum est, ex multis conceptibus, aut qualitatibus, quibus mediis diuersas res percipimus esse compositam. Et confirmatur, quia complexum, & incomplexum, non solum in voce datur, sed etiam in mente: At enunciatio quid complexum est; ergo vere datur complexa in mente, atque adeo non qualitas simplex. 55.
& ita tenent ex modernis interpretibus Aristotelis non pauci.

Confirm.

Opposita sententia simplicem qualitatem esse affirmans.

SIMPLICEM nihilominus qualitatem esse opinantur Soto 2. lib. summul. cap. 5. Doctor Tolet. 3. lib. de anima q. 19. & videtur colligi ex D. Thom. 1. p. q. 12. artic. 9. ad primum, vbi sic loquitur. *Aliquæ potentiæ cognoscitiuæ sunt, quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt, sicut imaginatio, ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei, & intellectus ex præconceptis speciebus generis, & differentiæ format rationem speciei, &c.* His verbis ostendens, superiorum potentiarum virtutem, vt phantasiæ, aut imaginationis, & intellectus, quæ geminas habent operationes, simplices, & compositas: ita vt per simplices, quasi minutatim res simplices percipiant, singulas per species singulas: non secus ac potentiæ inferiores: per compositas vero simul plures, & per vnam aliquam speciem. Itaque secundum has operationes, non solum inferiores potentias superans,

Eminentia superiorum potentiarum.

rant, sed semetipsas, in ordine ad simplices operationes consideratas, in quãtum vnam aliquam speciem sibi formare possunt id totum repræsentantem, quod per multas repræsentatur inferioribus potentiis, & sibi metipsis quantum ad simplices operationes.

Duplex ratio huius eminentiæ. Et huius eminentiæ duplex est ratio, vniuersalis vna, particularis altera. Vniuersalis ratio est, quia vniuersaliter verum est vnita esse in superioribus, quæ in inferioribus sunt dispersa, quemadmodum in sole vnica virtute continente, atque operari potente, quidquid multis, ac diuersis continent, & operari possunt aqua & ignis: pari ergo ratione, in potentiis superioribus vnitam esse virtutem, quam inferiores habent, quasi dispersam censendum est: ita vt sensus communis vnica virtute possit percipere, quidquid diuersis possunt quinque sensus externi.

57. Ratio vero particularis est, quia superiores potentiæ, sicut causæ duobus operantur modis: vno quidem quasi per inferiores limitatæ, quo pacto limitatum habent effectum, sicut inferiores ipsæ, vt sol cõcurrens cum homine ad generationem, non nisi hominem operatur: alio modo per se, & absque tali limitatione; vt dum sol per illuminationem, aut influentiam, calorem simul, frigitatem, & plures alias producit qualitates in diuersis subiectis: & pari ratione potentiæ dum operãtur quasi per inferiores limitatæ, hoc est, circa obiectum, nondum à se perceptum, sed ab inferioribus propositum, limitatam operationem habent: non secus, ac ipsæmet inferiores sigillatim percipientes obiecta singula: videlicet per singulas species, at dum absque tali operantur limitatione, circa obiectum quidem, non vt immediate inferiorem ministerio propositum, sed vt iam

58. à se perceptum, per earundem ministerium: vniuersaliorem habent, ac nobiliorem effectum, & modũ particularem operandi inferioribus potentijs non alligatum. Per primã itaque operatione m inferioribus conformãtur, quantum ad modum operandi, & sigillatim res percipiunt per species singulas: in secunda vero superiorem potius virtutem ostẽdunt: nam vnica cum sit, quidquid multis operationibus successiuè percipitur ab inferioribus, simul percipit & consequenter per vnicam speciem quidquid illæ per plures, nam per qualitatẽ, & extensionẽ speciei, quæ est principium operationis, qualitas, & extensio eiusdem operationis mensuratur.

Exemplo ostenditur. Et hanc doctrinam veram esse in phantasia, vel imaginatiua potentia, nemo ambigit, quæ interioribus potentiis conformatur, in simplici operatione, per vnam, non nisi vnicum obiectum simplex percipiens, atque etiam per vnam speciem, sed in operatione composita, non solum eas, sed semetipsã simpliciter operantem excedit, cum per vnã multa simul sensibilia percipiat, cuius operationis principium est vnica etiam species, quam ex particularibus, quæ simplicibus operationibus principium dederunt propria virtute format, vt ex speciebus montis, & auri, speciem vnam montis aurei; ac propterea cõposita species vocatur, quia ex multis simplicibus formata est, cum tamen in se simplex sit qualitas, & si imaginatiuæ potentiæ, quia inter sensitiuas superiori, hanc virtutem omnes concedunt, non poterit 59.
profecto denegari intellectui, qui quasi suo sibi iure vendicat supremum inter omnes cognoscitiuas potentias locum, ac dignitatem: habebit igitur virtutem eliciendi operationes simplices, per immediatam propositionem obiectorum, ab inferioribus potentiis; in quibus proinde eis cõformabitur, minutatim obiecta intelligens, sicut proponuntur, nempe singula per species impressas, atque expressas singulas; habebit etiam virtutem eliciendi operationes compositas, per quas multa simul simplicia obiecta cognoscat: non iam modo operandi inferiorum potentiarum alligata, sed specie, vna ex multis simplicibus propria virtute formata, per quam multa obiecta simplicia, sub ratione vnius compositionis, sibi repræsentẽtur, vt vnum videlicet complexum, vnámve definitionem (vt exemplo D. Thom. vtamur) vel vnam certè enunciationem constituunt: itaque totum hoc complexum, homo albus, integram hanc definitionem animal rationale, ac enunciationem integram, homo est risibilis, vnica specie expressa repræsentari intellectui censendũ est, cõposita quidem, in quantũ ex multis simplicib. formata, sed in se absque dubio simplici, & hæc est virtus componendi, & diuidendi, quam intellectui nostro cõcedunt oẽs: hæc etiã operatio, per quã talẽ speciẽ sibi format, cõpositio vocatur, hęc 60.
demũ species formata integrã cõpositionẽ, aut enunciationẽ repręsentãs vocatur, & est propositio mentalis apprehensiuã, aut iudi-

catiua, iuxta vtriusque operationis conditionem, & hæc sunt præcipua huius sententiæ fundaméta, quam deinde confirmare possumus.

Vltima ratio. Nam tota definitio, totaque enunciatio habet modum vnius obiecti: percipitur per vnam operationem, quę vocatur apprehensio, aut iudicium, ergo repræsentatur per vnicum conceptum, non subiecti, aut prædicati, quia conceptus subiecti, aut prædicati, non nisi rem simplicem repræsẽtat; ergo totius compositionis, quemadmodum singulas partes domus per operationes singulas, singulosque conceptus percipimus, sed totam ipsam domum vniuersas includentẽ, per vnum totalem conceptum: per vnum ergo, totam enunciationẽ, quæ duabus de causis, (illis quidem extrinsecis) compositus vocatur; prior est, quia ex multis simplicibus formatus: posterior quia rem compositam repræsentat, sed in se, ac secundum se simplex est, & qualitas simplex vocari debet: quemadmodum iudicium nostrum, & apprehensio compositæ operationes vocãtur, quia circa totam versẽtur compositionem, & quod amplius est conceptus Angelicus, & operatio, per quam eandem enunciationem cognoscit: in se tamen simplices sunt operationes, & simplicissimus est conceptus.

Expenditur vtraque sententia, & prior tanquam magis doctrinæ D. Thomæ & mentalis enunciationis naturæ consona præfertur.

VTRAQVE opinio proposita, & corroborata innititur planè modo intelligendi nostro, ex quo proculdubio dependet huiusce rei veritas: diuersa tamen via incedunt; nam posterior, similem efficit modum intelligẽdi nostrũ Angelico, cum velit per vnam simplicem speciem expressam totam nos enunciationẽ apprehen-
62. sam, vel iudicatam intelligere, sicut integra repræsentatur, per vnam illam speciem, & hoc est non esse compositam qualitatem, sed simplicem: at sententia prior non tantum intellectui nostro tribuit, nec modum intelligendi Angelicum ei concedit, sed longe inferiorem: ita vt neque vnam simplicem speciem expressam formare valeat, integram enunciationẽ repræsentantem, nec ex consequenti per vnam, sed per plures eam intelligat, vel certe per vnam cõpositam ex duabus, aut tribus simplicibus: quod si ita sit, non erit simplex qualitas, sed composita ex pluribus, & vere in hoc est posita tota difficultas, & iste est huius controuersiæ status.

Sententia propria. Mihi quidẽ (vt verum fatear) magis semper placuit prior sententia, quod modus noster intelligendi, nequeat attingere Angelicam perfectionem expositam, nec enunciationem exprimere, quę sit simplex qualitas, sed vere compositam ex conceptibus diuersis prædicati, & subiecti: non secus, ac vocalis ex multis vocibus composita est. Quam sententiam reperio apud doctissimum P. Gabrielẽ Vazquez nostræ Societatis, tom. 2. 1. par. dis. 13. cap. 3. & arbitror expressam esse à D. Tho. 1. p. quæst. 58. artic. 4. ad primum hisce verbis. *Non qualiscumque multitudo intellectuum compositionem causat, sed multitudo illorum intellectuum, quorum vnum attribuitur alteri.* Quibus rationem satis efficacẽ indicat, ex proprio, ac naturali modo intelligẽdi nostro desumpta. Etenim si homo enunciationem, ex multis intellectibus, seu conceptibus, vnum attribuens, alteri constituit: non nisi mentalis erit: quæ ex conceptibus repræsentantibus res construitur, sicut vocalis ex multis vocibus, sed diuersi conceptus sunt diuersæ qualitates; ergo mentalis enunciatio non erit qualitas simplex, sed composita, ex multis simplicibus qualitatibus. Probatur secundo, ex compositione ipsa, atque ex modo componendi; enunciatio enim quælibet, siue sit vocalis, aut mentalis, compositio est, aut diuisio, sicut affirmatio, aut negatio: affirmatiua enim compositio dicitur, & negatiua diuisio, sed componere vnum cum altero, aut illud de eo affirmare, & rursus vnum ab altero diuidere importat multiplicitatem; ergo enunciatio mentalis, in qua id necessario reperitur, ex pluribus erit qualitatibus composita, & non simplex: cum in simplicibus non sit vnum, & alterum: modus etiam componendi per attributionem vnius ad alterum, idem conuincit, cum multiplicitatem necessario præsupponat.

Sed probatur tandem ex enunciatione vocali; nam voces significantes res mediis cõceptibus, & iuxta modum concipiendi imponentis, ad eos significandos fuerunt impositæ, sed enunciatio vocalis non est simplex.

P. Vazquez. D. Thom. 1. Argum. 63. 2. Argum.

plex, sed cōposita ex multis, ergo nec mentalis erit simplex conceptus, sed ex multis compositus; quod præsertim necessarium probatur, vbi extrema propositionis sola ratione distinguuntur, vt homo, & animal, quæ distingui repugnat, nisi diuersi conceptus de vtroque formētur: dum ergo vnum de altero enunciamus in mente, enunciationem ex conceptibus vtriusque componimus, quare nequit esse simplex qualitas enunciatio. (3. Argum.)

Argumentis oppositæ partis obuiamitur.

NEC difficile est, argumenta posterioris sententiæ diluere: nam & si admittamus phantasiam, & intellectum habere virtutem cōficiendi vnam speciem ex multis, vt D. Thom. docet, & experientia confirmat, non tamen per modum attributionis vnius ad alterum, nec per modum affirmationis, aut negationis, quod omnino necessarium est ad enunciationem constituēdam, sed in quantum simplici quodam verbo, aut specie expressa exprimere valent: totum, quod per plures impressas repræsentabatur: nihil tamen attribuendo alteri, sed per modum simplicis operationis. (Testimoniū D. Tho. explicatur.)

Cætera vero argumenta, eminentiam intellectus supra sensitiuas potentias opponūt: & rursus similitudinem eius cum intellectu Angelico. Primum vero difficultate caret, cum hæc eminentia in multis aliis cernatur, & in modo adhuc iudicandi, aut apprehendendi enunciationem cernitur; quia cæteræ potentiæ iudicium per attributionem vnius ad alterum non attingunt: imo neque apprehensionem compositam, sed simplicia dumtaxat apprehendunt, & ad summum per modum simplicis operationis, speciem expressam eliciunt, repræsentantem totum illud, quod per multas simplices impressas repræsentabatur: nihil prorsus componendo, aut diuidendo: vt de phantasia admittimus. Quod vero additur, virtutem in inferioribus dispersam debere esse in superioribus vnitam, verum est, accipiendum tamen intra proprium ordinem, ac perfectionem; quo pacto in intellectu reperitur, quasi collectum, quidquid in cunctis potentiis sensitiuis sparsim est, ex quo non bene colligitur eum posse integram enunciationem, per vnam simplicem speciem expressam apprehendere, vel iudicare: nam hoc excedit planè mensuram propriæ perfectionis, & Angelorum proprium est; nec ab intellectu nostro attingi potest, cuius ratio est, quia illi non intelligunt componendo, ac diuidendo, sed absque attributione vnius ad alterum simplici notitia cognoscunt ei conuenire, quod nos nisi per plures, ac diuersos conceptus cognoscere non possumus; quos attributio, atque etiam compositio, & diuisio necessario præsupponunt. Et hinc est, quod tota enūciatio repræsentatur illis per vnam, ac simplicem speciem: nobis vero non nisi per plures, aut per vnam ex pluribus compositam, vt in discursu constat, qui per plures species compositas nobis repræsentatur; illis vero per vnam simplicem: quia discurrendo non intelligunt, hoc est, vnum deducendo ex altero, sicut nos, sed simplici intuitu causam, & effectum contemplantur, cognoscentes simul, quod causa eius sit. (Diluuntur cætera argumenta.) (63.)

QVAESTIO. V.

An enunciatio genus sit ad affirmantem, & negantem.

AD partes subiectiuas enunciationis, iam pertinet controuersia hæc: nam tales sunt species respectu generis; quærimus ergo: an affirmans, & negans sint species enunciationis, & ita diuisio enunciationis in eas generica sit, ac dum animal diuidimus in hominem, equum, & leonem. (Explicatio tituli quæstionis.)

Diuersæ referuntur sententiæ, & affirmatiua quæstionis pars præfertur.

HANC quæstionem tetigit D. Thomas, in commentariis huius loci: referens Alexandri sententiam putantis æquiuocam esse enunciationem ad affirmationem, & negationem comparatam, vel ad summum analogam; ideo censet in hæc duo membra diuidi, tanquam æquiuocum, aut analogum in diuersa significata, aut analogata, quam sententiam secuti sunt Philoponus 1. lib. de posteriori resolut. cap. 21. Aspasius, & Buranas, li. de priori resolut. cap. 1. Eique ansam videtur tribuisse Aristo. capite: (1 Sententia.) (Probatur ex Aristot.)

capite præsenti sic loquens: *Est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio*; quibus verbis enunciationem primo conuenire docet affirmatiuæ, & quasi secundario negatiuæ, vt etiam 1. lib. de post. resol. cap. 21. testatur, sed quod multis conuenit secundum prius, & posterius est analogum; ergo cum genus æqualiter ab speciebus participetur, analoga erit enunciatio ad hęc duo membra comparata.

1. Argum. Quod his rationibus comprobatur. Affirmatio ex propria conditione importat compositionem, negatio diuisionem: compositio autem ordine naturæ, prior est diuisione. Affirmatio præterea importat formã positiuam, qua priuat negatio, sed habitus est prior natura priuatione; ergo & affirmatio negatione, analoga, ergo erit communis ratio enunciationis, respectu vtriusque.

2. Argum. Secundo. Negatiua dicitur ex additione ad affirmatiuam, quam proinde secundum ordinem naturæ præsupponit: nam non est aliud negans propositio, quam affirmans addita negatione, ex quo etiam habetur simpliciorem esse affirmatiuam, & ex vtroque intentum, quod sit prior, atque adeo quod non sint enunciationis species, sed quasi diuersa significata, cuiusdam æquiuoci, aut analogi.

2. sentent. M. Soto. Magister Soto. 2. lib. summularum, affirmationem, & negationem diuersas qualitates enunciationis esse arbitratur, sicut albedo, & nigredo, sunt diuersæ qualitates corporis, & ideo enunciationem in affirmantem, & negantem diuisam esse ab Aristot. tanquam subiectum quoddam in diuersa accidentia, vt corpus in album, & nigrum; cuius sententiam hoc argumento probare possumus; accidens est quod ad esse, & ab esse potest subiecto, salua eius essentia, vt Porphyrius docuit cap. de accidenti, sed ita se habent respectu enunciationis affirmatio, & negatio, ergo sunt accidentia eius: probatur minor: eadem propositio immutata transit, de affirmatiua in negatiuam, atque etiam de negatiua in affirmatiuam; ergo salua eius essentia hoc ei accidit: exemplo nobis esse potest hæc enunciatio; homo est albus, cui si negationem adiunxeris, efficitur negans, & si additam negationem abstuleris affirmans redditur, & tamen eadem semper est secundum substantiam; cum idem prædicatum, & subiectum habeat, non ergo variatur essentialiter, sed secundum diuersas qualitates.

66.

Probatur.

67. 3. Sententia notoria. Communis tamẽ sententia profitetur diuersas esse species affirmantẽ, & negantem, sub genere enunciationis; quam tenuerunt nõ solum antiquiores interpretes, Porphyrius, Ammonius, Boetius, ac Simplicius, in expositionẽ huius cap. quos D. Thom. ibidem secutus est, sed etiam moderni, vt Louanienses, Suesanus, Lemosius in his commentariis, & Doctor Tolet. quæst. 2. & ita est omnino tenendum.

Probat. 1. Fundamentum præcipuum huius sententiæ (ni ego fallor) illud est, quod superius de essentia enũciationis agentes stabilitum reliquimus: nempe, primum conceptum, in quo eius essentia posita est, non esse alium, quam vnum de altero enunciare, à quo emanat, vt veritatem, aut falsitatem contineat; vnum autem de altero enunciare contingit per affirmantem, aut negantem; ergo intrinseca, absque dubio sunt membra, in quæ diuiditur enunciatio secundum essentiam, quod est esse species illius.

Probat. 2. Secundo probatur. Enunciatio in communi prædicatur quidditatiue, de affirmatiua, & negatiua specie differentibus, ergo est verum vtriusque genus. Probatur prior pars antecedentis, nam veræ sunt prædicationes istæ, affirmatiua est enunciatio, negatiua est enunciatio, quarum prædicatum cum sit commune, erit absque dubio superius, & quidditatiuum. Nam quid magis essentiale, potest esse vtrique, quam vnum de altero enunciare. Probatur deinde posterior pars, quòd essentialiter inter se distinguantur. Affirmans enunciatio, importat ex propria cõditione compositionem, aut vnionẽ prædicati cum subiecto; negans diuisionem, aut separationem ab eo, quæ sunt rationes formaliter diuersæ, atque adeo essentiales differentiæ, vtpote ex propriis modis enunciandi desumptæ, constituunt ergo diuersas species sub eodem genere. 68.

Notabile vnicum pro argumentorum solutione.

Not. PRO solutione autem argumentorum adnotandum est illud, quod optimę docuit Tolet. affirmationem, his modis

dis esse priorem negatione, vt primum, & secundum argumẽtum à nobis propositum assumunt. Primo simplicitate, nam cum negatio fiat, ex affirmatione aliquo super addito, maiorem compositionem, quam illam importat. Secundo cognitione, nam per af-
69. firmationem cognoscitur negatio. Tertio significatione, significat enim affirmationem esse, negatio, rem non esse, esse autem prius est ordine naturæ, non esse, cum negatio cuiuslibet fundetur, supra esse eiusdem positiuum: & idcirco hoc illam semper præcedat. Quarto perfectione, cum entitas positiua per affirmationem significata sit perfectior negatione: prior denique est ad modum operandi intellectus comparata: nam intellectus prius componit, quam diuidat, & affirmatio compositionem, negatio diuisionem importat.

Verum esse altero prius duobus modis. His autem modis vnum esse altero prius, (vt bene adnotauit D. Tho. vbi supra) dupliciter contingit: & secundum rationes proprias, quibus constituuntur, ac distinguũtur: & secundum communem, quam participãt; & primus modus prioritatis in aperto est, quòd non tollat vniuocationem requisitam ad rationem generis: nam binarius prius est ternario, secundum propriam rationem, & homo cæteris animalis speciebus, & vt vno
70. verbo multa proferamus exẽpla, de hoc genere prioritatis intelligitur pronunciatum illud ab vniuersis receptum. *In quolibet genere oportere, vt detur vnum primum, quod sit*
Axioma quoddam explicatur. *cæterorum mensura*: vnam videlicet speciem multis modis priorem, ac perfectiorem cæteris: ita vt per minorem, aut maiorem accessum, aut recessum ab ea perfectiores sint, aut imperfectiores reliquæ: ratio huius est, quia talis perfectio prioritásve, non tollit æqualem participationem generis; aliud est enim communem naturam à multis participatam perfectiorem esse, in vno quã in cæteris, aliud inæqualiter esse participatam: perficitur enim magis per differentias perfectiores, sed æqualiter participatur: ostendit vtrumque species humana, in qua perfectior reperitur natura sensitiua, propter coniunctionem cum rationali: sed non partici-
71. patur inæqualiter, quia maior ista perfectio non ratione sui, sed differentiæ contrahentis contingit: vnde potius est inter differentias vnam esse priorem, ac perfectiorem cæteris, quam communem naturam prius, & perfectius ex parte sua à particularibus participari; & iste est secundus modus prioritatis analogiam constituens, & vniuocationem ad rationem generis requisitam, tollens, vt constat in ente, cuius ratio perfectius participatur à substantia, quam ab accidentibus, & quidem ex propria eius conditione: nam prioritas substantiæ, & maior 72.
perfectio eius, ab entitate perfectiori, absque dubio prouenit, quia modus intrinsecus per se, non addit supra entitatem nouum gradum perfectionis.

Satisfit argumentis aliarum opinionum.

ET hæc distinctio ad affirmantem, & negantem enunciationem applicata, argumẽtorum difficultatem pro prima sententia oppositorum, prorsus tollit: Ad argum. 1. sentent.
nam omnes illos modos prioritatis (quos affirmanti non possumus negare) habet plane ex parte differentiæ prioris, ac perfectioris: non ex parte communis rationis enunciationis, æqualiter participatæ ab vtraque, quod hoc argumento ostendere possumus: nam in tantum illis omnibus modis prior est, in quantum affirmans, quia ratione sublata, vel certe non considerata, sed communi dumtaxat ab ea abstrahente, nullam prorsus prioritatem inuenies: & rursus, si negantem, nõ vt talem, sed vt enunciantem vnum de altero, aut vt veram, vel falsam consideres, inuenies, non dependere vllo modo ab affirmante, vt tali, quod profecto argumento est, ex parte solius differentiæ prioritatem, aut dependentiam contingere, quam attendens Philosophus, posuit affirmantem, primam vocari enunciationem, absque præiudicio vniuocationis, ad rationem generis requisitæ.

Quod autem secunda opinio opponit: affirmationem, & negationem esse qualitates Soluitur 1. Argument.
enunciationis, negandum est in sensu accidentali, sed eo modo potest admitti, quo differentiæ essentiales dicuntur qualitates generis: nam cum sint quasi essentiales formæ, & omnis forma importet quandam rationem communem qualitatis, in quale dicuntur prædicari, non absolute, sed cum illo addito in quale quid: ostẽdente rationem qualitatis, non propriam, à qua constituitur prædicamentum qualitatis, sed in cunctis repertam generibus, ac prædicamentis,

& ideo

& ideo communem, quam proinde essentialem vocant.

Soluitur 2. argument. Aliud argumentum distinctione soluendum est: nam quod affirmatiua enunciatio, eadem permanens in negatiuam mutetur: duobus modis intelligi potest, materialiter, aut formaliter. Et primo modo eadem per-
74. manet, nequaquam secundo: permanere autem materialiter eandem, non est aliud, quam non mutare materiale prædicatum, & subiectum, sed cum mutetur modus enunciandi per attributionem, vel remotionem enunciationi intrinsecus, vt probauimus: mutatur plane enunciatio ipsa formaliter in alteram speciem: vnde fit negationem, & affirmationem, non esse accidentales, sed essentiales differentias, cum salua essentia enunciationis mutari, haud quaquam contingat.

QVAESTIO VI.

An enunciatio, sit genus ad simplicem, & compositam.

Explanatitulis. HAEC est altera diuisio, quam Aristoteles hisce verbis proposuit. *Est autem vna oratio enunciatiua quæ vnum significat, vel coniunctione vna, plures autem, quæ plura, & non vnum vel non iunctæ* Per eam,
Prior diuisio enunciationis. quæ vnum significat simplicem intelligens, atque vniuocis terminis constantem: vnde duplicem diuisionē eisdem fere verbis clausit: prior est enunciationis simplicis, in vnā, hoc est vnum significantem, & plures, quæ plura significat, & ideo non vna, sed multiplex est, vt canis est substantia: licet voce vna sit, tres continet valde diuersas; nempe canis latrabilis est substantia, sydus est substan-
75. tiā, & piscis est substantia; & de hac diuisione nemo ambigit esse analogam, cum æquiuoca enunciatio, non sit vna nisi solo nomine, imo neque sit enunciatio, sed enun-
Posterior diuisio. ciationes. Posterior diuisio est enunciationis vniuocæ, in simplicem, quæ vocari solet categorica, hoc est prædicatiua, in qua vnum de vno enunciatur: vt homo est animal; & coniunctione vnam, quam vocant non categoricam, quia partes eius proximæ, non sunt prædicatum, & subiectum: & ideo neque vnum in ea proxime de altero enunciatur: sed hypotethicam, aut coniunctam; quia multas continet enunciationes coniunctione vnitas, vt homo est albus, & equus est hinnibilis, & ideo vocat eam Aristotel. vnam coniunctione. Qualitas igitur huius diuisionis in controuersiam vocatur: videlicet an vniuoca sit, atque adeo tanquam genus diuidatur enunciatio in hæc duo membra, vel certe, vt analogum in diuersa analogata.

Duæ sententiæ referuntur, & earum fundamenta.

TRIPLICEM de hac re sententiam inuento. Prima tenet esse diuisionem 1. sententia.
genericam: probatque ex definitione Probat 1.
orationis vniuoce competenti simplici, atq; compositæ, ac tanquam diuersis speciebus 76.
eiusdem generis, quod & nos ex multorum interpretum sententia, tanquam probabilius secuti sumus; erunt igitur diuersæ species orationis, ergo etiam diuersæ species enunciationis. Probatur sequella nam quæ vniuoce conueniunt sub genere superiori, necesse est etiam vniuocè cōuenire sub prædicato inferiori: vt si duo animalia diuersa, vniuocè conueniunt sub genere viuētis, necesse est sub animali etiā vniuocè conuenire: enunciatio autem est prædicatum quidditatiuè contentum sub oratione, ergo cum simplex, & composita sint diuersæ species orationis, & conueniant sub enunciatione, vniuoca erit conuenientia, atque adeo generica, cum per diuersas rationes formales simplicis, atque compositæ separentur.

Secundo significare veritatem, aut falsita- Probat. 2.
tem, quod est enunciationis essentia, aut certe, quasi eius proprietas conuenit vniuocè simplici, & compositæ: ergo enunciatio erit etiam vniuoca respectu vtriusq;, atque adeo verū genus. Probatur antecedens: quia enunciatio composita simpliciter est vera, aut falsa; ergo simpliciter est enunciatio: non ergo analogicè, sed vniuocè cū enuntiatione sim-
plici. Hanc sententiam tenet Magister Sot. 77.
2. lib summul. cap. 6. quem sequuntur Mercat. in argumentis sed contra, 2. lib. summ. oppositis, & Pater Franciscus Suarez, in scriptis huius cap.

Secunda opinio, quorundam moderno- 2 Opinio.
rum accidentaliter solum differre sentit, Probat. 1.
tanquam magis, & minus compositum; quem-

quemadmodum in genere artificiali distinguuntur parietes, & tota domus; simplicem namque enunciationem, aiunt, quis dubitet esse compositam, sed quia non componitur ex multis enũciationibus, sed solum ex subiecto, prædicato, & copula; tanquam ex partibus simplicibus vocatur simplex; quemadmodum nomina ex syllabis composita simplicia appellantur comparatione eorũ, quæ ex multis nominibus constant, sed nomen simplex, & compositum non distinguuntur specie, sed solum accidentaliter; ergo nec propositio simplex, & composita.

Probat. 2. Secundo. Enunciatio categorica composita ex altera, accidentaliter solum differt ab ea, quæ ex nomine, & verbo componitur, vt

78. constat de his; homo est animal; & homo, est animal, est vera enunciatio: propterea, quod solum differunt, vt magis, & minus compositum; ergo non plus differt enunciatio composita ex multis, ab ea, quæ ex vna componitur, vel certe ex nomine, & verbo; & iuxta hanc sententiam diuisio enunciationis, de qua præsens controuersia procedit, nec generica erit, nec analoga, sed subiecti in accidentia; quemadmodum si nomen, aut verbum diuidatur in simplex, & compositum.

Tertia sententia D. Thomæ superioribus anteponitur.

D. Thomas Boet. Ammonius, Tolet. Masius Suesanus.

POSTREMA sententia analogam facit enunciationem, ac diuisionem eius in prædicta membra; quam sustinent, non solum antiquiores interpretes, Boetius, & Ammonius, in commentariis huius cap. & cum eis D. Thomas, opusc. 48 cap. 6. sed etiam moderni, Suesanus, Tolet. & Masius, ille quæstio. 2. iste quæst. 5. & hæc est longe probabilior, & magis doctrinæ Aristot. consentanea, qui simplicẽ vocat vnam propter significatum vnum: compositam non nisi coniunctione vnam; quasi dicat simplicem esse vnam simpliciter, compositam, non nisi vnam secundum quid.

Probat. 1. Quod autem probabilior sit, hac potissimum ratione ostendo, nam enunciatio est oratio vnum de altero enuncians, sed hæc ratio competit simplici per se primo, compositæ vero non nisi ex participatione eius; ergo analogicè: probatur minor: nam sim-

79. plex est, in qua prædicatum enunciatur de subiecto: composita vero nihil de alio enunciat, nec formam enunciandi habet, sed ex eo solum vocatur enunciatio, quia simplices claudit cõiunctione vnitas, in quibus vnum de altero enunciatur, & ideo dicitur coniunctione vna; quasi coniunctione enunciatio; ergo solum habet modum, ac rationẽ enunciationis propter simplices, quas coniunctione proprias partes efficit.

Secundo. Veritas compositæ, pendet intrinsece ex veritate simplicium, vel certe ex earum causalitate, vel consecutione. Primum constat in copulatiua, ac disiunctiua; secundum, in causali, & conditionali; ergo veritatem habent participatam à simplici, quare non erit enunciatio vniuoca comparatione vtriusque. Probat II.

Postremo vna species non componitur ex altera formaliter, sed hypothetica enunciatio componitur ex simplicibus formaliter, hoc est vt enunciationes simplices sunt, in quibus prædicatum enunciatur de subiecto, & in quantum sunt veræ, aut falsæ; nam quolibet sublato, nequaquam partes illius esse possunt; ergo non sunt species enunciationis, nec enũciatio genus ad illas: componitur quidem numerus ex numero (vt exemplo id confirmemus) vt ternarius ex binario, non tamen formaliter: nam eo ipso quòd tertia vnitas binario additur, desinit esse binarius, formam amittens, & solum remanet materialiter in ratione duarum vnitatum, sed enunciationes simplices conueniũt ad compositionem hypotheticæ, retentis absque dubio propriis rationibus formalibus enunciandi vnum de vno, propria etiam veritate, aut falsitate: nihil enim horum amittunt, ex eo, quod coniunctione vniantur; ergo secundum proprias rationes formales eam componunt, quod certe repugnat speciebus. Et his rationibus probatur nostra sententia, aduersus primam. Sed probatur iam quod non differant solum, vt magis, & minus compositum, & ideo accidentaliter, aduersus secundam, sed modo etiam formali enunciandi, cum simplex ab intrinseco habeat formam enuntiandi, qua caret certè composita, cuius forma potius consistit in vnione simplicium, vnum de altero enunciantium, quam in modo enunciandi, quem proinde non habet, nisi ex participatione, ac propterea vocatur ab Aristot. non vnam propter vnum significatum, sed Probatur vltima. 80. Aristotel.

propter coniunctionem quod nō contingit in his, quæ solum accidentaliter distinguntur per maiorem, aut minorem compositi-
81. onem, vt in exemplis pro eadem sententia adductis facile constare potest: nam per se primo paries est ens arte factum, sicut domus, quanquam ad illam ordinetur.

Fundamentis aliarum opinionum respondetur.

Ad 1. argu. 1. sentent. NVNC argumentis vtriusque sententiæ satisfacere oportet. Et priori argumento primæ sententiæ, damus enunciationem simplicem, & compositam vniuoce conuenire sub genere orationis, tãquam diuersas species eius: negamus tamen inde fieri, vt sub enunciatione eodem modo conueniant; cuius ea ratio est, quia enunciatio longe perfectior est oratione; quam perfectionem, ex se nō attingit oratio composita, sed ex participatione simplicis, licet ex se attingat perfectionem orationis; vnde licet vniuoce sub oratione conueniant, minime sub enũciatione: & licet huius rei exẽplum, in rebus naturalibus difficile inueniatur, quia earum natura, non est ita variabilis: bene tamen in eisdem rebus arte factis, quales sunt oratio, & enunciatio: nam vniuoce conueniunt sub genere relationis, rationis indiuiduum, & species, sub prædicabili vero, quod est quasi genus inferius, non nisi
82. analogice: nam cum indiuiduum de vno solo prædicetur, hoc est, de se ipso, analogice prædicatur, quemadmodũ prædicatio identica analogice vocatur talis.

Ad secundum. Et patet ratione, de eisdẽ enunciationibus sentiendum est, quantum ad veritatem, & falsitatem, vt secundum argumentum soluatur: nam simplex ex se, hoc est, absque dependentia à composita, verum, aut falsum significat, composita vero, non nisi per intrinsecam dependentiam à simplici, eiusque participationem, vt superius probauimus: Analogice igitur, etiam sub consideratione veritatis, aut falsitatis conueniunt.

Ad argum. 2. sentent. Ad argumentum secundæ opinionis, respondendum est negata similitudine, inter nomen simplex, & compositum, ex vna
83. parte, & orationem simplicem, & compositam ex altera: nam compositum nomen non dependet à simplici, nisi materialiter: oratio vero composita, etiam formaliter à simplici dependet, hoc est, in quantum tali; eam siquidem componit eodem modo enunciandi: eademque veritatis, aut falsitatis significatione retenta, quod non contingit in nominibus: nam diuersam longe significationem habet nomen compositum à simplicibus, quæ in cōpositione propriam significationem, vel proprium saltem modum significandi amittunt: & hoc est materialiter solum concurrere ad compositionẽ. Falsum igitur est, quod præsupponit hæc sententia solum differre orationem simplicem, & compositam, secundum maiorem, aut minorem compositionem, neque est simile, quod affertur de enũciatione simplici, ex altera composita, cum materialis sit solum, talis compositio, & 84
materialiter accipiatur enunciatio, ex parte subiecti, aut prædicati posita: compositio autem hypotheticæ enunciationis ex simplicibus, formalis est in hoc sensu, quod ad eam componendam, secundum proprias rationes formales concurrunt.

DIVIDITVR ENVNCIATIO *iuxta quantitatis notas: enunciationum oppositiones assignantur, circaq; ipsarum veritatem, ac falsitatem regulæ traduntur, ac quæ sit vna affirmatio, vel negatio determinatur.*

CAPVT QVINTVM.

QVONIAM autem sunt hæc quidem rerum vniuersales, illæ vero singulares, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

CAPVT hoc quasi continuatio præcedentis est, in cuius extrema parte cœpit Arist. agere de contradictione 1.
inter enunciationes reperta, sub communi quidem ratione solum importante affirmationem, & negationem eiusdem prædicati, de eodem subiecto, qua explicata, prosequitur nunc speciales modos oppositionis. Est autem trimembris totius capitis diuisio: nam

primo diuisionem vltimam enũciationis apprime necessariam præmittit: deinde infert modos oppositionis: ac tandem præscribit regulas, quibus infallibiliter cognoscamus, quonam pacto se habeant in ordine ad veritatem, vel falsitatem.

2. Quantitas secundum se accidens est corporeum, consequens materiam, & cum inter partes enunciationis subiectum locum materia teneat, fit ex parte illius, enunciationis quantitatem accipiendam esse, quo supposito duo adnotat.

Nota 1. Primo: omnis enunciatio, siue affirmans, siue negans sit, aut est de subiecto vniuersali, aut particulari; quod hoc argumento probatur; in qualibet enunciatione principaliter enunciatur, vna res simplex, de altera: nam voces non enunciantur, nisi in quãtum signa rerum, sed rerum simplicium alia sunt vniuersales, alia singulares. ergo quælibet enunciatio aliquid enunciat de re vniuersali, aut de singulari, vnde fit de subiecto vniuersali aut singulari esse, & hæc est diuisio eius secũdum quantitatem. Probat minorem, diuisionem illam rerum continentem, vtrumque membrum definiens, vniuersale quidẽ hisce verbis. Vniuersale dico, quod in pluribus prædicari aptum est. Per aptitudinem autem, & nõ per actualem prædicationem designatur, quia ratio vniuersalis, non consistit

3. in actu, sed in aptitudine (quam prædicabilitatem vocant.)

D. Thom. Vel secundo: vt bene adnotauit D. Thomas, quia multa sunt naturæ vniuersales nõ habentes plura indiuidua, de quibus enuncientur, sed habere potentes, quibus proinde actualis prædicatio de multis non conuenit: bene tamen aptitudo sufficiens profecto, vt vniuersales sint, & appellentur. Singulare vero ait esse, quod non est de pluribus prædicari aptum, sed de vno solo, vt Petrus, vel Ioannes.

Nota 2. Secundo adnotat dupliciter contingere prædicatum enunciari de vniuersali subiecto aut vniuersaliter, quando de quocunque sub eo contento enunciatur, quod fit, dum de eo aliquo signo, aut syncategoremate vniuersali affecto enunciatur, vt si dicamus, omnis, homo est albus, nullus homo est albus. Secundo non vniuersaliter, vt homo est iustus, homo non est iustus. Tertio, in vna vniuersaliter, in altera nõ vniuersaliter, vt omnis homo est iustus, homo non est iustus: quibus præmissis singulas oppositiones singulis assertionibus explicat. Prior est, si de subiecto vniuersali aliquid affirmatiue, & negatiue vniuersaliter 1. Assertio.
enunciatur, contraria est vtriusq; enunciationis oppositio, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: talem autem oppositionem merito vocari ab Arist. contrariam, ait 4.
S. Thomas, quia contraria sunt, quæ maxime inter se distant, atq; secum pugnant, vt album maxime distat à nigro, & à frigido calidum, vnde fit media non propriè esse cõtraria, nisi per participationem extremorum vt de mediis coloribus pallido, & fusco, & viridi exploratum est. Sed enunciationes, in quibus idem prædicatum de eodem subiecto vniuersaliter enũciatur affirmatiue, & negatiue, maxime distant, ac secum pugnãt, cum affirmans vniuersaliter ei inesse ponat, hoc est quibuslibet indiuiduis sub eo contentis negans vero nullis, ergo iure vocantur ab Aristot contrariæ.

Secunda assertio, quando de vniuersali quidem enunciamus, non tamen vniuersaliter, vt homo albus est, homo albus non est. 2. Assertio.
(Homo enim vniuersale subiectum est, sed non accipitur vniuersaliter, cum non afficiatur signo vniuersali, & ideo non necesse 5.
est prædicatum cunctis singularibus sub eo contentis conuenire) tales enunciationes affirmatiua, & negatiua, non sunt contrariæ, imo nec proprie oppositæ, sed vocari solent subcontrariæ, quorum quælibet cõtrariatur sub vna vniuersali, & ambæ sub duabus cõtrariis, vt homo est albus, sub illa affirmante omnis homo est albus, & homo non est albus sub illa negante, nullus homo est albus. Addit tamen Arist. easdem propositiones aliquando, vt cõtrarias significare dicens. Quæ autem significantur, esse aliquando contraria, quæ verba diuersis exponuntur modis à 1. Expositio
diuersis. Quidã enim interpres Boetio antiquior, quem refert ipse in cõmentarus huius loci, talẽ esse sensum dicebat huiusmodi subcontrarias significari aliquando vt contrarias, quia in materia necessaria, atq; remota

 habent

habent se, vt contraria, quantum ad veritatem, aut falsitatem. Non enim possunt stare
6. simul in veritate, neq; in falsitate, sed si vna est vera, necesse est alteram esse falsam. Reiicitur tamen hæc expositio à D. Thom. & merito, quia nondum Aristot. de oppositis enunciationibus quãtum ad veritatem aut falsitatem verba fecerat facturus postea in extrema parte, cap. non ergo loquitur de his sub contrariis, quantum ad veritatem, & falsitatem.

Reiicitur ea D. Tho.

2. Exposit.

Propterea Porphyrius, Ammonius & Psellus, quos sequitur, & explicat Doct. Tolet. nõ tam ad integras enũciationes, quam ad prædicata earum eadem verba referunt, quasi dicere voluerit Aristot. aliquando ex parte prædicatorum significari, vt contrarias, vt cum prædicatum negatur subiecto, quia contraria ei qualitas inest, vt in his, homo est albus, homo non est albus, ideo animal albũ esse negari solet, quia est niger: & tunc prædicata vtriusque contraria sunt, id tamen non semper contingit: nam cum prædicata sunt substãtialia, vt in his: homo est animal, homo non est animal, non habet locum talis contrarietas. Cæterum neque expositio hæc placuit D. Thomæ, quia Arist. ait: Non loquitur modo de contrarietate rerum, sed enunciationum, cui addere etiam possumus ratione prædicati non dici, necesse propositiones contrarias:
7. imo si prædicata contraria habent, eo ipso non sunt opposita, cum non sint eiusdem prædicati de eodem subiecto: quis enim aliquando dixit has esse contrarias propositiones, omnis homo est albus, nullus homo est niger? Cum potius sint, æquipollentes.

3 Expositio D. Thomæ.

Diuersa est expositio D. Thomæ, cum Alexandro tenentis propterea Aristotel. has aliquando significari vt contrarias, docuisse, quia licet subiectum nullo afficiatur vniuersali signo, aliquando tamen ei attribuitur vniuersaliter prædicatum: non minus quam si eo afficeretur, inspecto sensu propositionũ, quare contrariis æquipollent, vt in materia necessaria, & remota, in quibus tantundem valet, sic enunciare, homo est animal, homo non est animal, vel homo est lapis, homo non est lapis, ac si vniuersaliter enunciaretur; vniuersaliter enim verũ est, & ab omnibus admissum propositionem indefinitam, in his materiis æquipollere vniuersali, sed quia in materia contingenti, non sic euenit: ideo Aristoteles, vt contrarias aliquando designari protulit, non semper, & sensus iste potius videtur mentem Aristot. attigisse.

Dubitat.

Sed quia posset quispiam dubitare circa propositiones contrarias, qui fieri possit, vt solum ex parte subiecti se teneat vniuersalitas vtriusque; & non ex parte prædicati, quod in affirmatiua non distribuitur, sed confuse stat, cum tamen etiam ex parte illius videatur attendenda: nam cum sit pars enunciationis præcipua, ab ea etiam oppositio desumenda erit. Respondet Aristot. nullo modo esse addendam vniuersalitatem, ex parte prædicati, quia repugnaret veritati propositionis; & fieret semper esse affirmatiuam falsam, vt si dicas omnis homo, est omne animal; & genus nunquam posset vere de speciebus enunciari: imo neque vllum superius de inferiori, & quod summum est, neque æquale, siue definitio sit, aut differentia, vel 9.
etiam propria passio, falsum est enim sic enunciare, omnis homo est omne rationale, aut omne risibile, cum sit sensus de quolibet homine id enunciari posse, pro quo absque dubio distribuitur subiectum: vnde dicendum esset Petrum, esse omne rationale, & Ioannem omne risibile, quod est aperte falsum: causam huius rationis adiungit D. Thomas. & optimam quidem, nam cum prædicatum enunciationis, se habeat tanquam forma subiecti, & forma determinetur per materiam, quantum pertinet ad quantitatem, quia quantitas accidens est, ex parte materiæ se tenens, ex parte subiecti, solum fuit addenda vniuersalitas pro quantitate propositionis determinanda, & si ex parte etiã prædicati adderetur, bis esset determinatum, hoc est per vniuersalitatem ei adiunctam & per adiunctam subiecto, quòd cum naturæ propositionis repugnet, non mirum est si eam semper efficiat falsam.

Respondet Aristotel.

3 Assertio.

His expeditis, est tertia assertio pro contradictoria oppositione: quando de vniuersali subiecto, enũciamus in vtraq. propositione affirmatiua, & negatiua, sed in vna vniuersaliter,

uersaliter, in altera non vniuersaliter, opponuntur contradictoriè: vt omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus, nam non omnis tantundem valet ac aliquis non, & hæc in secunda par. capitis.

10.

3 Pars cap. In tertia, regulas præscribit, per quas intelligere possimus, quonam pacto se habeant ad veritatem enunciationes oppositæ. Et est

1 Regula pro contrariis. regula prima, si de vniuersali vniuersaliter omnino enunciemus, qualiter in contrariis contingit, non possunt simul in veritate stare, sed necesse est alteram esse falsam, si vna sit vera, & ratio est euidēs, quia repugnat idem prædicatum inesse subiecto vniuersaliter, hoc est, cunctis sub eo contentis inferioribus, & simul ab eo vniuersaliter, hoc est, à cunctis remoueri, quod contingeret, si ambæ istæ enunciationes contrariæ, simul in veritate starent; omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: addit tamen Aristot. particulares contrariis oppositas posse simul in veritate stare, vt aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus, eiusmodi enim sic ad contrarias se habent, ex eisdem constitutas extremis, vt affirmatiuæ sit contradictoria, vniuersalis negatiua, & negatiuæ contradictoria affirmatiua, & has vocare solemus nos subcontrarias, quasi sub propositionibus contrariis positas, quod autem simul in veritate stare non repugnet, non est minus certum, cum cōstet posse idem prædicatum conuenire alicui singulari contento sub subiecto, & alicui non
11. conuenire, vt Petro quòd sit albus, Ioanne existente nigro; & hoc est ad veritatem vtriusque, nam ad veritatem particularis satis est vna singularis vera, cum particulare signum non distribuat subiectum, sed illud potius pro vno aliquo singulari, & vago determinet.

2 Regula pro contradictoriis. De contradictoriis diuersam ait esse præscribendam regulam: nam tribus modis se habere possunt. Primo, ita vt vtraque sit de subiecto vniuersali, de quo tamen vniuersaliter enuncietur prædicatum in vna, & non vniuersaliter altera, vt omnis homo est albus, non omnis homo est albus. Secundo, ita
12. vt sit de subiecto singulari, vt Petrus est albus, Petrus non est albus. Postremo, vt de vniuersali sint subiecto, sed in neutra enuncietur prædicatum vniuersaliter, vt homo albus est, homo albus non est, quarum subiectum cum nullo afficiatur vniuersali, nec particulari signo quasi indeterminatum, aut indefinitum permanet, atque indifferens, vt vno, aut altero afficiatur; & propterea cōmuni schola voce appellantur indefinitæ. Nunc igitur, si primo, aut secundo modo se habeant, nec in veritate, nec in falsitate stare simul possunt, quia vera reperitur inter eas oppositio contradictoria, si vero modo vltimo non repugnat, simul in veritate stare, verum namque vtrumque esse potest, & quod homo sit pulcher, & quod pulcher non sit, quod probat Arist. à contrario: nam si vnus aliquis homo est turpis, aut deformis, verum erit quod homo sit turpis. ergo ex cōsequenti, quod non sit pulcher.

Obiectio. Sed obiicit sibi statim Aristot. nam cum subiectum in his non afficiatur particulari signo, nec determinatur profecto ad aliquod singulare, quare videbitur tantundem valere hanc, homo non est pulcher, ac nullus 13.
homo est pulcher, & tunc erit quidem vera oppositio contradictoria inter eas, ac si primo modo se haberent, nec simul proinde in veritate stabunt.

Respondeo. Et respondet indefinitam negationem, nequaquam significare idem cum negante vniuersali, neque eandem veritatem. Probatur primum, nam vniuersalis enunciat vniuersaliter de subiecto, videlicet nullus homo est pulcher; indefinita vero, homo nō est pulcher, non enunciat vniuersaliter. Probat secundū: nam illa falsa esse potest, hæc vera, constat vtrunque, si vnus saltem homo pulcher non sit: tunc enim falsum erit pulchritudinem à cunctis singularibus remouere: verum autē ab vno aliquo; quod satis est vt indefinita, cuius subiectum non distribuitur, sit vera.

3 Regula. Asserit tandem Aristot. vni negationi non opponi multas affirmationes, sed vnā, quod probat ratione, & exemplis; ratio talis est, hoc idem quod affirmatio ponit, negatio destruit, cum ex directo repugnet ergo quælibet affirmatio propriam, atque vnicam habet negationem sibi oppositam, Exempla vero in vniuersalibus ac singularibus oppositis producit:

ducit: nam huic, Socrates est albus, contradicit illa, Socrates non est albus & huic omnis
14. *nis homo est albus, non omnis homo est albus; vel æquiualens, aliquis homo non est albus: atque etiam isti: homo est albus, illa, homo nō est albus. Obseruandum etenim omnino est in specialibus oppositionem generibus, quod ad finem præcedentis capitis in contradictione cunctis cōmune præscriptum est, nempe idē prædicatum de eodem subiecto enunciandum esse, tam in affirmatione, quam in negatione, nam si aliud prædicatum in vna, aliud in altera enuncietur: aut si idem de vno in vna, & de altero subiecto in altera, cessabit proculdubio contradictio, nullusq; oppositionis modus reperietur.*

4. Regul. *Vnam autem affirmationem, negationem vnam eam esse docet quæ vnum habet subiectum & prædicatum, hoc est vniuocum, nam si prædicato, aut subiecto æquiuoce constet, nō erit vna, sed multiplex, probat hoc exemplo, vt si tunica significaret idem, atque duæ istæ voces homo, & equus, non esset vna affirmatio hæc, tunica est alba, neque vna negatio tunica non est alba, sed multiplex, tantundē namque affirmans valeret, ac duæ istæ homo est albus, equus est albus & negatiua, tunica nō est alba, pro his duabus etiam esset, homo non est albus, equus non est albus Quare pro vna posset esse vera, & pro altera falsa sicut hæc: canis est albus. Epilogo tandem colligit vniuersam capitis doctrinam dicens.*

Quod igitur vna affirmatio vni negationi
15. opponatur contradictoria, & quæ sūt hæ, dictum est; & quòd contrariæ aliæ, & quę sunt illæ, dictum est, & quòd non omnis vera, vel falsa contradictio, & quare, & quando vera, vel falsa.

QVO PACTO IN FVTVRIS contingentibus, contradictionis regula veritatem habeat.

CAPVT SEXTVM.

1. IN his ergo quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationē, vel negationem veram esse, vel falsam, &c.

EXPLICATIO TEXTVS.

PRæsens caput exceptionem, quandam illius vniuersalis legis continet pro cōtradictoria oppositione latæ, videlicet quod ex enunciationibus inter quas versatur, vna est vera, & altera falsa.

Vt autem institutum Aristot. percipiamus melius, quædam prænotare oportet cum D. Thom in his commentariis. Primum est: triplicem esse enunciationum materiam iuxta triplicem habitudinem diuersam, quam prædicatum habere potest ad subiectum: nam vel subiecto sic inest prædicatum, vt nō possit non inesse, & dicitur enunciatio necessaria. tales sunt omnes in quibus prædicatum pertinet ad essentiam subiecti aut propria eius passio est, vt homo est rationalis, homo est risibilis, vel prædicatum, nec subiecto inest, nec inesse potest, & dicitur esse in materia remota, vt homo est arbor, aut homo est lapis, denique sic inest, vt possit non inesse vel sic non inest, vt inesse possit & est in materia contingenti. Enunciationes autem in triplici hac materia existentes, sic se habent ad veritatem, aut falsitatem, vt in materia necessaria affirmatiuæ omnes semper sint veræ, negatiuæ omnes, & semper falsæ (ad eandem namq; materiam affirmatiuæ, & negatiua eiusdem prædicati de eodem subiecto pertinent) vt homo est rationalis, vera semper est, homo non est rationalis, semper falsa: ex opposito vero in materia remota affirmatiuæ omnes semper sunt falsæ, negatiuæ omnes semper sunt veræ: in materia vero contingenti distinctione opus est: nam vniuersales, tam affirmantes, quā negātes oēs ac semper sunt falsæ particulares, aut indefinitæ oēs, & semper veræ, singulares vero aliquādo veræ, aliquando falsæ Exemplū vniuersaliū est, omnis homo est albus, nullus homo est albus, particularium, quidā homo est albus, quidā homo nō est albus, singularium Petrus iustus est, Ioannes iustus non est. Nota. 1. 2.

Secundo obseruandū est circa enunciationes cōtingentes, in quibus prædicta exceptio vniuersalis regulæ locū habet, in triplice gradū esse distinctas, iuxta triplicē modū contingentiæ, que habere potest prædicatū in ordine ad 2. Nota. 3.

adsubiectū,nam vel frequēter inest subiecto, & raro abest,vt homo meridie prandet, & noctu cubat aut ex opposito raro inest, & frequenter abest,vt fodiens terram inuenit thesaurū;aut non frequētius inest,quā absit, sed aequaliter ad vtranlibet partē se habet, vt homo ambulat, & primus modus vocatur cōtigens frequenter:secundus contingēs raro:tertius,contingens ad vtrumlibet.

3. Nota. Tertio obseruandū est propositiones cōtingentes sicut necessarias, & remotas triplicē differentiā tēporis importare posse,nam aut sunt de praeterito,aut de praesenti,vel de futuro:vt homo est albus,homo fuit albus,homo erit albus:praeterea;aut sunt de subiecto

2. vniuersali signo etiā vniuersali affecta,particulari,aut nullo quod est esse vniuersales, particulares,aut indefinitas, vt omnis homo est albus, aliquis homo est albus, homo est albus:aut de subiecto singulari, Ioannes est albus,Petrus est albus.

1 Certū est. Quibus praemissis,vt certa ab incertis separentur,certū est primo enūciationes materiae necessariae,atque remotae,vniuersales,particulares,indefinitas,aut singulares,affirma-

4. tiuas,vel negatiuas,praesentis,praeteriti,aut futuri tēporis determinatā habere veritatem,aut falsitatē, de quo nullus vnquā fuit dubitandi locus.

2 Rū certū. Secundo certū est,enunciationes cōtingētes,de vniuersali subiecto,siue vniuersales sint,seu particulares affirmantes,vel negātes,aut indefinitae praesentis,praeteriti,aut futuri tēporis, determinatā etiā veritatē, aut falsitatē habere,de quibus etiam nulla potest esse dissensio:ad solas igitur singulares cōtingētes cōtrouersia reducitur,an determinatā veritatem,& falsitatē habeāt sicut reliquae.

3 Certū est. Sed de his adhuc est certū, enunciationes de praesenti,ac praeterito tales esse,vt Petrus est albus,Petrus nō est albus,Ioānes fuit albus,Ioannes nō fuit albus: In his enim nul-

5. la est indeterminatio, sed determinata est vna ad veritatem, & altera ad falsitatem. Itaque in cunctis enunciationibus numeratis, vera est vniuersalis illa regula ca. praecedēti tradita pro oppositione contradictoria, videlicet, quòd vna cōtradictoriarū,determinatā habet veritatē,altera determinatā falsitatē.ita vt de vna enūciare possimus, quod vera sit,de altera quod sit falsa. De singularibus ergo dūtaxat cōtingentibus de futuro quaestio potest constitui,subeantne eādem legem,an ab ea excipiātur? Ita,vt nec de vna earū possimus proferre quòd sit vera,neque de altera quòd sit falsa, sed vtraq; indeterminata sit ad veritatē,aut falsitatē:& hanc quaestionem proponit,ac soluit Arist.cap praesenti in tres partes diuidendo:nam proposita ac soluta quaestione in prima duplici argumento ad impossibile ducente probat cōclusionem responsiuā. In secunda impossibile esse ostendit illud, ad quod argumenta deducūt 6. duplici alia ratione.Postremo quasi in modū epilogi veritatem tenendam colligit.

Vt quaestionem igitur proponat praesupponit 4. Certum est. tanquā certum, praedictā legem in cunctis enunciationibus materiae necessariae,ac remotae,inuiolabiliter obseruari,& rursus in enūciationibus contingentibus de subiecto vniuersali,quae vere sunt contradictoriae (exceptis indefinitis, in quibus non est vera oppositio cōtradictoria) ac demū in singularibus, de praesenti,ac praeterito,de quibus proferre possumus vnam esse necessario veram,alteram vero falsam,& de solis futuris dubium 7. esse posse,an sint excipienda.

Respondet autem excipiendas esse,quia de Conclusio Aristotel. neutra proferre possumus,quòd sit vera,sed neque quòd sit falsa,cum veritas, aut falsitas vtriusque ex determinatione causae futurae dependeat,quod qua sit ratione intelligendum postmodum discutietur.

Probatq; duplici ratione non multū diuer- Probat. sa: Prior est:si enūciationes istae determinatā haberent veritatē,aut falsitatē,sequeretur,nihil in rebus cōtingenter accidere,sed necessario omnia euenire, quae futura sunt; quod falsum est,probat antecedens hoc exemplo, si ex duobus hominibus vnus dicat Petrum futurum esse album, alius minime esse album futurum, necesse erit vnum verum dicere,alterum esse mentitum. fingitur verū est id quod protulit is,qui futurum esse album affirmauit,eo admisso sequitur neces- 8. sario,Petrum futurum esse album,non ergo contingenter,sicq; de singulis effectibus contingentibus censendum erit,quare oēs erunt

necessarii, & nullus contingens, quod satis absurdum est.

2. Probat. *Secunda ratio. Si hæc enunciatio, Petrus futurus est albus, nunc prolata determinatam habet veritatem, impossibile erit Petrum non fore album, & si impossibile est non fore, necesse est futurum esse album: non ergo contingens. quare eadem erit necessitas in cunctis effectibus futuris, & ita fiet vt nihil sit casu, aut fortuito euenturum, nihil etiam ad vtrumlibet contingens, sed omnia necessario esse futura, quod impossibile est: nam si ita res haberet, neque esset negotiandum, neque consultandum de rebus futuris, quemadmodum sub consultationem non cadunt ortus solis futurus, vel illuminatio eius, aut quid simile, ex his quæ necessario, ac semper eodem modo eueniunt.*

Obiectio. *Si autem quispiam dixerit talem enunciationem de futuro prolatam, proximo tẽpore esse determinate veram, & ita effectum proxime futurum esse necessarium sed ante annum prolatam; esse contingentem, & tunc posse etiam effectum contingentem*
Respondetur. *appellari. Respondet Arist. nihil referre, quòd proximo, aut remoto tempore proferatur. Nam si prolata modò est determinate, ac necessario vera, eandem habuit necessitatem ante mille annos prolata, cum pari ratione*
9. *tione sit futura, & effectus pari ratione necessarius, siquidem non magis determinata nunc causa est, quam ante mille annos, imo etiam si non proferatur ab aliquo, erit necessaria enunciatio, aut effectus, quem significat: quia propter nostrum affirmare, vel negare, nihil necessitatis, aut contingentiæ in rebus ponitur: sed ita se habent, ac si nihil enunciatum sit.*

2. Obiect. *Si autem secundo dixeris, hinc fieri, tales propositiones nullam prorsus habere veritatem, sed ambas contradictorias esse falsas: nam si nõ est determinate verum, quod Petrus futurus est albus, neque etiam quod non est albus futurus, erit vtrũque falsum, cum respectu cuiuslibet enũciationis nõ detur medium inter veritatem, & falsitatem.*

Respondetur. *Respondet Aristo. hoc est impossibile propter duo. Primum, quia communis est dialecticorum vox. ex duabus propositionibus contradictoriis vnam esse veram, alteram falsam: ergo repugnat esse vtranq; falsam. Secundum, nam si id admitteretur, sequeretur euidenter idem simul esse, & nõ esse. Probatur, nam si accipiamus has duas propositiones, bellum nauale futurum erit, bellum nauale nõ erit futurum, & dicatur affirmantem esse falsam, sequitur negantem esse veram, atque adeo bellum nauale non esse futurum & rursus si negans falsa est, affirmatiua vera erit atque adeo bellum*
nauale futurum: quod est simul esse futurũ, 10.
& non esse futurum nauale bellum; quod cum absurdum sit, dicendum erit neutram quidem determinate veram esse aut determinate falsam, sed indifferenter posse quãlibet esse veram, vel falsam, ne impossibilia illa admittere cogamur, quod nihil casu, aut fortuito euenturum sit, nihil contingenter ad vtrumlibet, nihil, quod sub consultationem cadere possit, aut de quo negotiandum sit.

Quod autem absurda sint hæc, ex duobus ostendit. Ex priori quidem, quia certissimũ est hominibus esse concessum liberum arbitrium, cuius est deliberare de rebus futuris agendis, vel non agendis, admonere vt sic vel aliter fiant; & in finem ordinantur consilia, hæc autem aliquid esse contigenter futurum præsuppomunt, circa quod admonitiones, correctiones, consilia, atque electiones versantur Ex posteriori vero, quia tam in rebus naturalibus, quam in arte constantibus eandem veritatem experimur. In his quidem, nam vestem incidi, aut non incidi contingens est, cum possit atteri, aut vetustate consumi & tunc non scindetur: & potest etiam incisione perire quod autem indifferenter fieri potest, aut non fieri, aut sic aliterve fieri contingens est, ergo verè dantur in his rebus contingentes effectus. Atque etiam in naturalibus, nam possibile est quod aliquando euenit, nimirum hominem quatuor digitis præditum nasci, aut etiam sex, & vt plurimum quinque præditus nascitur: aliquando etiam fortis robore, aliquando infirmus, quorum effectuum contin-

genti-

gentium ratio, materia est, apta quidē hoc, aut illo modo disponi, hoc aut illo modo recipere formam: negari igitur non potest cōtingētia in vtrisq; rebus, tam arte quam natura constantibus: Ita vt effectus quidam raro eueniant, quales sunt thesaurorum inuētiones, aut frequenter, vt quòd homo quinque digitis preditus nascatur, aut etiam ad vtrumlibet, si ex libero arbitrio dependeāt, vt Petrum, aut Ioannem, bene, vel male victuros, atque ex consequenti necessario dicendum est, enunciationes singulares de futuro significantes eosdem effectus cōtingentes, non esse determinate, aut necessario veras, vel falsas.

12.

Vltim. pars In vltima tandem parte capitis, veritatem tenendam ex dictis colligit Aristoteles, quam praecedentibus concluserat rationibus ad impossibilia ducentibus, videlicet aliter in enunciationibus de praeterito, ac praesenti contingentibus veritatem, aut falsitatem contineri, aliter in propositionibus de futuro; nam in illis vna ex contradictoriis vera est necessario, altera falsa, in his vero, neque vna neque altera vera est necessario, neque etiam falsa, sed indeterminata ad veritatē, aut falsitatem: quod vt clarius ostendat, cū veritas, & falsitas enunciationis, necessitas atque contingentia eiusdem, à rebus significatis dependeat: duplicem modū necessitatis rerum, tam simplicium quam complexarum distinguit, de ipsis, vt in se sunt loquens, duplicem alium rei complexae cum suo opposito comparatae: & totidem modos necessitatis, atque contingentiae enunciationum. Rem igi-

13. tur simplicem esse necessariam duobus contingit modis. Primo absolute, quādo ex pro-

1. Dist. necessaria. pria consideratione talis est, vt non possit aliter se habere, vt coelum: Alio modo sunt res necessariae non ex propria conditione, sed ab extrinseco, hoc est ratione temporis, vt cursus tēpore praesenti factus, aut existentia Petri actualis, ex proprio modo res sunt cōtingentes, cum possint esse, & non esse, sed ex conditione temporis praesentis, quo mensurātur necessaria dicuntur, nam supposito quod nūc sunt non possunt non esse, & in rebus cōplexis Petrū esse, Petru currere, necessariae sunt ex suppositione tēporis praesentis: Nam dum sunt, nō possunt nō esse; & hoc est quod Arist. vniuersaliter protulit, videlicet: Rē esse quā do est necessariū esse, sed addit ab hoc necessitatis extrinseco modo, ad primū intrinsecum non tenere argumentū: nō enim sequi-

tur. Petrū esse quando est, aut currere, quādo currit, necessarium est, ergo Petrum esse, aut Petrum currere absolute est necessariū: quia est argumentum ab eo quod tale est, secundum quid ad tale simpliciter, esse namq; rem necessariā ex suppositiōe tēporis, in quo est, simpliciter est esse contingentem, & secūdum quid necessariam, & haec est prior distinctio necessarii, eodē modo applicanda ad enūciationes: ita vt quaedam sit enunciatio absolute necessaria, hoc est, ex propria habitudine praedicati ad subiectū, vt homo est animal altera solum ab extrinseco, ex suppositione, & secundum quid, vt Petrum currere, eo currente necessaria sic enunciatio est. 14.

Secunda distinctio necessarii est, quaedam sunt necessaria in se, hoc est absque comparatione ad alterū. Vt hominem esse animal, aut Petrū currere pro tēpore quo currit: alia non nisi ex comparatione ad suum oppositū, ita vt res, quae per se sumpta contingens est, simul cum suo opposito accepta dicatur necessaria, quo pacto contingens est Petrum albū fore, & Petrum non fore album si tamē haec simul accipiantur, sub eiusdem disiuncti forma, necessitatem habent, non est enim cōtingens hoc totum, quod est. Petrum fore, aut non fore album, sed necessarium, non ab intrinseco, aut simpliciter, cum qualibet per se sumpta pars, contingens sit sed ex modo quo simul accipiuntur. Et par est ratio de enūciationibus: nam qualibet harum enunciationum, Petrus futurus est albus. Petrus non est futurus albus, contingens est, disiunctum vero, seu hypothetica enunciatio ex vtraque constituta, nempe Petrus futurus est, aut non est futurus albus, necessitatem habet, ex ipsomet coniunctionis modo, & in hac distinctione necessitatis pari ratione est verum, quod in prima, videlicet argumentum non tenere à necessitatē totius disiuncti, ad necessitatem singularium partium, non enim valet, Petrum futurum esse, aut nō esse futurum album; ergo esse al- 2. Distinct. 15.

capite præsenti sic loquens: *Est autem vna prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio*; quibus verbis enunciationem primo conuenire docet affirmatiuæ, & quasi secundario negatiuæ, vt etiam 1. lib. de post. resol. cap. 21. testatur, sed quod multis conuenit secundum prius, & posterius est analogum; ergo cùm genus æqualiter ab speciebus participetur, analoga erit enunciatio ad hęc duo membra comparata.

1. Argum. Quod his rationibus comprobatur. Affirmatio ex propria conditione importat compositionem, negatio diuisionem: compositio autem ordine naturæ, prior est diuisione. Affirmatio præterea importat formã positiuam, qua priuat negatio, sed habitus est prior natura priuatione; ergo & affirmatio negatione, analoga, ergo erit communis ratio enunciationis, respectu vtriusque.

2. Argum. Secundo. Negatiua dicitur ex additione ad affirmatiuam, quam proinde secundum ordinem naturæ præsupponit: nam non est aliud negans propositio, quam affirmans addita negatione, ex quo etiam habetur simpliciorem esse affirmatiuam, & ex vtroque intentum, quod sit prior, atque adeo quod non sint enunciationis species, sed quasi diuersa significata, cuiusdam æquiuoci, aut analogi.

2 sentent. M. Soto. Magister Soto. 2. lib. summularum, affirmationem, & negationem diuersas qualitates enunciationis esse arbitratur, sicut albedo, & nigredo, sunt diuersæ qualitatẽs corporis, & ideo enunciationem in affirmantem, & negantem diuisam esse ab Aristot. tanquam subiectum quoddam in diuersa accidentia, vt corpus in album, & nigrum; cuius sententiam hoc argumento probare possumus; accidens est quod ad esse, & ab esse potest subiecto, salua eius essentia, vt Porphyrius docuit cap. de accidenti, sed ita se habent respectu enunciationis affirmatio, & negatio, ergo sunt accidentia eius: probatur minor: eadem propositio immutata transit, de affirmatiua in negatiuam, atque etiam de negatiua in affirmatiuam; ergo salua eius essentia hoc ei accidit: exemplo nobis esse potest hæc enunciatio; homo est albus, cui si negationem adiunxeris, efficitur negans, & si additam negationem abstuleris affirmans redditur, & tamen eadem semper est secundum substantiam; cum idem prædicatum, & subiectum habeat, non ergo variatur essentialiter, sed secundum diuersas qualitates.

66. (left margin, beside "do, & nigredo")

67. 3. Sentia. Communis tamẽ sententia profitetur diuersas esse species affirmantẽ, & negantem, sub genere enunciationis; quam tenuerunt nõ solum antiquiores interpretes, Porphyrius, Ammonius, Boetius, ac Simplicius, in expositionẽ huius cap. quos D. Thom. ibidem secutus est, sed etiam moderni, vt Louanienses, Suesanus, Lemosius in his commentariis, & Doctor Tolet. quæst. 2. & ita est omnino tenendum.

Probat. 1. Fundamentum præcipuum huius sententiæ (ni ego fallor) illud est, quod superius de essentia enũciationis agentes stabilitum reliquimus: nempe, primum conceptum, in quo eius essentia posita est, non esse alium, quam vnum de altero enunciare, à quo emanat, vt veritatem, aut falsitatem contineat; vnum autem de altero enunciare contingit per affirmantem, aut negantem; ergo intrinseca, absque dubio sunt membra, in quæ diuiditur enunciatio secundum essentiam, quod est esse species illius.

Probat. 2. Secundo probatur. Enunciatio in communi prædicatur quidditatiue, de affirmatiua, & negatiua specie differentibus, ergo est verum vtriusque genus. Probatur prior pars antecedentis, nam veræ sunt prædicationes istæ, affirmatiua est enunciatio, negatiua est enunciatio, quarum prædicatum cum sit commune, erit absque dubio superius, & quidditatiuum. Nam quid magis essentiale, potest esse vtrique, quam vnum de altero enunciare. Probatur deinde posterior pars, quòd essentialiter inter se distinguantur. Affirmans enunciatio, importat ex propria cõditione compositionem, aut vnionẽ prædicati cum subiecto; negans diuisionem, aut separationem ab eo, quæ sunt rationes formaliter diuersæ, atque adeo essentiales differentiæ, vtpote ex propriis modis enunciandi desumptæ, constituunt ergo diuersas species sub eodem genere. 68.

Notabile vnicum pro argumentorum solutione.

Nota. PRO solutione autem argumentorum adnotandum est illud, quod optimę docuit Tolet. affirmationem, his modis

dis esse priorem negatione, vt primum, &
secundum argumētum à nobis propositum
assumunt. Primo simplicitate, nam cum ne-
gatio fiat, ex affirmatione aliquo super ad-
dito, maiorem compositionem, quam illam
importat. Secundo cognitione, nam per af-
69. firmationem cognoscitur negatio. Tertio
significatione, significat enim affirmatio-
nem esse, negatio, rem non esse, esse autem
prius est ordine naturae, non esse, cum ne-
gatio cuiuslibet fundetur, supra esse eiusdem
positiuum: & idcirco hoc illam semper prae-
cedat. Quarto perfectione, cum entitas po-
sitiua per affirmationem significata sit per-
fectior negatione: prior denique est ad mo-
dum operandi intellectus comparata: nam
intellectus prius componit, quam diuidat,
& affirmatio compositionem, negatio diui-
sionem importat.

Verum esse altero prius duobus modis.

His autem modis vnum esse altero prius,
(vt bene adnotauit D. Tho. vbi supra) dupli-
citer contingit: & secundum rationes pro-
prias, quibus constituuntur, ac distinguuntur:
& secundum communem, quam participāt:
& primus modus prioritatis in aperto est,
quod non tollat vniuocationem requisitam
ad rationem generis: nam binarius prius est
ternario, secundum propriam rationem, &
homo caeteris animalis speciebus, & vt vno
70. verbo multa proferamus exēpla, de hoc ge-
nere prioritatis intelligitur pronunciatum
illud ab vniuersis receptum. *In quolibet ge-
nere oportere, vt detur vnum primum, quod sit
caeterorum mensura*: vnam videlicet speciem
multis modis priorem, ac perfectiorem cae-
teris: ita vt per minorem, aut maiorem ac-
cessum, aut recessum ab ea perfectiores sint,
aut imperfectiores reliquae: ratio huius est,
quia talis perfectio prioritásve, non tollit
aequalem participationem generis; aliud est
enim communem naturam à multis partici-
patam perfectiorem esse, in vno quā in cae-
teris, aliud inaequaliter esse participatam:
perficitur enim magis per differentias per-
fectiores, sed aequaliter participatur: osten-
dit vtrumque species humana, in qua perfe-
ctior reperitur natura sensitiua, propter con-
iunctionem cum rationali: sed non partici-
patur inaequaliter, quia maior ista perfectio
71. non ratione sui, sed differentiae contrahen-
tis contingit: vnde potius est inter diffe-
rentias vnam esse priorem, ac perfectio-
rem caeteris, quam communem naturam

Axioma quoddam explicatur.

prius, & perfectius ex parte sua à particula-
ribus participari; & iste est secundus modus
prioritatis analogiam constituens, & vniuo-
cationem ad rationem generis requisitam,
tollens, vt constat in ente, cuius ratio perfe-
ctius participatur à substantia, quam ab acci-
dentibus, & quidem ex propria eius condi-
tione: nam prioritas substantiae, & maior 72.
perfectio eius, ab entitate perfectiori, absque
dubio prouenit, quia modus intrinsecus per
se, non addit supra entitatem nouum gra-
dum perfectionis.

Satisfit argumentis aliarum opinionum.

Ad argum. 1. sentent.

ET haec distinctio ad affirmantem, &
negantem enunciationem applicata,
argumētorum difficultatem pro pri-
ma sententia oppositorum, prorsus tollit:
nam omnes illos modos prioritatis (quos
affirmanti non possumus negare) habet pla-
ne ex parte differentiae prioris, ac perfectio-
ris: non ex parte communis rationis enun-
ciationis, aequaliter participatae ab vtraque,
quod hoc argumento ostendere possumus:
nam in tantum illis omnibus modis prior
est, in quantum affirmans, quia ratione sub-
lata, vel certe non considerata, sed com-
muni dumtaxat ab ea abstrahente, nullam
prorsus prioritatem inuenies: & rursus, si
negantem, nō vt talem, sed vt enunciantem
vnum de altero, aut vt veram, vel falsam
consideres, inuenies, non dependere vllo
modo ab affirmante, vt tali, quod profecto
argumento est, ex parte solius differentiae
prioritatem, aut dependentiam contingere,
quam attendens Philosophus, posuit affir-
mantem, primam vocari enunciationem,
absque praeiudicio vniuocationis, ad ratio-
nem generis requisitae.

Soluitur 2. Argumen.

Quod autem secunda opinio opponit: af-
firmationem, & negationem esse qualitates
enunciationis, negandum est in sensu acci-
dentali, sed eo modo potest admitti, quo dif-
ferentiae essentiales dicuntur qualitates ge-
neris: nam cum sint quasi essentiales formae,
& omnis forma importet quandam ratio-
nem communem qualitatis, in quale dicun-
tur praedicari, non absolute, sed cum illo ad-
dito in quale quid: ostēdente rationem qua-
litatis, non propriam, à qua constituitur
praedicamentum qualitatis, sed in cunctis
repertam generibus, ac praedicamentis,

& ideo communem, quam proinde essentialem vocant.

Soluitur 2. argument. Aliud argumentum distinctione soluendum est: nam quod affirmatiua enunciatio, eadem permanens in negatiuam mutetur: duobus modis intelligi potest, materialiter, aut formaliter. Et primo modo eadem permanet, nequaquam secundo: permanere
74. autem materialiter eandem, non est aliud, quam non mutare materiale prædicatum, & subiectum, sed cum mutetur modus enunciandi per attributionem, vel remotionem enunciationi intrinsecus, vt probauimus: mutatur plane enunciatio ipsa formaliter in alteram speciem: vnde fit negationem, & affirmationem, non esse accidentales, sed essentiales differentias, cum salua essentia enunciationis mutari, haud quaquam contingat.

QVAESTIO VI.

An enunciatio, sit genus ad simplicem, & compositam.

Explanatitulus. HAEC est altera diuisio, quam Aristoteles hisce verbis proposuit. *Est autem vna oratio enunciatiua quæ vnum significat, vel coniunctione vna, plures autem, quæ plura, & non vnum vel non iunctæ* Per eam,
Prior diuisio enunciationis. quæ vnum significat simplicem intelligens, atque vniuocis terminis constantem: vnde duplicem diuisionẽ eisdem fere verbis clausit: prior est enunciationis simplicis, in vnã, hoc est vnum significantem, & plures, quæ plura significat, & ideo non vna, sed multiplex est, vt canis est substantia: licet voce vna sit, tres continet valde diuersas; nempe canis latrabilis est substantia, sydus est substan-
75. tia, & piscis est substantia; & de hac diuisione nemo ambigit esse analogam, cum æquiuoca enunciatio, non sit vna nisi solo nomine, imo neque sit enunciatio, sed enunciationes.
Posterior diuisio. Posterior diuisio est enunciationis vniuocæ, in simplicem, quæ vocari solet categorica, hoc est prædicatiua, in qua vnum de vno enunciatur: vt homo est animal; & coniunctione vnam, quam vocant non categoricam, quia partes eius proximæ, non sunt prædicatum, & subiectum: & ideo neque vnum in ea proxime de altero enunciatur: sed hypotethicam, aut coniunctam; quia multas continet enunciationes coniunctione vnitas, vt homo est albus, & equus est hinnibilis, & ideo vocat eam Aristotel. vnam coniunctione. Qualitas igitur huius diuisionis in controuersiam vocatur: videlicet an vniuoca sit, atque adeo tanquam genus diuidatur enunciatio in hæc duo membra, vel certe, vt analogum in diuersa analogata.

Duæ sententiæ referuntur, & earum fundamenta.

TRIPLICEM de hac re sententiam inuenio. Prima tenet esse diuisionem 1. sententia.
genericam: probatque ex definitione Probat 1.
orationis vniuoce competenti simplici, atque compositæ, ac tanquam diuersis speciebus 76.
eiusdem generis, quod & nos ex multorum interpretum sententia, tanquam probabilius secuti sumus; erunt igitur diuersæ species orationis, ergo etiam diuersæ species enunciationis. Probatur sequella nam quæ vniuoce conueniunt sub genere superiori, necesse est etiam vniuocè cõuenire sub prædicato inferiori: vt si duo animalia diuersa, vniuocè conueniunt sub genere viuetis, necesse est sub animali etiã vniuocè conuenire: enunciatio autem est prædicatum quidditatiuè contentum sub oratione; ergo cum simplex, & composita sint diuersæ species orationis, & conueniant sub enunciatione, vniuoca erit conuenientia, atque adeo generica, cum per diuersas rationes formales simplicis, atque compositæ separentur.

Secundo significare veritatem, aut falsita- Probat. 2.
tem, quod est enunciationis essentia, aut certe, quasi eius proprietas conuenit vniuocè simplici, & compositæ: ergo enunciatio erit etiam vniuoca respectu vtriusq;, atque adeo verũ genus. Probatur antecedens: quia enunciatio composita simpliciter est vera, aut falsa; ergo simpliciter est enunciatio: non ergo analogicè, sed vniuocè cũ enuntiatione simplici. Hanc sententiam tenet Magister Sot, 77.
2. lib summul. cap. 6. quem sequuntur Mercat. in argumentis sed contra, 2. lib. summ. oppositis, & Pater Franciscus Suarez, in scriptis huius cap.

Secunda opinio, quorundam moderno- 2 Opinio.
rum accidentaliter solum differre sentit, Probat. 1.
tanquam magis, & minus compositum; quem-

quemadmodum in genere artificiali distinguuntur parietes, & tota domus; simplicem namque enunciationem, aiunt, quis dubitet esse compositam, sed quia non componitur ex multis enũciationibus, sed solum ex subiecto, prædicato, & copula; tanquam ex partibus simplicibus vocatur simplex; quemadmodum nomina ex syllabis composita simplicia appellantur comparatione eorũ, quæ ex multis nominibus constant, sed nomen simplex, & compositum non distinguuntur specie, sed solum accidentaliter; ergo nec propositio simplex, & composita.

Probat. 2. Secundo. Enunciatio categorica composita ex altera, accidentaliter solum differt ab ea, quæ ex nomine, & verbo componitur, vt
78. constat de his; homo est animal; & homo, est animal, est vera enunciatio: propterea, quod solum differunt, vt magis, & minus compositum; ergo non plus differt enunciatio composita ex multis, ab ea, quæ ex vna componitur, vel certe ex nomine, & verbo; & iuxta hanc sententiam diuisio enunciationis, de qua præsens controuersia procedit, nec generica erit, nec analoga, sed subiecti in accidentia; quemadmodum si nomen, aut verbum diuidatur in simplex, & compositum.

Tertia sententia D. Thomæ superioribus anteponitur.

D. Thomas Boet. Ammonius, Tolet. Masius Suesanus.

POSTREMA sententia analogam facit enunciationem, ac diuisionem eius in prædicta membra; quam sustinent, non solum antiquiores interpretes, Boetius, & Ammonius, in commentariis huius cap. & cum eis D. Thomas, opusc. 48 cap. 6. sed etiam moderni, Suesanus, Tolet. & Masius, ille quæstio. 2. iste quæst. 5. & hæc est longe probabilior, & magis doctrinæ Aristot. consentanea, qui simplicẽ vocat vnam propter significatum vnum: compositam non nisi coniunctione vnam; quasi dicat simplicem esse vnam simpliciter, compositam, non nisi vnam secundum quid.

Probat. 1. Quod autem probabilior sit, hac potissimum ratione ostendo, nam enunciatio est oratio vnum de altero enuncians, sed hæc ratio competit simplici per se primo, compositæ vero non nisi ex participatione eius;
79. ergo analogicè: probatur minor: nam simplex est, in qua prædicatum enunciatur de subiecto: composita vero nihil de alio enunciat, nec formam enunciandi habet, sed ex eo solum vocatur enunciatio, quia simplices claudit cõiunctione vnitas, in quibus vnum de altero enunciatur, & ideo dicitur coniunctione vna; quasi coniunctione enunciatio; ergo solum habet modum, ac rationẽ enunciationis propter simplices, quas coniunctione proprias partes efficit.

Secundo. Veritas compositæ, pendet intrinsece ex veritate simplicium, vel certe ex earum causalitate, vel consecutione. Primum constat in copulatiua, ac disiunctiua; secundum, in causali, & conditionali; ergo veritatem habent participatam à simplici, quare non erit enunciatio vniuoca comparatione vtriusque. Probat 2.

Postremo vna species non componitur ex altera formaliter, sed hypothetica enunciatio componitur ex simplicibus formaliter, hoc est vt enunciationes simplices sunt, in quibus prædicatum enunciatur de subiecto, & in quantum sunt veræ, aut falsæ; nam quolibet sublato, nequaquam partes illius 80. esse possunt; ergo non sunt species enunciationis, nec enũciatio genus ad illas: componitur quidem numerus ex numero (vt exemplo id confirmemus) vt ternarius ex binario, non tamen formaliter: nam eo ipso quòd tertia vnitas binario additur, desinit esse binarius, formam amittens, & solum remanet materialiter in ratione duarum vnitatum, sed enunciationes simplices conueniũt ad compositionem hypotheticæ, retentis absque dubio propriis rationibus formalibus enunciandi vnum de vno, propria etiam veritate, aut falsitate: nihil enim horum amittunt, ex eo, quod coniunctione vniantur; ergo secundum proprias rationes formales eam componunt, quod certe repugnat speciebus. Et his rationibus probatur nostra sententia, aduersus primam. Sed probatur iam quod non differant solum, vt magis, & minus compositum, & ideo accidentaliter, aduersus secundam, sed modo etiam formali enunciandi, cum simplex ab intrinseco habeat formam enunciandi, qua caret certè composita, cuius forma potius consistit in vnione simplicium, vnum de altero enunciantium, quam in modo enunciandi, quem proinde non habet, nisi ex participatione, ac propterea vocatur ab Aristot. non vnam propter vnum significatum, sed (Probatur vltima.) (Aristotel.)

propter coniunctionem quod nō contingit in his, quæ solum accidentaliter distinguuntur per maiorem, aut minorem compositionem, vt in exemplis pro eadem sententia
81. adductis facile constare potest: nam per se primo paries est ens arte factum, sicut domus, quanquam ad illam ordinetur.

Fundamentis aliarum opinionum respondetur.

Ad 1. argu. 1. sentent.

NVNC argumentis vtriusque sententiæ satisfacere oportet. Et priori argumento primæ sententiæ, damus enunciationem simplicem, & compositam vniuoce conuenire sub genere orationis, tanquam diuersas species eius: negamus tamen inde fieri, vt sub enunciatione eodem modo conueniant; cuius ea ratio est, quia enunciatio longe perfectior est oratione; quam perfectionem, ex se nō attingit oratio composita, sed ex participatione simplicis, licet ex se attingat perfectionem orationis; vnde licet vniuoce sub oratione conueniant, minime sub enūciatione: & licet huius rei exēplum, in rebus naturalibus difficile inueniatur, quia earum natura, non est ita variabilis: bene tamen in eisdem rebus arte factis, quales sunt oratio, & enunciatio: nam vniuoce conueniunt sub genere relationis, rationis indiuiduum, & species, sub prædicabili vero, quod est quasi genus inferius, non nisi
82. analogice: nam cum indiuiduum de vno solo prædicetur, hoc est, de se ipso, analogice prædicatur, quemadmodū prædicatio identica analogicè vocatur talis.

Ad secundum.

Et patet ratione, de eisdē enunciationibus sentiendum est, quantum ad veritatem, & falsitatem, vt secundum argumentum soluatur: nam simplex ex se, hoc est, absque dependentia à composita, verum, aut falsum significat, composita vero, non nisi per intrinsecam dependentiam à simplici, eiusque participationem, vt superius probauimus: Analogice igitur, etiam sub consideratione veritatis, aut falsitatis conueniunt.

Ad argum. 2. sententiæ.

Ad argumentum secundæ opinionis, respondendum est negata similitudine, inter nomen simplex, & compositum, ex vna
83. parte, & orationem simplicem, & compositam ex altera: nam compositum nomen, non dependet à simplici, nisi materialiter: oratio vero composita, etiam formaliter à simplici dependet, hoc est, in quantum tali; eam siquidem componit eodem modo enunciandi: eademque veritatis, aut falsitatis significatione retenta, quod non contingit in nominibus: nam diuersam longe significationem habet nomen compositum à simplicibus, quæ in cōpositione propriam significationem, vel proprium saltem modum significandi amittunt: & hoc est materialiter solum concurrere ad compositionē. Falsum igitur est, quod præsupponit hæc sententia solum differre orationem simplicem, & compositam, secundum maiorem, aut minorem compositionem, neque est simile, quod affertur de enūciatione simplici, ex altera composita, cum materialis sit solum, talis compositio, & 84.
materialiter accipiatur enunciatio, ex parte subiecti, aut prædicati posita: compositio autem hypotheticæ enunciationis ex simplicibus, formalis est in hoc sensu, quod ad eam componendam, secundum proprias rationes formales concurrunt.

DIVIDITVR ENVNCIATIO iuxta quantitatis notas: enunciationum oppositiones assignantur, circaq; ipsarum veritatem, ac falsitatem regulæ traduntur, ac quæ sit vna affirmatio, vel negatio determinatur.

CAPVT QVINTVM.

QVONIAM autem sunt hæc quidem rerum vniuersales, illæ vero singulares, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

CAPVT hoc quasi continuatio præcedentis est, in cuius extrema parte cæpit Aristot. agere de contradictione 1.
inter enunciationes reperta, sub communi quidem ratione solum importante affirmationem, & negationem eiusdem prædicati, de eodem subiecto, quæ explicata, prosequitur nunc speciales modos oppositionis. Est autem trimembris textus c.... diuisio: nam

primo diuisionem vltimam enũciationis apprime necessariam præmittit; deinde infert modos oppositionis: ac tandem præscribit regulas, quibus infallibiliter cognoscamus, quonam pacto se habeant in ordine ad veritatem, vel falsitatem.

2. Quantitas secundum se accidens est corporeum, consequens materiam, & cum inter partes enunciationis subiectum locum materiæ teneat, fit ex parte illius, enunciationis quantitatem accipiendam esse, quo supposito duo adnotat.

Nota 1. Primo: omnis enunciatio, siue affirmans, siue negans sit, aut est de subiecto vniuersali, aut particulari; quod hoc argumento probatur; in qualibet enunciatione principaliter enunciatur, vna res simplex, de altera: nam voces non enunciantur, nisi in quãtum signa rerum, sed rerum simplicium aliæ sunt vniuersales, aliæ singulares, ergo qualibet enunciatio aliquid enunciat de re vniuersali, aut de singulari, vnde fit de subiecto vniuersali aut singulari esse, & hæc est diuisio eius secũdum quantitatem. Probat minorem, diuisionem illam rerum continentem, vtrumque membrum definiens, vniuersale quidẽ hisce verbis. Vniuersale dico, quod in pluribus prædicari aptum est. Per aptitudinem autem, & nõ per actualem prædicationem designatur, quia ratio vniuersalis, non consistit
3. in actu, sed in aptitudine (quam prædicabilitatem vocant.)

D. Thom. Vel secundo: vt bene adnotauit D. Thomas, quia multa sunt naturæ vniuersales nõ habentes plura indiuidua, de quibus enuncientur, sed habere potentes, quibus proinde actualis prædicatio de multis non conuenit: bene tamen aptitudo sufficiens profecto, vt vniuersales sint, & appellentur. Singulare vero ait esse, quod non est de pluribus prædicari aptum, sed de vno solo, vt Petrus, vel Ioannes.

Nota 2. Secundo adnotat dupliciter contingere prædicatum enunciari de vniuersali subiecto aut vniuersaliter, quando de quocunque sub eo contento enunciatur, quod fit, dum de eo aliquo signo, aut syncategoremate vniuersali affecto enunciatur, vt si dicamus, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Secundo non vniuersaliter, vt homo est iustus, homo non est iustus. Tertio, in vna vniuersaliter, in altera nõ vniuersaliter, vt omnis homo est iustus, homo non est iustus: quibus præmissis singulas oppositiones singulis assertionibus explicat. Prior est, si de subiecto vniuersali aliquid affirmatiue, & negatiue vniuersaliter enunciatur, contraria est vtriusq; enunciationis oppositio, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: talem autem oppositionem merito vocari ab Arist. contrariam, ait S. Thomas, quia contraria sunt, quæ maxime inter se destant, atq; secum pugnant, vt album maxime distat à nigro, & à frigido calidum, vnde fit media non propriè esse cõtraria, nisi per participationem extremorum vt de mediis coloribus pallido, & fusco, & viridi exploratum est. Sed enunciationes, in quibus idem prædicatum de eodem subiecto vniuersaliter enũciatur affirmatiue, & negatiue, maxime distant, ac secum pugnãt, cum affirmans vniuersaliter ei inesse ponat, hoc est quibuslibet indiuiduis sub eo contentis negans vero nullis, ergo iure vocantur ab Aristot contrariæ. — 1. Assertio. … 4.

2. Assertio. Secunda assertio, quando de vniuersali quidem enunciamus, non tamen vniuersaliter, vt homo albus est, homo albus non est. (Homo enim vniuersale subiectum est, sed non accipitur vniuersaliter, cum non afficiatur signo vniuersali, & ideo non necesse est prædicatum cunctis singularibus sub eo contentis conuenire) tales enunciationes affirmatiua, & negatiua, non sunt contrariæ, imo nec proprie oppositæ, sed vocari solent subcontrariæ, quorum qualibet cõtrariatur sub vna vniuersali, & ambæ sub duabus cõtrariis, vt homo est albus, sub illa affirmante omnis homo est albus, & homo non est albus sub illa negante, nullus homo est albus. Addit tamen Arist. easdem propositiones aliquando, vt cõtrarias significare dicens. Quæ autem significantur, esse aliquando contraria, quæ verba diuersis exponuntur modis à diuersis. Quidã enim interpres Boetio antiquior, quem refert ipse in cõmentariis huius loci, talẽ esse sensum dicebat huiusmodi subcontrarias significari aliquando vt contrarias, quia in materia necessaria, atq; remota — 5. … 1. Expositio

habent se, vt contraria, quantum ad veritatem, aut falsitatem. Non enim possunt stare
6. simul in veritate, neq; in falsitate, sed si vna est vera, necesse est alteram esse falsam. Reiicitur tamen hac expositio à D. Thom. & merito, quia nondum Aristot. de oppositis enunciationibus quātum ad veritatem aut falsitatem verba fecerat facturus postea in extrema parte cap. non ergo loquitur de his sub contrariis, quantum ad veritatem, & falsitatem.

Reiicitur ea D. Tho.

2. Exposit.

Propterea Porphyrius, Ammonius & Psellus, quos sequitur, & explicat Doct. Tolet. nō tam ad integras enūciationes, quam ad prædicata earum eadem verba referunt, quasi dicere voluerit Aristot aliquando ex parte prædicatorum significari, vt contrarias, vt cum prædicatum negatur subiecto, quia contraria ei qualitas inest, vt in his, homo est albus, homo non est albus, ideo animal albū esse negari solet, quia est niger & tunc prædicata vtriusque contraria sunt, id tamen non semper contingit: nam cum prædicata sunt substātialia, vt in his: homo est animal, homo non est animal, non habet locum talis contrarietas. Cæterum neque expositio hac placuit D. Thomæ, quia Arist. ait: Non loquitur modo de contrarietate rerum, sed enunciationum, cui addere etiam possumus ratione prædicati non dici, necesse propositiones contrarias: imo si prædicata contraria habent,
7. eo ipso non sunt opposita, cum non sint eiusdem prædicati de eodem subiecto: quis enim aliquando dixit has esse contrarias propositiones, omnis homo est albus, nullus homo est niger? Cum potius sint, æquipollentes.

3. Expositio D. Thomæ.

Diuersa est expositio D. Thomæ, cum Alexandro tenentis propterea Aristotel has aliquando significari vt contrarias, docuisse, quia licet subiectum nullo afficiatur vniuersali signo, aliquando tamen ei attribuitur vniuersaliter prædicatum: non minus quam si eo afficeretur, inspecto sensu propositionis, quare contrariis æquipollent, vt in materia necessaria, & remota, in quibus tantundem valet, sic enunciare, homo est animal, homo non est animal, vel homo est lapis, homo non est lapis, ac si vniuersaliter enunciaretur; vniuersaliter enim verū est, & ab omnibus admissam propositionem indefinitam, in his materiis æquipollere vniuersali, sed quia in materia contingenti, non sic euenit: ideo Aristoteles, vt contrarias aliquando designari protulit, non semper, & sensus iste potius videtur mentem Aristot. attigisse.

Sed quia posset quispiam dubitare circa propositiones contrarias, qui fieri possit, vt solum ex parte subiecti se teneat vniuersalitas vtriusque; & non ex parte prædicati, quod in affirmatiua non distribuitur, sed confuse stat, cum tamen etiam ex parte illius videatur attendenda: nam cum sit pars enunciationis præcipua, ab ea etiam oppositio desumenda erit. Respondet Aristot. nullo modo esse addendam vniuersalitatem, ex parte prædicati, quia repugnaret veritati propositionis; & fieret semper esse affirmatiuam falsam, vt si dicas omnis homo, est omne animal, & genus nunquam posset vere de speciebus enunciari: imo neque vllum superius de inferiori, & quod summum est, neque æquale, siue definitio sit, aut differentia, vel etiam propria passio, falsum est enim sic enunciare, omnis homo est omne rationale, aut omne risibile, cum sit sensus de quolibet homine id enunciari posse, pro quo absque dubio distribuitur subiectum: vnde dicendum esset Petrum, esse omne rationale, & Ioannem omne risibile, quod est aperte falsum; causam huius rationis adiungit D. Thomas. & optimam quidem, nam cum prædicatum enunciationis, se habeat tanquam forma subiecti, & forma determinetur per materiam, quantum pertinet ad quantitatem, quia quantitas accidens est, ex parte materiæ se tenens, ex parte subiecti, solum fuit addenda vniuersalitas pro quantitate propositionis determinanda, & si ex parte etiā prædicati adderetur, bis esset determinatum, hoc est per vniuersalitatem ei adiunctam & per adiunctam subiecto, quòd cum natura propositionis repugnet, non mirum est si eam semper efficiat falsam.

Dubium.

Respondet Aristotel.

9.

His expeditis, est tertia assertio pro contradictoria oppositione: quando de vniuersali subiecto, enūciamus in vtraq. propositione affirmatiua, & negatiua, sed in vna vniuersaliter, 3 Assertio.

uersaliter, in altera non vniuersaliter, oppo-
10. nuntur contradictoriæ: vt omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus, nam non omnis tantundem valet ac aliquis non, & hæc in secunda par. capitis.

3. Pars cap. In tertia, regulas præscribit, per quas intelligere possimus, quonam pacto se habeant ad veritatem enunciationes oppositæ. Et est regula prima, si de vniuersali vniuersaliter omnino enunciemus, qualiter in contrariis contingit, non possunt simul in veritate stare, sed necesse est alteram esse falsam, si vna sit vera, & ratio est euidēs, quia repugnat idem prædicatum inesse subiecto vniuersaliter, hoc est, cunctis sub eo contentis inferioribus, & simul ab eo vniuersaliter, hoc est, à cunctis remoueri, quod contingeret, si ambæ istæ enunciationes contrariæ, simul in veritate starent; omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: addit tamen Aristot. particulares contrariis oppositas posse simul in veritate stare, vt aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus, eiusmodi enim sic ad contrarias se habent, ex eisdem constitutas extremis, vt affirmatiua sit contradictoria, vniuersalis negatiuæ; & negatiua contradictoria affirmatiuæ, & has vocare solemus nos subcontrarias, quasi sub propositionibus contrariis positas, quod autem simul in veritate stare non repugnet, non est minus certum, cum cōstet posse idem prædicatum conuenire alicui singulari contento sub subiecto, & alicui non
11. conuenire, vt Petro quòd sit albus, Ioanne existente nigro; & hoc est ad veritatem vtriusque, nam ad veritatem particularis satis est vna singularis vera, cum particulare signum non distribuat subiectum, sed illud potius pro vno aliquo singulari, & vago determinet.

1 Regula pro contrariis

2 Regula pro contradictoriis. De contradictoriis diuersam ait esse præscribendam regulam: nam tribus modis se habere possunt. Primo, ita vt vtraque sit de subiecto vniuersali, de quo tamen vniuersaliter enuncietur prædicatum in vna, & non vniuersaliter altera, vt omnis homo est albus, non omnis homo est albus. Secundo, ita
12. vt sit de subiecto singulari, vt Petrus est albus, Petrus non est albus. Postremo, vt de vniuersali sint subiecto, sed in neutra enuncietur prædicatum vniuersaliter, vt homo albus est, homo albus non est, quarum subiectum cum nullo afficiatur vniuersali, nec particulari signo quasi indeterminatum, aut indefinitum permanet, atque indifferens, vt vno, aut altero afficiatur, & propterea cōmuni schola voce appellantur indefinitæ. Nunc igitur, si primo, aut secundo modo se habeant, nec in veritate, nec in falsitate stare simul possunt, quia vera reperitur inter eas oppositio contradictoria, si vero modo vltimo non repugnat, simul in veritate stare, verum namq; vtrumque esse potest, & quod homo sit pulcher, & quod pulcher non sit, quod probat Arist. à contrario: nam si vnus aliquis homo est turpis, aut deformis, verum erit quod homo sit turpis. ergo ex cōsequenti, quod non sit pulcher.

Obiectio. Sed obiicit sibi statim Aristot. nam cum subiectum in his non afficiatur particulari signo, nec determinatur profecto ad aliquod singulare, quare videbitur tantundem valere hanc, homo non est pulcher, ac nullus 13.
homo est pulcher, & tunc erit quidem vera oppositio contradictoria inter eas, ac si primo modo se haberent, nec simul proinde in veritate stabunt.

Responsio. Et respondet indefinitam negationem, nequaquam significare idem cum negante vniuersali, neque eandem veritatem. Probatur primum, nam vniuersalis enunciat vniuersaliter de subiecto, videlicet nullus homo est pulcher: indefinita vero, homo nō est pulcher, non enunciat vniuersaliter. Probat secundū: nam illa falsa esse potest, hæc vera, constat vtrunque, si vnus saltem homo pulcher non sit: tunc enim falsum erit pulchritudinem à cunctis singularibus remouere: verum autē ab vno aliquo; quod satis est vt indefinita, cuius subiectum non distribuitur, sit vera.

3 Regula. Asserit tandem Arist. vni negationi non opponi multas affirmationes, sed vnā, quod probat ratione, & exemplis: ratio talis est, hoc idem quod affirmatio ponit, negatio destruit, cum ex directo repugnet ergo qualibet affirmatio propriam, atque vnicam habet negationem sibi oppositam, Exempla vero in vniuersalibus ac singularibus oppositis pro-

ducit: nam huic, Socrates est albus, contraducit illa, Socrates non est albus & huic om-
14. nis homo est albus, non omnis homo est albus; vel æquiualens, aliquis homo non est albus: atque etiam isti: homo est albus, illa, homo nõ est albus. Obseruandum etenim omnino est in specialibus oppositionem generibus, quod ad finem præcedentis capitis in contradictione cunctis cõmune præscriptum est, nempe idẽ prædicatum de eodem subiecto enunciandum esse, tam in affirmatione, quam in negatione, nam si aliud prædicatum in vna, aliud in altera enuncietur: aut si idem de vno in vna, & de altero subiecto in altera, cessabit proculdubio contradictio, nullusq; oppositionis modus reperietur.

4. Regul. Vnam autem affirmationem, negationem vnam eam esse docet quæ vnum habet subiectum & prædicatum, hoc est vniuocum, nam si prædicato, aut subiecto æquiuoce constet, nõ erit vna, sed multiplex, probat hoc exemplo, vt si tunica significaret idem, atque duæ istæ voces homo, & equus, non esset vna affirmatio hæc, tunica est alba, neque vna negatio tunica non est alba, sed multiplex, tantundẽ namque affirmans valeret, ac duæ istæ homo est albus, equus est albus & negatiua, tunica nõ est alba, pro his duabus etiam esset, homo non est albus, equus non est albus Quare pro vna posset esse vera, & pro altera falsa sicut hæc: canis est albus. Epilogo tandem colligit vniuersam capitis doctrinam dicens.

Quod igitur vna affirmatio vni negationi
15. opponatur contradictoria, & quæ sũt hæ, dictum est; & quòd contrariæ aliæ, & quæ sunt illæ, dictum est, & quòd non omnis vera, vel falsa contradictio, & quare, & quando vera, vel falsa.

QVO PACTO IN FVTVRIS contingentibus, contradictionis regula veritatem habeat.

CAPVT SEXTVM.

1. IN his ergo quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationẽ, vel negationem veram esse, vel falsam, &c.

EXPLICATIO TEXTVS.

PRæsens caput exceptionem, quandam illius vniuersalis legis continet pro cõtradictoria oppositione latæ, videlicet quod ex enunciationibus inter quas versatur, vna est vera, & altera falsa.

Vt autem institutum Aristot. percipiamus melius, quædam prænotare oportet cum D. Thom. in his commentariis. Primum est: triplicem esse enunciationum materiam iuxta triplicem habitudinem diuersam, quam prædicatum habere potest ad subiectum: nam vel subiecto sic inest prædicatum, vt nõ possit non inesse, & dicitur enunciatio necessaria. tales sunt omnes in quibus prædicatum pertinet ad essentiam subiecti aut propria eius passio est, vt homo est rationalis, homo est risibilis, vel prædicatum, nec subiecto inest, nec inesse potest, & dicitur esse in materia remota, vt homo est arbor, aut homo est lapis, denique sic inest, vt possit non inesse vel sic non inest, vt inesse possit & est in materia contingenti. Enunciationes autem in triplici hac materia existentes, sic se habent ad veritatem, aut falsitatem, vt in materia necessaria affirmatiuæ omnes semper sint veræ, negatiuæ omnes, & semper falsæ (ad eandem namq; materiam affirmatiuæ, & negatiuæ eiusdem prædicati de eodem subiecto pertinent) vt homo est rationalis, vera semper est, homo non est rationalis, semper falsa: ex opposito vero in materia remota affirmatiuæ omnes semper sunt falsæ, negatiuæ omnes semper sunt veræ: in materia vero contingenti distinctione opus est: nam vniuersales, tam affirmantes, quã negãtes oẽs ac semper sunt falsæ particulares, aut indefinitæ oẽs, & semper veræ, singulares vero aliquãdo veræ, aliquando falsæ. Exemplũ vniuersaliũ est, omnis homo est albus, nullus homo est albus, particularium, quidã homo est albus, quidã homo nõ est albus, singularium Petrus iustus est, Ioannes iustus non est.

Secundo obseruandũ est circa enunciationes cõtingentes, in quibus prædicta exceptio vniuersalis regulæ locũ habet, in triplice gradũ esse distinctas, iuxta triplicẽ modũ contingentiæ, quæ habere potest prædicatũ in ordine ad

Nota. 1.
2.
2. Nota.
3.

adsubiectũ, nam vel frequẽter inest subiecto, & raro abest, vt homo meridie prandet, & noctu cubat aut ex opposito raro inest, & frequenter abest, vt fodiens terram inuenit thesaurũ; aut non frequẽtius inest, quã absit, sed æqualiter ad vtranlibet partẽ se habet, vt homo ambulat, & primus modus vocatur cõtigens frequenter: secundus contingẽs raro: tertius, contingens ad vtrumlibet.

a Nota. Tertio obseruandũ est propositiones cõtingentes sicut necessarias, & remotas triplicẽ differentiã tẽporis importare posse, nam aut sunt de præterito, aut de præsenti, vel de futuro: vt homo est albus, homo fuit albus, homo erit albus: præterea; aut sunt de subiecto
ũ. vniuersali signo etiã vniuersali affecta, particulari, aut nullo quod est esse vniuersales, particulares, aut indefinitas, vt omnis homo est albus, aliquis homo est albus, homo est albus: aut de subiecto singulari, Ioannes est albus, Petrus est albus.

b Certũ est. Quibus præmissis, vt certa ab incertis separentur, certũ est primo enũciationes materiæ necessariæ, atque remotæ, vniuersales, particulares, indefinitas, aut singulares, affirma-
4. tiuas, vel negatiuas, præsentis, præteriti, aut futuri tẽporis determinatã habere veritatem, aut falsitatẽ, de quo nullus vnquã fuit dubitandi locus.

2 Certũ est. Secundo certũ est, enunciationes cõtingẽtes, de vniuersali subiecto, siue vniuersales sint, seu particulares affirmantes, vel negãtes, aut indefinitæ præsentis, præteriti, aut futuri tẽporis, determinatã etiã veritatẽ, aut falsitatẽ habere, de quibus etiam nulla potest esse dissensio: ad solas igitur singulares cõtingẽtes cõtrouersia reducitur, an determinatã veritatem, & falsitatẽ habeãt sicut reliquæ.

3 Certũ est. Sed de his adhuc est certũ, enunciationes de præsenti, ac præterito tales esse, vt Petrus est albus, Petrus nõ est albus, Ioãnes fuit albus, Ioannes nõ fuit albus: In his enim nul-
5. la est indeterminatio, sed determinata est vna ad veritatem, & altera ad falsitatem. Itaque in cunctis enunciationibus numeratis, vera est vniuersalis illa regula c. 4. præcedẽti tradita pro oppositione contradictoria, videlicet, quòd vna cõtradictoriarũ determinatã habet veritatẽ, altera determinatã fal

sitatẽ ita vt de vna enũciare possimus, quod vera sit, de altera quod sit falsa. De singularibus ergo dũtaxat cõtingentibus de futuro quæstio potest constitui, subeantne eãdem legem, an ab ea excipiãtur? Ita, vt nec de vna earũ possimus proferre, quòd sit vera, neque de altera quòd sit falsa, sed vtraq; indeterminata sit ad veritatẽ, aut falsitatẽ; & hanc quæstionem proponit, ac soluit Arist. cap præsenti in tres partes diuidendo: nam proposita ac soluta quæstione in prima duplici argumento ad impossibile ducente probat cõclusionem responsiuã. In secunda impossibile esse ostendit illud, ad quod argumenta deducũt 6.
duplici alia ratione. Postremo quasi in modũ epilogi veritatem tenendam colligit.

Vt quæstionem igitur proponat præsupponit 4. Certum est.
tanquã certum, prædictã legem in cunctis enunciationibus materiæ necessariæ, ac remotæ, inuiolabiliter obseruari, & rursus in enũciationibus contingentibus de subiecto vniuersali, quæ vere sunt contradictoriæ (excepta indefinitis, in quibus non est vera oppositio cõtradictoria) ac demũ in singularibus, de præsenti, ac præterito, de quibus proferre possumus vnam esse necessario veram, alteram vero falsam, & de solis futuris dubium 7.
esse posse, an sint excipiendæ.

Respondet autem excipiendas esse, quia de Conclusio Aristotel.
neutra proferre possumus, quòd sit vera, sed neque quòd sit falsa, cum veritas, aut falsitas vtriusque ex determinatione causæ futura dependeat, quod qua sit ratione intelligendum postmodum discutietur. P

Probatq; duplici ratione non multũ diuer- Probat. 8
sa: Prior est: si enũciationes istæ determinatã haberent veritatẽ, aut falsitatẽ, sequeretur, nihil in rebus cõtingenter accidere, sed necessario omnia euenire, quæ futura sunt; quod falsum est, probat antecedens hoc exemplo. si ex duobus hominibus vnus dicat Petrum futurum esse album, alius minime esse album futurum, necesse erit vnum verum dicere, alterum esse mentitum, si igitur verũ est id quod protulit is, qui futurum esse album affirmauit, eo admisso sequitur necessario, Petrum futurum esse album, non ergo 8.
contingenter, sicq; de singulis effectibus contingentibus censendum erit, quare oẽs erunt:

necessarii, & nullus contingens, quod satis absurdum est.

2. Probat. Secunda ratio. Si hæc enunciatio, Petrus futurus est albus, nunc prolata determinatam habet veritatem, impossibile erit Petrum non fore album, & si impossibile est non fore, necesse est futurum esse album: non ergo contingens, quare eadem erit necessitas in cunctis effectibus futuris, & ita fiet, vt nihil sit casu, aut fortuito euenturum, nihil etiam ad vtrumlibet contingens, sed omnia necessario esse futura, quod impossibile est: nam si ita res haberet, neque esset negotiandum, neque consultandum de rebus futuris, quemadmodum sub consultationem non cadunt ortus solis futurus, vel illuminatio eius, aut quid simile, ex his quæ necessario, ac semper eodem modo eueniunt.

Obiectio. Si autem quispiam dixerit talem enunciationem de futuro prolatam, proximo tēpore esse determinate veram, & ita effectum proxime futurum esse necessarium sed ante annum prolatam; esse contingentem, & tunc posse etiam effectum contingentem appellari.

Respondetur. Respondet Arist. nihil referre, quòd proximo, aut remoto tempore proferatur. Nam si prolata modò est determinate, ac necessario vera, eandem habuit necessitatem ante mille annos prolata, cum pari ratione sit futura, & effectus pari ratione ne-
9. cessarius, siquidem non magis determinata nunc causa est, quam ante mille annos, imo etiam si non proferatur ab aliquo, erit necessaria enunciatio, aut effectus, quem significat: quia propter nostrum affirmare, vel negare, nihil necessitatis, aut contingentiæ in rebus ponitur; sed ita se habent, ac si nihil enunciatum sit.

1. Obiect. Si autem secundo dixeris, hinc fieri, tales propositiones nullam prorsus habere veritatem, sed ambas contradictorias esse falsas: nam si nō est determinate verum, quod Petrus futurus est albus, neque etiam quod non est albus futurus, erit vtrūque falsum, cum respectu cuiuslibet enūciationis nō detur medium inter veritatem, & falsitatem.

Respondetur. Respondet Aristo. hoc est impossibile propter duo. Primum, quia communis est dialecticorum vox. ex duabus propositionibus contradictoriis vnam esse veram, alteram falsam: ergo repugnat esse vtranq; falsam. Secundum, nam si id admitteretur, sequeretur euidenter. idem simul esse, & nō esse. Probatur, nam si accipiamus has duas propositiones, bellum nauale futurum erit, bellum nauale nō erit futurum, & dicatur affirmantem esse falsam, sequitur negantem esse veram, atque adeo bellum nauale non esse futurum & rursus si negans falsa est, affirmatiua vera erit atque adeo bellum nauale futurum: quod est simul esse futurū, 10.
& non esse futurum nauale bellum; quod cum absurdum sit, dicendum erit neutram quidem determinate veram esse aut determinate falsam, sed indifferenter posse quālibet esse veram, vel falsam, ne impossibilia illa admittere cogamur, quod nihil casu, aut fortuito euenturum sit, nihil contingenter ad vtrumlibet, nihil, quod sub consultationem cadere possit, aut de quo negotiandum sit.

Quod autem absurda sint hæc, ex duobus ostendit. Ex priori quidem, quia certissimū est hominibus esse concessum liberum arbitrium, cuius est deliberare de rebus futuris agendis, vel non agendis, admonere vt sic vel aliter fiant; & in finem ordinantur consilia, hæc autem aliquid esse contigenter futurum præsupponunt, circa quod admonitiones, correctiones, consilia, atque electiones versantur. Ex posteriori vero, quia tam in rebus naturalibus, quam in arte constantibus eandem veritatem experimur. In his quidem, nam vestem incidi, aut non incidi contingens est, cum possit atteri, aut vetustate consumi & tunc non scindetur: & potest etiam incisione perire quod autem indifferenter fieri potest, aut non fieri, aut sic alterve fieri contingens est, ergo verè dantur in his rebus contingentes effectus. Atque etiam in naturalibus, nam possibile est quod aliquando euenit, nimirum hominem quatuor digitis præditum nasci, aut etiam sex, & vt plurimum quinque præditus nascitur: aliquando etiam fortis robore, aliquando infirmus, quorum effectuum contin-

genti-

gentium ratio, materia est, apta quidē hoc, aut illo modo disponi, hoc aut illo modo recipere formam negari igitur non potest cōtingētia in vtrisq; rebus, tam arte quam natura constantibus: Ita vt effectus quidam raro eueniant, quales sunt thesaurorum inuētiones, aut frequenter, vt quòd homo quinque digitis præditus nascatur, aut etiam ad vtrumlibet, si ex libero arbitrio dependeāt, vt Petrum, aut Ioannem, bene, vel male vi-
12. cturos, atque ex consequenti necessario dicendum est, enunciationes singulares de futuro significantes eosdem effectus cōtingentes, non esse determinate, aut necessario veras, vel falsas.

Vltim. pars In vltima tandem parte capitis, veritatem tenendam ex dictis colligit Aristoteles, quam præcedentibus concluserat rationibus ad impoßibilia ducentibus, videlicet aliter in enunciationibus de præterito, ac præsenti contingentibus veritatem, aut falsitatem contineri, aliter in propositionibus de futuro; nam in illis vna ex contradictoriis vera est necessario, altera falsa, in his vero, neque vna neque altera vera est necessario, neque etiam falsa, sed indeterminata ad veritatē, aut falsitatem: quod vt clarius ostendat, cū veritas, & falsitas enunciationis, necessitas atque contingentia eiusdem, a rebus significatis dependeat: duplicem modū necessitatis rerum, tam simplicium quam complexarum distinguit, de ipsis, vt in se sunt loquens, duplicem alium rei complexæ cum suo opposito comparatæ: & totidem modos necessitatis,
13. atque contingentiæ enunciationum. Rem igitur simplicem esse necessariam duobus con-
1. Dist. necessaria. tingit modis. Primo absolute, quādo ex propria consideratione talis est, vt non poßit aliter se habere, vt cœlum: Alio modo sunt res necessariæ non ex propria conditione, sed ab extrinseco, hoc est ratione temporis, vt cursus tēpore præsenti factus, aut existentia Petri actualis, ex proprio modo res sunt cōtingentes, cum poßint esse, & non esse, sed ex cōditione temporis præsentis, quo mensurātur necessaria dicuntur, nam supposito quod nūc sunt non possunt non esse, & in rebus cōplexis Petrū esse, Petrū currere, necessariæ sunt ex suppositione tēporis præsentis: Nam dum sunt, nō possunt nō esse; & hoc est quod Arist. vniuersaliter protulit, videlicet: Rē esse quādo est necessariū esse, sed addit ab hoc necessitatis extrinseco modo, ad primū intrinsecum non tenere argumentū: nō enim sequi-
tur. Petrū esse quando est, aut currere, quādo currit, necessarium est, ergo Petrum esse, aut Petrum currere absolute est necessariū: quia est argumentum ab eo quod tale est, secundum quid ad tale simpliciter, esse namq; rem necessariā ex suppositiōe tēporis, in quo est, simpliciter est esse contingentem, & secūdum quid necessariam, & hæc est prior distinctio necessarii, eodē modo applicanda ad enūciationes: ita vt quædam sit enunciatio absolute necessaria, hoc est, ex propria habitudine prædicati ad subiectū, vt homo est animal: altera solum ab extrinseco, ex suppositione, & secundum quid, vt Petrum currere, eo currente necessaria sic enunciatio est. 14.

Secunda distinctio necessarii est, quædam sunt necessaria in se, hoc est absque comparatione ad alterū. Vt hominem esse animal, aut Petrū currere pro tēpore quo currit: alia non nisi ex comparatione ad suum oppositū, ita vt res, quæ per se sumpta contingens est, simul cum suo opposito accepta dicatur necessaria, quo pacto contingens est Petrum albū fore, & Petrum non fore album si tamē hæc simul accipiantur, sub eiusdem disiuncti forma, necessitatem habent, non est enim cōtingens hoc totum, quod est. Petrum fore, aut non fore album, sed necessarium, non ab intrinseco, aut simpliciter, cum quælibet per se sumpta pars, contingens sit sed ex modo quo simul accipiuntur. Et par est ratio de enūci- 2. Distinct. 15.
ationibus, nam quælibet harum enunciationum, Petrus futurus est albus. Petrus non est futurus albus, contingens est, disiunctum vero, seu hypothetica enunciatio ex vtraque constituta, nempe Petrus futurus est, aut non est futurus albus, necessitatem habet, ex ipsomet coniunctionis modo, & in hac distinctione necessitatis pari ratione est verum, quod in prima, videlicet argumentum non tenere à necessitate totius disiuncti, ad necessitatem singularium partium, non enim valet, Petrum futurum esse, aut nō esse futurum album; ergo esse al-

bum futurum: neque etiam, quod non sit futurus albus, cum necessitas non trahatur ex
16. partium natura, sed ex earum coniunctione.

Quibus suppositis ait: enunciationes de præsenti ac præterito etiam in materia contingenti esse determinate, ac necessario veras, aut falsas non ab intrinseco, aut simpliciter, sed ex conditione, aut suppositione temporis, & secundum quid: enunciationes verò de futuro, nullam prorsus determinationem veritatis habere, quod intelligendum esse docet, si per se sumantur, nam totum disiunctum, ex duplici contradictoria factum determinate, & necessario est verum & hæc est determinatio quæstionis, & sensus totius capitis.

NOTABILE VNICVM circa expositum textum.

Duplex radix contingentiæ.

Adnotandum est duplicem contingentiæ radicem futurorum effectuum attigisse Aristot. in qua eorum contingentia, atque indeterminata veritas propositionum fundatur. Prior est libera, posterior naturalis.

Prior libera.

Libera est ratio, & voluntas nostra, à qua procedunt electiones, admonitiones, &
17. consilia, cuius etiam ductu geruntur humana negotia, actibus quidem liberis. Radix posterior naturalis est, cum in rebus naturalibus, sit potentia ad esse & non esse, ad hoc illove mo-
18. do essendum, vt in corporibus ad hoc, vt calefiant, vel infrigidentur; quod infirmetur, vel sanitate fruatur, quod demum hoc aut illo accidenti infestentur, ac cito intereant; aut ab eo liberentur in vitaque diu permaneant. Radix autem huius potentiæ, ad recipienda diuersa accidentia materia est, apta vt his, aut illis accidentibus disponatur, pro forma recipienda. Vnde euenit, vt disponi possit pro diuersa, aut contraria ab ea, quam habet, & eam amittens alteram recipere, ex eo etiam, quod corpora hæc inferiora, propter conditionem materiæ, vniuersalibus causis subduntur, multi eueniunt casuales effectus, præter particularium causarum intentionem. Casu eueniunt corporum læsiones, præmaturæ mortes, & id genus multa, quæ possent non euenire, ac proinde necessaria non sunt, sed contingentia: & quæ per singulares enunciationes significantur: vnde enunciationes ipsæ futuræ non possunt determinatam habere, aut necessariam veritatem. Hanc autem Philosophi doctrinam, & laudamus, &

2. Naturalis.

valde commendamus, cum sit non solum vera 19.
& in principiis veræ Philosophiæ certa, sed Christianæ fidei valde consentanea, & hæreticis nostri temporis arbitrij libertatem tollentibus aduersa.

DVBIVM VNICVM.

An futurum contingens, quando iam est præsens, sit adhuc contingens vel necessarium.

Quod necessarium sit, docuit expresse Arist. dicens. Omne quod est, quando est, necesse est esse: ergo dum futurum contingens est, erit necessarium: quod etiam suadet ratio; quia necessarium est illud, quod non potest aliter se habere, sed dum est, non potest aliter se habere, cum non possit tunc non esse, ergo erit necessarium.

Partem affirmatiuam tenet Arist.

1. Probat.

Secundo repugnat, idem simul esse, & non esse, ergo dum est, non potest non esse, erit ergo pro tunc necessarium. Ex quibus inferre licet non esse contingens: nam contingens, & necessarium ex directo opponuntur, si rationem vtriusque consideremus: necessarium namque est, quod non potest non esse contingens, quod potest esse, vel non esse, contradictionem ergo inuoluit, quod eidem rei vtrunque simul conueniat, necessitas videlicet, & contingentia: si ergo futurum dum iam est extra causas, necessarium dicitur, nequaquam 20.
erit contingens, & rursus, si contingens est, quod potest non esse, & dum est non potest non esse, non erit dum est contingens.

2. Probat.

Tertio. Contingens dicitur aliquid ex comparatione ad suam causam nondum determinatam, & ipsamet causa dicitur etiam contingens, dum indeterminata est ad operandum & non operandum, hoc est enim ad vtrumlibet contingens; sed futurum dum iam est, dicitur esse extra suam causam, & causa ipsa iam est determinata, ergo neque ipsa, neque effectus sub contingentium ordine continentur.

3. Probatur.

Pro solutione huius dubij adnotanda est distinctio necessarij: est enim duplex, vnum ex propria natura, & quod vocant ab intrinseco, alterum

Nota.

alterum ex hypothesi,& quasi ab extrinseco; necessariū ab intrinseco est illud, quod ex propria natura est determinatum ad esse, ita vt non esse repugnet, vt hominem esse rationalem, aut risibilem: necessariū vero ex hypo-
21. thesi, vel ab extrinseco est illud: quod ex propria quidē conditione potest non esse sed ab altero quod supponitur necessitatē incurrit, vt quod currens moueatur non est necessarium ab intrinseco, cum possit qui currit nō moueri,
Cons. facta autem hypothesi quod currat, necessarium est quod moueatur.

Et quidem necessarium sub priori acceptione ex directo opponitur cōtingenti: est enim contingens, quod potest esse,& potest nō esse, vt per primam partē distinguatur ab impossibili, per secundā à necessario, sub acceptione vero posteriori nō opponūtur necessarium,& contingens, sed possunt in eandē rem concurrere stare enim potest, vt illud quod ex propria natura cōtingens est, ex hypothesi aūt ab extrinseco necessariū dicatur: ratio aūt propter quā id nō repugnat, est, quia extrinseca ratio, vel conditio non tollit, neque mutat rei naturam,& ita se res habet in proposito.

Solutio dubii. Quare solutio dubii est, futurū contingens etiā dum actu est, esse simpliciter, & ex propria natura contingēs, ex hypothesi vero,& quasi ab extrinseco necessariū; quia ex propria natura consideratum, ita est, vt possit nō esse. Causa enim libera sic ad operandum de-
22. terminatur, vt possit determinari ad oppositū, sed supposita actuali eius determinatione non potest nō esse determinata, nec potest futurū contingens iam non esse, cum manifestam contineat repugnantiam, causam simul esse determinatā, & nō esse determinatam, eius effectū simul esse actu in rerum natura, propter eius determinationem,& non esse.

Nota. Quod vt facilius possit intelligi,& cōmodius argumenta solui, adnotādum est, liberam causam sicuti cæteras, priorem esse saltē natura suo actu, vnde fit, in eodē instāti temporis, in quo se ad operādum determinat, prius natura considerari, quam determinatio ipsa aut actus, quem ex determinatione elicit: in illo aūt priori, vt indifferēs consideratur ad operandum,& non operandum, ac vt potēs se in vtramlibet partem flecti. Et propterea verum est, quod in eodem instanti, in quo se ad operandum determinat, potest se non determinare, & quod in eodem instanti, in quo operatur, potest non operari: non quod vt iam est determinata, possit non esse determinata, vel vt iam operatur non operari, hoc enim repugnat propter necessitatem suppositionis, sed quòd simpliciter sit in eodem instanti tēporis indifferens, & simpliciter possit dum operatur non operari, euiusmodi enim locutiones ad naturæ prioritatē, in qua indifferens consideratur causa libera referuntur Ex quibus intelligitur adhuc in eo instanti temporis, in quo operatur, simpliciter esse liberam, aut contingentem & ex consequenti effectum, qui ex suppositione præsentialitatis,& quasi ab extrinseco apellatur necessarius.

Ex his etiam patet argumētorum solutio, nā Aristot. futurū contingens necessariū esse docuit non ab intrinseco, sed ex suppositione, qua quasi extrinseca ratio eius est, Vnde non negauit esse simpliciter & ab intrinseco cōtingens, cum id habeat adhuc, dum est ex comparatione ad suam causam in eodem etiam instanti liberam; nec repugnat esse simpliciter contingens & ex hypothesi necessarium: nam cum cōparetur adhuc dum est ad suam causam in priori natura indifferente, licet in eodem instanti temporis determinatam, locum habet intrinseca contingentia, cum necessitate extrinseca. — Ad Argu. respōdetur. — 23.

QVAESTIO. VNICA.

An singulares enunciationes de futuro contingenti veritatem. vel falsitatem determinatā habeant.

Disputari a quibusdā solet, circa materiā huius capitis, an dētur in rebus cōtingentes effectus; an aliquā in eis Diuina voluntas imponat necessitatem, & his similia Theologis propria, quæ eisdem differenda relinquo; ad propriā Dialecticorum controuersiam, quam Aristoteles tetigit agitandam gradum faciens, nempe an singularibus enunciationibus de futuro contingenti determinata veritas, aut falsitas, insit: vel indeterminata, aut confusa dumtaxat; de solis autem contingentibus in — Differere de effectibus contingentibus rerum Theologicū.

 dubium

dubium id reuocauit Aristoteles; nam de his, quæ in materia necessaria, aut remota consistunt; exploratum est determinatam habere: siue vniuersales, particulares, aut singulares sint; necessariæ namque determinate veræ sunt omnes, & si in materia sint remota affirmantes falsæ, & negantes veræ; nec tamen de quibuslibet contingentibus controuersiam instituit, sed de solis singularibus, atque futuris, tanquam certum præmittens enunciationes de præsenti, ac præterito determinate veras, aut falsas esse, atque etiam de futuro, si vniuersales sint, particulares, vel indefinitæ, ac siue de contingenti raro, frequenti, seu ad vtrūlibet.
24. Cuius ea est aperta ratio, quia prædicatum contigens raro, vel nunquā ab vniuersis remouetur; vnde fit vniuersales enunciationes tam affirmantes, quā negantes, in quibus pro cunctis singularibus distribuitur subiectum: fere semper esse falsas, particulares verò, aut indefinitas, quorū veritas ab vno, vel altero solum depēdet, fere semper veras; de solis ergo singularibus, potuit esse dubiū, an veritatem, aut falsitatem determinatam habeant.

Refertur, & corroboratur prima sententia extrema.

1. Sententia nullam veritatem aut falsitatem eis tribuit.

DE qua re duę versantur extremæ sententiæ, & altera media; prior quidem opinio extrema nullā penitus veritatē, aut falsitatem eis concedit. Sed neutras vocat, quā Antonius Cordub. vir doctissimus
25. lib. 1. sui quæstionarii, quæst. 55. dubio 2 adscripsit Aureolo, qui hoc ait voluisse Aristotelem capite præsenti, dum asseruit, non esse determinate veras, aut falsas, quasi diceret nullam habere veritatem, aut falsitatem nā quod determinatum non est in se vel ad aliquod singulare, nihil prorsus potest esse extra causas, nisi idea Platonis iam superius impugnata: vel ergo determinatam veritatem, seu falsitatem habere existimandum est, vel nullam: constat autem determinatam eis non concedere Aristotelem; ergo neutras eas fecisse, hoc est, veritatis, aut falsitatis expertes, credendum est, quod his argumentis probari potest.

Probatur 1. Veritas, vel falsitas enunciationis accipitur per cōformitatem ad rem significatam, sed singularis enunciatio de futuro contingenti non est conformis, nec deformis rei significatæ; ergo non habebit vllam veritatem aut falsitatem: minor sic ostenditur: res significata per hanc enunciationem, *Petrus peccabit*, non est actu in rerum natura; ergo respectu illius non potest accipi actualis veritas, est enim in potentia suæ causæ, quę cū 26.
sit contingens ad vtrumuis, sicut potest esse actu, potest etiam non esse; ergo adhuc respectu esse potentialis, non plùs conformitas, quam deformitas accipi potest, imo neutra profecto, quia quod non est non poterit esse obiectum conformitatis, nec deformitatis. Adde si placet talem enunciationem, conformem esse rei significatæ, aut deformem; si primum admiseris, sequitur esse veram, & determinate veram: si secundum, sequitur esse falsam, & determinate falsam: neutrum admittit Arist. ergo iuxta mentem eius neutra erit appellanda.

Secundo; cōtraria non possunt in eodem subiecto simul reperiri, veritas autem, & falsitas contrariæ sunt; ergo nequeunt simul eidem enunciationi conuenire: si autem veritas aliqua, aut falsitas concedatur enunciationi de futuro contingenti, incunctanter sequitur simul esse veram, aut falsam, ergo nec vera, nec falsa, dicenda est. Probatur minor, quia cum res significata indifferens sit, ad esse, vel non esse, & non plus ad vnum, quam ad alterum determinata, nec magis erit ei conformis enūciatio, quam deformis; quare si aliquam ei conformitatem tribuamus, & iuxta illam veritatem aliquam; non minus merit ei deformitas, atque adeo falsitas; ac propterea, vel vtrunque simul habebit, quod constat esse impossibile, vel neutrū certe, quod videtur necessarium. 2. Ratio.

Postremo, quicquid actu est in rerum natura, determinatum esse debet in suo ordine, & gradu; si ergo enunciatio hæc, *Petrus leget*, aliquam continet veritatem, erit talis veritas actu in rerum natura, proindeque determinata, consequēs non admittit Aristoteles; ergo sentit expertes prorsus esse totius veritatis ac falsitatis. Vltima ratio. 27.

Secunda sententia extrema proponitur.

Secūda sententia asserens determinatā habere veritatem, aut falsitatem

OPPOSITA prorsus est secunda sententia, quæ non solum veritatem, aut falsitatem tribuit his enūciationibus, sed determinatam: idque probat duplici argumentorum genere.

Pri-

Primum genus procedit ex principiis fidei: secundum ex principiis veræ Philosophiæ, earundemque enunciationum natura. Et quod ad fidem attinet duo continet. Primum pertinēs ad diuinam scientiam, de qua tam aperte sacra pagina docet Deum optimum ab æterno cognouisse futuros effectus, eosdemque per singulares enunciationes de futuro contingenti prænunciasse. Vt patet 3. Reg. 11. *Certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos alienos* Ioannes 5. *Si venerit alius in nomine suo illum accipietis.* Et capit. 6 *Cum sciret, quia venturi essent, vt facerent eum Regem, &c.* Ac demum Christus prædixit Petro. *Priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negabis.* Quod ab æterno cognouisse, sicut prædixit in tempore manifestum est.

Probatur ex principiis fidei.

3. Reg 11.

Ioan. 5 & 6.

28.

Ex quibus plane sequitur similes enunciationes, de futuro determinatam habuisse veritatem, cum Deus certò, ac determinatè eas cognouerit: nec enim de rebus, aut enunciationibus quidpiam cognoscit, quod in eis non sit, nec aliquid, in quo aliqua ratio veritatis non reperiatur, cum verum sit adæquatum obiectum intellectus, falsum autem nihil sit, nec nisi per oppositionē, aut negationem veritatis cognoscatur; ergo si similes enunciationes nullam veritatem continent, non cognoscentur à Deo, & si non determinatam, non cognoscētur determinate; quorum vtrunque verbis sacri textus contrarium est.

2. Ex Prophetis.

Secundum verò non est minus notum, videlicet easdem enunciationes cognouisse, ac protulisse Prophetas, vt Sacra pagina veteris Testamenti passim docet; haud dubie quin ex reuelatione diuina quod fieri non posset, nisi determinata veritas eis inesset; nam indeterminatam, seu confusam veritatem determinate, ac distincte proferre, periculo falsitatis, ac mendacij expositum est. Neque fit satis dum à quibusdam dicitur, Deum quidem cognouisse, ac prædixisse futura per singulares enunciationes, in quantum ei fuere ab æterno præsentia, quæ etiam protulerunt Prophetæ, ex Diuina reuelatione, quæ participatio quædam est eiusdem scientiæ; itaque nec Deus ipse, nec Prophetæ tales effectus, vt contingentes futuros cognouerunt, sed tanquam præsentes Diuinæ, atque æternæ cognitioni: nam, si vt futuri accipiantur, non subduntur certæ cognitioni, quia incertum, ac indeterminatum esse habent in causis liberis, nondum determinatis; & cum designentur per singulares enunciationes, sub tali esse indeterminato, indeterminatā quoque habebunt veritatem eædem enunciationes: hoc inquam non satisfacit propter duo, primū, quia vel Deus cognouit hos effectus esse futuros, vel non: si primum admiseris, cum notitia eius fuerit ab æterno determinata, sequitur cognouisse eos esse determinate futuros, atque adeo enunciationes, eos significantes determinate veras.

Occurritur obiectioni.

29.

Excluditur propter duo.

Si verò dixeris non cognouisse eos esse futuros, sequitur plane nec eos vidisse præsentes: euidens namque consecutio est, Deus vidit ab æterno opus liberum Petri, vt sibi præsens, ergo determinate cognouit esse futurum: quia futuritio per ordinem ad præsentiam accipitur, vt mox ostendetur; quo circa determinata præsentia infert determinatam futuritionem. Ex eodem igitur quod asseritur, Deo extitisse ab æterno præsentes effectus futuros, infertur necessario eos cognouisse, vt determinate futuros, & ex consequenti enunciationes de futuro eos significantes, vt determinate veras.

Secundum, quia vt sancti Patres affirmāt, & ratio ipsa suadet, non ideo futura contingentia sunt, quia cognoscuntur à Deo per scientiam visionis; sed ex opposito, ideo cognoscuntur, quia sunt; non ita, vt creaturæ sint causa Diuinæ scientiæ, nisi forte secundum illationem, in quātum eam necessario inferunt; nam si sunt, necesse est à Deo cognosci; ergo præsupponuntur Diuinæ scientiæ nostro modo intelligendi, quare si vt iam determinata ad esse cognoscuntur, ex determinatione propriæ causæ proueniet eis determinatio, ac propterea, vt per enunciationes designantur, erunt determinata, veritatemque determinatam eis conferent; antecedens huius argumentationis probatur, quia scientia visionis speculatiua est nostro modo intelligendi, practicam præsuponens, per quam res fiunt, quæ cognoscuntur, ergo ex consequenti præsupponit iam factum, obiectum creatum quod cognoscit, sub quo comprehenduntur futura contingentia: præter quam quòd realis præsentia futurorum, in æternitate secundum esse reale, mille implicatur difficultatibus, ac propterea non est ei innitendum.

Confirmatio ex sanctorum Patrum locutione.

Secundum argumentorum genus, Philosophicum

Probatur argumentis Philosophicis. 1. Ratio. sophicum est, & ex propria conditione earundem enunciationum procedit. Tempus enim præteritum, & futurum regulatur per tempus præsens, ita vt præteritum tale sit, quod aliquando fuit præsens, & futurum

30. quod aliquando erit præsens, ergo enunciationes de præterito, & futuro, regulantur per enunciationes de præsenti, quantum ad veritatem, & falsitatem; quod ex ipsarum etiam conditione constat; nam vera enunciatio ea est, cuius prædicatum inest subiecto, aut ab eo remouetur tempore per copulam designato; ergo enunciatio de futuro vera erit: si prædicatum conueniat subiecto, aut ab eo remoueatur, iuxta conditionem futuri temporis, quæ talis est, vt per tempus præsens reguletur; quod est dicere, veram esse si prædicatum insit subiecto aliquādo de præsenti, falsam vero si nunquam.

Ratio. Ex quibus plane fiet determinationem earundem enunciationum, quantum ad veritatem ab eodem præsenti tempore sic dependere, vt illa censeatur determinatam habere veritatem, quæ aliquando erit deter-

31. minate vera de præsenti: sed omnis propositio singularis de futuro contingenti vera est de præsenti aliquando, aut nunquam; ergo priorem conditionem habens erit determinate vera, posteriorem verò determi-

Confirmat. nate falsa. Quod sic potest confirmari, & explicari simul, integrum significatum enūciationis de futuro, sic refertur ad tempus præsens vt nihil aliud per eam enuncietur, quam quod aliquando prædicatum enunciabitur de subiecto pro præsenti tempore; gratia exempli, enunciatio hæc, *Petrus disputabit*. hoc sibi vult, quod aliquando verum sit, *de præsenti Petrus disputat*: vnde si aliquando disputatio de præsenti Petro conueniet, vera erit: si nunquam, falsa; determinatio igitur eiusdem enunciationis de futuro pendebit, profecto ex determinatione

32. eiusdem de præsenti: ita vt si hæc fuerit determinate vera de præsenti, determinationem quoque habere censeatur sub forma futuri: patet autem de præsenti esse determinatam, dum disputat Petrus; ergo determinata quoque fuit in veritate de tempore futuro; aut si nunquam determinabitur de præsenti, sequitur plane determinate falsam fuisse de futuro.

2. Ratio. Secundo. Enunciatio de præsenti, dum pro eodem tempore prædicatum etiam contingens conuenit subiecto, censetur necessaria saltem ex suppositione: vt expresse docuit Aristoteles capite præsenti, inquiens. *Omne quod est, quando est, necesse est esse.* Est igitur a fortiori determinate vera; pari ergo ratione enunciatio de futuro, cuius prædicatum etiam contingens, aliquando attribuetur subiecto de præsenti, erit necessario futura ex suppositione, quod idem est, ac si dicamus, præsens necessario est præsens, futurum necessario est futurum: erit igitur determinate vera; nam si eius significatum necessario, ac determinate futurum est ex suppositione, eandem ipsa conditionem subire debet, quantum ad veritatem.

Tertium argumētum accipitur ex altero principio ab Aristotele expresso capite præsenti, *Ab eo quod res est, vel non est, vera aut falsa enunciatio perhibetur.* Quod licet in enūciationibus de præsenti dumtaxat expresse intelligatur, certum est secundum eandem proportionem accommodari enunciationibus de præterito, & futuro. Ita vt ab eo quod res fuit, vel erit, veræ aut falsæ censeātur; ex quo statim infero ab eo, quod res determinata est, fuit, aut erit, easdem enunciationes esse determinate veras, aut falsas; sed res significata per enunciationē de futuro determinate erit, aut non erit; vt si Petrus disputabit, erit determinata, sin minus non erit determinata, imo neque vllo modo vera, aut falsa determinatè censeri debet: & si id negaueris, poterit à contrario sensu hunc in modum confirmari. 3. Ratio ex Aristot testimonio. 33.

Quisquis ambiguum aliquid, determinate contigisse, aut futurum esse affirmat, falsam enunciationem profert, cum opposito modo se habere rem designet, ac vere se habet, sed enunciationes singulares de futuro determinatè affirmant, aut negant aliquid esse, aut non esse futurum, vt Petrus disputabit, aut Petrus non disputabit; ergo eadem ratione, qua dicitur nō esse determinate veras, vel falsas, probatur habere determinatam falsitatem, cum enuncient tanquam determinatè futurum, quod indeterminatum est. Confirm.

Probatur tandem, ex altero principio eiusdē Aristotelis, qui capite etiam præsenti admittit (vt necessario admittendum est) enunciationes vniuersales de futuro contingenti, particulares, aut indefinitas determinatè Probatur vltim.

nate veras, aut falsas esse, solumque à cōmuni hac regula excipiēdas fore singulares.

34. Vnde fit ex his cōtradictoriis, *Omnis homo disputabit, aliquis homo non disputabit.* Vnam esse determinate falsam, & alteram determinate veram. Supponamus ergo falsam esse vniuersalem, quod magis est rationi cōsentaneum, & tunc necesse est dicere, particularem esse determinate veram, cuius veritas iuxta summularum regulas, per ascensum disiunctiuum probanda est, per singularia determinata discurrendo, quousque ad aliquod perueniatur, de quo determinate verum est, quòd disputabit: & ecce tibi singularem propositionem de futuro contingenti determinate veram; & si dicatur satis esse, si vna aliqua singularis vera sit ad veritatem particularis; non quidem determinatam, sed quasi vagam, seu confusam, plane falsum esse constabit.

Exploditur solutio.

Si ad memoriam reuocetur discrimen inter confusam, ac determinatam suppositionem: illa etenim non permittit de aliquo determinato singulari enūciari subiectum, aut prædicatum confuse supponens: hæc verò necessario id postulat: primum ostendit prædicatum huius enunciationis, *omnis homo est animal*; aut subiectum huius, *homo est species*, de quibus notum est de nullo singulari determinato enunciari: postremum hæc, *aliquis homo disputat*, cuius subiectum non de aliquo singulari vage, aut confuse, sed de aliquo determinato dicitur: & ex eo probatur veram esse, aut si de nullo determinato, probatur falsa; quo circa indefinita propositio determinate vera aliquam singularem determinatam postulat, & determinatam veritatem habentem.

35. Autores huius secundæ opinionis.

Hanc sententiam secuti sunt Scotus, in primo distinctio. 3 quæst. 1. §. *Ad argumenta principalia*. Bonauentura distinctio. 38. artic. 2. quæst. 1. ad primum. Ricardus. artic. 1. quæst. 5. ad primum. Gregorius. quæst. 1. articul. 2. Ocham. quæst. 1. ad primum principale. Gabriel. quæst. 1. artic. 1. notabili 7. Marsilius, in quæst. 40. ad tertium principale. Holcot. in 2. quæst 2. articul. 7. Magister Sotus, in caput 9. epistolæ ad Romanos, part. 5. circa finem. Cordub. lib. 1. quæstionarij, quæstio. 55 dubio 2. & ex modernis, doctissimi viri nostræ Societatis, Doctor Franciscus Suarez, opusculo de absoluta scientia futurorum contingentium, cap. 2. num. 6. & Pater Gabriel Vasquez disputat. 67 primæ partis cap. 3. tom. 1.

Media sententia veritatem, aut falsitatem concedens enunciationibus de futuro contingenti, sed indeterminatam.

MEDIA sententia inter præfata extrema, aliqualem veritatem tribuit his enunciationibus, non tamen determinatam, sed confusam, aut indeterminatam; ita vt ex duabus contradictoriis, *Petrus disputabit, Petrus non disputabit*, neutra per se sit determinate vera; integrum tamen disiunctum ex vtraque constatum. *Petrus disputabit, vel non disputabit*, determinate verum, ac necessarium. Vtrunque autem hoc modo explicatur. Cum futurum contingens, quandiu futurum est, non sit extra causas, sed in earum potentia contineatur, sit neque determinatum esse habere, quousque causa libera se ad operandum determinauerit, nec vt quidpiam determinatū per enunciationes singulares significari; & cum veritas enunciationum à re significata desumatur, fit similes enunciationes non esse determinatas quantum ad veritatem, aut falsitatem; sed quasi indifferentes ad vtrunque, ita, vt sicut veræ, sic etiam falsæ esse possint; quod est solum esse veras, aut falsas confusa quadam ratione, & quasi in potentia ad vtrumlibet determinabili. 36.

Tertia sententia mediam tenens.

Nihilominus cū ex vniuersalissimo principio necesse sit de quolibet veram esse affirmationem, aut negationem, & planè impossibile, quòd idē simul sit, & non sit; atq; adeò quod eadem res sit futura, & non futura, necessario sequitur totum disiunctū, ex duabus enunciationibus singularibus oppositis conflatū determinate verum esse, quia determinate verum ac necessariū est, *Disputationem Petri futuram esse, aut non futuram*. Veritas itaque cuiuslibet partis per se sumptæ, indeterminata est, ac potentialis, determinata verò actualis, atque distincta totius disiuncti. Hæc sententia sic explicata videtur expressa Aristotelis capite præsenti, vt ex verbis, & ex cōtextu totius capitis intelligi potest, atque etiā ex antiquorum interpretum expositionibus Porphyrij præsertim, Alexādri, Ammonij, ac D. Thomæ, eam sequuti sunt Albertus 37.

Disiuncti veritas necessaria.

Autores huius sententiæ.

Magnus

Magnus. 1. lib. de interpretatione, tractatu de oppositione, cap. 4. Ambrosius Catharinus, in opuscul. de veritate enunciationum. Louanienses in scholiis huius capitis, & Cardinalis Toletus, ibidem quæstione vnica. Eamque probauit Aristoteles hac potissimum ratione ad impossibile ducente. Quod determinate verum est, necessarium existimatur: si ergo propositio singularis de futuro contingenti determinate vera est: Erit quoque necessario vera: vnde fiet futura omnia necessario euenire. Ita vt non possint non esse futura; quare nulla relinquetur libertas, nec locum habebit consultatio, aut deliberatio, quæ circa actus liberos indeterminatos, & ad vtrum libet contingentes versantur; quæ cum non solum falsa, sed plane absurda sint, sequitur tales enunciationes non esse veras, aut falsas determinatè.

Aristot. ratio deducēs ad impossibile.

38. 2. Fundam. Huic fundamento, duo alia addere possumus, ex propria natura, & conditione effectuum liberorum, aut contingentium desumpta. Primum est, atque in ordine secundum: singularis enunciatio de præsenti, etiā in materia contingenti eo ipso, quòd determinate vera est, censetur necessaria, quia quidquid est, quando est, necesse est esse; gratia exempli, si verum est Petrum disputare, eo ipso est necessarium; siquidem disputatio eius iam præsens, non potest non esse extra causas, pari ergo ratione, si enunciatio de futuro contingenti determinatè vera sit, necessaria erit: nam dum aliquid est futurum; non potest non esse futurum, quare necessario est futurum, nihil ergo erit contingens futurum, sed omnia necessario euenient, vt primum fundamentum intulit.

3. Fundam. Secundum & in ordine tertiū: Ab eo quod res est, vel nō est vera, aut falsa enūciatio vocatur, vt sæpe Aristoteles in hoc opere inculcat, sed effectus contingens, quem enunciatio de futuro contingenti significat, non habet esse determinatum; ergo neque enunciatio ipsa determinatam habet veritatem, aut falsitatem. Probatur minor: nam cætera ex se patent: effectus contingens significatur per talem enunciationem non vt præsens, sed vt futurus: non vt iam actu existens, sed adhuc in potentia suæ causæ, & causæ quidem liberæ, nondumq; proinde ad operandum determinatæ, sed quæ sicut determinari potest: sic etiam non determinari; ergo vt futurum non habet esse determinatum, sed quasi indifferens ad esse, vel non esse; quare nec enunciatio ipsa erit determinata ad veritatem, sed indifferens, ita, vt sicut vera, sic etiam falsa esse possit. Fiet autem res apertior hoc exemplo: enunciatio hæc *Petrus disputabit*, non significat disputationē Petri, vt iam præsentem, ac determinatam, sed vt futuram, & solum habentem esse in sua causa, hoc est, in voluntate Petri libera, & nondum determinata ad disputandum; ergo significatum talis enunciationis indeterminatum est, ita vt possit esse, aut non esse, & ex consequenti indeterminata erit veritas eiusdem enunciationis.

Explicatur exemplo. 39.

Totius controuersiæ enodatio.

DECISIO huius controuersiæ ex duorum explicatione maxime depēdet; primum est, quid sit determinata veritas: nam ex hoc non erit difficile intelligere, quid sit propositionem habere, determinatam veritatem, & an concedenda sit enunciationibus, singularibus de futuro contingenti, erit autem determinata veritas, si distincta sit, & actualis. Distincta quidem ad differentiam confusæ, quę reperitur in propositionibus æquiuocis: quas distinguere oportet in diuersa significata, vt veræ, aut falsæ censeantur, nam quasi suspensæ à veritate censentur; actualis vero, quæ in ordine ad actuale significatum accipiatur: nam si solum sit in potentia indifferenti, nullam habebit actualem veritatem, sed à veritate etiā suspensa dicetur: actuale autem significatum enunciationis dicitur, quod actu, atque extra suas causas est, non quomodocunque, sed iuxta tempus per copulam importatum, ita vt si propositio sit de præsenti, actualem, ac determinatam veritatem habeat, si res significata tempore præsenti existat, & si sit de præterito, erit etiam determinata eius veritas. Si eius significatum aliquando extiterit, licet modo iam non extet; si denique sit de futuro, censebitur habere determinatam veritatem, si eius significatum extra suas causas aliquando futurum sit. Gratia exempli, hæc enunciatio, *Sol orietur cras*, determinatam habet veritatem, quia licet ortus solis crastinus, nunc nō extet, extabit autem tempore futuro per copulam importato: oportebit igitur duplicem enunciationem, de futuro distinguere. Sicut etiam de præterito distin-

Quæ dū notabilia.

Quid sit veritas determinata.

109

distingui potest. Vnam, quę aliquod tempus determinat, alteram, quæ nullum, sed vniuersum, quasi indefinite importat; primi generis est enunciatio hæc, *Petrus disputabit*
41. *cras*, postremi verò ista, *Petrus disputabit*, & vt determinata sit veritas prioris, necesse est disputationem Petri crastina die extare: vt autem determinata sit veritas posterioris, non id requiritur. Sed satis erit, si aliquo tempore habitura sit esse actuale, ac determinatum, ita vt verum sit de præsenti tunc enunciare, *Petrus disputat*.

Duplex necessarium.

Postremum. Necessario explicandum est, veritatem enunciationis duplicem esse, necessariam ab intrinseco, & contingentem: necessaria censetur illa, quæ à re significata ex propria conditione necessaria accipitur, qualem habet propositio cuius prædicatum ex propria natura cōuenit subiecto, quia vel pertinet ad eius essentiam, vel proprietas est, aut inseparabile accidens; vel certe si effectus est, à causa naturali ad vnum determinata procedit; quod secundum eandem proportionem accipiendum est in enunciationibus de præsenti, præterito, & futuro; nam tales sunt homo est, aut fuit, aut erit animal: homo est, aut fuit, aut erit risibilis. Cygnus est, fuit, aut erit albus: sol ortus est, & fuit, atque etiam orietur. Altera est determinata veritas enunciationis, non necessaria ab intrinseco, sed contingens, aut libera, & talis esse intelligitur, dum prædicatum subiecto conuenit tempore per copulam importato: non ex propria natura, aut ex necessitate causę, sed contingenter, aut ex contingenti, seu libera determinatione, vel concursu, qualis erit, quæ in his propositioni-
42. bus cernitur, Petrus disputat, aut Petrus disputauit: non enim disputatio conuenit Petro de præsenti, aut præterito ex propria natura, sed ex libera, & contingenti determinatione suæ voluntatis, quę sicut ad disputandum se determinat, aut se determinauit, potest non se determinare, & tunc non ei conueniret actualis disputatio.

Notanter autem adiecimus illud verbum, *Ab intrinseco*, in præfatis explicationibus, quia determinata veritas ex propria natura contingens, ab extrinseco necessaria esse potest, hoc est, ex conditione temporis, vt in proximis exemplis constat, nam disputatio Petri ex propria natura contingens est, siue de præsenti fiat siue tempore pręterito peracta fuerit, cum apertum sit potuisse simpliciter non fieri, aut non esse: nihilominus propter conditionem temporis, necessaria dicitur, quia supposito quod iam determinata est, aut fuit voluntas ad disputandum quantumuis libere, & contingenter, non potest non esse, aut fuisse disputatio, & quod de enunciationibus de præsenti, & præterito dicitur, de enunciationibus de futuro accipiendum est, ita vt contingens sit earum veritas simpliciter, & ab intrinseco, & non nisi ab extrinseco, & secundum quid ratione temporis necessaria, 43.
quod hunc in modum expediendum est: sicut propositio de præterito, cuius copula non determinat particulare tempus, sed indefinite quodcunque pręteritum dicit, actu vera censetur, si aliquando de præsenti fuit vera: & falsa, si nunquam: licet eius veritas simpliciter, & ab intrinseco sit contingens: non secus, ac determinatio causę, ex qua sortitur veritatem, contingens fuit, & libera, & solum ab extrinseco, hoc est, propter temporis conditionem necessaria: modo simili propositio singularis de futuro contingenti actualem habet veritatem, si de præsenti fuerit aliquando vera, & actualem falsitatem, si nunquam.

Secunda sententia præfertur: determinatam veritatem tribuens enunciationibus de futuro contingenti.

Vera sententia

VERA igitur est sententia secunda, & fidei nostrę valde consentanea, firmans enunciationes singulares de futuro contingenti esse determinate veras, aut falsas, quarum tamen veritas non est nec- 44.
essaria, sed contingens. Quam sententiam pręter allatas rationes hunc in modum ostendo.

Prima ratio

Primo. In singularibus enunciationibus de futuro cōtingenti certum tempus determinantibus: qualis est hæc. *Petrus leget die crastino.* quo legente vera est de præsenti; ergo priusquam legeret, vera fuit heri de futuro: & determinate vera, quod ita probo: ab eo quod res est, vel non est: enunciatio dicitur vera, vel falsa; ergo ab eo quod res habet determinatum esse, erit enunciatio eam significans determinate vera, quod euidenter probatur in enunciationibus de

præsenti, & præterito, determinate veris propter determinationem rei significatæ: vt Petrus legit; sed cõtingens effectus, quem enunciatio de futuro significat, erit determinatus die crastino, qui est tempus per copulam importatum, ergo determinate verum fuit heri enunciare, quod futurus esset, atque adeo enunciatio de futuro eum significans, fuit determinate vera: nec tali determinationi obstat, quod potuerit non esse determinatus; quia etiam præteritus effectus, ac præsens, si contingentes sint, ita sunt, & fuerunt determinati, vt potuerint non esse: quod non tollit eorum determinationem, sed ostendit fuisse cõtingentem, aut liberam. Pari ergo ratione, quod futurus effectus possit non esse, non tollit determinationem eius futuram, sed solum ostendit fore cõtingentem: ita vt possit causa non se determinare ad tali tempore operandum, & si non se determinaret, fuisset profecto determinate falsa eadem enunciatio de futuro.

Secunda ratio.

Probatur secundo. In cæteris enunciationibus, tempus non determinantibus. Nam tales propositiones, non solum potentiam, seu libertatem causæ enunciant: nec solam liberam determinationem, vel actum eius vt in potentia, sed vt aliquando futurum determinatumque ad esse de præsenti, at enunciatio hæc, *Petrus peccabit*, non solum libertatem Petri, & possibilitatem peccandi, aut peccatum vt in potentia enunciat, sed determinationem, & peccatum aliquando futurum, si ergo hoc fuerit aliquando præsens, voluntate se determinante, quantumuis libere, determinata erit veritas talis enunciationis de futuro: & si nunquam, determinata erit eius falsitas; probatur aperte consecutio, quia res significata aliquando erit determinata de præsenti; ergo determinate verum est nunc enunciare, quòd futura erit; hoc enunciant propositiones singulares de futuro; ergo determinatè veræ sunt; & ecce argumentum hoc, non solum efficaciter confirmat sententiam nostram, sed luce clarius ostendit deceptionem oppositæ in eo consistentem, quòd putat futurum contingens significari per enunciationem singularem solum vt est in potentia libera, nondum determinata, cum tamen plane conuincatur non præcise, vt est in potentia, sed vt aliquando in actu futurum designari: vnde si talem sit habiturum actum, per eiusdem voluntatis liberam determinationem; determinate verum est enunciare de futuro quòd erit, & si nunquam futurum sit, determinate falsum.

Tertia ratio.

Probatur tertio. Quia si tales enunciationes non habent determinatam veritatẽ, aut falsitatem: sequitur non esse vllo modo veras aut falsas, hoc est, nec confuse; nec distincte, nec actu, nec potentia: probatur consecutio; quia vera potentia: probatur consecutio; quia vera potentia non censetur, quæ non est reducibilis ad actum, sed veritas, aut falsitas talium enunciationum non est ad actum reducibilis, quia si foret maxime diceretur actu veræ, dum causa determinata, & actus eius præsens est: tunc autem iam non est vera enunciatio de futuro, vt ex se patet, sed de præsenti; ergo vt de futuro nunquam habet, nec habere potest actualem veritatem: quare, nec dicetur habere veritatem in potentia, neque vllo prorsus modo, quod satis falsum, & absurdum est.

Quarta ratio.

Ex hoc argumento aliud non minus efficax deducitur; nam dum causa determinatur ad operandum liberum, & contingentem effectum, iam habet talis effectus esse determinatum: ac propterea determinate veram constituit enunciationem de præsenti; ergo verum fuit toto tempore præterito, quòd talis effectus habiturus erat aliquando determinatum esse extra causas; & ex consequenti propositio de futuro talem determinationem voluntatis futuram enũcians, determinatam habuit veritatem: itaque sicut enunciatio de præsenti vera ostendit veritatem enunciationis de futuro: pari ratione determinata veritas eius ostendit determinatam illius veritatem.

Explicatio Aristotel.

Quid ergo ad Aristotelem dicendum, qui secundam sententiam aperte sequi videtur. Diuersi diuersimode eum interpretantur. Capreolus in primis talem sensum tenuisse
46. docuit, vt non negauerit ex duabus contradictoriis vnam esse veram, alteram falsam, sed quamlibet per se æque ad veritatem, & falsitatem se habere, prorsusque indifferentem esse.

Reiicitur.

Hæc tamen expositio merito à modernis reiicitur; quia idem est quamlibet propositionem per se indifferentem esse ad veritatem, & falsitatem, ac non esse veram, neque falsam determinate; quod enim æque ad

vtramuis partem indifferens est, ad neutram determinatur, hoc autem falsum esse ostensum est; & Capreolus ipse fatetur; ergo in exponendo Aristotele sibi contrarius est.

Secunda explicatio.

Quare alij ex modernis quibus præcedẽs expositio non placet, aiunt, sensum Aristotelis esse, quòd ex oppositis enunciationibus de futuro, non sit vna distinctè, ac determinate vera; altera distinctè ac determinate falsa, quæ à nobis designari, aut cognosci valeat; etenim cum nos futuros euentus, minime cognoscamus,
47. nec agnoscere, aut designare possumus, vtra harum enunciationum, Petrus peccabit, Petrus non peccabit, vera sit, aut falsa: at verò secundum se quamlibet habere veritatem, aut falsitatem distinctam, ac determinatam; ergo Aristotelem, aiunt, non determinatam denegare voluisse his enunciationibus, quam ex se habeant, sed quam nos distinctè, aut determinate cognoscamus.

Reiicitur.

Hunc tamen interpretandi modum non esse ad mentem Aristotelis, facile ab aliis probatur. Primo, quia etiam inter enunciationes de præsenti inueniuntur plures, quarum veritas, aut falsitas nobis non innotescit, quales sunt quæ internum animi affectũ significant, quibus tamen Aristoteles determinatam veritatem, aut falsitatem concessit, sicut cæteris de præsenti; ergo non intendit talem sensum, quod rursus apparet ex eo, quòd Aristoteles intulit capite præsenti ita arguens: si altera pars contradictionis in enunciationibus de futuro determinata foret in veritate, sicut modo vera est: sic etiam ante mille annos vera esset: vnde verum esset bellum nauale futurum esse, siue enunciaret aliquis, siue non, quia ab eo quod res est, vel non est, vera aut falsa enunciatio dicitur: non ex eo quòd ab aliquo proferatur, cum propter nostrum affirmare, vel negare nihil in rebus ipsis ponatur, nihilue detrahatur, neque vlla mutatio fiat: ac tandem quia Aristoteles ex determinata veritate harum enunciationum intulit nullam fore li-
48. bertatem, cessare consilia, ac negationes, ergo non solum eisdem negauit talem veritatem in ordine ad nostram cognitionem, sed etiam si secundum se accipiantur.

Aliorũ explicatio.

His ergo reiectis expositionibus tenent moderni quidam deceptum plane fuisse Aristot. & aduersus diuinam cognitionem, quæ circa futuros, atque contingentes effectus versatur, locutum fuisse, & plane aduersus fidem nostram Deo (vt par est) certissimam notitiam eorum tribuentem.

Autoris sententia circa Aristotel.

Ego vero cernẽs Aristotelem perspectam habuisse arbitrii nostri libertatem, & ex cõsequenti contingentiam futurorum effectuum, quos singulares enunciationes designant, credere non possum veritatem ab eis penitus abstulisse: sed in eo plane sensu determinatam veritatem eis denegasse, quo eam concessit eisdem enunciationibus contingentibus de præsenti, ac præterito, imo & enunciationibus de futuro vniuersalibus, particularibus, atque indefinitis, quales sunt istæ, omnis homo disputat: aliquis homo disputat, aut homo disputat, disputauit, aut disputabit; eodem denique modo singulis 49.
partibus contradictionis, in enunciationibus singularibus de futuro contingenti denegauit veritatem determinatam, quo eam concessit toti disiuncto, ex vtraque parte confecto, quale est hoc Petrus disputabit vel non disputabit, vt ex his verbis eiusdem Aristotelis pene in fine capitis prolatis videor mihi colligere. *Sed & in contradictione* Arist. verb. *eadem ratio est, esse quidem, vel non esse omne necesse est, & futurum esse, vel non, non tamen diuidentem dicere alterum necessarium, dico autem, vt necesse est futurum esse bellum nauale cras, vel non futurum esse: non tamen cras fieri bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamen, vel non fieri necesse est.* His autem omnibus determinatam veritatem concessit, quam habent futuri effectus, ex determinatione causæ contingentis ad alteram partem: vniuersales namque ac particulares enunciationes de futuro contingenti determinate sunt veræ, aut falsæ, quia licet non sit necessarium aliquem hominem singularem disputare, aut peccare, in commune tamen necessarium reputatur peccare, aut disputare aliquem, quod satis est, vt vniuersales reputentur necessario falsæ, & particulares, vel indefinitæ necessario veræ, nam in hoc sensu protulit textus sacer: *Necesse* 50.
est, vt veniant scandala, &c. Matth. 18. Singulares etiam enunciationes contingentes de præsenti, & præterito determinate veræ sunt ob determinationem causæ præsentem, aut præteritam, ex qua, determinationem sortiuntur effectus per eas designati; & determinatio hæc necessitatem quandam indu-

cit, saltem ex suppositione, vt idem Aristo. capite præsenti docuit dicens. *Omnis res quādo est, necesse est esse*, & ex suppositione quòd fuit, necessarium est fuisse; totum denique disiūnctum, *Petrus disputabit, vel non disputabit*, necessarium quoque reputatur; quia licet contingens sit causam liberam se determinare, aut etiam se non determinare: & ideò effectus designatus disputationis contingenter futurus sit, esse tamen, vel non esse cōtingenter, meritò iudicatur necessarium, quia necesse est causam quantumlibet contingentem operari, aut non operari; cum sit planè impossibile, de aliquo affirmari quòd nec sit, nec non sit, quod nec futurum sit, nec futurum non sit; negauit igitur Aristot. enunciationes singulares de futuro contingente esse determinate veras ex determinatione causæ, aut effectus contingentis, sicut concessit esse determinate veras vniuersales & particulares de futuro, & singulares de præsenti, ac præterito; quia istæ sic sunt determinate veræ, vt ex suppositione saltem determinationis, etiam sint necessariæ, nec possint non esse veræ. Negauit denique sic esse determinate veram quamlibet partem contradictionis, sicut concessit esse determinate verum totum disiunctum, ex vtraque confectum; sic enim determinate verum est, vt etiam sit necessarium, cum tamen neutra pars vllo modo necessaria sit, sed penitus contingens: non tamen negauit esse determinate veras, aut falsas singulares enunciationes, veritate, aut falsitate contingente: quia ita sunt veræ, vt possint esse falsæ, aut ita falsæ, vt possint esse veræ; quam contingentiam in determinationem appellauit; & merito quidem, nam quandiu effectus contingens, vt futurus significatur, non vt determinatus, sed vt determinandus designatur, quod non habet vt significatus de præsenti, aut præterito: vnde enunciatio ipsa de futuro, quodammodo indeterminata censetur in veritate, aut falsitate, & solum determinata vocatur determinatione contingente, quæ conditio diminuens, absque dubio est, in ratione determinationis: si autem enunciationes istæ sic essent determinate veræ, aut falsæ, vti aliæ, quas ex determinatione causæ, determinate veras esse dixit: bene infert Aristot. omnia euenire necessario necessitate saltem suppositionis, quæ satis esset, vt consilia tollerentur, &

Exponitur sententia Aristotel.

51.

Contingentiam indeterminationem appellat Aristot.

52.

negotiationes, nec enim res præteritę quantumlibet contingentes, nec iam de præsenti executioni mandatæ, etiam libere, sub consultationem, aut deliberationem cadūt, sed eas omnino pręcessit; & tandem si determinationem causæ præsupponerent enunciationes istæ, vt supponunt enunciationes de præsenti, & præterito, inferre liceret, quòd intulit Aristot. verum fuisse enūciare ante mille annos, quod bellum nauale hodiernum futurum esset: imo & necessarium necessitate saltem suppositionis: nam præteritum, vt præteritum quantumlibet contingens, non potest non fuisse, & præsens quoque vt præsens non potest non esse, quia & si causa libera dum se determinat possit se non determinare, & ideò libera sit simpliciter eius determinatio; vt iam tamen determinata de præsenti, actuque iam elicito, non potest effectus non esse. Hanc nostram expositionem videntur tenuisse Ricard. in 1. dist. 38. artic. 1. quæst. 5. ad primum, & Maior. ibidem quæst. 1.

53.

Ricard. & Maior.

Diluuntur argumenta primæ opinionis.

IAM oportet argumenta aliarum opinionum dissoluere. Et primum quidem extremi prioris verum assumit: nempe veritatem enunciationis, per comparationem ad rem significatam esse desumendam; falsum tamen est quod adiecit, enunciationem de futuro contingenti non esse conformem, nec difformem rei significatæ: nam licet futurum contingens non sit actu in rerū natura, ita vt iam sit extra causas, verè tamen dicitur esse, aut non esse tempore per copulam significato, quemadmodum res significata per enunciationem de præterito non extat modò, sufficit tamē ad veritatem eius, quòd extiterit aliquando; nam hoc solum tempus, per copulam designatur, & pariter enunciatio de futuro refertur ad existentiam pro aliquo tempore futuro, quam si habiturum est, erit ei conformis enunciatio, ac proinde vera: sin minus, erit difformis & proinde falsa; negandum igitur est, non habere conformitatem, aut difformitatem similes enunciationes cum re significata, quæ absque dubio erit, aut non erit tempore per copulam earum designato: confirmationi igitur eiusdem argumenti concedēdum est.

Ad primū primæ sententiæ.

54.

est tales enunciationes veras esse, aut falsas, quod an doctrinæ Aristotelis contrarium sit, iam diximus.

Ad secundum. Verum quoque assumit secundum argumentum, quantum ad oppositionem veritatis & falsitatis attinet, quas simul eidem enunciationi conuenire negamus, etiam si determinatè vera censeatur; quia & si futurum contingens præcisè sumptum, vt est in potentia liberæ causæ non sit ad esse, aut nō esse determinatum, cæterum in ordine ad futuram determinationem eiusdem causæ, per quam futurum est extra causas, determinatum esse habebit distinctum, & actuale; & cum per enunciationem, hoc modo, & non solum priori significetur, fit determinatam habere veritatem, si aliquando futurum sit, aut determinatam falsitatem, si nūquam sit futurum: vtranque verò simul ei conuenire repugnat, sicut rei futuræ esse, & non esse futuram.

Ad tertiū. 55. Postremum argumentum benè probat, actuale esse debere veritatem, aut falsitatem enunciationis de futuro contingenti, si determinatè vera, aut falsa esse admittatur; & talem esse ingenuè fatemur, quidquid velit Aristoteles, cui in hac re standum non est secundum aliquorum interpretationem, vt iam vidimus; sed nos non censemus contrarium docuisse.

Explicantur fundamenta vltimæ sententiæ.

Respondetur argum. vltimæ sententiæ. NON erit difficile fundamenta vltimæ opinionis euellere, si memoria repetamus præteritam distinctionem determinatæ veritatis, in necessariam & contingentem, ex qua constabit in primis

Ad primū. vitiosam esse argumentationem in primo fundamento constitutam, hoc modo inferentem, enunciatio de futuro contingenti est determinate vera, ergo necessario vera: nam cum veritas eius, ex determinatione contingentis, ac liberæ causæ dependeat, cōtingens ab intrinseco erit, & nihilominus determinate, vera aut falsa, cum ad determinationem liberæ causæ referatur, quæ sicut potest se determinare ad effectū producendum, potest quoque à determinatione supersedere.

Ad secundum nota. Constat præterea magna ex parte explicatio secundi fundamenti. Sed vt illustrior fiat, discrimen quoque oportebit ei adiungere inter effectum pręteritum, præsentem, & futurum, in materia contingenti. Qui id habent in primis commune, vt simpliciter, & ex intrinseca conditione, & natura sint contingentes, cum notum sit à causa cōtingenti, aut libera ex se procedere: vnde disputationē, quam Petrus peregit, liberam fuisse dicimus, atque etiam pręsentem, cum verum sit potuisse simpliciter disputare, & nō disputare: de futuro verò res est notior, nam quandiu futurum est aliquid, sub potestate voluntatis continetur, fore aut non fore, consentiunt: propterea quòd ab extrinseco (vt aiunt) & ex suppositione omnes sunt necessarij: præteritus quidem, supposito quòd iam præcessit, necessarius vocatur, vt disputatio Petri hesterna ex suppositione præteritionis: præsens verò ex suppositione præsentialitatis, quando enim res iam extra causas consistit, necessaria censetur futura quoque contingens, supposito, quòd futura est, non potest non esse futura, alioqui simul esset, & non esset futura, quòd repugnat, ergo bene infertur ex tali suppositione, quandam necessitatem extrinsecam contrahere. 56.

Et quòd de effectibus dicitur suo modo enunciationibus accommodandum est: ita vt simpliciter, hoc est, ab intrinseco sint cōtingentes, & ab extrinseco, & ex suppositione necessariæ: in hoc tamen valdè differunt, sicut effectus ipsi, sic enunciationes: nam pręteritus expresśè importat prętęritionē, vt Adam fuisse, aut Petrum disputasse: quare non oportet illam addere, vt necessarius censeatur, & cum absolutè necessarium appelletur illud, quod sine vllo addito necessarium est, sequitur præteritum esse absolutè necessarium, licet non simpliciter, quia nō ex propria natura: & pariter de effectu præsentij iudicandum est, quia conditionē præsentialitatis videtur importare, seu exprimere, licet non adeò clare, ac de præterito visum est, & cum ex præsentialitate necessitatem contrahat, quia quod est præsens, extra causas esse dicitur, atque etiam extra cōsilium, ac deliberationem, licet his præcedentibus præsentiam acquisierit, sequitur necesse non esse præsentialitatem addere, vt necessarium censeatur; ac propterea posse appellari absolutè necessarium, & ex consequenti enunciationem de præsenti, vt Pe- 57.

trus diſputat, abſolutè neceſſariam: quandiu autem futurũ contingens eſt, importat quidem futuritionem, ex qua potius contingẽtiam, quàm neceſsitatem habet quare contingens vocabitur abſolutè, quod a cauſa libera futurum eſt, & non neceſſarium, niſi adiuncta expreſſa reduplicatione futuri: itaque non dicitur abſolutè neceſſarium, ſicut præſens, & præteritum, ſed cum addito, aut reduplicatione futuritionis contingentis; & conſequenter enunciatio de futuro non erit neceſſaria, niſi cum expreſſo addito pronũtietur: neceſſariæ igitur abſolute erũt Petrus diſputat, Petrus diſputauit, at Petrus diſputabit non dicetur neceſſaria, niſi addatur ſuppoſitio, quòd futura ſit diſputatio, vel ſi de futuro formaliter loquamur, non dicemus diſputationem Petri futuram, eſſe neceſſario futuram, niſi addamus ſuppoſitionem, quòd futura ſit: nam ſi nihil addideris dum futurã eſſe ſimpliciter enũcias, contingentem te oportet illam appellare. Et ecce ſecũdum fundamentum ex hac doctrina expoſitum, quia

Soluitur ſecundum argument. licet pronuntiatũ illud Ariſtotelis: *Quidquid eſt quando eſt, neceſſe eſt eſſe*, verum ſit, & applicandum ad præteritum, præſentem, & futurum effectum iuxta ſingulorum conditionẽ, non tamen continet intrinſecã neceſſitatẽ, ſed extrinſecã ex ſuppoſitione tẽporis: expreſſam quidem in prӕterito, ac præſenti,

58. non tamen in futuro: quare licet enunciationes omnium temporum determinate veras, aut falſas eſſe fateamur: non tamen ſimpliciter neceſſarias, quamuis ex ſuppoſitione tales poſsint, ac debeãt appellari: de præſenti quidem, ac præterito abſolute, hoc eſt, ſine addito ſuppoſitionis iã implicato: enũciationes verò de futuro, nõ niſi cum expreſſo addito futuritionis contingentis

Diſcrimen inter neceſſarium abſolute, & ſimpliciter. Sed eiuſdem doctrinæ complementũ poſtulat, vt explicemus quodnam verſetur diſcrimẽ inter abſolute neceſſarium ex vna parte; & neceſſarium ſimpliciter ex altera, videntur enim prorſus coincidere: & ſi ita ſit, fiet profecto enunciationes ſaltem de præſenti, & præterito eſſe ſimpliciter neceſſarias; & cum neceſſarium opponatur contingenti, ac libero, non poterunt contingentes appellari, quod pluſquam falſum


59. eſt. Dicimus ergo iuxta communẽ vſum, modumq; concipiendi, ac loquendi ſcholę, ſimpliciter tale, id ſignificare quòd ex propria natura tale eſt: tale verò abſolute, quòd ſine addito talis ei attribuitur conditio, ſiue ex propria natura, aut cauſa, ſiue ex quacunque ratione, aut cauſa extrinſeca: vt paries dicitur ſimpliciter corpus, aut ſubſtãtia, quia ex propria natura eiuſmodi prædicata ei cõueniunt, viſus verò, aut dexter, nõ ſimpliciter, quia ab extrinſeco, bene tamẽ abſolutè, quia ſine addito ei attribuuntur: pariter ergo de præteritis, & prӕſentibus effectibus in mate- 52.
ria cõtingenti iudicandũ eſt; nam quia ab intrinſeco, hoc eſt, ex ordine ad propriam cauſam contingentem, ac liberam, eis conuenit eſſe in rerum natura, liberi eſſe dicuntur, & contingẽtes ſimpliciter; ab extrinſeca verò conditione præteritionis, aut futuritionis, aut prӕſentialitatis, ex tempore prouenientes dicuntur abſolute neceſſarij; & ecce quo pacto non repugnat eandem rem, ſeu effectũ eſſe contingẽtem ſimpliciter, abſolute verò neceſſariã; cuius ea eſt ratio: quia neceſſariũ ſimpliciter opponitur libero, aut cõtingenti, ipſumque deſtruit, neceſſarium verò, quod non niſi abſolute, hoc eſt ſine addito vocatur tale, non habet directam, aut propriã oppoſitionem cum libero, aut contingenti ſimpliciter; vnde nec ipſum deſtruit, ſed ſecum cõpatitur propter diuerſam rationem, à qua proueniunt iam expoſitam; quare hoc repugnat effectus præſentes, ac præteritos, & pariter enunciationes, eſſe ſimpliciter con-
tingentes, & ſine addito, vel abſolute neceſ- 60.
ſarias ex conditione extrinſeca, à qua intrinſeca contingentia, aut libertas nullo modo læditur: futuri verò nec ſimpliciter, nec abſolute dicuntur neceſſarij, vt expoſitũ eſt.

Ad vltimũ argument. Poſtremum fundamentum eiuſdem ſententiæ falſum aſſumpſit: nempe futurum contingens, ſolum eſſe in potentia ſuæ cauſæ: nam licet nunc ſolum ſit in potentia, enũciatum tamen futurum quantumuis liberum & contingens, non importat nudam potentiam cauſæ, ſed cũ ordine ad futuram determinationem, liberam quidem, & contingentem, quæ ſi ſe determinauerit, determinatio eius veram efficiet enunciationem de futuro intrinſecum ordinem ad talem determinationem ſignificantem: vnde ſicut ab eo, quòd res eſt vel non eſt, vera aut falſa determinate dicitur enunciatio de præſenti, pari ratione ab eo quòd futura eſt, aut non futura, hoc eſt, habitura, eſſe determinatum, vel non habitura determinate vera, aut falſa dicitur enunciatio de futuro.

IN SECVNDVM LIBRVM PERIHERMENIAS, SIVE DE INTERPRETATIONE.

BREVE PROOEMIVM.

Inter Græcos & Latinos diſſenſio.



PVS hoc de interpretatione non in libros partiuntur Græci, ſed in partes, aut
1. ſectiones. Ita vt, quod interpretandum ſupereſt, non librum diſtinctũ ab eo, quod iam eſt a nobis expoſitionibus illuſtratum, ſed partem, aut ſectionem eſſe velint. Refert autem nihil, Græcos potius, quam Latinos translatores, libros diuidentes ſequi, cum de ſolo nomine partis, ſectionis, aut libri diſſeatio ſit. Librum tamen ſecundum cum communi totius noſtræ ſcholæ voce potius quam ſecundam partem appellãtes, dicimus id eſſe in eo inſtitutum Ariſtotelis, vt enunciationes variare ſecundum diuerſum additum nos doceat: etenim cum enunciatio ſcopus ſit, in quem totius operis intentio dirigitur, natura eius, partibus qualitate, quantitate, & cæteris eam conſequentibus in pri-
2. ori iam libro traditis, quibus eam componere docemur, oportebat nunc ea tradere, quibus enunciationem iam compoſitam multiplicare addiſcamus, vt ingentem enunciationum copiam ad extruendos ſyllogiſmos cæteraſque argumentationes, habere poſsimus, & huius rei gratia in hoc libro traduntur ab Ariſtotele modi, quibus variantur enunciationes ſecundum diuerſum additum quòd ſuſcipiunt.

Totius libri ſcopus.

Quod triplex in vniuerſum eſſe poteſt, primum namque contingit per negationem additam ſubiecto, aut prædicato, aut vtrique,
3. ratione cuius infinita redditur enunciatio, ex parte vnius, aut alterius vel vtriuſque. Secundum per additionem alterius prædicati, ratione cuius ſic vel aliter ſe habens prædicatum principale, cui additur ad copulam propoſitionis, enunciatio conſtituitur vna, aut multiplex. Tertium per additionem modi, à quo modalis vocatur: quibus expoſitis per tria capita, & dubio quodam ad enunciationum oppoſitionem ſpectante propoſito ac ſoluto, in quarto totum opus abſoluitur, vt ſic quadrimembris ſit diuiſio eius.

Totius libri partitio.

Hunc autem librum obſcuriſsimum fecere tria: Primum; ipſamet additionum materia, cum conſtet ex negationum, aut modorum additione obſcuras reddi enunciationes: ita vt earum veritatem, quantitatem, affirmationem, negationẽ, & oppoſitionem difficile ſit inueſtigare atque cognoſcere. Secundum; corruptæ, ſeu vitiatæ trãslationes ſenſum litteræ ſic obſcurum reddẽtes, vt vix aliquando, aut vllo modo intelligi poſſit, ex quo ortum habuit poſtremum, videlicet expoſitionum diuerſitas, cum magna ex parte confundens. Quibus adde, ſi placet quartum, Ariſtotelem in hac enunciationũ materia; ſicut in reſolutoriis, obſcuritatem affectaſſe. Dabimus tamen operam, quantum res ipſa patitur, vt clarè ac dilucidè explicetur, breuiſsima tamen commentatione; cum notabilia fere omnia, atque etiam dubia, quæ circa theoremata ab Ariſtotele tradita ſeſe offerre poſſunt, allata, expoſita, & agitata communiter eſſe ſoleant in materia ſummularum.

Quòd obſcuritatẽ ingerat huic libro.
1. Cauſ. obſcuritatis.
2. Cauſa.
4.
3. Cauſa.
4. Cauſa.

DI

DE ENVNCIATIONIBVS infinitis cuiuscunque generis, ipsarumque oppositionibus, & consequentiis, nomina item, & verba transposita idem significare.

CAPVT PRIMVM.

Quoniam autem est aliquid de aliquo affirmatio significans, hoc autem vel nomen est, vel innominatum, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum Arist. tel. INTENTVM Aristotelis in hoc primo capite est quonam modo varientur, ac multiplicentur enunciationes, per additionem negationis, ratione cuius fiūt de subiecto, aut prædicato infinito, aut de vtroque.
1. Præstat autē tria. Nam primo agit de enunciationibus verbo substantiuo eis constantibus, tàm de secundo (vt aiunt) adiacente, in quibus non est aliud prædicatum præter verbum; quam de tertio, distinctū à verbo prædicatum habentibus, explicans modum, quo infinitantur ex parte subiecti, & prædicati. Secundo. Eundem modum applicat aliis enūciationibus, cæteris verbis constantibus, nam quemadmodum principem locum inter verba tenet substantiuum, actum essendi substātialem significans, sic enunciationes ex eo cōposita principaliores sunt. Tertio. Nonnihil
2. de earundem enunciationum oppositione tradit.

Totius capitis diuisio in tria membra.

Deuenientibus igitur ad primum, duo repetit Aristoteles ex primo libro. Primum est, enunciationem (loquitur autem de simplici) vnum de vno significare, hoc est, prædicatum de subiecto enunciatum: Secundum. Illud vnum quod enunciatur, & aliud de quo enunciatur (quæ subiectum, & prædicatum vocātur) esse nomina, aut innominata: per innominatum intelligit infinitū nomen, aut quia ante ipsum, innominatū prorsus erat, & primum ab ipso vocatum est nomen infinitum,

Primum membrum huius cap.

Quid intelligat Arist. per innominatum

vt Pater Toletus voluit, vel, vt Caietanus, (à quo huius secundi libri expositio edita est, quam D. Thomas morte præuentus perficere nequiuit) quia, cum nullam rem determinatam significet, à qua determinatā possit denominationem suscipere, sed indifferenter quidquid est, aut non est, meritò innominatum dicitur. Prædicatum igitur, & subiecti 3.
enunciationis nomina sunt finita, aut infinita: nam licet infinitum nomen, ait Aristoteles, non sit nomen simpliciter, quia tam id quod est, quam quod non est, significat, nihilominus pars enunciationis quodammodo esse potest, in quantum vnum aliquo modo significat: multa enim ab eo significata (vt bene Caietanus) sub negatione significati eius nominis, cui adiungitur, designantur, vt sub negatione hominis, aut equi, sub qua conueniunt.

Infinitū nomen potest quodammodo esse pars enunciationis.

Vnde fit vnum esse, vt sic formaliter significatum, quanquam materialiter sint diuersa, ac pene infinita, ac propterea vnū aliquid significare formaliter asseruit Aristoteles, 4.
quod omnino necessarium esse, vt pars enunciationis, (in qua vnum de vno enunciatur) vocaretur.

Ex his autem duobus infert tertium, videlicet enunciationem constare ex nomine, & verbo, aut ex infinito nomine, & verbo, cuius rationem reddit: quia enūciatio significat vnum de vno, quæ sunt nomina, aut infinita nomina, sed ex solis nominibus, nisi verbo vniantur præsentis, præteriti, aut futuri temporis, non constat enunciatio, ergo ex nomine, & verbo, aut nomine infinito, & verbo, necesse est componi.

Quid sit enunciatio.

Inter verba autem potissimum est substātiuum. Vnde prima enunciatio erit ex eo, ac nomine cōfecta, finito quidem, quòd inter nomina potissimum est: hæc autem affirmatiua est, aut negatiua, ex quibus affirmatiua est 5.
potior, hæc igitur erit prima, vt homo est, postquam negatiua sequitur, homo non est. Post finitas autem enunciationes huius verbi sequun-

Enūciatio de secundo adiacente.

quuntur infinita, infinito nomine composita: & primo quidem affirmatiua, vt non homo est, deinde negatiua, vt non homo non est; & eiusmodi sunt simplices, seu indefinitæ, quibus annumerantur totidem vniuersales, vt omnis homo est, non omnis homo est. Omnis non homo est, omnis non homo non est, & si has omnes multiplicaueris per verba præteriti, ac futuri temporis efficies vigintiquatuor, ad duodecim oppositiones: & additis particularibus, & singularibus eorundem extremorum, secundum diuer-
6. sa tempora multiplicabis quamplurimas, & hac de enunciationibus secundi adiacentis.

Enunciatio de tertio adiacente.

Quibus explicatis alias esse docet Aristoteles, quæ cum verbo aliud admittunt prædicatum, in quibus proinde, aut ipsummet verbum substantiuum, est, tertium adiacēs vocatur, vel nomen ab eo distinctum, quòd prædicatur: dū enim aliud nomē prædicatur, significatio verbi adiūgitur, & totale prædicatum ex vno, & altero conflatum, officio eiusdem verbi copulatur subiecto, vt cernimus in hac enunciatione, homo est albus, vbi albedo coniuncta significatio verbi, quod est esse, enunciatur de homine, & est sensus cum habere esse albi: vnde, vel verbum propter significatum, cui aliud adiungitur nomen, vocatur tertium adiacens subiecto, cum sit iam tertia dictio præter verbum copulans, & subiectum cui coniugitur, vel nomen ip-
7. sum, vt tertia dictio eidem significato adiuncta aut certe verbum tanquam tertia dictio numeratur potius, quam nomē, quod prædicatur, quia verbum cum sit forma enunciationis, subiectū, & prædicatum præsupponit, tanquam materiā, & ideo pro vltima vnitate numeratur, quæ est quasi forma ternarii numeri, ex eodem, ac prædicato, & subiecto, tanquam duabus primis vnitatibus præsuppositis conflatum.

Varij propositionū modi.

In talibus autem enunciationibus duplicari, ait Aristoteles oppositiones, cum non solum ex parte subiecti, sed etiam ex parte prædicati accipi possint penes finitum, & infinitum: duplicata autē oppositio quatuor enunciationes continet. Exemplum vtriusque oppositionis designat Aristoteles, prioris quidem, vt est iustus homo, cuius negatio est, non est iustus homo: posterioris verò est non iustus homo, cuius negatio est, non est non iustus homo. Designato autem exemplo, quonam pacto se habeant ad consecutionem explicat his verbis: Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem, & negationem se habebūt secundum consequentiam, & priuationes, duæ verò minime, &c. Obscurissimis quidem & quæ diuersis modis ab antiquis interpretibus exponuntur: ab omnibus tamē de habitudine consecutionis, quod non omnino probat P. Toletus noster, de habitudine potius oppositionis intelligenda esse censens. Verum tamen, quia verbum consecutionis, expressum est ab Aristotele, non potest eius expositio literæ quadrare.

Reiicitur expositio Toleti.

Expositio Porphyrij Boetij, Alberti, & Caietani.

Sed ne expositionum multitudine obruamur, communem dumtaxat referam Porphyrii, Boetii, & Alberti Magni, quam, duabus aliis, simul cum expositione Ammonii, reiectis sequitur Caietanus, prius tamē quatuor illas enunciationes in Angulis quadratæ figuræ disponere necesse erit; vt sensum Aristotelis quasi digito ostēdere possimus: 9.
& quia de infinitis loquitur prius post verò eandem esse de vniuersalibus rationem in vno, diuersam verò in altero docet, pro singulis singulas figuras subiiciemus, & prius pro infinitis, deinde pro vniuersalibus.

Nunc ergo sensus Aristotelis est, ex his quatuor enunciationibus, indefinitas sic se habere ad affirmationem, & negationem, id est, ad affirmantem & negantem simplices secundum consequentiam, & negans infinitum ex affirmatione simplici inferatur: etiā tamen non inferat, affirmans verò infinita bene negatiuam simplicem inferat, sed ab ea non inferatur tenet enim consecutio si dixeris, est iustus homo, ergo non est non iustus 10.
homo, non tamen modo opposito, non est non iustus homo, ergo est iustus homo: latius enim patet, de pluribusq; enunciari potest totum significatum negatiuæ, quam affirmatiuæ, nam de eo adhuc, quod non est homo, vt de ligno, aut lapide verum est dicere, lignum non est non iustus homo, de quo tamen

Magis vniuersale non infert minus vniuersale.

non verificatur totum significatum affirmatiuæ: falsum est enim sic enunciare, lignum est iniustus homo, sed quod latius patet vniuersalius est, nec minus vniuersale infert, vt in genere & specie constat: igitur negans infinita non infert affirmantem simplicem, à qua infertur, quòd verò affirmans infinita inferat negantem simplicem, à qua non infertur patet, nam tenet consecutio, est non
11. iustus homo, ergo non est iustus homo: non tamen ordine inuerso, non est iustus homo, ergo est non iustus homo, cum latius patens significatum negantis, de multis dicatur, videlicet de his, quæ non sunt homines, de quibus non dicitur affirmans infinita, Verum namque de ligno est quod non sit iustus homo: non tamen quod sit non iustus homo, quod autem vniuersalius est non infert minus vniuersale, licet ab eo inferatur, ac propterea subiecit Aristoteles, sic se habere indefinitas ad affirmationem, & negationem sicut pri-
12. uatiuas: nam quemadmodum ab infinita affirmante valet ad negatiuam simplicem, non tamen modo opposito: pari ratione valet à priuatiua affirmante ad negantem simplicem, & non modo opposito: sequitur namque, est homo iniustus: ergo non est homo iustus: non tamen, non est homo iustus, ergo est homo iniustus de leone namque verum est dicere: leo non est homo iustus, ac de quacunque alia re ab homine: non tamen est verum sic enunciare, leo est homo iniustus. Et rursus, quemadmodum ab affirmante simplici ad negantem infinitam tenet consecutio & non modo opposito: pari ratione ab affirmante simplici ad priuatiuam negantem, sed non ordine inuerso, valet enim, est iustus homo ergo non est homo iniustus, non tamen, non est iniustus homo, ergo est iustus homo, de vniuersis namque ab homine verificatur negatio priuatiua, vt de leone, quòd non sit iniustus homo de quibus non verificatur affirmatiua simplex: falsum est enim, quòd leo sit iustus homo; & horum omnium ratio eadem est, quia negatio enunciationis latius patet infinitatione, ac priuatione.

Vtrij illatiorum modi.

Asserit deinceps Aristoteles eandem esse rationem quantum ad consecutiones prædictas de vniuersalibus, ac de indefinitis, vt subiuncta figura ostendit.

In qua cernimus vniuersalem affirmantem simplicem inferre negantem infinitam, à qua minimè infertur tenet namque consecutio, omnis homo est iustus: ergo non omnis homo est non iustus: non tamen ordine inuerso, non omnis homo est non iustus, ergo omnis homo est iustus: particularis enim est sensus illius, huius vero vniuersalis, constat autem à particulari ad vniuersalem non tenere argumentum, & similis est ratio de duabus cæteris, affirmante infinita, & negante simplici, vt omnis homo est non iustus; ergo non omnis homo est iustus, legitima est consecutio: sed vitiosa, non omnis homo est iustus, ergo omnis homo est non iustus: eadem ratione, quia à sensu particulari ad vniuersalem non tenet argumentum & hæc de his enunciationibus quantum ad consecutionem. 13.

A particulari ad vniuersale non tenet argumentatio.

Sed tradit deinde Aristoteles regulam quandam, per quam cognoscere possimus, an simul in veritate stare possunt. Quam regulam ad æquipollentiam pertinere docuit Magnus Albertus. 2. libro de interpretatione, cap. 2. ad finem & meritò, nam æquipollentes dicuntur enunciationes, simul in veritate, ac falsitate stantes. Regula autem hæc est: Non similiter angulares veras esse contingit, contingit autem aliquando. Obscurissima certe cum inprimis non constet, quid per angulares intelligat Aristoteles, nam cum quatuor habeat angulos qualibet figura, angulares possunt vocari, quæ duobus angulis superioribus clauduntur. & quæ duobus etiam inferioribus. 14.

Regula Aristotel.

Albertus.

Aristotel.

Secundo. Quæ angulis perpendiculariter cadentibus. At tertio, quæ angulis diametralibus: eiusmodi enim proprius vocantur anguli, cum angulum quemlibet efficere videatur simul cum duobus aliis, quorum vnus in eadem linea superiori, aut inferiori cum eo ponitur, alius vero perpendiculariter sub eum cadit, aut supra eum est: vnde diuerso modo à diuersis exponitur verbum, angulares.

Albertus Magnus, vbi supra, his verbis, 15.

angu-

Prima expositio regulæ circa angulares.

angulares explicat; hoc est, in angulis directè oppositas: quas autem vocet directè oppositas non explicat, colligitur autem ex designato à se exemplo, ait enim: vt quidam homo est iustus, quidam homo non est iustus: eiusmodi autem in angelis superioribus directè se respicientibus collocantur. Vnde angulares vocare videtur eas, quæ in vtroque angulo superiori, aut inferiori describuntur.

Secunda expositio P. Toleti vera est.

Toletus verò eas dumtaxat, quæ in angulis diametralibus describuntur, & hæc expositio est omnino tenenda: quia regula Ari-
16. *stotelis non nisi iuxta eam vera esse potest: ait enim. Nō stare simul in veritate semper, stare autē aliquando: quod absque dubio de vtrisque intelligitur, hoc est, de indefinitis in priori figura descriptis, ac de vniuersalibus in posteriori, cum de vtrisque secundum consecutionem fuerit proximè locutus: nunc autem æquipollentiarum regulam præscribens, non semper stare in veritate angulares affirmet, sed aliquando: quod si de solum infinitu verum esse intelligeret, & non de vniuersalibus: expressisset profectò vniuersales nullam habere æquipollentiam: supposito autem quòd de vtrisque intelligatur, non possumus per angulares, nisi eas intelligere, quæ*
17. *in diametralibus angulis collocantur: eiusmodi enim ratione situs proprissimè vocantur angulares.*

Germanus sensus Aristotelis.

Vnde germanus sensus eiusdem regulæ erit: angulares non semper stare simul in veritate sed aliquando, quia angulares indefinitæ, quas in priori descripsimus figura, semper stant simul in veritate, si accipiantur in materia contingenti: vnde, & semper sunt æquipollentes, vniuersales verò non semper sed aliquando vt constat de vtraque negante de prædicato finito, & infinito, non omnis homo est iustus, & non omnis homo est non iustus. nam cum particularem sensum efficiant, simul in veritate stare necesse est, est enim sensus prioris, aliquis homo non est iustus posterioris verò, aliquis homo non est non iustus.

Excluditur expositio Alberti.

Si autem per angulares intelligamus eas, quas Albertus Magnus intelligit, repugnat aliquando in veritate stare vniuersales: cum ex eis altera sit vniuersalis
affirmans, & ideò semper falsa, altera 18.
particularis negans, & ideò semper vera, vt vtranque figuram intuenti facilè constare poterit: & tunc deducitur alia ratio in confirmationem nostræ sententiæ: nam si de omnibus, tam vniuersalibus, quam in indefinitis intellecta regula æquipollentiarum vera esse potest, quia verè in vtrisque reperiatur æquipollentia, de omnibus intelligenda veniet: constat autem non posse de omnibus intelligi, nisi per angulares intelligamus eas solum, quæ in diametralibus describuntur angulis; ergo has solum angulares vocasse Aristotelem longè probabilius est.

Confirmatur vera expositio.

Alia combinationes propositionum.

Prædictæ oppositiones, seu combinationes enunciationum sunt de subiecto finito: in quibus tamen prædicatum variatur penes finitum & infinitum, præter quas docet Aristoteles, totidem multiplicari posse, si subiectum infinitetur prædicato permanente finito in quibusdā, sed infinitato in aliis, iuxta formam præcedentium.

Verba Aristotelis sunt, Aliæ autem 19.
duæ ad non homo, quasi ad subiectum aliquod additum, vt est iustus non homo, non est iustus non homo, est non iustus non homo, non est non iustus non homo: *& si infinitum subiectum vniuersali afficiatur signo, emergunt aliæ quatuor, vt ex posteriori figura earundem enunciationum subiectis infinitatis facilè deducitur. Has autem enunciationes de subiecto infinito, dicit esse extra prædictas de prædicato infinito, id est, non inferre illas, nec ab illis inferri: sed inter se eundem seruare ordinem quantum ad consecu-*
tionem, & æquipollentiam quem enunciationis de prædicato infinito seruare vidimus, 20.
& hæc est prima pars capitis.

Secunda pars capitis.

In secunda, eandem doctrinam applicat ad enunciationes aliorum verborum actionem, aut passionem significantium, docens pari ratione posse multiplicari indefinitas, & vniuersales penes finitum, & infini-

 tum,

tum, quarum exempla non producit Aristoteles, quia ex productis in reliquis enunciationibus facillime constare poterunt.

Dubium. *Sed dubitat, an quando indefinita de subiecto finito efficienda est vniuersalis, & de subiecto infinito, negatio infinitans subiectum, adiungenda sit vniuersali signo ei addito, aut post ipsum signum apponenda, ita vt non supra signum, sed proximè supra subiectum cadat? Exempli gratia, si hæc indefinita, homo sanatur, efficiẽda sit vniuersalis, & de subiecto infinito, dicendũ sit nõ omnis homo sanatur, aut omnis nõ homo sanatur.*

Responsio. *Et respondet: Non esse adiungendum signo, sed subiecto, cuius ea, inquit, est ratio,* 21. *quia signum non significat rem, sed modum rei, secundum quem vniuersaliter, aut non vniuersaliter iudicamus, prædicatum conuenire subiecto, id est, cuilibet contento sub illo, vel alicui vage, seu indefinite, quod cõfirmat exemplis: nam enunciationes istæ, valet homo, non valet homo, valet non homo, non valet non homo, non differunt ab vniuersalibus, nisi, quia vniuersaliter non sunt, hoc est, quia non enunciatur vniuersaliter prædicatum de subiecto: signum igitur distributionem dumtaxat subiecti significat pro contentis particularibus, non rem, de qua enunciatur prædicatum, cum inuariabilis hæc permaneat, siue signum adieceris, vel non, sed enunciatio dicitur infinita ex parte* 22. *subiecti, aut prædicati; quia illud, quod est subiectum, aut prædicatum eius infinitum efficitur: ergo vt infinita fiat vniuersalis enunciatio, subiecto potius, quàm modo vniuersali illud distribuenti adiungenda est. & hæc, ait Aristoteles, seruato circa negationem:* Reliqua eadem oportet apponi, *id est, cæteras oportet seruare regulas circa has enũciationes adiectiuorum verborum, quas de enũciationibus verbi substantiui præscripsimus, tam circa oppositionem, quam circa consequentiam, & æquipollentiam, vt per easdem prorsus combinationes multiplicentur, ac disponantur.*

3. Membr huius cap. *In extrema tandem capitis parte ostendit Aristoteles, quænam ex enunciationibus, tam simplicibus, quam infinitis, possunt in veritate stare, vt æquipollẽtiæ regulam perficiat: & quidem de singularibus & indefinitis inter se se collatis docuit, posse semper in veritate stare: nunc autem de vniuersalibus non solum inter se se, sed cum particularibus, aut indefinitis loquitur, asserit autem tria.*

Enunciationes simplices cõtrariæ, nequeunt simul in veritate stare, vt omne animal est iustum, nullum animal est iustum. Primũ probatũ Arist. 23.

Secundum. Contradictoriæ enunciationes, siue simplices, siue infinitæ, nequeunt simul in veritate stare, se tamen consequũtur simplices, ex vna parte, cum infinitis ex altera: ita vt vniuersales, finitæ, & infinitæ, possint esse æquipollentes, & simili modo particulares: exempli gratia, nullum animal est iustum, aliquod animal est iustum: sunt contradictoriæ simplices: omne animal est nõ iustum, & non omne animal est non iustum, sunt contradictoriæ infinitæ: & tamen simul in veritate stant vniuersales inter se se, atque etiam particulares: vniuersalis etiam 24. *affirmatiua infinita simul potest in veritate stare, cum vniuersali negatiua simplici, vt omne animal est non iustum: ergo nullum animal est iustum: particularis item negatiua infinita, simul potest in veritate stare, cum particulari affirmatiua simplici, vt non omne animal est non iustum, ergo aliquod animal est iustum. An verò in his modis arguendi, ab affirmatiua sit procedẽdum ad negatiuam, aut ex opposito à negatiua, ad affirmatiuam difficultate caret, nã cum stent simul in veritate, & vere sint æquipollentes, à qualibet procedi potest; licet ab affirmatiua, tanquam à digniori sit potius procedendum.* Secundum probatum.

Nota. *Vnum tamen animaduersione dignum cẽset Aristoteles hac in parte, quantum ad negationem in enunciationibus collocandam, videlicet in singularibus nihil referre, an in* 25. *principio, medio, aut fine collocetur, sed eandem veritatem enũciationis constituere, vbilibet collocatam: idem est enim dicere, Socrates est non sapiens, & Socrates non est sapiens, ac non Socrates est sapiens: sed in vniuersalibus multum refert eam sic, vel aliter.*

aliter apponere, valde enim differūt quantū ad veritatem, ac formam enunciationis dicere, nō omnis homo est sapiens, & omnis homo est non sapiens: nam hæc, vniuersalis est, & falsa, illa particularis, & vera: vnde, infertur in interrogationibus, ac responsionibus ex qualibet illarum singularium data, licere alteram inferre; vt si interrogatus quispiam à me, sit ne Socrates sapiens? Responderit, non esse: licet mihi inferre; ergo 26. Socrates est non sapiens: atque etiam, ergo nō Socrates est sapiens: sed in vniuersalium interrogatione, aut responsione id non licet, vt si interrogatus à te aliquis, sit ne verū, quòd non omnis homo sit albus? responderit verum esse: haud quaquam tibi licebit inferre: ergo omnis homo est non albus.

Tertium prolatum.

Tertium, quo negotium æquipollētiæ absoluit Aristoteles, illud est, quòd quæ dicta sunt de enunciationibus de prædicato infinito, etiam intelliguntur de his, quæ habent infinitum subiectum: ita vt licet extra illas sint istæ, id est, cum illis nullam æquipollentiam habeant, inter se se tamen eandem habēt inter illas positam:

Cōclusio duobus dubiis solutis.

Absoluit tandem sententiam huius capitis duobus propositis, ac solutis dubiis: primum est de his negationibus, quæ adduntur nominibus, aut verbis, per quas infinitantur, vt non homo, non leo, non currit, non laborat: posset enim quis dubitare: nam superius assertum est negationem non esse sine nomine, & verbo, eiusmodi autem videntur esse sine nomine, & verbo, vt non homo est negatio sine verbo, non laborat, sine nomine, 27. ergo dabuntur negationes sine nomine, & verbo, quas vocat negationes contraiacentes, id est, compositas secundum infinita nomina, & verba.

Primum.

Respōsio dubij. 1.

Respondet non esse negationes. Et probat; quia omnis negatio verum significat, aut falsum, sed prædictæ voces negatæ non significant verum nec falsum; quousque eis addideris aliud, ergo non sunt negationes. Probat minorem, ex eisdem vocibus sublata negatione, homo, leo, currit, vincit, in quibus nihil verum reperitur, aut falsum: & in hac probatione, non est aliud mysterium quærendum: quam quòd voces infinitæ, nihil aliud præter simplices, quibus negatio adiungitur, significant nisi negationem, sed negatio his 28. vocibus addita nihil aliud efficit, quam simplex significatum positiuum negatum reddere, atque indeterminatam efficere significationem vocis, si ergo, dum aliquid positiuum significabant, nihil verum aut falsum continebāt, minus certè id continebunt negatione addita: quemadmodum si aliquis vellet probare negatiuam enūciationem, non significare verum aut falsum, ex affirmatiua eorūdem extremorum, quam aduersarius cōcederet, veritatis, aut falsitatis expertem, exidens argumētum ad hominem duceret: homo est animal, non continet verum, aut falsum, ergo neque homo non est animal. Probatur sequella, quia negatio addita nihil aliud efficit, quam negare compositionem significatam, si ergo compositio non continet verum, aut falsum, nec negatio eius.

Argumentū ad hominem.

Secūdum dubium.

Postremum dubium oritur circa modum condendi enūciationes: nam interdum verbo postposito, aliquando verò nomine, interdum prius posito nomine substantiuo, aliquādo adiectiuo componi solēt: dicimus namque est albus homo, atque etiam est homo albus, aut homo est albus: posset autem dubitare quispiam, an per eiusmodi transpositionem nominum, & verborū efficiatur diuersa enunciatio, an eadem. 29.

Respōsio dubij.

Respondet Aristoteles eandem absque dubio effici; quia nomina, & verba transposita idem significant: ergo eandem enunciationem efficiunt: quòd hac ratione ducente ad impossibile probare nititur: nam si diuersæ enunciationes essent istæ, est albus homo, & est homo albus, ob nominis transpositionem, sequeretur eidem affirmationi duplicem esse negationem oppositam, quod superius reprobatum est. Probatur sequella, nam prior illa affirmatio, hanc habet negationem oppositam: non est albus homo, posterior verò non habet hanc, non est non homo albus, (nam hæc opponitur huic, nō homo est albus:) 20. sed istam, non est homo albus, quæ etiam opponitur priori affirmationi; ergo duplicem sibi habebit negationem oppositam: minorem

Ratio ducens ad impossibile.

rem huius syllogismi non probat Aristoteles, sed quasi per se notam relinquit: nam cum eadem sit veritas vtriusque negationis, vtraq; erit illi affirmationi opposita: vnde, cum non possit duplicem habere oppositam, fit eandem esse vtranque negationem, quòd si eadem est vtraque negatio: affirmationes quoque eaedem erunt nonobstante nominis, aut verbi transpositione: vnde infert verum esse vniuersaliter: quòd nomina, & verba transposita idem significant, eandemq; enunciationem constituunt, materialiter dumtaxat transpositione se habente: & haec est solutio propositi dubii, & conclusio totius capitis.

DE ENVNCIATIONVM *vnitate, ac pluralitate, & quo pacto veritas, & falsitas, in eis reperiatur in praedicationibus coniunctis, atque diuisis.*

CAPVT SECVNDVM.

AN vero vnum de pluribus, vel plura, de vno affirmare, vel negare, nisi sit vnum aliquid, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Institutum capitis

DE enunciatione omnino simplici, in qua vnum de vno praedicatur, disseruit huc vsque Aristoteles, nunc
1. *autem de ea agere instituit, quae aut ex parte praedicati, aut ex parte subiecti composita est: quòd etiam ad enunciationum variationem spectat; vt videlicet maiorem enunciationum, & argumentorum copiam habere possimus: vt enim ex capite superiori nouimus enunciationes variare ac multiplicare penes finitum, & infinitum, atque etiam diuersa argumentorum genera extruere, ab vna ad alterã: sic ex praesenti docebimur easdem enunciationes multiplicare penes vnu, & multiplex, aut penes compositum, ac diuisum, & noua extruere argumenta à diuisis ad composita, & à compositis ad diuisa*

Diuisio capitis.

Partimur autem totum caput in tres partes: in prima, quando sit vna, & quae multiplex enunciatio exponit Aristoteles: & his expositis quaestionem proponit in secunda, an liceat argumentum ducere à diuisis ad composita, & à compositis ad diuisa: argumentis hinc inde praiactis eam ancipitem reddens: postremo quibusdam traditis regulis 2. *determinat quaestionem, quibus seruatis legitima constituuntur argumenta.*

Primum membrum. Quae vn. & multiplex enũciatio.

Enunciationem vnam vocat Aristoteles, quae vnum de vno enunciat, vt homo est albus, multiplicem verò, quae multa de vno vt Petrus est albus, & musicus aut de multis vnum, vt Petrus, & Ioannes sunt albi: quando autem dicitur vnum de multis, aut de vno multa enunciari: non tam voce, quam re ipsa intelligendum esse docet; contingit namque subiectum voce quidem vnum esse, significatione verò multiplex, & tunc non vnam enunciationem constituit: sed multiplicem, atque aequiuocam, vt si dixeris, canis est albus. Stare etiam ex opposito potest plures esse voces: re autẽ ipsa vnũ subiectum, aut praedicatum, propter eandem 3. *rem significatam, & tunc vna est enunciatio ex parte illius extremi, vt si dixeris homo est animal rationale, bipes, mansuetum, voce quidem multiplex est praedicatum, re autem vnum, idcirco vnam simpliciter enunciationem protulisti. Ex quibus per modum exempli, intulit Aristoteles. interrogationem Dialecticam, qualis est haec, an animal rationale sit definitio hominis nec ne? non esse vnam, sed multiplicem enunciationem, cum multa praedicata, ac subiecta comprehendat; vnde nec responsione vna ei erit satisfaciendum, nam cum vtramuis partem contradictionis agitandam proponat, quam* 4. *libet eligere potest respondens: vnde fit, definitionem aut quamlibet aliam enunciationem necessariam, cum sit ad vnam partem determinata, Dialecticam interrogationem non esse, non enim interrogamus, an homo sit animal rationale? cum notũ sit ac necessarium, sed an sit definitio hominis, animal rationale? Dialectica ergo erit interrogatio, cum circa genus, & differentiam multa possint in vtramuis partem probabiliter disputari.*

Proponit

Secundum membrum. Vtrum legitima sit arguendi ratio a diuisis ad coniuncta.

Proponit iam in secunda parte, secundum membrum quæstionis, legitima ne sit arguendi ratio à diuisis ad coniuncta rationibus dubitandi pro vtroque parte præiactis.

Pro affirmatiua parte.

Pro affirmatiua quidem, nam argumentū hoc legitimum est, Socrates est animal, & bipes, ergo est animal bipes: atque etiam hoc: Socrates est albus, & sapiens, ergo Socrates

5. est albus sapiens.

Pro negatiua.

Pro negatiua verò, quia vitiosa sunt eiusmodi argumenta: Petrus est sutor, & bonus, ergo est sutor bonus: Petrus est homo albus & est albus, ergo erit albus, & albus: Socrates est sortes, & est homo: ergo Socrates est sortes, & est homo: ergo Socrates est sortes homo: sortes est homo, & est bipes: ergo est homo bipes.

Decisio primæ partis.

Hanc partem quæstionis prius proponit, ac definit, quam oppositam, nam ex eius decisione dependet altera: decisio autem duabus continetur regulis.

Prima regula.

Prior est: quādo sic plura attribuūtur eidē, vt accidentaliter respectu illius se habeant, atque etiam inter se se, vitiosum est argumētū à diuisis ad composita, non enim tenet, Petrus est sutor. & est bonus ergo est sutor bo-

6. nus: & ratio huius regulæ est, quia quæ inter se, et in ordine ad tertium accidentaliter vniuntur, non necessario reperiuntur in eo vnita, ergo nec ab eis diuisis certum argumentum duci potest, ad eadem in eo cōiūcta; accidentaliter autem se habere, non solùm inter se, sed in ordine ad subiectum dicimus, nam si alterum saltem essentialiter se habeat optimum deduci poterit argumentum, vt si dicamus, Petrus est animal, & est albus, ergo est animal album.

Secunda regula.

Regula posterior: quando ex duobus prædicatis vnum clauditur in conceptu alterius non deducitur argumētum à diuisis ad coniuncta, non enim sequitur Petrus est homo, & est substantia, ergo est homo substantia, aut

7. Petrus est homo, & est rationalis, ergo est homo rationalis,

Alterum membrum quæstionis.

Proponit deinceps Aristoteles alterum membrum quæstionis. An liceat à coniunctis ad diuisa arguere? Ratione dubitandi pro affirmatiua parte præiacta, bene enim sequitur: Socrates est homo albus, ergo Socrates est homo, & est albus, ergo certum à coniunctis ad diuisa ducitur argumentum.

Prima regula.

Hanc partem quæstionis duplici alia producta regula soluit: prior est, quotiescunque vnum ex prædicatis coniunctis stare facit aliud pro significato improprio, vel tali secundum quid, quod contingere solet aliquādo dum sunt repugnantia, non tenet argumentum à coniunctis ad diuisa, non enim sequitur: Petrus est homo mortuus, ergo est 8.

homo: nam mortuum facit stare hominem pro cadauere, quòd impropriissimum significatum eius est, cum cadauer non habeat, nisi organizationem, aut figuram homini similem: item, imago est homo pictus, ergo est homo.

Secunda regula.

Regula posterior: quotiescunque duo prædicata sic vniuntur per accidens, vt vnum distrahat significationem alterius, amplioremq́ue efficiat ea, quam ex propria impositione habet: non bene sequitur à coniunctis ad diuisa, talis est hæc, chimera est ens imaginabile, ergo est ens: ecce quo pacto ampliorem facit entis significationem imaginabile, nam ex propria impositione non significat, nisi veram entitatem, ex coniunctione vero ad chimerā distrahitur ad illud, quod imaginatione vtcunque comprehēdi potest, quod solet esse ens fictum: & hæc non attendentes quidam ex antiquis Philosophis, decepti, putabant hoc argumento conuinci, quod non ens sit: non ens est imaginabile, aut opinabile, ergo est: cum tamen fallax sit argumentum, ob prædictum defectum arguendi à coniunctis ad diuisa, prædicato dis- 9.

tracto ad ampliorem significationem ea, quā habet ex propria impositione.

Exemplum ad idē probandum.

Aliud exemplū designat Aristoteles, dicēs non sequi Homerus est poeta ergo Homerus est: ratione indicans, quia cum est secūdum se significet actum essendi substantialem, ratione poesis distrahitur ad actū accidentalē, vnde non tenet argumentum à tali actu ad proprium, quem ex impositione significat.

Tertium memb.

Absoluens demum caput subdit, si ratione oppositionis, aut accidentalis vnionis, nō distrahatur prædicatum, ad improprium significa-

significationem per modum restrictionis, aut ampliationis, quod constare poterit positis definitionibus prædicatorũ pro ipsismet prædicatis, semper ducitur certum argumentum à coniunctis ad diuisa, & idem intellige
10. *à diuisis ad cõiuncta, vbi non occurrunt ea, quæ duabus primis regulis cauentur.*

DE ENVNCIATIONIBVS *cum modo, & earum ad inuicem oppositionibus, ac consequentijs, tum ex aliorum, tum ex propria opinione.*

CAPVT TERTIVM.

HIS verò determinatis considerãdum est, quemadmodum se habeant affirmationes & negationes ad inuicem, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

1. Prior est enũciatio simplex quam cõposita.

SIMPLICIORA *cõpositis priora sunt, cum constet hac ex additione ad illa talia dici, & in ordine enũciationum prior est simplex composita; nam per additionem ad simplicem hæc dicitur, idcirco enunciationem simplicem explicuit prius Aristoteles, deinde ad compositam gradum facit.*

De cõposita enunciatione.

Composita autem enunciatio dupliciter talis dicitur, aut quia ex multis simplicibus conficitur, qualis est hypothetica, aut quia ex eadem simplici per alicuius additionem, & talis est enũciatio modalis, cuius naturam, omissa hypothetica, inuestigare contẽdit capite præsenti Aristoteles: sunt autem modi plures, quibus affici enunciationes possunt, sed in hac parte solum cõsiderat quatuor vniuersales, materiam enunciationum variantes, atque adeo veritatem, & conditionem earundem in ordine ad syllogismum. & demonstrationem, eiusmodi sunt possibile, contingens, impossibile necesse.

Intentum Aristot. in hoc cap.
2.

Diuisio eiusdem.

Præstat autem quatuor in toto capite, nam primo. De modo oppositionis inter modales enunciationes reperto, valde, ab eo, quem seruant simplices, diuerso differit. Secundò, de consequentia, aut æquipollentia earundem, tam secundum antiquorum, quam secundum propriam sententiam. Tertio, dubio quodam proposito, ac soluto principium quoddam, ex quo falsitatem 3 *antiquæ opinionis deduxerat, verum ac necessarium esse ostendit: ac tandem ordinem inter modos quibus afficiuntur enunciationes modales ex natura ipsorum constituit.*

Possemus quidem nos, cum copiosè de enunciationibus modalibus, in Dialect. ca introductione tractetur, præsentem commentationem missam facere, sed ne cursum Aristotelicæ doctrinæ interrupisse, vel parum videamur (quanquam nonnulla ex ibidem adnotatis repetere cogamur) quæ necessaria sunt ad explanationem huius capitis afferemus.

Prima pars capitis, in qua proponitur dubium.

Circa primum igitur, vt modalium enũciationum oppositionem notam nobis faciat Aristoteles, dubium quoddam proponit, quod eiusmodi est; an accipienda sit secundum esse, vel non esse earum: ita vt illa quæ enunciat non esse, & quod ita sit sentiendum probat ex simplicibus, quæ iuxta esse, & non esse, censentur opposita, vt exemplari inductione probari facile potest, in enunciationibus quidem de secundo adiacente nam huic homo est, non opponitur illa, non homo est. sed ista homo non est, in qua esse hominis negatur, & in enunciationibus de tertio, non est minus notum: nam huic affirmationi, est albus homo, hæc negatio opponitur: non est albus homo, & non illa affirmatio infinita, est non albus homo, alioquin si duæ affirmationes, finita & infinita essent opposita, duæ enunciationes contradictoriæ, simul in veritate stare possent, quòd nullatenus admittendum est: sequellam probat; nam contradictoriæ sic se habent, vt non possit vtraque ab eodem subiecto remoueri, sed si remouetur vna, necesse sit ei conuenire alteram, cum necesse sit quodlibet esse, aut non esse; & repugnet plane idem nec esse, nec non esse, sed à ligno remouetur prior, est albus homo, ergo si altera, est non albus

Pro affirmatiua parte.
4.
Si duæ affirmationes finita & infinita essent oppositæ sequeretur duo cõtradictoria

albus homo, ei contradicit, de eodem ligno verificabatur, sed apertum est de ligno non vere dici, quod sit non albus homo, ergo hæc absque dubio affirmatio infinita, non est opposita prædictæ affirmationi finitæ, est albus homo sed hæc negatio, non est albus homo, quæ idem esse negat, quod in ea affirmatur: & quod de his enunciationibus substantiui verbi euidenter probatũ est, conuincitur plane, de quibusuis aliis verbo adiectiuo constãtibus, nunc igitur si ita se res habet, quòd in simplicibus oppositio accipitur secundũ esse, & non esse, infertur (ait Aristoteles) ex eisdẽ accipiendam esse oppositionem modalium.

Pro negatiua.

6. *Ex opposita verò parte non apparet minus certum, quòd non ab esse, & non esse accipienda sit, alioquin dabuntur duæ aliæ contradictoriæ simul veræ: probatur euidenter sequella, nam duæ istæ singulares:* Possibile est Petrum ambulare, possibile est Petrum non ambulare, *includunt esse, & non esse; nempe esse ambulantem, & non esse ambulantem: ergo opponuntur; sed simul stant in veritate, nam Petro possibile est vtrunque, ergo ab esse, & non esse, nõ accipitur oppositio modalium.*

Approbatio Arist.

Et ita sentiendum esse decernit Aristoteles: sed ex modo diiudicandum esse, ita vt quando in vna negatus fuerit, & sine negatione in altera, censeantur opposita, cæteris ex parte extremorum eodem modo se habentibus; vt possibile est Petrum currere, non possibile est Petrum currere, sicq; de cæteris modis.

Duplex discrimen inter simplices & modales enũciationes Primum.

7. *Quod vt rursus confirmet atque etiam, simul argumentum ex similitudine enunciationum, simplicium diluat, duplex discrimen valdè obseruandum, inter vtrasq; enunciationes affert: primum est, quòd in simplicibus verbum est, habet locum principalis prædicati, & est quasi forma earum, ex qua accipienda est oppositio: nomina vero quasi pro materia sunt: in modalibus vero modus est præcipuum prædicatum, esse autem, vel non esse, pro subiecto ponitur; ac propterea modus pro forma est, esse vel non esse pro materia, vt patet in his mo-*

dalibus: possibile est esse, possibile est non esse.

Alterum discrimen est circa veritatem, aut falsitatem: nam in simplicibus considerantur penes esse, & non esse, quando enim res ita se habet, vt verbum enunciat, vera est enunciatio quando aliter se habet falsa, à verbo igitur omnino dependet sed in modalibus non nisi à modo, ita vt, licet res ita se habeat, vt verbum enunciat, falsa esse possit enunciatio, vt si dixeris, necesse est Petrum currere, etiam Petro currente falsam enunciationem protulisti: quia, quamuis currat, cursus tamen non necessario ei conuenit, vt postulat modus. Hoc igitur discrimen in eo consistit, quod enunciatio simplex, si vera est res ita se habet, sicut per copulam enuntiatur, falsa vero, si aliter modalis vero tunc est vera quando ita se res habet sicut petit natura ipsius modi, falsa vero, si aliter quam petit: ita vt, si sit de modo necessario, & prædicatum inest quidem subiecto: non tamen necessario sed contingenter falsa sit & si sit de possibili, aut contingenti, & prædicatum omnino repugnat subiecto, pariter erit falsa, & vt vniuersalem regulam assignemus cognoscendi veritatem modalium, qualibet earum in medium producta sic est examinanda, vt eandem accipiamus sublato modo, inspiciamusque an in materia necessaria sit, contingenti, aut remota, & si materia conuenit cum modo, vel ab eo non dissidet, vera erit iudicanda, si vero materia pugnet cum modo, erit falsa. vt si afferatur tibi hæc enunciatio: necesse est hominem esse album, abstrahe modum, & inquire non vtrum vera sit, aut falsa enunciatio ipsa simplex, homo est albus, sed in qua nam materia sit constituta, & cum inuenias pertinere ad materiam contingentem: quæ omnino dissidet à modo necessario, iudicabis planè esse falsam, sicq; de cæteris iudicium ferendum est.

Secũd in discrimẽ. 8.

Quo modo cognoscatur veritas modalium, 9.

Et ex vtroque discrimine constat: non esse ab eodem accipiendam oppositionem in enunciationibus simplicibus, ac modalibus, sed in illis ab esse, & non esse, in his à

Vnde oppositio modalis accipiatur 10.

modo ita vt modus in vna negatione affectus esse debeat in altera vero sine illa: gratia exēpli huius enūciationis, possibile est esse, opposita erit non possibile est esse, huius possibile est nō esse, non possibile est nō esse huius, impossibile est esse, non impossibile est esse, huius impossibile est non esse non impossibile est non esse: huius necesse est esse, non necesse est esse, huius, denique necesse est non esse, non necesse est non esse & pariter de reliquis iudicandum est, ita vt sola negatione adiuncta modo, cæteris sic se habentibus, oppositio constituatur, & hæc de oppositione modalium, ac de prima parte capitis.

Secunda pars cap. In secunda parte ex professo disserit Aristot. de consequentia, siue æquipollentia modalium. Et primo refert antiquorum sententiam, qua ex parte approbata, & ex parte refutata inducit propriam.

11. Pro vtriusque autem intellectu: nonnulla repetere, oportet ex his, quæ in introductione Dialecticæ adnotari solent.

Nota. 1. Et sit primum Quatuor esse modos vniuersales, de quorum enunciationibus nunc agimus: possibile, contingens, impossibile, necesse vnde quadruplex est species enunciationū modalium, iuxta eorundem modorum differentiā quælibet autē constat duplici parte præter verbum est quod semper atque in omnibus eodem modo se habet. Vna pars est infinitiuum esse, aut non esse, altera est modus, & illud habet locum subiecti, & vocatur dictum: modus locum prædicati, vt constat in hac enunciatione, hominem esse animal est necesse: & iuxta diuersos modos, quibus se habent modus & dictum, multiplicantur quatuor enunciationes modales: quarum prima est, in qua, tam vnus, quam alter sine negatione existit vt possibile hominem currere, contingit hominem loqui: Secunda. In qua

12. dictum negatur, & absque negatione est modus, vt necesse est hominem non esse lapidem. Tertia in qua ex opposito modus negatur, & nequaquam dictum vt hominem legere non est possibile. Postrema cuius vtraque pars negatione afficitur, vt non est possibile hominem non esse animal: & iuxta hanc distinctionem, ex quolibet modo efficiuntur quatuor enunciationes, vt de modo possibile efficitur prima de vtroque affirmato: secunda, de dicto negatio, & affirmato modo: tertia, de modo negato, & affirmato dicto: quarta, de vtroque negato, vt possibile est hominem currere: possibile est hominem non currere, non possibile est hominem currere, non possibile est hominem non currere: & sic ex quatuor modis resultant, quatuor ordines eorum: vnus ordo est enunciationum de possibili; alius de contingenti: tertius de impossibili: quartus de necesse, quorum quilibet continet quatuor enunciationes, & omnes decem, & sex vt consideranti constabit. — margin: Efficiuntur quatuor enunciationes. 13.

Quibus ita constitutis pro maiori earum distinctione aduotandum secundo est, quòd quælibet enunciatio cuiuscunque ordinis habet in aliis ordinibus vnam aliquam sibi æquipollentem, hoc est, quam ipsamet infert, & à qua infertur: vt prima de possibili possibile est hominem currere, æquipollent prima de contingenti, contingit hominem currere: tertia de impossibili, non impossibile est hominem currere, & quarta de necesse non necesse est hominem non currere: secunda etiam de possibili, possibile est hominem non currere, æquipollent secunda de contingenti, contingit hominem non currere: quarta de impossibili, non impossibile est hominem non currere, & tertia de necesse, non necesse est hominem currere. Tertia eiusdem modi, non possibile est hominem currere habet æquipollentes tertiam de contingenti, non contingit hominem currere, primam de impossibili; impossibile est hominem currere, & secundam de necesse, necesse est hominem non currere. Quarta demum, non possibile est hominem non currere, pro æquipollentibus habet quartam de contingenti, non contingit hominem non currere; secundam de impossibili: impossibile est hominem non currere; & primam de necesse; necesse est hominem currere. — margin: 2. Notab. 14. 15.

Not. tertio. Tertio est obseruandum, quatuor fuisse ab antiquis constitutas dictiones, quatuor

Quatuor esse dictiones ab antiquis inuentas.

vocalium, aut syllabarum, ita vt qualibet quatuor quoque enunciationes designet singulas, singulis vocalibus, hoc ordine, vt prima vocalis cuiuslibet dictionis significet modalem de possibili: secunda, de contingenti: tertia, modalem de impossibili: quarta: modalem de necesse: ita vt cum

16. *quatuor vocales reperiantur in omnibus* a, e, i, u. a, *significet modalem, de vtroque affirmato* e, *de dicto negato, & de modo affirmato;* i, *de modo negato, & affirmato dicto;* u, *de vtroque negato, quòd hoc carmine plane indicatur.*

Destruit *u*, totum, sed *a*, confirmat vtrunque. Destruit *e*, dictum: destruit *i*, quæ modum. *Dictiones autem sunt*, amabimus, edentuli, iliace, purpurea. *Et vt exemplo prima dictionis exponantur reliqua*, amabimus *continet primam de possibili vtroque affirmato: possibile est hominem currere: secundam de contingenti vtroque etiam affirmato, contingit hominem currere: tertiam de impossibili negatum habentem modum, & affirmatum dictum, non impossibibile est hominem currere: quartam de necesse vtroque negato, non necesse est hominem non currere; & sic de singulis dictionibus iuxta vocalium diuersitatem.*

Not. quarta. Pro æquipollentia vniuersalis regula.

Quarto pro modalium æquipollentia, vniuersalis hac regula infallibilis est: omnes modales per eandem dictionem significatas esse æquipollentes; itaque omnes modales, quas significat dictio amabimus *mutuo se inferunt, & simul stant in veritate, & falsitate;*

17. *& similiter omnes quas significat* edentuli, *omnes quas significat* iliace, *& omnes quas significat* purpurea.

Prima regula pro oppositione cõtradictoria

Opposito autem, sicut triplex est: contradictoria, contraria, subcontraria; tribus regulis continetur. Prima est; contradictoria oppositio versatur inter omnes modales de amabimus, *& omnes de* iliace; *ita*

18. *vt omnes vnius dictionis opponantur contradictione vniuersis alterius dictionis; & singula etiam opponãtur omnibus; hoc est, quælibet modalis de* amabimus, *est contradictoria omnium ac singularum de* iliace, *& quælibet de* iliace, *omnium & singularum de* amabimus, *& pari ratione omnes, & singula de* edentuli, *contradicunt omnibus, & singulis de* purpurea. *Secunda regula pro oppositione contraria: inter omnes, & singulas modales de* iliace, *&* purpurea, *versatur oppositio. contraria, ita vt omnes opponantur etiam omnibus, & singulis alterius dictionis.*

Secunda regula pro contraria oppositione.

Tertia regula Oppositio subcontraria versatur inter omnes, & singulas modales de amabimus, & edentuli, *ita vt omnes vnius dictionis opponantur omnibus alterius dictionis, & singula vnius, omnibus, & singulis alterius. Prædicta omnia cernere licet in subiecta figura.*

Tertia regula. Pro subcontraria oppositione.

Quibus præmissis facile erit intelligere sensum Aristotelis circa modalium æquipollentiam. In primis enim sententiam antiquorum refert: qui circa tres modos, possibile, contingens, & impossibile, *sic posuerunt æquipollentiam, vt addita negatione modo impossibili, æquipolleat aliis duobus sine negatione existentibus, & hos etiam negatione addita æquipollere impossibili dicebant, quantum ad primum. & secundum ordinem nam vltimam de* amabimus, *quam nos de vtroque negato ponimus, videlicet, non necesse est hominem non currere, designabant illi de modo solum negato, non necesse est hominem currere, & rursus vltimam de* edentuli, *quam nos assignamus de modo solum negato: non necesse est hominem currere, ponebant illi negatam de vtroque; non necesse est hominem nõ currere, vnde sicut nos* amabimus, & edentuli, *sic illi* amabitis, *&* edentulis *dicerent.* 19. 20.

Antiquorum sententia.

Approbat igitur Aristoteles, quæ circa tres modos priores asserebant, quia veritatis consonant, & ordinibus constitutis, nam se consequuntur contradictorie, id est, negatione adiuncta possibili, & contingenti, fiunt æquipollentes respectu impossibilis, & si huic etiam negatio addatur, æquipollet eisdem sine negatione acceptis.

Approbatio secundam partem.

Circa modum etiam necessarium, bene ait locutos esse in tertio, & quarto ordine, hoc est

est in iliacē, & purpurea. *Quarum modales cum sint contraria, bene ait, oppositionem contrariam modalium designasse; non solum circa tres modos priores, sed etiam circa necessarium; nam quarta de* iliace,
21. *necesse est hominem non currere: vere contraria est quarta de* purpurea, *necesse est hominem currere. Vtraque enim falsa est, nec vllo modo simul in veritate stare possunt.*

In quo sit error antiquorum sententię.

Solum circa quartas de necesse primi, & secundi ordinis errorem commiserunt: vnde cum primus ordo, & tertius opponantur contradictorie: & similiter secundus, & quartus, non bene designarunt contradictoriam oppositionem modalium, & vt clarius error ostendatur, has modales de necesse ponebant contradictorias, non necesse est hominem currere, in amabimus, *& necesse est hominem non currere, in* iliace, *quas probat Aristoteles non esse contradictorias: quia possunt stare simul in veritate, nam de chimera, aut hircocerno vtraque est vera, non necesse est chimeram esse, & necesse est chimeram non esse.*

Obiectio.

Et si aliquis in fauorem antiquorum obiecerit, bene assignatam esse vltimam de necesse in amabimus, *non necesse est esse: nam tres priores designantur affirmatiue*
22. *de dicto, possibile est esse. Contingens est esse, & non impossibile est esse; ergo etiam quartam sic debet designari, vt in omnibus dictum eodem modo se habeat quanquam varietur modus.*

Solut. obiectionis.

Respondet Aristoteles, quod quemadmodum oportuit variare modum in tertia de impossibili, vt æquiualeret duabus primis de possibili, & contingenti inuariato dicto; pari ratione, vt vltima de necesse æquipolleat eidem tertia de impossibili, necesse est, vt sit de vtroque negato; nam si non negaueris dictum, non erunt æquipollentes; vt patet in his, non impossibile est hominem currere, & non necesse est hominem currere: non enim sequitur hoc, non est necessarium: ergo non est impossibile, nam hircocerum esse non est necessarium & tamen est impossibile; sequeretur autem si necessaria de amabimus *esset de vtroque negato, vt re vera esse debet: valet enim, non est necessarium hominem non currere; ergo non est impossibile hominem currere; non est impossibile hircocerum esse; ergo non erit necessarium hircocerum non esse; sed sicut consequens est falsum, sic antecedens: quod vero dictum eodem modo se habeat in omnibus modalibus eiusdem or-* 23.
dinis, non est necessarium, neque aliquid refert, quemadmodum quod modus non varietur.

Ratio contra sententiam antiquorum.

Sed probat speciali ratione non esse bene assignatam modalem de necesse in primo ordine, negatam de modo, & affirmatam de dicto; nam ex eo fieret duas modales de necesse affirmatas de dicto: vnam tamen de modo affirmatam, & alteram negatam esse æquipollentes; videlicet, necesse est hominem esse animal, & non necesse est hominem esse animal; quod satis absurdum est, cum contradictorie opponantur. Probatur sequella, nam iuxta antiquorum sententiam, negatiua de necesse assignatur pro æquipollenti illarum trium, nempe de possibili, & contingenti vtroque affirmato, & de impossibili, solum modo negato, sed etiam affirmatiua de necesse est æquipollens earundem: ergo de primo, ad vlti-
mum, erit etiam æquipollens negatiua de 24.
necesse. Probatur minor, nam bene sequitur: necesse est esse, ergo possibile est esse, nam si necessarium non est possibile, erit non possibile, atque adeo impossibile, quod repugnat; si ergo possibile est esse, erit contingens esse, atque etiam non impossibile esse; quod est esse horum trium æquipollentem, quemadmodum necessaria de negato modo: quam antiqui æquipollentem earundem ponunt. Quare simul in veritate stabunt, quod manifestam continet repugnantiam.

2. Obiect.

Et si rursus dixeris, quanquam non sit bene posita, pro vltima primi ordinis, modalis necessaria de modo negato (vt posuerunt antiqui) non subinde inferri, esse ponendam necessariam, de vtroque negato, vt contendit Aristoteles, & petit vltima vocalis dictionis, amabimus, *sed posse po-*

ni vnam,

25. *m vnam, ex duabus aliis eiusdem modi, quæ*
supersunt: videlicet, aut de vtroque affirma-
to necesse est esse, aut de dicto negato, & af-
firmato modo, necesse est non esse.

Solutio. *Respondet Aristoteles: neutram æqui-*
pollere alteri modali de possibile vtroque
affirmato; nam hæc, possibile est esse, simul
in veritate, stat cum ista, possibile est non
esse; nam possibile, ad vtramque partem
contradictionis extenditur, cum esse, & non
esse possit, quod possibile dicitur; sed neces-
sarium esse, non stat cum possibile non esse:
& necessarium non esse, non stat cum pos-
sibile esse; ergo neutra de necesse poterit sta-
re cum affirmata, de possibili, aut contingen-
ti; quare omnino necesse erit ponere quar-
tam de necesse, in primo ordine de vtroque
26. *negato: non necesse est non esse, vt tribus*
aliis eiusdem ordinis æquipollere possit, vi-
delicet possibile est esse, contingens est esse, &
non impossibile est esse: & ita non amabitis,
nec amabitas, *nec* amabites, *sed* amabi-
mus, designare debemus, pro quatuor moda-
libus primi ordinis.

3. Obiectio. *Et si dixeris tertiò: quare Aristoteles non*
impugnat errorem antiquorum, circa quar-
tam necessariam secundi ordinis?

Responde-tur. *Respondetur ex impugnatione prædicti*
erroris, circa necessariam primi ordinis
impugnatum esse: nam cum assignatio anti-
quorum circa tertium, & quartum ordi-
nem, etiam quantum ad modales de ne-
cesse, recta sit, & ab Aristotele approbata,
in quibus continetur necessaria de vtroque
affirmato; necesse est esse, & de affirma-
to modo, & negato dicto, necesse est non es-
se: probato euidenter, quòd quarta primi
modi debeat esse de vtroque negato, non ne-
27. *cesse est non esse, non superest altera desi-*
gnanda in secundo, nisi negata de modo, &
affirmata de dicto, non necesse est esse; cum
quatuor prædictæ dumtaxat sint enunciatio-
nes singulorum ordinum, vt ita non eden-
tulus *(vt illi voluerunt) sed* eduntuli, *(vt*
nos cum Aristotele) pro dictione secundi or-
dinis designanda sit.

3. Pars ca. *In tertia parte capitis, vt firmiora sint*
ea, quæ ad impugnandum antiquorum er-
rorem, circa modalium consequentiam,
vel æquipollentiam allata sunt, vult Ari-
stoteles primum illud Enthymema, cui to- Dubiū an legitimū sit argumentum à necesse, & possibili.
tus discursus innititur, examinare: vi-
delicet necessarium est esse; ergo possibile
est esse. Et proponi dubium, an legitimum
sit tale argumentum? Dubitandique rati-
one, pro vtraque parte praiacta dubium
determinat adhibitis quibusdam distincti-
onibus.

Ratio autem dubitandi pro affirmatiua Pro affirmatiua parte ratio.
parte talis est: quia si non sequitur ex ne-
cessario esse, possibile est esse, sequetur, aut
non possibile esse, vel possibile non esse, vtrum-
que enim opponitur possibile esse: *sed neu-*
trum sequitur; ergo necesse est sequi pri-
mum. Probatur minor, quia necessarium
esse, sic est determinatum, vt ita sit, quòd 28.
non possit non esse; ergo nec stare poterit cum
non possibile esse, propter primū nec cum pos-
sibile non esse, propter secundum; necessari-
am ergo oportebit esse consecutionem, à ne-
cessario esse, ad possibile esse.

Sed ex opposita parte videtur vitiosam Pro negatiua.
esse, nam possibile *potest esse, & non es-*
se; vt, si possibile est Petrum ambulare, po-
terit ambulare, & poterit non ambulare;
& si possibile est vestem incidi, poterit in-
cidi, & non incidi; sed quod necessarium
est esse, non potest non esse; ergo necessa-
rium *non est possibile, neque illud inferre*
potest.

Pro solutione adnotat, Possibile *id sig-* Nota quid sit possibile.
nificare, quod est in potentia ad esse, si re-
spectu actus essendi dicatur, vel ad operan-
dum: si dicatur possibile respectu operatio-
nis, vt posse ambulare, posse legere, po-
tentia autem non est aliud, quam principi- 29.
um actus essendi, aut operandi: vt poten-
tia ad videndum est virtus, per quam a-
ctum videndi elicere possumus: quæ ideo
principium eius dicitur, vt habetur in præ-
dicamento qualitatis: vbi explicatur quid
naturalis potentia, & quid impotentia sit,
tanquam alterum genus illius. Habetur et-
iam 5. Metaphysic. capit. 13. vbi specialius
de potentia agitur: potentia autem duplex

est: rationalis vna, irrationalis altera quam etiam distinctionem habes. 9. Metaphysic.
30. *Text. 8. rationalis potentia, est illa, quæ per imperium rationis, & electionem voluntatis operatur, vel ei subditur: & tales sunt voluntas, intellectus, & appetitus, & quodammodo etiam externa membra corporis: irrationalis vero, quæ non est nata operari, ex imperio rationis, sed ex naturali inclinatione ad actum, & obiectum: vt potentia ignis ad calefaciendum, & lapis ad motum deorsum: hæc autem duplex est: actiua, & passiua, (nam rationales omnes actiuæ sunt) actiua est ad aliquid agendum, passiua vero ad patiendum, & recipiendum, vt potentia ignis, ad calefaciendum actiua dicitur, ligni vero, vt ab eo comburatur, passiua.*

Altera rationalis.

Altera irrationalis.

Irrationalis duplex

Actiua altera.

Passiua alia.

Tertiò. Potentia siue actiua sit illa, aut passiua, duplex est; vna ad opposita indifferens, altera determinata ad vnum. Sub priori membro continentur omnes rationales, & irrationales passiuæ, nam illæ possunt hunc, aut illum actum elicere, aut etiam oppositum; passiuæ vero possunt, hanc, aut il-
31. *lam formam accidentalem, aut substantialem recipere, vt lignum calorem, aut frigiditatem, & calorem suscipere, aut non suscipere, & materia prima, hanc, vel illam formam substantialem, & quamlibet potest suscipere, & non suscipere; ex quo dicuntur indifferentes ad opposita: sub membro secundo continentur actiua irrationales, nam nulla ex his indifferens est ad opposita, sed omnes sunt determinatæ ad vnam, vt ignis ad calefaciendum; passo enim præsente, & sublatis impedimentis, non potest non calefacere: & hoc est ex se non esse indifferentem ad opposita, sed ad operãdum determinatam.*

Rursus indifferens, aut indeterminata.

Dupliciter denique ait, potentiam dici: nam aut excludit actum, vel per actum perfecta est. Potentia modo priori significata imperfecta dicitur, vtpote carens actu, per quem perficitur, talis est potentia ad legendum dum quis [illegible] non legit, vel ad [illegible] dum [illegible]: modo vero [illegible] significatur, vt perfecta, dum etiam quis [illegible], non amittit potentiam currendi, sed eandem retinet per actum perfectam, & potentiam priori modo acceptam (ait Aristoteles) esse in rebus mobilibus, aut corruptibilibus, quæ non semper sunt in actu, sed aliquando actu carent, cum tamen habere cum possint, perfecta vero potentia reperitur in his rebus, quæ semper actu sunt, & semper actu operantur, quales sunt necessaria, atque incorruptibiles. 32

Denique perfecta, & imperfecta.

Ex quibus infert. Quòd sicut potentia in communi vtranque comprehendit indifferentem ad esse, vel non esse, & determinatam, ad vnum, & rursus potentiam actum excludentem, & per eum perfectam; pari ratione possibile, cum significet id quod potest esse, vel quod habet potentiam, vt sit, comprehendit vtrunque, possibile videlicet, quod est indifferens ad esse, vel non esse, & quod est determinatum ad essendum: quod simul est cum actu essendi, vel operandi, & quod actum excludit. 33.

1. Illatum.

Secundò infert. Quod sicut potentia est quid superius ad vtranque, sic possibile ad vtrunque, videlicet ad illud, quod potest esse, aut non esse, & ad illud, quod determinatum est ad essendum, vel operandum, quod simul est, aut operatur; aut quod actum essendi, aut operandi excludit.

2. Illatum.

Et ex his duobus infert tertiò, solutionem propositi dubii in eo positam, quòd, cum possibile sit superius ad vtrunque: erit etiam superius ad necessarium, & contingens; vnde ab vtroque infertur, sed neutrum per se sumptum infert, quemadmodum animal, quia superius est ad equum, & leonem, ex vtroque per se sumpto infertur, sed neutrum per se sumptum infert, sequitur enim est leo, ergo est animal: non tamen est animal, ergo est leo; & modo simili euidenter sequitur: est necessarium, ergo possibile, non tamen est possibile ergo necessarium, cum possit esse contingens. 34.

3. Illatum.

Ex quibus primò constat, necessariam esse argumentationem illam, de qua procedit dubium, & cui innititur refutatio antiqui er-

Solutio dubii.

qui erroris, necessarium est esse, ergo possibile est esse.

Ad argu. in opposi tum.

Constat secundò, solutio illius argumenti, pro ratione dubitandi in fauorem affirmatiuæ partis propositi; nam licet euidens sit consecutio, necesse est esse, ergo possibile est esse. hac tamen, quæ rursus opponitur, necessarium est possibile; ergo potest esse, & non esse, vitiosa est, cum sit argumentum à superiori ad inferius affirmatiue, vt est animal, ergo leo est, sicut enim sunt aliæ species animalis à leone, ita est aliud possibile diuersum ab indifferenti, ad esse & non esse.

Vlt pars capitis.

Alius modus ordinandi modales.

In extrema tandem capitis parte, eosdem quatuor modos, quibus constituuntur, ac distinguuntur enunciationes modales, alio modo ordinandos esse docet Aristoteles, si ordinem dignitatis eorum attendamus, ac ordinari solent; communis etenim ordo est,
35. *vt primum teneat locum modus,* possibile, *secundum modus* contingens. *Tertium modus* impossibile, *quartum,* necesse*: at si dignitatem eorum perpendamus, aliter ordinandi sunt, vt primus concedatur locus modo* necesse. *Secundus modo,* possibili: *tertius modo* contingenti, *& quartus modo* impossibile. *Rationem autem huius noui ordinis reddit, ex rerum significatarum distinctione, à quibus, absque dubio sumitur dignitas vocis: sed in ordine rerum, digniores sunt res necessariæ; ergo primus debebitur locus modo eas significanti. Probat minor ex vniuerso, in quo tres inueniuntur rerum ordines, quædam sunt semper in actu, quæ nunquam defecerunt, nec deficient vnquam, quales sunt primæ substantiæ: nomine autem primarum substantiarum, non quaslibet primas substantias intelligit,*
36. *vt in prædicamento substantiæ, sed separatas omnino à materia, vt Deum Optimum, atque intelligentias, quas primas propter dignitatem fortassis vocat, & quas nunquam habuisse potentiam sine actu affirmat: & his assimilari ait modum necesse; id propriè significantem, quod propriè est. Aliæ sunt res, non semper habentes esse actu, sed quæ esse incipiunt, ac desinunt, vnde aliquando sunt, & aliquando non sunt, quibus potentia semper conuenit, sed non semper actus, & eis assimilatur modus possibile, sub quo etiam contingens comprehenditur: aliæ demum sunt, quibus potentia conuenit, sed nunquam perueniunt ad actum completum, aut perfectum, nec peruenire possunt: eiusmodi sunt numerus, quantum ad numerabilitatem, & continuum, quantum ad diuisionem, quibus repugnat omnino peruenire ad actum, impossibile est enim, numerum incipientem numerare, ad vltimam vnitatem perue-* 37.
nire; aut continuum diuidentem ad vltimam diuisionem: & cum his maximam habet similitudinem modus impossibilis. Vnde fit extremum locum inter modos tenere modum possibile, *&* contingens, *primum vero, modum* necesse, *iuxta ordinem rerum quas significant, & quibus assimilantur; & hunc nouum ordinem modalium enunciationum, continebit subiecta figura.*

Primus locus debetur modo necesse.

Medium cum tenet modi possibile, & contingēs

Vltimum habet impossibile.

Aliæ nouæ dictiones ad oppositionem.

Circa dictiones etiam necessaria est mutatio: nam iuxta hunc ordinem modorum, non possunt communes illæ deseruire: nam si prima vocalis significet modalem de necesse, secunda, de possibili. tertia, de contingenti, & quarta, de impossibili. Non possunt in primis æquipollentes esse, quas eadem dictio significat; nec proinde poterit certa regula oppositionis accipi, vnius dictionis respectu alterius (vt consideranti constabit) si enim amabimus, *hoc ordine significet enunciationes modales, ecce tibi quatuor, per talem dictionem significatas, Petrum currere est necesse, Petrum currere est possibile. Petrum currere, non est contingens, Petrum non curre-*
re, non est impossibile: inter quas apertum 38.
est, non esse mutuam consecutionem: nam, & si ex modali de necesse inferatur modalis de possibili, hæc tamen non infert modalem de necesse: non enim sequitur. est possibile, ergo necessarium, cum possibile commune sit ad necessarium, & contingens: nec etiam modalis, de impossibili de modo,

& dicto

& dicto negato, infert eandem de necesse: nō enim sequitur, hoc nōn esse, non est impossibile? ergo necessarium, cum possit esse possibile, aut contingens: diuersas igitur dictiones designare oportet quatuor vocalium: ita vt per eas iuxta nouum ordinem constitutum ab Aristotele designentur modi, & modales enunciationes, & possit etiam cognosci æquipollentia, & oppositio, iuxta regulas superius traditas.

39. Videtur autem huic instituto accōmodata illa, quas optime Toletus noster, capit. præsenti affert. Videlicet, Argutule, vestigia, sine metu, mutabatis. Quas per subiectam figuram sic ordinare, ac disponere placet: vt in ea cernantur æquipollentia, & oppositio.

P. Toleti

40. Quibus expeditis constat error antiquorū circa æquipollentiam, & oppositionem modalium: constat rursus veritas, circa vtramq; iuxta vulgatum ordinem collocandi modos, & modales enunciationes eis effectas. Primò, videlicet possibile. Secūdò, contingens. Tertiò, impossibile. Quartò, necesse: qui fortasse claritatis gratia hoc ordine enumerari solent: nam cum facilior sit modus possibile? ab eo fortassis, tanquam à notiori ordine scientifico initium sumitur, eademque fortasis de causa, iuxta eundē ordinem tyronibus tradūtur in introductione Dialectica: si tamen dignitatis habenda est ratio, (vt vult hac in parte Aristoteles) iuxta posteriorem ordinem collocari debent, & his continetur sententia totius capitis.

VNICVM NOTABILE.

Notabile.

Ad exactam explicationem modalium enunciationum plura forent, hac in parte adnotanda, vt quid, & quotuplex modus sit? quid & quotuplex modalis enunciatio: à quo nam quantitas, & qualitas eius

41. accipienda sit & quædam alia circa æquipollentiam, & oppositionem, quæ consulto prætermittuntur; quia copiose tradita iam sunt in introductione Dialectica: & eadem de causa, (vt principio huius capitis admonuimus) adnotata etiam possemus omittere, se munus interpretandi Aristotelem compulit repetere.

Illud autem obseruatione dignum censemus, quod Aristoteles ex professo docet, de potentiarum natura loquēs, potentiam actiuam, aut passiuam, non tolli per præsentiam actus, sed potius perfici, quod non solum verū est, de potentia ad alios actus sed etiam ad præsentem, quem elicit, itaq; dum homo videt, dum ambulat, potentiam videndi, & ambulandi retinet & iam respectu huius visionis, aut deambulationis, quod certo certius est: nam potentia nō est aliud, quam principium actus, sed dum potentia elicit actum, est principium eius ergo est potentia respectu ipsius: quod in rebus æternis euidentius probatur. Deus enim Optimus semper est in actu, & in eodem actu, cum vnico actu vniuersa efficiat, atque gubernet, si ergo per præsentiam actus desineret potentia ad illum, nunquam fuisset in Deo Optimo potentia creatiua, aut conseruatiua, imo neque vlla alia.

Hoc admonitum esse volui, propter multos, qui decepti putant non esse in rebus potētiam nisi dum non operātur, cum operatione autem, vel actu non simul potentiam cōsistere ad illum saltem eliciendum actum: hi profecto non nisi imperfectam potentiam agnoscunt actum excludentem, cum tamē Aristotel. cap. præsenti diuiserit potentiam in imperfectam, quæ excludit actum, & in potentiam perfectam per actum.

QVOD ENVNCIATIONES contrariæ magis, sibi inuicem esse dicantur.

CAPVT QVARTVM.

Vtrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Porphyrius in commentariis huius capitis, non ab Aristotele traditam esse doctrinam eius docet, sed ab altero, qui tribus præcedentibus (quibus secundus continetur liber) ipsum addi- 1. Quid sentiat Porphyrius de hoc capite.

addidit: vnde, & à multis non exponitur, sed exposito praecedenti, opus hoc de interpretatione absoluunt: communem nihilominus sententiam antiquorum sequentes, qui illud non secus ac praecedentia pro doctrina Aristotelis recipiunt, commentariis illustrabimus.

Institutum capitis. Cuius institutum est, quaestionem quandam ad oppositionis naturam expectantem proponere, ac soluere; neque altera eget diuisione: est autem quaestio? Vtrum oppositio enunciationum accipienda sit, secundum affirmationem, & negationem, eiusdem praedicati de eodem subiecto, aut secundum vnā & alteram affirmationem praedicatorum cōtrariorum, quod est quaerere, an affirmationi oppugnatur negatio eorūdem extremorū

Quaest. proponitur.

2. aut affirmatio contrarii praedicati, gratia exempli, an huic affirmationi bonum est bonum: opposita sit haec negatio bonum non est bonum: vel potius haec affirmatio contrarii praedicati bonum est malum.

A quo dependeat eius decisio. Cuius quaestionis decisionem, ab enunciationibus mentalibus esse petendam docet: nam cum ex principio huius operis constet, voces esse signa conceptuum, in quibus veritas formaliter reperitur, sic erit accipienda oppositio enunciationum vocalium, sicut accipitur mentalium oppositio: considerare igitur oportebit, quae nam in mente cui opinioni opponatur. Vtrum negatio eiusdem praedicati

3. de eodem subiecto opponatur affirmationi; aut potius altera affirmatio contrarii praedicati: opinionis autem nomine, hac in parte non formidolosum assensum intelligit Aristoteles, vt in posterioribus resolutionibus, sed determinatum, aut firmū iudicium, ab haesitatione (quae non dicit determinationem intellectus ad alteram partem cōtradictionis) distinctum. iuxta illud, quod 3. lib. de anima cap. 3. protulit ipse dicens. Imaginari possumus, cum volumus, opinari autem non: id est firmum, & determinatum ferre iudiciū non semper possumus, cum absque aliquo rationis pondere nō possit fieri: nullum autem haesitatio requirit, ac propterea pro libito haberi potest: si ergo verum hoc iudicium habuerit quispiam, Bonum est bonum, & hac duo falsa, Bonum non est

Quid nomine opinionis hic intelligatur.

bonum, & bonum est malum: quaeritur. Vtrum ex his duobus falsis, vero opponatur negatiuum eorūdem extremorum, aut affirmatiuum extremi contrarii.

Et prius quam ad quaestionis decisionem procedat, excludit solutionem, quam adhibere aliquis posset dicens, contrarias opiniones, aut iudicia esse, quae circa res contrarias versantur: ita vt quod circa malum versitur, contrarium sit ei, quod versatur circa bonum, quam stare minime posse, duplici ratione probat. Solu. loquo rundam. 4.

Priori quidem. Nam opinio cōtrariorum, eadem fortè est (quasi dicat) non esse necessarium opposita esse iudicia, quae circa contraria versantur obiecta, neque vllam habere repugnantiam, qui enim iudicat, bonum esse bonum, & malum esse malum: non dicitur habere iudicia opposita, sed sibi inuicē cōsentanea, in quo dicuntur esse idē, & non secundum numerum, aut speciem, vt alii interpretes voluerunt. Impugnat. 1.

Posterior ratio est. Quia licet in aliquo essent diuersa, sed opposita, aut contraria, nullo modo nam quae contraria sunt, nō stant simul in veritate: sed praedictae opiniones cōtrariorum stant simul in veritate; ergo non sunt opposita, aut contrariae: non est ergo sufficiens ratio oppositionis, quod opiniones, aut iudicia circa cōtraria versentur, sed aliam oportebit inuestigare; & hanc quaerimus, ait Aristoteles. Secundo

Est autem solutio quaestionis, oppositionem non cōsistere in affirmatione praedicatorum contrariorum, sed in affirmatione ac negatione eiusdem praedicati de eodem subiecto, ita vt huic affirmationi, bonum est bonum, non sit opposita haec affirmatio contrarii bonum est malum, sed haec negatio, eiusdem bonum non est bonum. Solut quaestionis. 5.

Probat primo, hac ratione vni vnum tantum opponitur, (vt superius statutum est sed si affirmationi opposita esset affirmatio circa contrarium praedicatum, infinita essent opposita eidem affirmationi: ergo non accipitur oppositio, ex affirmatione circa contrarium probat minorem: nam affirmationi, quae versatur circa bonum, qualis est haec, 1 Ratio.

bonum est bonũ, opposita essent enũciationes affirmãtes, quæ non conueniũt bono, atque etiã remouẽtes, quæ ei cõueniunt, vt bonum odibile, bonum est id honestum; bonum est inutile, & rursus bonum non est amabile: bonum non est vide vtile; bonum non est prosequendum: nam omnes versantur circa contrarium: sunt autem penè infinita: super est ergo secundum, ait Aristoteles, oppositionem in affirmatione, & negatione, eiusdem prædicati, de eodem subiecto consistere: verba autem eius hæc sunt:

6. Sed in quibuscunque fallacia est, hæ autem sunt in his, ex quibus sunt generationis; ex oppositis verò generationes, quare etiam fallatię, &c. obscurissima profectò, atque intellectu difficilia.

Nota expositionẽ huius loci ipsissimam.

Sed pro eorum expositione adnotanda est similitudo reperta inter generationem, & corruptionẽ, ex vna parte, verum, ac falsum iudicium intellectus ex altera: nam generatio, & corruptio ex eo censentur mutationes oppositæ, quòd generatio est mutatio; de non esse ad esse, corruptio verò de esse ad non esse opponuntur ergo per terminos oppositos, secundum esse, & modo simili se habent verum, ac falsum iudicium, nam verum iudiciũ assimulatur generationi in eo, quod sicut hæc procedit de non esse ad esse, sic illud de non esse cognitum, ad esse cognitum: & rursus quemadmodũ generatio terminatur ad esse rei, pari ratione verum iudicium eo tendit, vt res intelligatur sicuti est, imo tũc verum dicitur, quando res sic intelligitur, vt est, falsum verò quasi de esse, ad non esse in primis procedit, cum sit quasi recessus ab eo, quod est rem esse cognoscendam, sicut est & tendentia ad non esse, id est, ad cognoscendam rem, sicut non est, ex hoc enim falsum dicitur, quia res per illud aliter, ac est cognoscitur.

7. Itaque oppositio generationis, & corruptionis in esse, & non esse eiusdem rei consistit: oppositio etiam falsi iudicii, & veri in eo, quod res eadem sicut est, aut sicut non est cognoscitur; ergo ratio vniuersalis oppositionis, inter opiniones, siue iudicia intellectus per esse, & non esse, seu per affirmationem, & negationem eiusdem prædicati de eodem subiecto accipienda est: affirmatio enim dicit rem esse, negatio eandem rem non esse. & iste est legitimus sensus huius loci (alioquin difficilimi) nam fallaciarum nomine falsa iudicia intellectus intelligit Aristoteles, veris sic opposita, per esse, & non esse, sicut corruptiones opponuntur generationibus.

Rationes Arist. ad probãdum vnde accipiatur oppositio.

Quibus verbis expeditis, ad expositionem rationum, quibus probat Aristoteles, sic esse oppositionem accipiendam deueniẽdum est, sunt enim tres dumtaxat, licet alii aliquando probationes, pro rationibus accipientes, sex multiplicent.

8.

1. Ratio.

Prima ratio est, illa sunt magis opposita, quæ magis secundum se pugnant in veritate & falsitate, sed ita se habent affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: ergo magis opposita sunt: maior euidens est, ex definitione contrariorum, nam contraria sunt quæ maximè distant: minorem sic probat: enũciatio hæc, bonum est bonum, verior est illa, bonum non est malum; ergo hæc negatiua, bonum non est bonũ, erit magis falsa, quàm hæc affirmatiua, bonum est malum; ergo duæ istæ, bonum est bonum, & bonum non est bonum, ita se habent, vt magis pugnent in veritate, quàm duæ aliæ bonum est malum, & bonum non est malum; atque adeò inter quamlibet affirmatiuam, & negatiuam reperietur oppositio; sed inter priores maior: probat illud antecedens, quòd verior sit hæc, bonum est bonum, quam illa bonum non est malum: nam secundum se vera est hoc est immediatè, nam si interrogaueris quare bonum est bonum, nulla causa reddi potest; quòd verò bonum non sit malum, secundum accidens, verum esse, ait hoc est mediatè; & per causam: nam si quæsieris quare bonum non est malum. Respondebitur quia est bonum: hæc igitur bonum est bonũ, prior est in veritate: vnde fit ei magis esse oppositam hanc bonum non est bonum, quia magis pugnat cum ea in falsitate, quàm hæc bonum est malum: nam bonum non est bonum, sine medio pugnat cum illa in veritate, cum sit negatio veritatis immediata: at vero bonum est malum, quæ est affirmatiuade:

Vereor est propositio bonum est bonũ, quã hæc bonũ non est malum.

ua de prædicato contrario, non pugnat in veritate cum eo, nisi quia pugnat cum negatiua sub ea contenta, videlicet bonum non est malum: potius ergo accipienda est oppositio, secundum affirmationem, & negationem, eiusdem prædicati de eodem subiecto, quam secundum affirmationes prædicatorũ contrariorum.

2. Ratio. *Secundum argumentum tale est. Ratio formalis, aut essentialis alicuius, in cunctis*
10. *speciebus reperiri debet, si fuerit generica, & in cunctis indiuiduis, si fuerit specifica, sed affirmatio, & negatio eiusdem reperitur in cunctis oppositionibus, non verò prædicatorum contrarietas: ergo ab illa potius, quã ab hac accipienda est oppositio: probatur minor, nã oppositio reperitur, non solum in enũciationibus significantibus accidentia, vt bonum, & malum, album, & nigrum, calidum, & frigidum, sed etiam in his, quæ enũciant aliquid substantiale, vt in his homo est homo, animal est animal, aut homo est animal, homo est rationalis, in quibus nulla est contrarietas prædicatorum, quibus tamen, non aliter contradicimus, quam negationes opponentes, vt homo non est homo, animal non est animal, homo non est animal, homo non est rationalis: affirmatio igitur & negatio eiusdẽ, erit ratio formalis, atque intrinseca: penes quam oppositio enũciationum accipitur, & non affirmatio prædicati contrarij.*

3. Ratio. *Postremum argumentum ab oppositis sumitur hoc modo: duæ enunciationes, bonum est bonum, & non bonum nõ est bonum, sunt simul vera: quanquam ex parte subiecti op-*
11. *ponantur, penes finitum, & infinitum: & duæ istæ eodem modo opposita, bonum non est bonum, & non bonum est bonum: vnde sequitur eandem esse rationem quantum ad oppositionem harum, atque illarum: sed negatiua ex subiecto infinito, quæ est vna ex duabus primis, non bonum non est bonum, opponitur affirmatiuæ de subiecto etiam infinito, quæ est altera ex postremis, non bonũ est bonum: ergo etiam negatiua de subiecto finito, quæ est vna, ex postremis opponitur affirmatiuæ de subiecto etiam finito, quæ est etiam altera ex primis: quod autem negatiuæ infinita, non bonum non est bonum, opponatur affirmatiua infinita, non bonum est bonum, probatur, quia non ei aliqua ex his duabus: videlicet non bonum est malum, aut non bonum non est malum, cum vtraque stet simul cum ea in veritate, vt constet. ergo prædicta non bonum est bonum ei, absque dubio opponitur, tanquam affirmatio eiusdem prædicati quod negat, nec enim super est altera quæ ei possit opponi. Sed probat præterea Aristoteles has esse oppositas, ducto argumento ab eadem enunciatione, non bonum non est bonum, vniuersaliter sumpta: nam* Alia ratio.
hæc enunciatio vniuersalis, omne non bonũ non est bonum, vera est: ergo non opponitur 12.
ei contradictorie aliqua particularis vera: quia tunc contradictoriæ simul in veritate starent, sed vtraque hæc enunciatio particularis affirmatiua de prædicato contrario est vera: nempè non bonum non est malum, & non bonum est malum; prior quidem, cum detur aliquod non bonum, quod non sit malum in genere moris: vt constat de lapide, quod sufficit ad veritatem indefinitæ enunciationis, atque etiam posterior, cum multa non bona sint. & mala: vt de iniustis hominibus notum est ergo neutra est ei contradictorie opposita, sed sola particularis affirmatio, eorundem extremorum, nempe non bonum est bonum, plane falsa.

Argumentum autem, ab oppositis desumptum esse diximus, quasi dicatur, ita se habent affirmatio, & negatio de non bono, sicut affirmatio, & negatio de bono, sed illa opponuntur tanquam affirmatio, & negatio eiusdem, & non vt affirmationes contrariorum prædicatorum: ergo etiam ista. Quid sit esse argumentum ab oppositis.

Concludit igitur Aristoteles, *vniuersã oppositionem secũdũ affirmationẽ, & negationem eiusdem prædicati, de eodem subiecto, tã in contrariis, quam in contradictoriis esse accipiendam, nam vt opinioni, omne bonum est bonũ, opponitur cõtradictorie, nõ omne bonũ est bonũ: pari rationi eidem opinioni vniuersali, omne bonum est bonum, opponitur cõtrarie vniuersalis alia, nullũ bonũ est bonum in vtrisque enim reperitur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem.* Conclusio. 13.

Quibus constitutis, redit ad illud, quod
in principio stabilitum reliquit: videlicet for
malem rationem oppositionis, enunciationũ
14. vocalium, ex mentalibus, quarum signa sunt
dignoscendam esse, sed mentales enunciatio-
nes opponuntur secundum affirmationem,
& negationem eiusdem & non sicut duæ af-
firmationes cõtrariorum predicatorum (vt
abunde satis probatum est. ergo eodem modo
erit accipiẽda oppositio in vocalibus & sicut
contrariæ opiniones mentales, non possunt
esse simul vere de eodem; ita nec vocales cõ-
trariæ, aut contradictoriæ, simul veræ esse
poterunt de eodem: simul autem dicimus,
nam successiue aut pro diuersis temporibus
non repugnat: verum est enim nunc de Pe-
tro, quod sedet, & mox etiam erit verum,
quod non sedet, eiusmodi tamen singulares
enunciationes non censentur oppositæ, quia
non pro eodem tempore accipiuntur, quod
oppositioni intrinsecum est. His continetur
tota sententia huius capitis.

NOTABILE VNICVM.

De qua oppositione intelligatur

CIRCA quam, id solum adnotãdum
occurrit, quod licet de omni genere
oppositionis intelligatur, nempe de
contradictoria, contraria, & sub contraria:
præcipue tamen de contradictoria, in qua so-
lum reperiuntur directe esse, & non esse, af-
15. firmatio, & negatio eiusdem: quod enim vna
contradictoria enunciat, altera ex directo
negat, vniuersalis enim enunciat omnem
hominem currere, & hoc quidem ex directo
negat particularis, non omnem hominẽ cur-
rere, quod in contrariis non reperitur, nam
quod affirmans vniuersaliter enunciat, om-
nem hominem currere, altera non ex directo
contradicit negans non omne, sed secundum
totam extensionem vniuersalitatis negatio-
nem continens, nullus homo currit, & ideo
quadam indirecta ratione, vnde prouenit
contradictorias pugnare veritate, ac falsi-
tate, contrarias vero sola veritate, &
hinc etiam fit formaliorem, ac potiorem
oppositionem esse contradictoriam, vtpote ex
directo continentem esse; & nõ esse eiusdem
prædicati, de eodem subiecto: In subcontra- 16.
ria etiam oppositione suo modo verum tenet
doctrina Aristotelis, cum sit etiam secũdum
affirmationem, & negationem eiusdem, sed
quia particulariter vtraque enunciat, non
continet plenam oppositionem, sed nimis di-
minutam, cum possint simul in veritate sta-
re, sola falsitate pugnantes, ac propterea sub
cõtraria oppositio vocatur; hoc est quasi par-
ticipatio quadam imperfecta contrariæ op-
positionis, cuius non meminit Aristoteles hac
in parte, sicut neque aliis in locis, quibus de
oppositionibus enunciationum differit, quia
eam non reputauit oppositionem simpliciter,
sed secundum quid.

Et hæc de quarto Cap. de secundo libro, ac
de vniuerso opere, de interpretatione dixisse
sufficiat: ad laudem, & gloriam omnipoten-
tis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus San-
cti, & Beatissimæ Deiparæ, cui con-
secrata esse volumus.

FINIS.

R. PA-

R. PATRIS
ANTONII RVBII RODENSIS, THEOLOGI SOCIETATIS IESV, THEOLOGIAEQVE PROFESSORIS.

Commentaria in duos libros Aristotelis Stagyritæ de posteriori analysi, seu resolutione. vna cum dubijs, & quæstionibus.

PROOEMIVM TOTIVS OPERIS.



Quis artiū finis.
IN eum finem ad inuenias esse artes, vt
naturam in suis operationibus perficiāt nemo est, qui ambigat;
ad opera quidem corporis cōuenienti modo exercenda, adinuentæ sunt artes (quas vocant) Mechanicæ,
1. vt fabrilis, sutoria, ac reliquæ: ad operationes autem animæ perficiendas (rationis præsertim, quæ primas inter omnes tenent) artes liberales. Cæterum duobus modis perficiuntur eiusmodi operationes, prima perfectione, & quasi secundaria: prima earum perfectio in eo posita est, vt debito modo ordinentur simplicia in compositionem, & compositiones in discursum, quam perfe-
Dialectica ars artium. ctionem Dialectica confert: & id circo prima vocatur, quia talis ordinatio viam parat ad cæteras artes perdiscendas, propterea quasi secundario perficientes: vnde iure optimo principem locum Dialectica tenet inter artes liberales; & ars artium quasi cognomento appellatur; & quemadmodum totius Dialecticæ scopus est opera rationis dirigere, dirigendoque perficere; sic partes eius singulæ in dirigendis, ac perficiendis singulis operi-
Totius Logicæ distributio accōmoda. bus versantur. Simplicem animi apprehensionem perficit prædicamentorum opus, tāquam prima Dialecticæ pars, simplicia in certis quibusdam categoriis ordinans secundum debitam subiectionem, ac prædicationem secundam libri de interpretatione, docentes modum cōponendi enunciationem simplicem, & compositam, necessariam, & contingentem, in quibus veritas, & falsitas reperiuntur discursum denique, tanquam
Quadruplex syllogismi consideratio. potissimum rationis opus, ad quod ordināntur cætera, perficit syllogismus, qui est quasi discursus arte fabricatus; cuius quadruplex est consideratio, communis prima, in quantum certam quandam formam colligendi vnum ex alio continet, modo, & figura dispositam, quæ ad diuersas veritates, applicata diuersos assensus in intellectu generat, scientificum quidem, si cum veritatibus necessariis coniungatur: probabilem si cum probabilibus; & si cum apparentibus, apparentem. Ad perficiendum igitur naturalem discursum, iuxta has quatuor considerationes, quatuor Dialecticæ partes, quæ super- 2.
sunt ordinantur: etenim syllogisticam formam docent libri priorum, eam cum necessariis enunciationibus copulat præsens tractatus de Posteriori analysi, vel resolutione, quod perfectissimum instrumentum generandi scientiam (demonstratio vocatur) constituens. Tōpicorū libri ex probabilibus enunciationibus communi formę copulatis probabilem syllogismum efficiunt. Elenchorum demum opus, fallacem quendam, solam veritatis apparentiam præ se ferentem componit. Ecce quo pacto Dialectica suis partibus rationis opera perficit; ecce rursus finem, in quem ex propria conditione ordinatur.

C 3 Quod

Quod constituatur huius partis obiectum?

Huius partis obiectũ. EX hoc discursu facile in primis deduci potest, quodnam sit obiectum huius tractatus; quanquam non idẽ ab vniuersis Aristotelis commentatoribus designetur: nam cõmentator Auerroes in hoc proœmio, pro cuius sententia referuntur Alexander, & Theophrastus, quem sequuntur nonnulli ex modernis, tenuit, non solam demonstrationem, sed simul cum definitione esse obiectum; & cum vnitati, & simplicitati obiectinæ repugnet, quid complexum pro obiecto designare, modum sciendi suo ambitu vtranque comprehendentem docuit esse obiectum: innititur autem huic fundamento. *Opinio Auerroes.*

Primum argument. Notum est definitionem per se spectare ad considerationem Logicam, cum sit quidam modus sciendi, sed nulla pars Logicæ præter istam, naturam definitionis considerat: cõprehẽdetur ergo intra ambitum obiecti eiusdem, nam & si 6. lib. Topic. cap. præsertim 2. per totum de definitione egerit Aristoteles, non certe, vt eam constituere doceat, sed iam constructam examinare, vt facile cõstare poterit omnes illius capitis locos consideranti. Nec fit satis argumento, si dicatur pertinere quidem ad præsentem tractatum considerare definitionem, non tamen per se, sed in quantũ ad demonstrationẽ ordinatur, vel pars eius est: vt enim in eius discursu ostẽdemus mediũ potissimæ demõstrationis est definitio, vt subiuncta docet. Omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est disciplinę capax. Ecce animal rationale bis in præmissis sumptum, mediũ est: hęc inquã solutio non satisfacit: nam definitio nobilior est demonstratione, vt Aristoteles insinuat 7. metaph. tex. 27. & ratio docet siquidẽ per definitionem scimus quid res sit: per demõstrationem qualis sit: vt hominem esse disciplinæ capacem; nobilius autem est scire quid rei, quam eius qualitatem cum illud ad substantiam spectet, qualitas vero accidens sit potius ergo considerabitur per septimo definitio, tanquam instrumentum sciendi nobilius, & eius gratia demonstratio. Et rursus etiam si non esset demonstratio extaret definitio, cũ prius sit ordine naturæ de re quacunque nosse quid sit, quam esse talem, demõstratio vero non est sine definitione, quæ medium eius est: erit ergo natura prior; prius autẽ sine posteriori bene potest existere, ergo definitio sine demõstratione; quo admisso non minus esset à Logico cõsiderabilis, quam nunc demostratione stante? qua propter consideratio eius non pendet ex consideratione demonstrationis, sed per se erit obiectum huius partis, potius quam demonstratio; vt igitur sub ambitu vnius obiecti comprehendatur vtraque, modum sciendi vtrique communem esse adæquatum obiectum dicendum est.

3 *Aristotel.* *Reijcitur solutio.* *Aristotel.* 4

2. Argum. Secundo probatur, quia de obiecto, vt statim in 1. cap huius primi libri docet Aristoteles præsupponendum est, an sit? & quid sit? de demonstratione autem id non præsupponitur, sed eius definitio designatur ca. statim. 2. ergo definitio potius erit obiectũ, quæ sic in opere consideratur, vt tamen non definiatur.

Aristoteles sententia, & vera proponitur.

EXPRESSA est in hac parte sententia Aristotelis, nam 1. lib. de priori resolutione ca. 1 (quod est quasi proœmium harum omnium partium, nempe priorum, posteriorum, Topicorum, atque Elenchorum, in quibus de syllogismo in communi, & in speciali differit) proponens propria singularum obiecta; sic ait: *Primum dicere circa quod, & cuius sit consideratio. quoniam circa demonstrationem, & scientiæ demonstratiuæ, &c.* Postea vero materiam aliarum partium prosequitur. cap. etiam 1. huius primi lib. posteriorum fundamenta iacit ad intelligendam artem demonstratiuam, vniuersale illud principium tradens; omnem doctrinam, omnemque disciplinam ex prę existenti notitia fieri, vt ex eo ostendat, assensum conclusionis, ex principiorum notitia per demonstrationem generari, & cap. 2. eam definit, atque in sequentibus de qualitate, hoc est, de certitudine, & necessitate principiorum agit. Manifesta item ratio ostendit, demonstrationem esse adæquatum huius partis obiectum, cuius partes passiones, atque effectus considerantur; vt discursus totius operis ostendit, in quo si aliquid de definitione traditur, huius rei gratia profecto, quia pars quædam demonstrationis est: nam *Expressa Arist. sententia vera.* *Verba Aristote.* *1. Argum.*

48

est; nam cum demonstrationis officium, sit propter quid eius rei, circa quam versatur, ostendere, definitione constare oportet tradente quid rei; propter quid enim, quid præsupponit, secundum ordinem naturæ; itaque totum quoddam est demonstratio, per se hac in parte consideratum, cuius vna pars definitio est, ac propterea, qui eam ponit ad æquatum obiectum, definitionem comprehendit: non quidem tãquam alium modum sciendi, à demonstratione distinctum; ita vt ab vtroque modus sciendi abstrahatur, ac tanquam obiectum consideretur, sed vt id, ex quo demonstratio, simul cum alio principio vtroque in modo, & figura disposito, constituitur; hæc igitur sola totale, & adæquatum obiectum ponendum est, vt cum Aristotele tenent D. Thom. & Albertus Magnus, in proœmio huius operis, quos cæterorum interpretum tuba sequitur. Caietanus, Sotus, Mercado, Toletus, & Omnia. *D. Thom.*

2. Argum. Secundo probatur. Quia nihil de modo sciendi demonstrationi, definitionique communi, in hoc tractatu effertur ab Aristotele, sed de sola demonstratione differitur; quæcunque enim traduntur eo spectant, vt quid demonstratio sit, qualia item esse oporteat eius principia; videlicet propositiones necessarias, de omni & per se, & his similia pateat, igitur nihil demonstratione vniuersalius, sub quo ipsamet demonstratio comprehendatur obiectum est, sed demonstratio ipsa secundum se.

Satis fit argumentis oppositæ sententiæ.

Ad 1. Argum. NEQVE argumenta in oppositum aliud probant, admittimus namque ad formam prioris respondentes: nobilius esse *quid*, quam *quale*, vndiquaque consideratum, atque ex consequenti scire, quid sit res, quam qualis sit. Cæterum per demonstrationem non scimus qualis sit, dũtaxat, sed propter quid sit talis: propter quid autem ipsummet quid claudit intrinsece, & ex consequenti quidquid definitio præstat, & aliquid amplius præstat demonstratio. *6.*

Ad secundã partẽ prioris argumenti. Quod vero in eodem argumento dicitur definitionem extare posse, adhuc non existente demonstratione, verum est, sed ad considerationem dialecticam, procul dubio, vno e duobus modis spectare potest; vel vt medium demonstrationis, vel certè tã quam vnum ex quatuor prædicatis: ex quibus problemata dialectica, atque adeo probabiles syllogismi constituuntur; quæcunque enim in dialecticam considerationem veniunt, siue simplicia sint, vel composita, ad syllogismum ordinantur conficiendum, & præcipue ad potissimum, qui est demonstratio; syllogismis autem non extantibus (si casus admitti potest) extaret quidem definitio, nõ quidem cõsiderata à Logico, sed à Metaphysico, cuius est genus, ac differentiam rerum indagare: negandum est ergo, propter se ad Dialecticam spectare, hoc est, non in ordine ad demonstrationem, atque ex consequenti propter se, & non propter demõstrationem considerari. Negandum est etiam in hoc solo tractatu consideratam esse naturam definitionis, sed absque dubio in Topicis, non solum lib. 6. per totum, sed primo etiam, cap. 8. Vbi inter prædicata Dialectica recensetur: cæterum in vtraque parte consideratur, tanquam pars demonstrationis, vel Topici syllogismi, ideo sub obiectis horum tractatuum clauditur, tãquam pars sub consideratione totius. *7.*

Ad secundũ argumentũ. Ad secũdum dicimus de subiecto præsupponendum esse, quid sit, hoc est, à priori non probandum, sed tanquam per se notum præmittendum; cui non contradicit in cuiusque operis principio definitionem eius tradere, vt facit Aristoteles cap. 2. huius primi libri.

Quanta sit huius partis Dialecticæ dignitas ostenditur.

De dignitate huius partis. INFERTVR secundo, quanta sit huius partis Dialecticæ dignitas, quantumque ceteras excellat: etenim si verum est simplicia ad compositionem ordinari: hanc autem, & illa ad syllogismum, facile intelligitur eas partes Dialecticæ digniores esse, in quibus de syllogismo differitur; omnium autem syllogismorũ, potissimus est demonstratio, per quam generatur scientia: hæc igitur pars de demonstratione, ac de proprio obiecto agens nobilissima erit, nam ex obiecto sortitur scientia suam dignitatem.

Quo certi- Certitudine etiam excellit cæteras partes, cum non solum ex communi ratione illius certi- formę syllogisticę certa sit, sed ex particulari *tudo.* forma,

forma, ac modo colligendi vnum ex altero: & rursus in tantum aliæ partes certitudinem habent, in quantum per certam demonstrationē docet quælibet proprii obiecti rationem, & constitutionem: ab hac igitur demonstratione, tamquam proprium obiectum statuente certitudinem accipient.

Obiectio. Si autem dicatur conuincere quidem rationem, nobiliorem esse hanc partem Topica, atque Sophistica, quemadmodum demonstratiuus syllogismus, Topico, atque Sophistico, longe nobilior est; cæterum cum Prioristica comparatam, minus nobilem esse, queadmodum forma nobilior est materia: etenim Priorum libri de forma disserunt syllogistica. Posteriorum verò de materia syllogismi necessaria; pars Topica, atque Sophistica, de probabili, atque apparen-
8. ti: ille igitur tractatus, vtpote syllogismi formam, tanquam obiectum proprium considerans, nobilior erit tribus cæteris materiã considerantibus, quanquam inter eas, primum locum meritò teneat pars posterioristica.

Occurritur obiectioni. Difficile profectò argumentum: præsertim si vulgari modo loquendi, frequenter in schola vsurpato standum sit, partem videlicet posterioristicam à cæteris separari, per materiam necessariam syllogismi, quam considerat, & per quam à cæteris syllogismis distinguitur demonstratio: conuincit enim tunc argumentum: posterioristicum tractatum prioristico esse inferiorem: si tamen rem diligentius expendamus, inueniemus longe aliter rem se habere, & demonstrationem, non solam materiam addere supra communem formam syllogisticam, sed etiam formam determinatam, per quam à probabili syllogismo, & sophistico separatur: vtrumque autem (mea quidem sententia) euidenter conuincitur his rationibus.

1. Argum. Prima quidem. Quia syllogismus genus est ad demonstrationem, topicum, & sophisticum, genericæ namque sunt prædicationes istæ, demonstratio est syllogismus; probabilis est syllogismus; atque etiam Sophisticus; addit igitur differentiam essentialem, atque specificam demonstratio, supra communem rationem syllogismi, eam contrahentem ad perfectissimam speciem; sed differentia specifica est formalis, non à materia, sed à forma specifica radicaliter desumpta; ergo eam addere demonstrationem supra communem, atque genericam formam necesse est, & non solam materiam; & certè si solam materiam adderet; non esset species, sed indiuiduum, per materiam namque indiuiduantur res, per formam in specie constituuntur.

Et confirmatur. Quia si non adderet aliam formam, sed solam materiam, sequitur demonstrationem, vt demonstratio est reduplicatiue, non esse formalem consequentiam, sed materialem; vnde non repugnabit in demonstratione, vt demonstratio est, dari antecedens verum, & consequens falsum, quanquam repugnet ex parte communis formæ syllogisticæ: quemadmodum non repugnat dari in cæteris argumentis ex parte materiæ tenentibus, quod tamen planè falsum est, & naturæ demonstrationis aduersum, quæ secundum propriam rationem generat assensum scientificum. *Confirmat.* 9.

Secundo probatur. Demonstratio distinguitur specie à syllogismo probabili, & sophistico (vt ostendit proprius eius effectus) generat namque scientiam, probabilis verò opinionem, & errorem Sophisticus: diuersi autem effectus per se, non possunt procedere, nisi à causis particularibus secundum speciem diuersis; tunc vltra, distinctionem specificam, cum sit formalis, non constituit nisi differentia, seu forma; præter generalem igitur, in qua conueniunt, particulares formas addere, quibus specie separentur, necesse est. *2. Argum.*

Tertio. Syllogismus in communi est compositum artificiale arte Dialectica ab intellectu fabricatum; & syllogismus demõstratiuus, probabilis, & Sophisticus, sunt composita particularia eadem arte facta, & quidem sub hoc genere artificiali specie distincta; ergo habet quodlibet suam propriã artificialem formam, per quam distinguitur specie ab alio præter communem, in qua conueniunt, & præter materiam, à qua specificam distinctionem procedere repugnat: etenim duo composita arte facta, quanquam ex diuersa materia aurea, vel argentea, si eãdem habeant artificiosam formam, nõ possunt distingui specie, vt vas aureum, & argentum ostendunt, eiusdem formæ, vel figuræ: quæ, & si in genere naturali, specie separentur ob metallorum diuersitatem, minime in ordine artificialium, quia specifica distinctio metallorũ materialis est ad genus *3 Argum.* 10. *Simile ad idem ostendendum.*

arte-

artificiale comparata, siquidem metallum, tanquam subiectum se habet, vel materia ad artificialem formam, quam in se recipit; pugnat igitur cum natura rerum artificialium, huiusmodi syllogismos ex parte solius materiæ, esse distinctos speeie; & cum distinctio specifica constet, necesse est aliquas formas artificiales, addere communem formam syllogisticam, determinantes ad diuersas species, præter materiam necessariam, probabilem, & apparentem.

Tria in demonstratione distincta secundum rationem. Quæ sit autem hæc forma non est facile explicare: præsertim cum nemo de hac re verbum fecerit; sic autem videtur nobis explicandum, vt tria in demonstratione secundum rationem distincta consideremus. *1. Consider.* Primum est vniuersalis ratio formæ syllogisticæ, hoc est, dispositionis in modo, & figura; & hæc communis est probabili, & sophistico. *Secundum.* Secundum est, specialis ratio concludendi effectum ex causa, si à priori sit demonstratio; vel causam ab effectu, si sit à posteriori; quod proculdubio specialis formæ rationem habet, cum necessaria sit connexio causæ per se cum effectu in quibuscunque rebus, vt probat efficaciter hæc ratio.

Prob necessariam esse connexionē causæ cum effectu. Præmissæ continentes causam conclusionis, sunt rationes formales assentiendi, à quibus assensus ipse scientificus speciem capit; ergo respectu illius non se habent tanquam materia, sed per modum formæ, vel medij formalis assentiendi: vnde fit, vt cum demonstratio non sit aliud, quam præmissæ taliter dispositæ, vt euidenter inferant assensum scientificum conclusionis, & in tali
11. dispositione, non solum claudatur modus, & figura, sed formalis ratio assentiendi, quam præmissæ continent, ad formam demonstrationis specialem pertineat, vtramque præmissam esse talem rationem assentiendi, in qua virtualiter assensus conclusionis contineatur.

Tertium. Postremum in demonstratione considerabile est, tres propositiones, ex quibus demonstratio conflatur, necessarias esse; hoc est, non contingentes, vel in materia remota, & huiusmodi consideratio distincta est à secunda, nam & si duo hæc re ipsa sint coniuncta, videlicet præmissas causam esse per se conclusionis, vel per se effectum, & esse in materia necessaria: vniuersalius tamen est secundum, & ideo à primo abstrahit, cum notum sit, non quaslibet propositiones necessarias, esse causam per se conclusionis: vnde fieri potest, vt modum formæ illud habeat, hoc vero modum materiæ. *Quæ sit forma posteriorum propria.*

Contracta igitur vniuersalis ratio formæ syllogisticæ per modum inferēdi, vel assentiendi formalem, effectus ex causa per se, vel causæ ex effectu, speciem potissimam syllogismi constituit in materia necessaria consistentem: & syllogismum probabilem 12. vel sophisticum, si per proprios inferendi modos probabilem, vel apparentem contrahatur, in materia contingenti, vel apparenti consistentes; & rursus à duobus his syllogismis separatur demonstratio formaliter per proprium, ac perfectissimum inferendi modum expositum, tanquam per propriam formam, ac differentiam; ac demum materialiter per materiam necessariam, vt sic à contingenti vel remota distinctam.

Finis, & inscriptio late traditur.

FINIS huius partis nobilissimus est, cum propriam perfectionem hominis, in quantum est rationalis, pertingat: etenim suprema hominis dignitas est esse rationis participem, à qua naturale illud desiderium oritur, cuius Aristoteles testimonium perhibet. 1. lib. metaph. cap. 1. statim in principio, sic inquiens. *Omnes homines, natura scire desiderant*: perficit autem posterioristica pars tale desideriū, potissimum instrumentum sciendi, nempe demonstrationem constituens. *Finis huius partis.* *Aristotel.*

Ex fine autem facile intelligitur eius vtilitas, quæ adeo magna est, vt instrumentum præbeat potissimum, quo non solum iuuantur, sed stabiliuntur cæteræ omnes scientiæ; tolle demonstrationem, & nulla erit comparabilis scientia; imo neque in se aliqua erit scientia, nisi sit per demonstrationem comparabilis; quæ igitur ars demonstrationem condere docet, vtilissima erit, ad cunctas scientias comparandas, atque etiam stabiliendas. *Vtilitas.*

Nec solum vtilis, sed omnino necessaria ad eas saltem perfecte acquirendas; nam, & si lumine naturali rationis ostendente, quasdam possimus demonstrationes efficere, quibus cæteras scientias nobis comparemus *Necessitas* 13.

sed imperfectas admodum: si igitur ordinate, si modo conuenienti, si perfectè acquirendæ sunt, media certè demonstratione ab hac posterioristica arte condita.

De horum librorum inscriptione.

Inscribitur opus hoc de posteriori analysi, hoc est, resolutione, quam inscriptionem, vt explicemus melius, obseruandum est, geminam esse resolutionem, quædam est realis, & physica, vt dum res aliqua in partes realiter componentes resoluitur, & eiusmodi resolutio in eiusdem rei destructionem cedit, vt dum mixtum in elementa resoluitur, domus in tecta, parietes, ligna, & lapides; alia est resolutio in partes quidem, ex quibus res componitur, sed quæ non fit actione reali, vel physica, sed à solo intellectu considerante, vel examinante, vt dum intellectu iudicamus, mixtum vere esse quoddam compositum ex elementis, & domum ex prædictis parietibus tali modo ordinatis, nihil ab ea auferentis.

Sententia Cardin. Toleti.

Hanc resolutionem rationis partitur rursu Cardin. Toletus in prooemio huius operis quæst.2 de inscriptione in mathematicam, & Logicã. Mathematicã esse docet, qua propositam cõclusionem in proprias causas, per quas demonstratur, reducimus, vt nihil aliud sit talis resolutio, quam inquisitio, & perscru-
14. tatio quædam causarum illius conclusionis;
sicut in moralibus consultationes sunt inquisitiones mediorum ad res faciendas, vt docet

Aristotel.

Aristoteles, 3. ethicorum cap.3. ex quo patet hanc resolutionem non esse demonstrationem: nam demonstratio per causam effectũ demõstrat; resolutio verò posito effectu causam indagat, potius igitur indagatio quædam causarum appellanda est, & talis resolutio, ait mathematica dicitur, non quod solus mathematicus ea vtatur, cũ & aliæ scientiæ etiam in proprias causas conentur sua principia redigere; sed quod Mathematici frequentius, & clarius id efficiant.

Impugnatur primo.

Hanc tamen diuisionem resolutionis probare non possum, quia resolutio, quæ Mathematica appellatur, vere est eadem cum Logica: vnde membra diuisionis coincidere depræhenduntur, sed falsum ostendo, quod per demonstrationem non fiat: nam dum propria causa alicuius effectus inquiritur, & inuenitur à Mathematico, vel certo constat eam esse talis effectus causam, vel non; si non habetur per certitudinem, dubia erit, atque imperfecta talis resolutio, & minimè scientifica, cum falsa esse possit, si verò dicas certam esse resolutionem, atque euidentem (vt necessario dicendum est, cum sit à sciẽtia certissima facta) vel constat eam esse causam talis effectus sola cognitione terminorum absque discursu, vel per experien-
tiam, aut certè per euidentẽ discursum: duo 15.
modi priores sunt impossibiles, ergo tertius erit necessarius, cum alius non supersit; at tertius est demonstratio, ergo per demonstrationem fit talis resolutio. Probatur minor.

Per demonstrationem fit resolutio Logica.

Ferè semper contingit talẽ causam non esse primam, sed mediam cum prima vnica sit, mediæ verò plures, tunc ergo cognoscetur esse causam ad primam reducibilem, non igitur ex terminis, vel per cognitionem principiorum, cum se habeat, tanquam cõclusio resolubilis in aliam priorem; per experientiam autem impossibilius est, quia cũ Mathematicæ disciplinæ, à materia sensibili abstrahant, non probant suos effectus, vel conclusiones per experientiam; experimentalis enim conditio sensibilis est; superest ergo constare talem causam esse talis effectus; per euidentem discursum, qui est demonstratio: vnde sequitur à resolutione Logica non esse diuersam. Quod etiam secundo ostendo.

Secundo idem ostenditur.

Resolutio Logica non est aliud quam reductio conclusionis ad sua principia vsque ad prima, tanquam ad veras causas per euidentes demonstrationes, hoc est enim à priori, vel propter quid demonstrare; ergo resolutio Logica est effectus in propriã causam, vt de Mathematica dicitur, vnde absque dubio coincidunt.

Scientifica resolutio Logica propria. Ratio.

Potius ergo dicendum est vnicam esse resolutionem, eamque proprie Logicã, quod sic ostẽdo. Demonstratoria ars non constat sine resolutione conclusionis ad sua principia, per demonstrationẽ euidentem: Arist. testante cap.2. primi lib. vbi ait: *Non scit qui demonstrationem horum non habet*: loqui-
tur autẽ de præmissis demõstrationibus, me- 16.
dio haud quaquã vacantibus, quas necessario demonstrari posse affirmat, hoc est, reduci ad prima principia, vt assensus conclusionis ex eis deductus scientificus sit; ad eundem igitur artificẽ per se pertinet, docere demonstrationem, & resolutionem conclusionis in sua principia, atque adeò effectus in propriam causam; sed sola Dialectica docet demonstrationem construere, ergo sola docebit resoluere effectum in

prio

Compositio est quasi corpus demonstrationis, resolutio vero quasi anima.

re.olutione; sed compositio quasi corpus ipsius est, resolutio quasi anima: nam tantum excedit compositionem, quantū anima excedit corporis in constitutione hominis: iure igitur à resolutione accipitur huius operis inscriptio, tanquam à nobiliori, potius, quam à compositione.

Quare dicatur iudicatiua pars posterioristica.

SED rursus quæri in hac parte solet, quænam sit causa, vel ratio, ob quam pars hæc Dialecticæ iudicatiua dicatur, Topica verò non iudicatiua sed inuentiua.

Cardin. Toletus.

Cui vt respondeat Doctor Toletus, plures, ac diuersas refert sententias, pluraque consumit verba; nos verò non iudicamus in hac re minima multum immorandum, sed omissis aliorum placitis, ex his, quæ docet D. Thom. in hoc proœmio respondendum censemus. Iudicium in primis perfectum (ait D. Thom.) non est quæcunque sententia ab intellectu prolata, nec determinatio quælibet, ad alteram partem contradictionis, sed firma atque certa; dum enim intellectus inter vtramque partem contradictionis hæret, notum est non habere iudicium alicuius, sed hæsitationem, vel suspicionem: si verò ad alteram probabiliter sit determi-

D. Thom. sententia.

23. natus, habet quidem assensum eius partis, cum formidine tamen alterius; atque ex cōsequenti iudicium, sed imperfectum, cum non omnino ei adhæreat; firmam igitur esse oportet adhæsionem intellectus, atque certam ad vnam partem, vt perfectum iudicium appelletur, & quia per demonstrationem adhæret intellectus, non solum firmiter, sed immobiliter conclusioni, vt docet expresse Aristoteles cap. 2. huius lib. 1. ad finem his verbis. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*, plenum habet atque perfectum iudicium: & hinc ars hæc iudicatiua vocatur. Topica verò nō iudicatiua, quia perfectū iudiciū minime cōtinet, sed inuentiua dicitur quia inuentio in primis (vt bene ibidem D. Thom.) non petit certitudinem, & parti Topicę ex propriis inuenire conuenit loca, vnde eruenda sint argumenta probabilia. Etenim Dialectici officium est de quocunque proposito problemate disputationem instituere, vt testatur Aristot. 1. lib. Topic. cap. 1. sic inquiens. *Propositū quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Ad id autem præstandum magna argumentorum indiget copia, ex diuersis locis eruenda, nempe à definitione rei, à genere, à differentia, à contrariis, vel repugnantibus, à coniugatis, &c. Vtrumque autem nempe locorum inuentionem, & argumentorum probabilium ordinationem præstat Dialectica per partē Topicam: nam & si aliqua inuentio cæteris possit conuenire facultatibus, vt Philosophiæ, quæ in-

Aristotel.

Topica non dicitur ars iudicatiua, sed inuentiua.

Aristotel.

Argumentorum inuentio Dialecticæ propria.

24. tra latitudinem proprij obiecti, vel materiæ communes habet argumentandi locos; sola tamen Dialectica sibi vendicat vniuersalem, ac methodicam locorum inuentionem in ordine ad prædictum finem, cum illa sit sola, quæ sic adinuenit, vt adinuenta ordinet, ac certis quibusdam interrogationibus argumenta ex inuentis locis disponat, ad probabilem disputationem de quocunque proposito problemate instituendam, vt idem docet Aristot. 8. lib. Topic. cap. 2. in hæc verba: *Oportet autem primum quidem eum, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum, secundum autem interrogare, & ordinare singula apud se ipsum: reliquum verò, & tertium dicere iam eadem ad alterum, quod autem inueniat locum similiter Philosophi, & Dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare, & interrogare proprium Dialectici:* Vnde fit artem Topicam, proprissimè inuentiuam vocari; itaque & si iudicium cæteris Dialecticæ partibus conueniat, posterioristicæ tamen per excellentiam, ideo desumpta ab eodenominatione iudicatiua appellatur: & licet nonnulla inuentio cunctis etiam conueniat partibus, imo & aliis facultatibus, per excellentiam attribuitur parti topicæ, ac propterea ab hac excellentia sumpta denominatione dicitur inuentiua.

Aristotel.

Qui locus, huic parti Dialecticæ debeatur, ostenditur.

Qui locus huic parti debeatur.

POST inscriptionem sequitur, ordinatio huius partis cum cæteris Dialecticæ: circa quam non omnes loquuntur eodem modo: consentiunt tamen omnes, par-

25. tem prioristicam, eam antecedere, & merito quidem; quia ordo doctrinæ postulat, vt vniuersalia explicentur prius, deinde ad particularia procedatur, nam ex eorum noritia,

sed imperfectas admodum: si igitur ordinatè, si modo conuenienti, si perfectè acquirédæ sunt, media certè demonstratione ab hac posterioristica arte condita.

[De horum librorum inscriptione.] Inscribitur opus hoc de posteriori analysi, hoc est, resolutione, quam inscriptionem, vt explicemus melius, obseruandum est, geminam esse resolutionem, quædam est realis, & physica, vt dum res aliqua in partes realiter componentes resoluitur, & eiusmodi resolutio in eiusdem rei destructionem cedit, vt dum mixtum in elementa resoluitur, domus in tecta, parietes, ligna, & lapides; alia est resolutio in partes quidem, ex quibus res componitur, sed quæ non fit actione reali, vel physica, sed à solo intellectu considerante, vel examinante, vt dum intellectu iudicamus, mixtum vere esse quoddam compositum ex elementis, & domum ex prædictis parietibus tali modo ordinatis, nihil ab ea auferentis.

[Sententia Cardin. Toleti.] Hanc resolutionem rationis partitur rursu Cardin. Toletus in prooemio huius operis quæst.2 de inscriptione in mathematicam, & Logicā. Mathematicā esse docet, qua propositam cōclusionem in proprias causas, per quas demonstratur, reducimus, vt nihil aliud sit talis resolutio, quam inquisitio, & perscrutatio
14. quædam causarum illius conclusionis; sicut in moralibus consultationes sunt inquisitiones mediorum ad res faciendas, vt docet [Aristotel.] Aristoteles, 3. ethicorum cap. 3. ex quo patet hanc resolutionem non esse demonstrationem: nam demonstratio per causam effectū demōstrat; resolutio verò posito effectu causam indagat, potius igitur indagatio quędam causarum appellanda est, & talis resolutio, ait mathematica dicitur, non quod solus mathematicus ea vtatur, cū & aliæ scientiæ etiam in proprias causas conentur sua principia redigere; sed quod Mathematici frequentius, & clarius id efficiant.

[Impugnatur primo.] Hanc tamen diuisionem resolutionis probare non possum, quia resolutio, quæ Mathematica appellatur, vere est eadem cum Logica: vnde membra diuisionis coincidere deprehenduntur, sed falsum ostendo, quod per demonstrationem non fiat: nam dum propria causa alicuius effectus inquiritur, & inuenitur à Mathematico, vel certo constat eam esse talis effectus causam, vel non; si non habetur per certitudinem, dubia erit, atque imperfecta talis resolutio, & minimè scientifica, cum falsa esse possit, si verò dicas certam esse resolutionem, atque euidentem (vt necessario dicendum est; cum sit à sciētia certissima facta) vel constat eam esse causam talis effectus sola cognitione terminorum absque discursu, vel per experientiam, aut certè per euidentē discursum: duo 15.
modi priores sunt impossibiles, ergo tertius erit necessarius, cum alius non supersit; at tertius est demonstratio, ergo per demonstrationem fit talis resolutio. Probatur minor. [Per demōstrationem fit resolutio Logica.] Ferè semper contingit talē causam non esse primam, sed mediam cum prima vnica sit, mediæ vero plures, tunc ergo cognoscetur esse causam ad primam reducibilem, non igitur ex terminis, vel per cognitionem principiorum, cum se habeat, tanquam cōclusio resolubilis in aliam priorem; per experientiam autem impossibilius est, quia cū Mathematicæ disciplinæ, à materia sensibili abstrahant, non probant suos effectus, vel conclusiones per experientiam; experimentalis enim conditio sensibilis est; superest ergo constare talem causam esse talis effectus, per euidentem discursum, qui est demonstratio: vnde sequitur à resolutione Logica non esse diuersam. Quod etiam secundo ostendo. [Secundo idem ostenditur.] Resolutio Logica non est aliud quam reductio conclusionis ad sua principia vsque ad prima, tanquam ad veras causas per euidentes demonstrationes, hoc est enim à priori, vel propter quid demonstrare; ergo resolutio Logica est effectus in propriā causam, vt de Mathematica dicitur, vnde absque dubio coincidunt.

[Scientifica resolutio Logicæ propria. Ratio.] Potius ergo dicendum est vnicam esse resolutionem, eamque proprie Logicā, quod sic ostendo. Demonstratoria ars non constat sine resolutione conclusionis ad sua principia, per demonstrationē euidentem: Arist. testante cap.2. primi lib. vbi ait: *Non scit qui demonstrationem horum non habet*: loquitur autē de præmissis demōstrationibus, 16.
medio haud quaquā vacantibus, quas necessario demonstrari posse affirmat, hoc est, reduci ad prima principia, vt assensus conclusionis ex eis deductus scientificus sit; ad eundem igitur artificē pertinet, docere demonstrationem, & resolutionem conclusionis in sua principia, atque adeò effectus in propriam causam; sed sola Dialectica docet demonstrationem construere, ergo sola docebit resoluere effectum in

Compositio est quasi corpus demonstrationis, resolutio vero quasi anima.

resolutione; sed compositio quasi corpus ipsius est, resolutio quasi anima: nam tantum excedit compositionem, quantũ anima excedit corporis in constitutione hominis: iure igitur à resolutione accipitur huius operis inscriptio, tanquam à nobiliori, potius, quam à compositione.

Quare dicatur iudicatiua pars posterioristica.

SED rursus quæri in hac parte solet, quænam sit causa, vel ratio, ob quam pars hæc Dialecticæ iudicatiua dicatur, Topica verò non iudicatiua sed inuentiua.

Cardin. Toletus.

Cui vt respondeat Doctor Toletus, plures, ac diuersas refert sententias, pluraque consumit verba; nos verò non iudicamus in hac re minima multum immorandum, sed omissis aliorum placitis, ex his, quæ docet D. Thom. in hoc proœmio respondendum censemus. Iudicium in primis perfectum (ait D. Thom.) non est quæcunque sententia ab intellectu prolata, nec determinatio quælibet, ad alteram partem contradictionis, sed firma atque certa; dum enim intellectus inter vtramque partem contradictionis hæret, notum est non habere iudicium alicuius, sed hæsitationem, vel suspicionem: si verò ad alteram probabiliter sit determi-

D. Thom. sententia.

23 natus, habet quidem assensum eius partis, cum formidine tamen alterius; atque ex cõsequenti iudicium, sed imperfectum, cum non omnino ei adhæreat; firmam igitur esse oportet adhæsionem intellectus, atque certam ad vnam partem, vt perfectum iudicium appelletur, & quia per demonstrationem adhæret intellectus, non solum firmiter, sed immobiliter conclusioni, vt docet expresse Aristoteles cap. 2. huius lib. 1. ad finem his verbis. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*, plenum habet atque perfectum iudicium: & hinc ars hæc iudicatiua vocatur. Topica verò nõ iudicatiua, quia perfectũ iudiciũ minime cõtinet, sed inuentiua dicitur quia inuentio in primis (vt bene ibidem D. Thom.) non petit certitudinem, & parti Topicę ex propriis inuenire conuenit loca, vnde eruenda sint argumenta probabilia. Etenim Dialectici officium est de quocunque proposito problemate disputationem instituere, vt testatur Aristot. 1. lib. Topic. cap. 1. sic inquiens. *Propositũ quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Ad id autem præstandum magna argumentorum indiget copia, ex diuersis locis eruenda, nempe à definitione rei, à genere, à differentia, à contrariis, vel repugnantibus, à coniugatis, &c. Vtrumque autem nempe locorum inuentionem, & argumentorum probabilium ordinationem præstat Dialectica per partẽ Topicam: nam & si aliqua inuentio cæteris possit conuenire facultatibus, vt Philosophiæ, quæ in-

Aristotel.

Topica non dicitur ars iudicatiua, sed inuentiua.

Aristotel.

Argumentorum inuentio Dialecticæ propria.

tra latitudinem proprij obiecti, vel materiæ 24.
communes habet argumentandi locos; sola tamen Dialectica sibi vendicat vniuersalem, ac methodicam locorum inuentionem in ordine ad prædictum finem, cum illa sit sola, quæ sic adinuenit, vt adinuenta ordinet, ac certis quibusdam interrogationibus argumenta ex inuentis locis disponat, ad probabilem disputationem de quocunque proposito problemate instituendam, vt idem docet Aristot. 8. lib. Topic. cap. 1. in hæc verba: *Oportet autem primum quidem eum, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum, secundum autem interrogare, & ordinare singula apud se ipsum: reliquum verò, & tertium dicere iam eadem ad alterum, quod autem inueniat locum similiter Philosophi, & Dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare, & interrogare proprium Dialectici:* Vnde fit artem Topicam, proprissime inuentiuam vocari: itaque & si iudicium cæteris Dialecticæ partibus conueniat, posterioristicæ tamen per excellentiam, ideo desumpta ab eo denominatione iudicatiua appellatur: & licet nonnulla inuentio cunctis etiam conueniat partibus, imo & aliis facultatibus, per excellentiam attribuitur parti topicæ, ac proprerea ab hac excellentia sumpta denominatione dicitur inuentiua.

Aristoteli.

Qui locus, huic parti Dialecticæ debeatur, ostenditur.

Qui locus huic parti debeatur.

POST inscriptionem sequitur, ordinatio huius partis cum cæteris Dialecticæ: circa quam non omnes loquuntur eodem modo: consentiunt tamen omnes, par-
tem prioristicam, eam antecedere, & meri- 25.
to quidem; quia ordo doctrinæ postulat, vt vniuersalia explicentur prius, deinde ad particularia procedatur, nam ex eorum notitia,

sed imperfectas admodum: si igitur ordinate, si modo conuenienti, si perfectè acquirédæ sunt, media certè demonstratione ab hac posterioristica arte condita.

De horum librorum inscriptione.

Inscribitur opus hoc de posteriori analysi, hoc est, resolutione, quam inscriptionem, vt explicemus melius, obseruandum est, geminam esse resolutionem, quædam est realis, & physica, vt dum res aliqua in partes realiter componentes resoluitur, & eiusmodi resolutio in eiusdem rei destructionem cedit, vt dum mixtum in elementa resoluitur, domus in tecta, parietes, ligna, & lapides; alia est resolutio in partes quidem, ex quibus res componitur, sed quæ non fit actione reali, vel physica, sed à solo intellectu considerante, vel examinante, vt dum intellectu iudicamus, mixtum vere esse quoddam compositum ex elementis, & domum ex prædictis parietibus tali modo ordinatis, nihil ab ea auferentis.

Sententia Cardin. Toleti.

Hanc resolutionem rationis partitur rursu Cardin. Toletus in proœmio huius operis quæst.2 de inscriptione in mathematicam, & Logicā. Mathematicā esse docet, qua propositam cōclusionem in proprias causās, per quas demonstratur, reducimus, vt nihil aliud sit talis resolutio, quam inquisitio, & perscru-
14 tatio quædam causarum illius conclusionis; sicut in moralibus consultationes sunt inquisitiones mediorum ad res faciendas, vt docet

Aristotel.

Aristoteles, 3. ethicorum cap.3. ex quo patet hanc resolutionem non esse demonstrationem: nam demonstratio per causam effectū demōstrat; resolutio verò posito effectu causam indagat, potius igitur indagatio quędam causarum appellanda est, & talis resolutio, ait mathematica dicitur, non quod solus mathematicus ea vtatur, cū & aliæ scientiæ etiam in proprias causas conentur sua principia redigere; sed quod Mathematici frequentius, & clarius id efficiant.

Impugnatur primo.

Hanc tamen diuisionem resolutionis probare non possum, quia resolutio, quæ Mathematica appellatur, vere est eadem cum Logica: vnde membra diuisionis coincidere depræhenduntur, sed falsum ostendo, quod per demonstrationem non fiat: nam dum propria causa alicuius effectus inquiritur, & inuenitur à Mathematico, vel certo constat eam esse talis effectus causam, vel non; si non habetur per certitudinem, dubia erit, atque imperfecta talis resolutio, & minimè scientifica, cum falsa esse possit, si verò dicas certam esse resolutionem, atque euidentem (vt necessario dicendum est; cum sit à scietia certissima facta) vel constat eam esse causam talis effectus sola cognitione terminorum absque discursu, vel per experientiam, aut certè per euidentē discursum: duo 15
modi priores sunt impossibiles, ergo tertius erit necessarius, cum alius non supersit; at tertius est demonstratio, ergo per demonstrationem fit talis resolutio.

Per demonstrationem fit resolutio Logica.

Probatur minor. Ferè semper contingit talē causam non esse primam, sed mediam cum prima vnica sit, mediæ vero plures, tunc ergo cognoscetur esse causam ad primam reducibilem, non igitur ex terminis, vel per cognitionem principiorum, cum se habeat, tanquam cōclusio resolubilis in aliam priorem; per experientiam autem impossibilius est, quia cū Mathematicæ disciplinæ, à materia sensibili abstrahant, non probant suos effectus, vel conclusiones per experientiam; experimentalis enim conditio sensibilis est; superest ergo constare talem causam esse talis effectus; per euidentem discursum, qui est demonstratio: vnde sequitur à resolutione Logica non esse diuersam.

Secundo idem ostenditur.

Quod etiam secundo ostendo. Resolutio Logica non est aliud quam reductio conclusionis ad sua principia vsque ad prima, tanquam ad veras causas per euidentes demonstrationes, hoc est enim à priori, vel propter quid demonstrare; ergo resolutio Logica est effectus in propriā causam, vt de Mathematica dicitur, vnde absque dubio coincidunt.

Scientifica resolutio Logicæ propria. Ratio.

Potius ergo dicendum est vnicam esse resolutionem, eamque propriè Logicā, quod sic ostendo. Demonstratoria ars non constat sine resolutione conclusionis ad sua principia, per demonstrationē euidentem: Arist. testante cap.2. primi lib. vbi ait: *Non scit qui demonstrationem horum non habet*: loqui-
16 tur autē de præmissis demōstrationibus, medio haud quaquā vacantibus, quas necessario demonstrari posse affirmat, hoc est, reduci ad prima principia, vt assensus conclusionis ex eis deductus scientificus sit; ad eundem igitur artificē per se pertinet, docere demonstrationem, & resolutionem conclusionis in sua principia, atque adeò effectus in propriam causam; sed sola Dialectica docet demonstrationem constituere, ergo sola docebit resoluere effectum in

pro-

Compositio est quasi corpus demonstrationis, resolutio vero quasi anima. resolutione; sed compositio quasi corpus ipsius est, resolutio quasi anima: nam tantum excedit compositionem, quantū anima excedit corporis in constitutione hominis: iure igitur à resolutione accipitur huius operis inscriptio, tanquam à nobiliori, potius, quam à compositione.

Quare dicatur iudicatiua pars posterioristica.

SED rursus quæri in hac parte solet, quænam sit causa, vel ratio, ob quam pars hæc Dialecticæ iudicatiua dicatur, Topica verò non iudicatiua sed inuentiua.

Cardin. Toletus. Cui vt respondeat Doctor Toletus, plures, ac diuersas refert sententias, pluraque consumit verba; nos verò non iudicamus in hac re minima multum immorandum, sed omissis aliorum placitis, ex his, quæ docet D. Thom. in hoc procemio respondendum censemus. *D. Thom. sententia.* Iudicium in primis perfectum (ait D Thom.) non est quæcunque sententia ab intellectu prolata, nec determinatio quælibet, ad alteram partem contradictionis, sed firma atque certa; dum enim intellectus inter vtramque partem contradictionis hæret, notum est non habere iudicium alicuius, sed hæsitationem, vel suspicionem: 23. si verò ad alteram probabiliter sit determinatus, habet quidem assensum eius partis, cum formidine tamen alterius; atque ex cōsequenti iudicium, sed imperfectum, cum non omnino ei adhæreat; firmam igitur esse oportet adhæsionem intellectus, atque certam ad vnam partem, vt perfectum iudicium appelletur, & quia per demonstrationem adhæret intellectus, non solum firmiter, sed immobiliter conclusioni, vt docet *Aristotel.* expresse Aristoteles cap. 2. huius lib. 1. ad finem his verbis. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*, plenum habet *Topica non dicitur ars iudicatiua, sed inuentiua.* atque perfectum iudicium: & hinc ars hæc iudicatiua vocatur. Topica verò nō iudicatiua, quia perfectū iudiciū minime cōtinet, sed inuentiua dicitur quia inuentio in primis (vt bene ibidem D. Thom.) non petit certitudinem, & parti Topicę ex propriis inuenire conuenit loca, vnde eruenda sint argumenta probabilia. Etenim Dialectici officium est de quocunque proposito problemate disputationem instituere, vt testatur Aristot. *Aristotel.* 1. lib. Topic. cap. 1. sic inquiens. *Propositū quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Ad id autem præstandum magna argumentorum indiget copia, ex diuersis locis eruenda, nempe à definitione rei, à genere, à differentia, à contrariis, vel repugnantibus, à coniugatis, &c. Vtrumque autem nempe locorum inuentionem, & argumentorum probabilium ordinationem præstat Dialectica per partē Topicam: *Argumentorum inuentio Dialecticæ propria.* nam & si aliqua inuentio cæteris possit conuenire facultatibus, vt Philosophiæ, quæ intra latitudinem proprij obiecti, vel materiæ communes habet argumentandi locos; sola 24. tamen Dialectica sibi vendicat vniuersalem, ac methodicam locorum inuentionem in ordine ad prædictum finem, cum illa sit sola, quæ sic adinuenit, vt adinuenta ordinet, ac certis quibusdam interrogationibus argumenta ex inuentis locis disponat, ad probabilem disputationem de quocunque proposito problemate instituendam, vt idem docet Aristot. 8. lib. Topic. cap. 2. in hæc verba: *Aristotel.* *Oportet autem primum quidem enim, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum, secundum autem interrogare, & ordinare singula apud se ipsum: reliquum verò, & tertium dicere iam eadem ad alterum, quod autem inueniat locum similiter Philosophi, & Dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare, & interrogare proprium Dialectici:* Vnde fit artem Topicam, propriſsimè inuentiuam vocari; itaque & si iudicium cæteris Dialecticæ partibus conueniat, posterioristicæ tamen per excellentiam, ideo desumpta ab eo denominatione iudicatiua appellatur: & licet nonnulla inuentio cunctis etiam conueniat partibus, imo & aliis facultatibus, per excellentiam attribuitur parti topicæ, ac propterea ab hac excellentia sumpta denominatione dicitur inuentiua.

Qui locus, huic parti Dialecticæ debeatur, ostenditur.

POST inscriptionem sequitur, ordinatio huius partis cum cæteris Dialecticæ: *Qui locus huic parti debeatur.* circa quam non omnes loquuntur eodem modo: consentiunt tamen omnes, partem prioristicam, eam antecedere, & meri- 25. to quidem; quia ordo doctrinæ postulat, vt vniuersalia explicentur prius, deinde ad particularia procedatur, nam ex eorum notitia,

sed imperfectas admodum: si igitur ordina-
te, si modo conuenienti, si perfectè acquirẽ-
dæ sunt, media certè demonstratione ab hac
posterioristica arte condita.

De horum librorum inscriptione.

Inscribitur opus hoc de posteriori analysi,
hoc est, resolutione, quam inscriptionem,
vt explicemus melius, obseruandum est, ge-
minam esse resolutionem, quædam est rea-
lis, & physica, vt dum res aliqua in partes
realiter componentes resoluitur, & eiusmo-
di resolutio in eiusdem rei destructionem ce-
dit, vt dum mixtum in elementa resoluitur,
domus in tecta, parietes, ligna, & lapides;
alia est resolutio in partes quidem, ex quibus
res componitur, sed quæ non fit actione rea-
li, vel physica, sed à solo intellectu conside-
rante, vel examinante, vt dum intellectu iu-
dicamus, mixtum vere esse quoddam com-
positum ex elementis, & domum ex prædi-
ctis parietibus tali modo ordinatis, nihil ab
ea auferentis.

Sententia Cardin. Toleti.

Hanc resolutionem rationis partitur rur-
su Cardin. Toletus in procemio huius operis
quæst. 2 de inscriptione in mathematicam,
& Logicã. Mathematicã esse docet, qua pro-
positam cõclusionem in proprias causãs, per
quas demonstratur, reducimus, vt nihil aliud
sit talis resolutio, quam inquisitio, & perscru-
14. tatio quædam causarum illius conclusionis;
sicut in moralibus consultationes sunt inqui
sitiones mediorum ad res faciendas, vt docet
Aristotel. Aristoteles, 3. ethicorum cap. 3. ex quo patet
hanc resolutionem non esse demonstratio-
nem: nam demonstratio per causam effectũ
demõstrat; resolutio verò posito effectu cau-
sam indagat, potius igitur indagatio quędam
causarum appellanda est, & talis resolutio, sit
mathematica dicitur, non quod solus mathe
maticus ea vtatur, cũ & aliæ scientiæ etiam
in proprias causas conentur sua principia re-
digere; sed quod Mathematici frequentius,
& clarius id efficiant.

Impugnatur primo.

Hanc tamen diuisionem resolutionis pro
bare non possum, quia resolutio, quæ Ma-
thematica appellatur, vere est eadem cum
Logica. vnde membra diuisionis coincide-
re deprehenduntur, sed falsum ostendo,
quòd per demonstrationem non fiat: nam
dum propria causa alicuius effectus inqui-
ritur, & inuenitur à Mathematico, vel cer-
to constat eam esse talis effectus causam, vel
non; si non habetur per certitudinem, du-
bia erit, atque imperfecta talis resolutio, &
minimè scientifica, cum falsa esse possit, si
verò dicas certam esse resolutionem, atque
euidentem (vt necessario dicendum est; cum
sit à sciẽtia certissima facta) vel constat eam
esse causam talis effectus sola cognitione ter-
minorum absque discursu, vel per experien-
tiam, aut certè per euidentẽ discursum: duo 15.
modi priores sunt impossibiles, ergo tertius
erit necessarius, cum alius non supersit; at
tertius est demonstratio, ergo per demon-
strationem fit talis resolutio. Probatur mi-
nor. Ferè semper contingit talẽ causam non
esse primam, sed mediam cum prima vni-
ca sit, mediæ vero plures, tunc ergo cogno-
scetur esse causam ad primam reducibilem,
non igitur ex terminis, vel per cognitionem
principiorum, cum se habeat, tanquam cõ-
clusio resolubilis in aliam priorem; per ex-
perientiam autem impossibilius est, quia cũ
Mathematicæ disciplinæ, à materia sensibili
abstrahant, non probant suos effectus, vel
conclusiones per experientiam; experimen-
talis enim conditio sensibilis est; superest er-
go constare talem causam esse talis effectus;
per euidentem discursum, qui est demon-
stratio: vnde sequitur à resolutione Logica
non esse diuersam. Quod etiam secundo
ostendo. Resolutio Logica non est aliud
quam reductio conclusionis ad sua principia
vsque ad prima, tanquam ad veras causas per
euidentes demonstrationes, hoc est enim à
priori, vel propter quid demonstrare; ergo
resolutio Logica est effectus in propriã cau-
sam, vt de Mathematica dicitur, vnde absque
dubio coincidunt.

Per demonstrationem fit resolutio Logica.

Secundo idem ostenditur.

Scientifica resolutio Logica propria. Ratio.

Potius ergo dicendum est vnicam esse re-
solutionem, eamque proprie Logicã, quod
sic ostendo. Demonstratoria ars non con-
stat sine resolutione conclusionis ad sua prin
cipia, per demonstrationẽ euidentem: Ari-
stot. testante cap. 2. primi lib. vbi ait: *Non scit
qui demonstrationem horum non habet*: loqui-
tur autẽ de præmissis demõstrationibus, me- 16.
dio haud quaquã vacantibus, quas necessa-
rio demonstrari posse affirmat, hoc est, re-
duci ad prima principia, vt assensus conclu-
sionis ex eis deductus scientificus sit; ad eun-
dem igitur artificẽ pertinet, docere de-
monstrationem, & resolutionem conclusi-
onis in sua principia, atque adeò effe-
ctus in propriam causam; sed sola Diale-
ctica docet demonstrationem construere,
ergo sola docebit resoluere effectum in

Compositio est quasi corpus demonstrationis, resolutio vero quasi anima.

resolutione; sed compositio quasi corpus ipsius est, resolutio quasi anima: nam tantum excedit compositionem, quantū anima excedit corporis in constitutione hominis: iure igitur à resolutione accipitur huius operis inscriptio, tanquam à nobiliori, potius, quam à compositione.

Quare dicatur iudicatiua pars posterioristica.

SED rursus quæri in hac parte solet, quænam sit causa, vel ratio, ob quam pars hæc Dialecticæ iudicatiua dicatur, Topica verò non iudicatiua sed inuentiua.

Cardin. Toletus.

Cui, vt respondeat Doctor Toletus, plures, ac diuersas refert sententias, pluraque consumit verba; nos verò non iudicamus in hac re minima multum immorandum, sed omissis aliorum placitis, ex his, quæ docet D. Thom. in hoc prooemio respondendum censemus. Iudicium in primis perfectum (ait D Thom.) non est quæcunque sententia ab intellectu prolata, nec determinatio quælibet, ad alteram partem contradictionis, sed firma atque certa; dum enim intellectus inter vtramque partem contradictionis hæret, notum est non habere iudicium alicuius, sed hæsitationem, vel suspicionem: si verò ad alteram probabiliter sit determinatus, habet quidem assensum eius partis, cum formidine tamen alterius; atque ex cōsequenti iudicium, sed imperfectum, cum non omnino ei adhæreat; firmam igitur esse oportet adhæsionem intellectus, atque certam ad vnam partem, vt perfectum iudicium appelletur, & quia per demonstrationem adhæret intellectus, non solum firmiter, sed immobiliter conclusioni, vt docet expresse Aristoteles cap. 2. huius lib. 1. ad finem his verbis. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*, plenum habet atque perfectum iudicium: & hinc ars hæc iudicatiua vocatur. Topica verò nō iudicatiua, quia perfectū iudiciū minime cōtinet, sed inuentiua dicitur quia inuentio in primis (vt bene ibidem D. Thom.) non petit certitudinem, & parti Topicę ex propriis inuenire conuenit loca, vnde eruenda sint argumenta probabilia. Etenim Dialectici officium est de quocunque proposito problemate disputationem instituere, vt testatur Aristot. 1. lib. Topic. cap. 1. sic inquiens. *Propositū quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Ad id autem præstandum magna argumentorum indiget copia, ex diuersis locis eruenda, nempe à definitione rei, à genere, à differentia, à contrariis, vel repugnantibus, à coniugatis, &c. Vtrumque autem nempe locorum inuentionem, & argumentorum probabilium ordinationem præstat Dialectica per partē Topicam: nam & si aliqua inuentio cæteris possit conuenire facultatibus, vt Philosophiæ, quæ intra latitudinem proprij obiecti, vel materiæ communes habet argumentandi locos; sola tamen Dialectica sibi vendicat vniuersalem, ac methodicam locorum inuentionem in ordine ad prædictum finem, cum illa sit sola, quæ sic adinuenit, vt adinuenta ordinet, ac certis quibusdam interrogationibus argumenta ex inuentis locis disponat, ad probabilem disputationem de quocunque proposito problemate instituendam, vt idem docet Aristot. 8. lib. Topic. cap. 2. in hæc verba: *Oportet autem primum quidem eum, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum, secundum autem interrogare, & ordinare singula apud se ipsum: reliquum verò, & tertium dicere iam eadem ad alterum, quod autem inueniat locum similiter Philosophi, & Dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare, & interrogare proprium Dialectici:* Vnde fit artem Topicam, proprisimè inuentiuam vocari: itaque & si iudicium cæteris Dialecticæ partibus conueniat, posterioristicæ tamen per excellentiam, ideo desumpta ab eo denominatione iudicatiua appellatur: & licet nonnulla inuentio cunctis etiam conueniat partibus, imo & aliis facultatibus, per excellentiam attribuitur parti topicæ, ac propterea ab hac excellentia sumpta denominatione dicitur inuentiua.

D. Thom. sententia. 23. *Aristotel.* *Topica non dicitur ars iudicatiua, sed inuentiua.* *Aristotel.* *Argumentorum inuentio Dialectica propria.* 24. *Aristoteli.*

Qui locus, huic parti Dialecticæ debeatur, ostenditur.

Qui locus huic parti debeatur.

25\. POST inscriptionem sequitur, ordinatio huius partis cum cæteris Dialecticæ: circa quam non omnes loquuntur eodem modo: consentiunt tamen omnes, partem prioristicam, eam antecedere, & merito quidem; quia ordo doctrinæ postulat, vt vniuersalia explicentur prius, deinde ad particularia procedatur, nam ex eorum notitia,

forma, ac modo colligendi vnum ex altero: & rursus in tantum aliæ partes certitudinem habent, in quantum per certam demonstrationē docet quælibet proprii obiecti rationem, & constitutionem: ab hac igitur demonstratione, tamquam proprium obiectum statuente certitudinem accipient.

Obiectio. Si autem dicatur conuincere quidem rationem, nobiliorem esse hanc partem Topica, atque Sophistica, quemadmodum demonstratiuus syllogismus, Topico, atque Sophistico, longe nobilior est: cæterum cum Prioristica comparatam, minus nobilem esse, queadmodum forma nobilior est materia: etenim Priorum libri de forma differunt syllogistica. Posteriorum verò de materia syllogismi necessaria; pars Topica, atque

8. Sophistica, de probabili, atque apparenti: ille igitur tractatus, vtpote syllogismi formam, tanquam obiectum proprium considerans, nobilior erit tribus cæteris materiā considerantibus, quanquam inter eas, primum locum meritò teneat pars posterioristica.

Occurritur obiectioni. Difficile profectò argumentum: præsertim si vulgari modo loquendi, frequenter in schola vsurpato standum sit, partem videlicet posterioristicam à cæteris separari, per materiam necessariam syllogismi, quam considerat, & per quam à cæteris syllogismis distinguitur demonstratio: conuincit enim tunc argumentum: posterioristicum tractatum prioristico esse inferiorem: si tamen rem diligentius expendamus, inueniemus longe aliter rem se habere, & demonstrationem, non solam materiam addere supra communem formam syllogisticam, sed etiam formam determinatam, per quām à probabili syllogismo, & sophistico separatur: vtrumque autem (mea quidem sententia) euidenter conuincitur his rationibus.

1. Argum. Prima quidem. Quia syllogismus genus est ad demonstrationem, topicum, & sophisticum, genericæ namque sunt prædicationes istæ, demonstratio est syllogismus; probabilis est syllogismus; atque etiam Sophisticus; addit igitur differentiam essentialem, atque specificam demonstratio, supra communem rationem syllogismi, eam contrahentem ad perfectissimam speciem; sed differentia specifica est formalis, non à materia, sed à forma specifica radicaliter desumpta; ergo eam addere demonstrationem supra communem, atque genericam formam necesse est, & non solam materiam; & certè si solam materiam adderet; non esset species, sed indiuiduum, per materiam namque indiuiduantur res, per formam in specie constituuntur.

Et confirmatur. Quia si non adderet aliam formam, sed solam materiam, sequitur demonstrationem, vt demonstratio est reduplicatiue, non esse formalem consequentiam, sed materialem; vnde non repugnabit in demonstratione, vt demonstratio est, dari antecedens verum, & consequens falsum, quanquam repugnet ex parte communis formæ syllogisticæ: quemadmodum non repugnat dari in cæteris argumentis ex parte materiæ tenentibus, quod tamen planè falsum est, & naturæ demonstrationis aduersum, quæ secundum propriam rationem generat assensum scientificum. Confirmat. 9.

2. Argum. Secundo probatur. Demonstratio distinguitur specie à syllogismo probabili, & sophistico (vt ostendit proprius eius effectus) generat namque scientiam, probabilis verò opinionem, & errorem Sophisticus: diuersi autem effectus per se, non possunt procedere, nisi à causis particularibus secundum speciem diuersis; tunc vltra, distinctionem specificam, cum sit formalis, non constituit nisi differentia, seu forma; præter generalem igitur, in qua conueniunt, particulares formas addere, quibus specie separentur, necesse est.

3 Argum. Tertio. Syllogismus in communi est compositum artificiale arte Dialectica ab intellectu fabricatum; & syllogismus demōstratiuus, probabilis, & Sophisticus, sunt composita particularia eadem arte facta, & quidem sub hoc genere artificiali specie distincta; ergo habet quodlibet suam propriā artificialem formam, per quam distinguitur specie ab alio præter communem, in qua conueniunt, & præter materiam, à qua specificam distinctionem procedere repugnat: etenim duo composita arte facta, quanquam ex diuersa materia aurea, vel argentea, si eādem habeant artificiosam formam, nō possunt distingui specie, vt vas aureum, & argentum ostendunt, eiusdem formæ, vel figuræ: quæ, & si in genere naturali, specie separentur ob metallorum diuersitatem, minime in ordine artificialium, quia specifica distinctio metallorū materialis est ad genus arte- 10.

Simile ad idem ostendendum.

artificiale comparata, siquidem metallum, tanquam subiectum se habet, vel materia ad artificialem formam, quam in se recipit; pugnat igitur cum natura rerum artificialium, huiusmodi syllogismos ex parte solius materiæ, esse distinctos specie; & cum distinctio specifica constet, necesse est aliquas formas artificiales, addere communem formam syllogisticam, determinantes ad diuersas species, præter materiam necessariam, probabilem, & apparentem.

Tria in demonstratione distincta secundum rationem. Quæ sit autem hæc forma non est facile explicare: præserrim cum nemo de hac re verbum fecerit; sic autem videtur nobis explicandum, vt tria in demonstratione secundum rationem distincta consideremus. *1. Consider.* Primum est vniuersalis ratio formæ syllogisticæ, hoc est, dispositionis in modo, & figura; & hæc communis est probabili, & sophistico. *Secundum.* Secundum est, specialis ratio concludendi effectum ex causa, si à priori sit demonstratio; vel causam ab effectu, si sit à posteriori; quod proculdubio specialis formæ rationem habet, cum necessaria sit connexio causæ per se cum effectu in quibuscunque rebus, vt probat efficaciter hæc ratio.

Prob necessariam esse connexionē causæ cum effectu. Præmissæ continentes causam conclusionis, sunt rationes formales assentiendi, à quibus assensus ipse scientificus speciem capit; ergo respectu illius non se habent tanquam materia, sed per modum formæ, vel medij formalis assentiendi: vnde fit, vt cum demonstratio non sit aliud, quam præmissæ taliter dispositæ, vt euidenter inferant assensum scientificum conclusionis, & in tali
11. dispositione, non solum claudatur modus, & figura, sed formalis ratio assentiendi, quam præmissæ continent, ad formam demonstrationis specialem pertineat, vtramque præmissam esse talem rationem assentiendi, in qua virtualiter assensus conclusionis contineatur.

Tertium. Postremum in demonstratione considerabile est, tres propositiones, ex quibus demonstratio conflatur, necessarias esse; hoc est, non contingentes, vel in materia remota, & huiusmodi consideratio distincta est à secunda, nam & si duo hæc re ipsa sint coniuncta, videlicet præmissas causam esse per se conclusionis, vel per se effectum, & esse in materia necessaria: vniuersalius tamen est secundum, & ideo à primo abstrahit,

cum notum sit, non quaslibet propositiones necessarias, esse causam per se conclusionis: vnde fieri potest, vt modum formæ illud habeat, hoc vero modum materiæ. *Quæ sit forma posteriorum propria.*

Contracta igitur vniuersalis ratio formæ syllogisticæ per modum inferēdi, vel assentiendi formalem, effectus ex causa per se, vel causæ ex effectu, speciem potissimam syllogismi constituit in materia necessaria 12.
consistentem: & syllogismum probabilem vel sophisticum, si per proprios inferendi modos probabilem, vel apparentem contrahatur, in materia contingenti, vel apparenti consistentes; & rursus à duobus his syllogismis separatur demonstratio formaliter per proprium, ac perfectissimum inferendi modum expositum, tanquam per propriam formam, ac differentiam; ac demum materialiter per materiam necessariam, vt sic à contingenti vel remota distinctam.

Finis, & inscriptio late traditur.

Finis huius partis. FINIS huius partis nobilissimus est, cum propriam perfectionem hominis, in quantum est rationalis, pertingat: etenim suprema hominis dignitas est esse rationis participem, à qua naturale illud desiderium oritur, cuius Aristoteles testimonium perhibet. *Aristotel.* 1. lib. metaph. cap. 1. statim in principio, sic inquiens. *Omnes homines, natura scire desiderant*: perficit autem posterioristica pars tale desideriū, potissimum instrumentum sciendi, nempe demonstrationem constituens.

Vtilitas. Ex fine autem facile intelligitur eius vtilitas, quæ adeo magna est, vt instrumentum præbeat potissimum, quo non solum iuuantur, sed stabiliuntur cæteræ omnes scientiæ; tolle demonstrationem, & nulla erit comparabilis scientia; imo neque in se aliqua erit scientia, nisi sit per demonstrationem comparabilis; quę igitur ars demonstrationem condere docet, vtilissima erit, ad cunctas scientias comparandas, atque etiam stabiliendas.

Necessitas Nec solum vtilis, sed omnino necessaria ad eas saltem perfecte acquirendas; nam, & si lumine naturali rationis ostendente, quasdam posſimus demonstrationes efficere, 13.
quibus cæteras scientias nobis comparemus

Compositio est quasi corpus demonstrationis, resolutio vero quasi anima.

resolutione; sed compositio quasi corpus ipsius est, resolutio quasi anima: nam tantum excedit compositionem, quantũ anima excedit corporis in constitutione hominis: iure igitur à resolutione accipitur huius operis inscriptio, tanquam à nobiliori, potius, quam à compositione.

Quare dicatur iudicatiua pars posterioristica.

SED rursus quæri in hac parte solet, quænam sit causa, vel ratio, ob quam pars hæc Dialecticæ iudicatiua dicatur, Topica verò non iudicatiua sed inuentiua.

Cardin. Toletus. Cui vt respondeat Doctor Toletus, plures, ac diuersas refert sententias, pluraque consumit verba; nos verò non iudicamus in hac re minima multum immorandum, sed omissis aliorum placitis, ex his, quæ docet D. Thom. in hoc procemio respondendum censemus. Iudicium in primis perfectum (ait D Thom.) non est quæcunque sententia ab intellectu prolata, nec determinatio quælibet, ad alteram partem contradictionis, sed firma atque certa; dum enim intellectus inter vtramque partem contradictionis hæret, notum est non habere iudicium alicuius, sed hæsitationem, vel suspicionem: si verò ad alteram probabiliter sit determinatus, habet quidem assensum eius partis, cum formidine tamen alterius; atque ex cõsequenti iudicium, sed imperfectum, cum non omnino ei adhæreat; firmam igitur esse oportet adhæsionem intellectus, atque certam ad vnam partem, vt perfectum iudicium appelletur, & quia per demonstrationem adhæret intellectus, non solum firmiter, sed immobiliter conclusioni, vt docet expresse Aristoteles cap. 2. huius lib. 1. ad finem his verbis. *Oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*, plenum habet atque perfectum iudicium: & hinc ars hæc iudicatiua vocatur. Topica verò nõ iudicatiua, quia perfectũ iudiciũ minime cõtinet, sed inuentiua dicitur quia inuentio in primis (vt bene ibidem D. Thom.) non petit certitudinem, & parti Topicę ex propriis inuenire conuenit loca, vnde eruenda sint argumenta probabilia. Etenim Dialectici officium est de quocunque proposito problemate disputationem instituere, vt testatur Aristot. 1. lib. Topic. cap. 1. sic inquiens. *Propositũ quidem negotij est methodum inuenire, per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus.* Ad id autem præstandum magna argumentorum indiget copia, ex diuersis locis eruenda, nempe à definitione rei, à genere, à differentia, à contrariis, vel repugnantibus, à coniugatis, &c. Vtrumque autem nempe locorum inuentionem, & argumentorum probabilium ordinationem præstat Dialectica per partẽ Topicam: nam & si aliqua inuentio cæteris possit conuenire facultatibus, vt Philosophiæ, quæ intra latitudinem proprij obiecti, vel materiæ communes habet argumentandi locos; sola tamen Dialectica sibi vendicat vniuersalem, ac methodicam locorum inuentionem in ordine ad prædictum finem, cum illa sit sola, quæ sic adinuenit, vt adinuenta ordinet, ac certis quibusdam interrogationibus argumenta ex inuentis locis disponat, ad probabilem disputationem de quocunque proposito problemate instituendam, vt idem docet Aristot. 8. lib. Topic. cap. 2. in hæc verba: *Oportet autem primum quidem eum, qui interrogare debet, locum inuenire, vnde sit argumentandum, secundum autem interrogare, & ordinare singula apud se ipsum: reliquum verò, & tertium dicere iam eadem ad alterum, quod autem inueniat locum similiter Philosophi, & Dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare, & interrogare proprium Dialectici:* Vnde fit artem Topicam, proprissimè inuentiuam vocari: itaque & si iudicium cæteris Dialecticæ partibus conueniat, posterioristicæ tamen per excellentiam, ideo desumpta ab eo denominatione iudicatiua appellatur: & licet nonnulla inuentio cunctis etiam conueniat partibus, imo & aliis facultatibus, per excellentiam attribuitur parti topicæ, ac propterea ab hac excellentia sumpta denominatione dicitur inuentiua.

D. Thom. sententia.

23.

Aristotel.

Topica non dicitur ars iudicatiua, sed inuentiua.

Aristotel.

Argumentorum inuentio Dialecticæ propria.

24.

Aristoteli.

Qui locus, huic parti Dialecticæ debeatur, ostenditur.

Qui locus huic parti debeatur.

POST inscriptionem sequitur, ordinatio huius partis cum cæteris Dialecticæ: circa quam non omnes loquuntur eodem modo: consentiunt tamen omnes, partem prioristicam, eam antecedere, & merito quidem; quia ordo doctrinæ postulat, vt vniuersalia explicentur prius, deinde ad particularia procedatur, nam ex eorum notitia,

25.

127

particulariū cognitio dependet:etenim vniuersale prædicatum, vt genus cum speciebus comparatum, pars est earum essētialis, præmitti igitur necesse est notitiam eius, vt species cognosci valeant: sed syllogismus in cōmuni, genus est ad demonstrationem Topicum, atque Sophisticum, ergo eius cognitio premittenda est; ita docuit plāne Arist. 1. lib. de priori resolutione cap. 1. vbi in intentionem prius demonstrationē cadere affirmat tanquam finem, in quem forma syllogistica ordinatur, sed in executione prius esse tradendam doctrinam de syllogismo in communi, vt quid demonstratio sit intelligi possit.

Aristotel.

Aliqui sentiunt Priorum, & Posteriorū tractatum esse eundem. *Villalpād.*

Hanc veritatē sic receperunt nonnulli, vt crederent vnum, eundemque tractatum cōponi ex libris Priorum, & Posteriorum, ita vt prior eius pars sint priora: posteriora verò posterior, de quorum numero fuit Villalpandus in prologo librorum de priori resolutione, quorundam antiquorum sententiam sequutus, quam confirmat, Quia statim in principio priorum, quasi sub eodem procemio comprehenduntur posteriora cum prioribus: promittit namque Aristoteles eo loco se acturum de demonstratione, sed de syllogismo prius; & rursus 2. lib. de Posteriori resolutione cap. 10. ad finem hæc verba, quasi epilogum totius operis scripsit, quibus demonstrationem, & syllogismum, tanquam materiam eiusdem tractatus comprehendit. *De syllogismo igitur ac demonstratione, & quid vtrumque est, & quo modo fit, manifestum est simul verò, & de scientia demonstratiua, idem enim est.*

Aristotel. 26.

Communis sententia.

Diuersos tamen tractatus efficit communis Dialecticorum cōsensus, cum D. Thom. in hoc procemio, & verè tanquam diuersi ab Aristotel. proponuntur vt diuersa inscriptio, & connumeratio librorum ostendit; nec enim sub eodem librorum numero connumerantur, vt contingit sæpe in his, quæ sub eodem tractatu comprehenduntur: non enim dicitur primus horum librorum, tertius de priori analysi post duos alios, sed primus de posteriori resolutione, quo insinuatur plane tractatuum diuisio.

Nec refert simul in procemio proponi demonstrationem, & syllogismum, vel sub eodem epilogo comprehendi; sæpe enim contingit multa simul proponi diuersis tractatibus explicanda, cuius exemplum habemus in eodem Aristotele, qui primo libro Ethicorum cap. 2. in fine, proponit se acturum de politica ciuitatis gubernatiōe, quod tamen alio diuerso tractatu à libris Ethicorum præstitit: vnde fit libros de priori resolutione, tanquam diuersum tractatum præpositos esse his libris de resolutione posteriori, quem ordinem, vel ipsimet tituli planè indicant: in eo tantum dissensio est, an statim post tractatum de resolutione priori, locus sit posterioribus concedendus, vel Topica pars eis sit anteponenda? 27.

Sententia Philoponi, & Auicenna Topicorum opus, huic præponens. *1. Huius causa.*

Philoponus, & Auicena in procmio huius operis, aiunt Topicorum opus proximè esse collocandum post librum priorum Et huic nostro esse anteponendum duplici de causa: tum quia intellectus ad scientificam veritatem capiendam, rationibus solet probabilibus disponi, & quasi facilioribus, atque imperfectioribus manu duci, vt perfectissimi assensus (qualis est scientificus) capax fiat; ergo iuxta doctrinæ ordinem prius Topicorum notitia tradenda est, quàm ars demonstratoria explicetur: tum etiam, quia probabile superius quid est ad necessarium, valet enim hoc est necessarium, ergo probabile: non tamen è diuerso, est probabile, ergo necessarium; cum probabilia omni ferè ex parte sint contingentia, & quibus falsum subesse non repugnat, sed superiora, vtpote magis vniuersalia prius explicanda sunt ordine doctrinæ (vt superius vidimus) ergo probabilia, de quibus est ars Topica, prius tradenda sunt, quàm necessaria, de quibus est posterioristica; huic modo dicendi fauet testimonium Aristotel. expressum. 1. lib. de priori resolut. cap. 1. vbi sic loquitur. *Propositio Dialectica percunctanti quidem interrogatio est contradictionis, ratiocinanti autem sumptio apparentis, & probabilis, quemadmodum in Topicis dictum est, &c.* Quibus verbis definitionem propositionis Dialecticæ designatam iam à se in Topicis refatur, quod stare minimè posset, nisi libros Topicorum iam à se explicatos præsupponeret; negare igitur nullo modo possumus prius esse ab Aristotele collocatos, quam libros Posteriorum. 28.

2. Causa.

Ab auctoritate Aristotelis.

Vera Diui Tho. sententia, & aliorum. *Caietan. P.*

Placet nihilominus communis sententia D. Thom. in procemio huius operis, Albertus Magn. lib. 1. posteriorum tractat. 1. ad finem, quos cæterorum interpretum turba sequitur Caietanus, M. Sotus, Copula-

ta l.o-

propriam caufam.

Ratio. Vnde infertur, euidentem refolutionem (fi fcientifica fit) ad folā Dialecticam per fe pertinere, à qua eam mutuantur aliæ fcientiæ, Phyficæ, Mathematicæ, atque etiam Metaphyfica omnium perfectifsima: folum igitur Mathematica, vel Metaphyfica vocari poteft refolutio, in quantum ad materiā harum fcientiarum applicatur, quemadmodum demonftratio: ita vt ad Logicam tanquam ad docentem pertineat, ad cæteras verò fcientias, tanquam ad vtentes, quemadmodum Logica ipfa, cunctaq; inftrumēta à fe facta duplicem hanc appellationē admittunt docentis, & vtentis, eadem tamen funt quæ ab ipfa Logica fiunt, & quibus cæteræ vtuntur fcientiæ: quemadmodū Logica ipfa docens eadem eft, qua vtuntur aliç fcientiæ; & vt propriæ fint locutiones, potius dicendum eft, vfum Logicæ communicari alijs fcientijs, dum diuidunt, fyllogizant, demōftrant: & eodem modo de refolutione loquendum eft, cum intrinfice fit in demon-
17. ftratione claufa; qu fi pafsiue docentem effe ad Logicam comparatam, ad alias verò fcientias quafi vtentem, vel potius eam docere Logicam; & eiufdem prorfus, quam Logica docet, & docendo conftituit, vfum effe in aliis fcientiis; & ex materia earum diuerfa diuerfam appellationem fortiri; fed cum vna, eademque fit fecundum fubftantiam, ac rationem formalem, diuifionem minimè patitur; nifi fortè ex vfu diuerfarum fcientiarum; & tunc tot effent refolutiones, quot fcientiæ ea vtentes, & fic diuifio maximam parit confufionem, ac propterea admittenda non eft.

Refolutio Logica non eft realis, fed rationis. Vnde fit (vt ad infcriptionis explicationem reuertamur) refolutionem non de reali, fed de refolutione rationis ab intellectu facta, cōclufionis in fua principia, vel effectus in propriam caufam accipiendam effe, hæc eft enim fcientifica, hæc ad demōftrationem pertinens, vt infcriptio libri maximam cum obiecto proprio, nempe cum demonftratione cognationē habeat, de pofteriori autem dicitur comparatione alterius tractatus, qui fyllogifmum refoluere docet in principia communis formæ fyllogifticæ; & meritò quidem, nam communia priora funt, fecūdum ordinem doctrinę particularibus: vnde prius eft noffe fyllogifmū in principia refoluere, quantum ad formam fyllogifmi communem, quàm demonftrationem in principia propria, fecundum ra-
tionem formæ particularis: nifi enim præintelligamus fyllogifmum effe ex illa parte 18.
euidentem, impofsibile eft vim & efficaciam demonftrationis percipere: prior ergo refolutio illa appellatur, pofterior hęc, atq; ex confequenti tractatus ille de refolutione priori merito infcribitur, ifte verò de pofteriori.

Sed obiiciet aliquis. Demonftratio eft obiectū huius partis, ad quā non minus cōpofi- Obiectio.
tio pertinet, quam refolutio, quin potius, prius eft eam componere, quam præmiffas, vfque ad prima principia per refolutionem deferre, & vtrunque docet pofterioriftica ars, cum compofitio quafi fundamentum fit refolutionis, quid enim refoluere poffumus, nifi quod ex partibus compofitum eft; longe igitur melius infcribentur libri de compofitione pofteriori, vel de compofitione demonftrationis, quam de pofterioris refolutione.

Circa folutionem huius difficultatis refert Pater Toletus antiquorum interpretum Solut. 1. P. Toleti.
fententiam, Philoponi, Durandi, & aliorum in principio priorum, qui fatentur vtramque ad hanc partem pertinere, nempe compofitionem, & refolutionem, fed quia potior eft refolutio, atque difficilior, ab ea nomen accepit, & vocata eft pofterior refolutio, potius quam compofitio: quam tamen non videtur recipere, fed aliter fentire, ait enim hanc artem per fe docere refolutionem præmiffarum in prima principia; cæterum quia refolutio tradi non potuit, quin prius, quid fyllogifmus, quid demōftratio effet ex-
plicaretur, ideò eiufmodi definitiones defi- 19.
gnatæ funt: hoc tamen non eft componere, fed ea oftendere, in quæ refolutio facienda eft, fatendū denique effe affirmat, eadem arte nos doceri, & refoluere, & componere, fed illud prius.

Vera fententia duplici conclufione explicatur.

NOSTRA autē fententia antiquis cōfentania, duplici affertione explicatur: prima, Pofterioriftica ars vtrū- 1. Affertio.
que per fe docet, & demōftrationem cōponere, & præmiffas eius, vfque ad prima principia refoluere.

Tolet. Ona. ta Louaniensis, P. Toletus, Mercatus, & M. Oana in eodem proœmio, non obscurè ab Aristotel. insinuata, 1. lib. priorum cap. 1. vbi de demonstratione se acturum promittit, prius tamen de syllogismo, quia vniuersalior est ratio formæ syllogisticæ; statim ergo post tractatum de syllogismo vult esse collocandum tractatum de demonstratione natura etiam demonstrationis hunc postulat locum.

Probat. 1. Primo, quia cum sit inter species syllogismi perfectissima statim post tractatum generis est consideranda.

Triplex processus intellectus. Secundo, quia processus intellectus (vt acute satis D. Thom. in hoc proœmio) triplex est, primus atque perfectissimus, quo ex necessariis, & semper veris præmissis deducit conclusiones etiam necessarias, & semper veras: processus secundus à primo deficit, atque adeò imperfectus, procedens ex præmissis non semper veris, sed quibus accidens falsum potest, ex quibus infert conclusiones non semper veras, aut necessarias, sed quibus potest subesse falsum. Tertius est, qui non ex necessariis, vel probabilibus, sed apparentibus duntaxat conclusionem infert,

29. solam apparentiam veritatis habentem, & iste est imperfectissimus. Primus igitur est

1. Demonstratiuus. demonstratiuus, atque scientificus, vtpote scientiam tanquam proprium effectum generans. Secundus Topicus, generans opinio-

2. Topicus. 3. Sophisticus. nem: sophisticus tertius, generans errorem; secundus degenerat à perfectione primi, sed multo magis tertius, & vterque quasi obliquus est respectu primi, à cuius rectitudine deficit, & tanto magis à perfectione deuiat, quanto magis ab eo elongatur; vnde cum rectum (vt aiunt) sit iudex sui, & obliqui, fit vt duo vltimi per primum sint regulandi, atque adeò per eum cognoscibiles, atque ex consequenti ordine naturę, atque etiam doctrinæ prius in notitiam veniat demonstratio, quam Topicus syllogismus, vel sophisticus, & primus locus debeatur post tractatum de syllogismo in communi posterioribus de demonstratione agentibus, quibus succedunt libri Topicorum, ac tandem libri Elenchorum.

Ad primā rationē respondetur. Nec prima ratio alterius sententiæ hunc ordinem inuertere cogit: nam, & si verum sit rationes probabiles aliquando ad demonstrationem capiendā disponere circa vnam, vel alteram conclusionem, sed non est talis ordo necessarius inter hunc tractatum, & Topica; sed cum demonstratio perfectissima sit species, & mensura probabilis syllogismi, prius natura in considerationem venit, vt ostensum est.

Ad secundam rationem. Secunda ratio falsum supponit, nempe necessarium esse probabile, sed disparatæ absq; dubio sunt rationes; probabile namque talis est naturæ, cui non repugnat subesse falsum; at necessario, omnino repugnat cū sit ad veritatem prorsus determinatum; vnde falsum est etiam se habere probabile, vt quid superius ad necessarium, ac propterea considerationem illius ordine naturæ præcedere; sed cum sint diuersæ species, notitiæ, vel assensus, & media ipsa, nempe demonstratio, & syllogismus probabilis, species syllogismi quasi disparata: illam prius considerare oportuit, quæ se habet quasi huius mensura: proinde enim hæc per accessum, vel recessum ab illa cognoscibilis est. 30

Ad Arist. Nec testimonium Aristotelis quidpiam continet huic ordini aduersum, non enim locum singulis his tractatibus designat, sed solum docet iam fuisse omnes à se auditoribus dictatos, vel saltem excogitatos: nam si loca designasset, Topicorum tractatus, nō solum posteriora præcederet, sed priora, quod tamen falsum est: & patronis oppositæ sententiæ aduersum; qui cum communi sententia tenent, libros priorum, Topica & Posteriora præcedere.

Modus procedendi & diuisio operis traduntur.

Demōstratione hic nō procedere Aristot. probatur. CIRCA modum procedendi consentiunt omnes, definitionibus, ac diuisionibus procedere Philosophum in tradenda nobis natura demonstrationis, nam cap. 2. lib. priorls duplici definitione eandem definit, & in sequentibus sæpe numero vtitur diuisione; sed an etiam demonstratione procedat, non est adeò apud omnes certum: difficile est enim naturam demonstrationis, per demonstrationem ostendere, nam demonstrationem quis poterit constituere prius, quam conditionem eius intelligat: nullus profecto; ergo nec per demonstrationem, notitiam eiusdem demonstrationis habere, vel aliis tradere. 1. Argum.

Secun-

2. Argum. Secundo. De obiecto scientiæ duo esse præsupponenda docet Aristotel cap. statim primo libri prioris, an sit, & quid sit? sed demonstratio obiectum est huius scientiæ, ergo quid sit, hoc est, eius definitio præsupponenda erit, hoc est non probanda per demõstrationem, cum sit principium per se no-
31. tum in scientia, sed simpliciter designanda: non est igitur necessarius, imò nec in doctrina Aristotelis possibilis talis modus procedendi in hoc tractatu per demõstrationem; & certè si demonstratio probaretur per demonstrationem: infinitus quidam processus esset necessario in demõstrationibus admittẽdus: nam si vna demonstratio per aliã probatur: illa, quę aliam probat, cum nõ minus sit demonstratio, erit probabilis per alteram, & sic in infinitum.

Vlt. argu. Postremo. Idem probaret seipsum, quia demonstratio illa, qua vtimur ad ostendendam demonstrationis naturam, sub demonstratione in communi, cuius naturam ostendit, comprehenditur, ergo seipsam ostendit, quod nequaquam admitti potest.

Paulus Venetus. Propter vnum, & alterum ex his argumentis Paulus Venetus in commẽtariis huius capitis tenet, definitione, ac diuisione procedere Aristotelem in hoc tractatu, nequaquam demonstratione, refertque pro hac sua sententia Aegidium, & videtur in eam inclinare Albertus Magn. in proœmio *Albertus Magnus.* huius operis dicens, modum procedendi esse definitiuum, diuisiuum atque collatiuum: nam definita demonstratione notior fit natura eius ex collatione cõclusionis cum præmissis, in quo nulla videtur esse demonstratio.

Refellitur hæc sententia. Hic tamen modus dicendi, non potest vllo modo sustineri, cum Aristotel. cap. statim secundo prioris libri, demonstratione
32. vtatur ad probandum, ex primis, veris, notioribus, causisque conclusionis demonstrationem procedere: talis autem est demonstratio. Omnis syllogismus faciẽs scire procedit ex primis, veris, notioribus, causisque conclusionis; sed demonstratio est syllogismus faciens scire, ergo ex his procedere debet. In sequentibus etiam, aliis vtitur demonstrationibus ad proprietates, vel conditiones demonstrationis ostendendas, argumentis autem oppositis sic occurrendum est.

Ad primũ argument. Primo quidem, hac distinctione: duobus modis contingit demonstrationem construere: arte quidem, vel solius naturalis luminis virtute; & modus prior perfectus est, nec possibilis, nisi habita definitione demõstrationis, aliisque conditionibus eius perspectis: secundus verò tanquam imperfectus his non indiget: etenim vt in quæstionibus proœmialibus adnotauimus agentes de necessitate Dialecticæ, vna est perfecta, quam sciẽtiam vocamus, vel artem; alia imperfecta, quæ vocatur naturalis, nam à natura habet homo, cum sit discursiuus, quosdam imperfectos syllogismos posse cõstruere, etiam si naturam syllogismi ignoret, qui si sint ex propositionibus necessariis, erunt demonstrationes, licet imperfectæ: vnde fit nullam continere repugnãtiam, quod conditio demonstrationis, per demonstrationem, non arte, vel sciẽtia factam, sed imperfectam, per virtutem luminis naturalis ostendatur.

Secunda solutio primi argument. Vel etiam secundo respondetur, & fortè melius, demonstrationem plures habere causas, habet enim finalem, quæ est generare scientiam, formalem, vel etiam materia- 33.
lem, nempe ex primis, veris, notioribus, causisque conclusionis procedere; efficientem verò naturale lumen, quo supposito fieri potest, vt definitio eius per vnũ genus causæ designata, alteram diuersum genus causæ continentem demonstret, & a priori quidem, si illud genus causæ prius sit, & hoc modo demonstratione procedatur in manifestanda eius natura: sic arbitror processisse Aristot. cap. 2. dum designata definitione demonstrationis per genus causæ finalis, quod est generare scientiam, ac tãquam medio desumpta, materialem, vel formalem definitionẽ demonstratione ostendit, vt demonstratio à nobis in exemplũ producta testatur, in qua non proceditur ab ignoto, cum iam sit natura demõstrationis explorata, per finalem definitionem; hoc autem præstito bene potuit in processu huius operis, aliis vti demonstrationibus, quibus mediis alias conditiones eiusdem demonstrationis notas faceret; tunc enim non proceditur ex ignotis, cum iam sit cognita demonstratio. *Demonstratio plures habet causas.*

Ad secũdũ argument. Ad secũdum argumentum dicimus, pręsupponi de obiecto quid sit, illud duntaxat significare, quod est, sic tradere definitionem eius, 34.
vel nosse, vt tamen à priori non demõstretur

in illo

in illo eodem genere causæ, quod continet, vt si finalis sit, in genere causæ finalis non est demonstranda: repugnat enim quid prius reperiri in tali genere causæ, per quod demonstrari valeat: cæterum in diuerso causæ genere nullam continet repugnantiam, nec eo modo demonstrare tollit, quin vere

Ad tertiū argument. præsupposita censeatur. Nec tamen dabitur propterea processus in infinitum, quod per demonstrationem ostēdatur demonstrationis natura: nam illa demonstratio, qua vtimur ad demonstrationis manifestationem, non indiget alia, vt ostendatur, sed seipsam

Ad quartū argument. ostendit diuersa ratione, nam in quantum quoddam instrumētum est particulare, quo vtimur ad manifestandam communem demonstrationis naturam, seipsam manifestat, vt sub communi natura continetur, quod aliis verbis dicitur demonstrationem in actu exercito, se ipsam in actu signato sumptam demonstrare: nam & sub hac di-

35. uersa ratione negare non possumus, definitionem seipsam definire: vnde in ea sistendum est, nec vlterius procedere licet, & hæc solutio postremo etiā argumento facit satis.

Totius operis diuisio.

Generalis est diuisio totius operis in duos libros, in quorum primo naturam demonstrationis proponit, explicat, ac probat Aristoteles. In secundo de definitione, quæ medium eius potissimum est, disserit: specialis autem diuisio librorum suis locis relinquenda est.

CAPVT PRIMVM.

OMNIS doctrina, & omnis disciplina intellectiua ex præexistenti fit cognitione, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Diuisio primi libri.

LIBER de posteriori resolutione primus, quem interpretandum aggredimur in tria diuiditur membra. Primum continet demonstrationem esse. Secundum, quid sit demonstratio, quibusve parti-

1. *bus constet. Tertium, qualis sit: hoc est, quæ sint eius passiones, vel proprietates? Caput itaque hoc primū prima pars eius est, in quo Aristoteles, vt demonstratione esse ostendat, præstat tria, primum hanc vniuersalem propositionem proponit atque probat: Omnis doctrina, omnisque disciplina ex præexistenti fit cognitione. secundum, vt eam explicet, eiusque veritate ostendat, docet duplicem esse præcognitionem: tria autem, de quibus præcognitiones habētur: tertium, ex proposita doctrina argumentum quoddam, cui inniti videbatur Platonis sententia, (quadam alia solutione refutata) diluit.*

Tria præstat in 1. cap. Arist.

Aristot. videtur obscuritatem affectasse.

Aristoteles in tradenda demonstrationis doctrina videtur obscuritatem affectasse, vt interpretes eius non pauci adnotauerunt, & si in toto hoc tractatu id cernimus, maximè profecto in hoc primo capite, quòd quasi caput ipsius est; sed obscuriorem literam, eiusque contextum efficit expositionum diuersitas. à qua abstinentes, magisque communem modum exponendi tenentes, dabimus operā vt facile ab incipientibus accipiatur.

Vt igitur clarius procedamus, placet duo antiquorum Philosophorum, qui Aristotelem antecesserunt placita, eorumque fundamenta proponere, vt melius doctrina eius vtrūque excludens intelligatur fuerunt quidam Philosophi, Heraclitus, & Cratillus, qui cum inter sensum, & intellectum minime distinguerent, & ex alia parte existimarent nihil esse præter singularia sensibilia, quæ cernimus, de quibus constat non habere esse fixum, sed in 2.

Duo antiquorum Philosophorū placita de scientia.

continuo motu versari atque adeo statim ac esse incipiunt transire pro certo ducentes ex conditione obiecti accipiēdum esse cognitionis modum, posuerunt non esse in nobis aliquam firmam, vel stabilem rerum cognitionem, sed transire statim, vel ex se desinere transeunte obiecto, & cum firmam esse oporteat, atque perpetuam scientificam notitiam, eam penitus impossibilem putauerūt. Huius positionis meminit Arist. 4. metaph. tex. 22. quæ demonstrationem ex consequenti de medio tollit, cum sublato fine cesset statim mediorum necessitas, & si impossibilis ille reputetur, eandem impossibilitatem incurrant, vtpote gratia finis existentia: est autem scientia finis demonstrationis, & idcirco impossibilis hæc erit, si illa iudicetur impossibilis.

Aristotel.

Plato verò diuersa via incedēs demōstrationē abstulit, non quidē negans scientiā, sed

Sententia Platonis

negās aliquid denuo comparari. de nouo ab aliquo comparari: in ea namq; fuit sententia (si Aristot. fides est adhibenda, qui multis sua doctrina locis praesertim 1. & 7. lib. metaph. id asseueranter docet) vt poneret quasdam substantias separatas, quas ideas appellauit, ex quarum impressione, cunctarum specierum singularia, hoc modo fiebant, vt statim ac materia erat disposita, ab agente naturali, forma, vel anima, ab idea eius speciei induceretur, speciebus intelligibilibus, habitibusq; scientiarum

3. ornata, quibus tamen non statim vtebatur homo genitus propter corporis impedimenta, quousq; exercitatione tollerentur & tūc quidem scientificam notitiam habere inciperet, non alicuius rei, quam prius nesciret, sed eius quam vere sciebat, fuerat tamen impeditus ab actuali cōsideratione eiusdem: vnde similem putabat scientiam nostram, cuidam reminiscentiae; qui enim alicuius reminiscitur, non dicitur illud de nouo scire, sed quasi obliuione fuisse impeditus ab actuali eius consideratione: remouet autem obliuionis impedimentū exercitium cognoscendi. Itaque substantiam illam à materia separatam putabat Plato esse principium essendi, & intelligendi, ex cuius impressione sicut esse, ita & scire accipiebat genitus homo: & quemadmodum per actionem agentis naturalis non recipiebat formam, sed solum dispositionem materiae, pari ratione studio, aut exercitatione non comparabat scientiam, sed iam recepta cum ipso esse, sublato per exercitationem impedimento, vtebatur, ac propterea demonstratione nulla indigebat ad conquirendam scientiam.

Nostrum scire esse reminisci putauit Plato.

Dilemma Platonicū. Contendebat autem id probare in dialogo quodam de scientia, & virtute Menon vocato, à quadam huius nominis persona in eo introducta, qua hoc dilemmate vtebatur. Dum homo scire cupit, atque contendit, vel inquirit illud, quod sciebat iam, vel id, quod penitus ignorabat; non dabis primum: quia inquisitione nulla opus est, vt id, quod iam scimus, inueniamus; sed neque secundum, quia superuacanea esset talis inquisitio, repugnabit siquidem illud nosse, quod nescimus etiā si forte inueniamus; frustra enim quaet quispiam hominē, quem nec de facie nouit, nec enim eum etiam à se inuentū cognoscet: nihil igitur respondendum superest, nisi talem inquirere id, quod antea sciuerat, eius tamē fuerat quasi oblitus, & ita velut reminiscetur: & nō sciet de nouo, sed illud agnoscit. 4.

Aristotel. impugnat Platonis sententia. Duplicem hanc peregrinam positionem euertere conatur Aristoteles, hac vniuersali assertione: Omnis doctrina, omnisque disciplina, ex praeexistenti fit cognitione, quae vtrumq; complectitur, & scientiam esse, aduersus primam, & de nouo gigni ex prae habita notitia; aduersus secundam.

Explicat expositio Aristotel. Oportet autem, vt notior nobis fiat, singulos eius terminos explicare. Doctrina in primis, & disciplina intellectiua, vt D Tho. caeteriq; interpretes adnotauerunt, eandem rem designant, nempe iudicium intellectus, non qualecūque cum duplex sit, vnum quasi naturaliter habitum, per solam virtutem

Duplex iudicium intellectus. naturalis luminis, terminorum dumtaxat explicatione praesupposita, quale est illud: Quodlibet est vel non est: vel totum est maius sua parte: aliud non naturaliter habitum, sed medio aliquo adhibito comparatum, de quo, & non de primo absque dubio accipienda est propositio (vt in adnotationibus ostendetur) quod doctrina vocatur, 5. prout à docente procedit: disciplina verò prout in intellectu eius, qui ab alio instruitur, recipi solet: quāuis enim proprio labore comparetur, aliquando talis est conditionis vt ab alio recipi natum sit, vt maiori ex parte contingit, idq; satis est, vt adhuc doctrina vel disciplina dicatur: additur autem intellectiua, vt bene D. Thomas, ad excludendam quamlibet sensitiuā cognitionem: nam solus intellectus potest vnam notitiam ex altera deducere. Ex praeexistenti cognitione fieri, idem est quod ex alia notitia, vel iudicio prius habito, quod non coarctatur ad doctrinam, vel disciplinam, sed in communi accipitur, vt abstrahit ab eo, quod solo lumine naturali ostendente habetur, vel per medium adquiritur proprio, vel alieno labore: nam vtroque modo contingit fieri ex alio, hoc est, ex alio adquisito, vel naturali, quamquam ad extremum necesse sit, ex naturali fieri.

fieri, ad quod adquisitum quodlibet reducitur(vt suo loco ostendetur) sensus igitur totius assertionis est. Omne iudicium intellectus propria industria, vel aliena per medium comparatum ex iudicio alio acquisito, vel naturali fieri.

Induct. de probat Ari. suã sententiam.

In Mathematicis demonstrationibus.

Quam probat Aristoteles exemplari inductione in triplici genere intellectualis cognitionis, scientifica, probabili, vel coniecturali: exemplum scientificæ constituit in Mathematicis disciplinis omnium certissimis, in quibus assensus conclusionis ex alio iudicio præsupposito, nempe ex assensu præmissarum gignitur, quousque ad primũ prin-
6. cipium per se notum deueniatur: sicq; in cæteris artibus secundum proportionem cõtingere ait: artium autem nomine, vt cuncta comprehendat, non solum liberales intelligit, quæ verè scientiæ sunt, sed factiuas, in quibus suo etiam modo vna notitia ex alia habetur: in Dialecticis item argumentationibus, cuiusmodi sunt syllogismus probabilis, atque inductio ex praexistenti notitia proceditur; præmissarum quidem vniuersalium in syllogismo, ex quibus vniuersalis etiam assensus probabilis, vel etiam particularis gignitur: singularium verò, quæ per experimentalem notitiam accipiuntur, in inductione, ex quibus vniuersalis colligitur assensus; probat tandem in Rhetoricis suasionibus: duplici namq; instrumento Rhetorica vtitur Dialecticis simili, nempe enthymemate, & exemplo: est autem enthymema(vt bene D. Thomas) quasi detruncatus syllogismus, cui altera præmissarum deest, vt si dicas omnis homo disputat, ergo Petrus disputat, deest enim minor syllogismi; Petrus est homo: exemplum est, argumentum ab vno singulari ad aliud, de quo quæstio versatur, per similitudinem inferendum: in vtroque autem argumentandi genere proceditur ex praexistenti cognitione, non secus atque in syllogismo, & inductione, hoc solum discrimen est, quòd in syllogismo notitia conclusionis fit ex praexistenti cognitione vtriusque præmissæ, in enthymemate verò ex notitia v-
7. nius; & in inductione notitia vniuersalis fit ex multis singularibus: in exẽplo verò singularis notitia infertur ex alia singulari, quia Rhetor singularem duntaxat notitiam persuadere nititur, Dialecticus verò vniuersalem infert.

In Dialecticis.

In Rhetoricis suasionibus.

Confirmata autem propria sententia, refutatisq; aliorum propositionibus, quædam statuit Aristoteles, quorũ notitia ad eandem veritatem illustrandam videbantur opportuna: etenim si doctrina, & disciplina ex præexistẽti fit cognitione, intelligere oportet, quæ sint præcognoscenda, ac de quibus, vt ex ea valeat generari: duo ait esse præcognoscẽda, an sit, & quid sit? & quidẽ de tribus, de subiecto, passione, & principiis: tria enim sunt in demonstratione, subiectum, de quo passio ipsa ostenditur, passio ipsa ostensa, & præmissæ quibus medijs eam ostendimus: horũ exemplum producit Aristoteles in mathematicis disciplinis, in quibus subiectum primum, est vnitas tanquam principiũ quantitatis, de qua disserunt; pro passione affert triangulum, quasi primam figurã, est enim figura velut propria passio quantitatis: pro principio vniuersali illud omnibus notissimũ, de quolibet vera est affirmatio, vel negatio: cuiusmodi aũt subiecti, passionis, atque principij exempla nõ sic accipienda sunt, vt intelligamus in eadẽ posse demonstratione reperiri: nam neque vnitas eandem demõstrationem cum triangulo constituit, neque principium illud, quodlibet
est vel non est, demõstrationem vllam ingre- 8.
ditur, sed tanquam vniuersalissima producuntur, vt quòd de eis dicitur, de particularibus scientiarum subiectis, atque principiis intelligatur: pertinent itaque ad methodum potius doctrinæ, quam ad demonstrandi exercitium: oportebit autem exemplis quibusdam familiaribus rem explicare, vt melius capiatur, constituamus igitur hãc demonstrationẽ: omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est capax disciplinæ, in qua homo est subiectũ, capacitas disciplinæ passio, vtraque præmissa habet locum principii: de his igitur tribus duo illa intelligere necesse est ante conclusionem, nempe an sit, & quid sit? & vere ita est quod de homine vtrumque cognoscimus, esse videlicet in

Duo præcognoscẽda.

An sit, & quid sit.

De subiecto passione & principio.

Exemplis explicatur.

Quedã demõstratio.

rerum natura, & quid sit, hoc est propriam definitionem, quæ est minor præmissa demonstrationis: neutram enim probamus, sed tanquam per se notam ante notitiam conclusionis præsupponimus ad illam inferendam: de passione autem non præcognoscimus an sit, sed in conclusione probamus: nam passionis esse (cum sit accidens) non est aliud quam subiecto inesse, & hoc est per demonstrationem illatum, & in conclusione contentum, nempe capacitatem disciplinæ inesse homini:

De passione nõ præcognoscimus, an sit

9.

Quid rei passionis, non est necessarium cognoscere.

definitionem autem quid rei passionis eiusdem non oportet præcognoscere, non solum quia non habet propriam, sed per additamentum subiecti (ut bene adnotat D. Thom.) sed quia, & si propriam haberet, nihil refert ad inferendam conclusionem ex præmissis, eam prænosse,

Quid nominis passionis præcognoscitur.

solum igitur, quid nominis eiusdem præcognoscere necessarium est; quia absque dubio repugnat, ut principia vera esse intelligamus, nisi quid passionis nomine significetur præcognouerimus, quo enim pacto principia prædicta demonstrationis, & conclusionis eiusdem vera esse iudicabimus, nisi quid capacitas disciplinæ significet prænouerimus?

Quid præcognosci debeat de principio.

De principio denique prænosse non oportet quid sit; non modo propter rationem, quam attulit etiam Magister Sotus, quia cum sit complexum definitione caret, sed propterea etiam, quia impertinens est talis definitio ad conclusionem inferendam, non secus ac definitio passionis, sed satis est an sit, hoc est, an sit verum per intelligere.

Præcognoscitur, an sit verum.

Summa eorum quæ præcognoscuntur.

Itaque de subiecto utrunque prænosse oportet, an sit, & quid sit: de passione alterum, nempe definitio quid nominis: de principio etiã alterum nempe an sit, quòd est esse verum, nã principia nõ habent aliam existentiam, præter connexionem extremorum, in qua eorum veritas cõsistit; eiusmodi igitur prænosse, satis est ad conclusionem inferendam, cuius proinde notitia ex præexistenti præmissarum cognitione gignitur.

Quo ordine principia demonstrationis sint cognoscenda.

Pergit deinde Aristoteles explicare ordinem, quo principia demonstrationis, in quibus subiectum, & passio continentur, præcognoscenda sunt, est autem litera valde obscura, cuius fere tot sunt expositiones, quot capita, obscuriorem eam reddẽtes, ex quibus unã D. Tho. antequã afferre placet, & aliam nouam Patris nostri Toleti eam impugnãtis. 10.

Arist. doctrina.

Asserit igitur Aristoteles quædam ante notitiam cõclusionis præcognosci, alia simul & prius cognosci uniuersalẽ præmissam, quæ maior demonstrationis est, simul vero minorem, cum sit sub uniuersali contenta, & producit exemplũ in Mathematicis dicens in hoc syllogismo. Omnis triãgulus habet tres angulos æquales duobus rectis, figura, quæ est in semicirculo, vere est triangulus, ergo habet tres angulos æquales duobus rectis. maiorem prius esse cognitam, quam conclusionem, minorem verò non prius cognosci, sed simul, ac sub uniuersali subsumitur, cum ea cognosci conclusionem: & ita contingere in cæteris singularibus, quæ simul cognoscuntur, uniuersali, sub quo comprehenduntur, cognito.

D. Thom. expositio.

Hanc autem literam sic exponit D. Thomas, ut dum prius uniuersalem propositionem cognosci, quam notitiam conclusionis, docet Aristóteles, de prioritate temporis loquatur. Uniuersalem enim illam prius tempore cognoscere possumus, non solum quàm conclusionem, sed quam demonstrationem constituamus: at dum minorem subsumptam simul cognosci cum conclusione affirmat, de simultate temporis intelligit, & ita est, quod
simul ac minor sub maiori subsumpta cognoscitur, 11.
absque ulla tẽporis mora cognoscimus conclusionem: nam eo ipso quod constat nobis prædicatum eius sub subiecto minoris contineri, absque ullo alio medio cognoscitur: quemadmodum absque ullo medio in ea continetur; sicque de singularibus cæteris sub eadem maiori uniuersali comprehensis censendum est.

Maior prius tempore cognoscitur quã minor.

addit autem D. Thom. ut clarius rem exponat, quòd cognita prius tempore maiori uniuersali, dum minor subsumitur, vel talis est, de qua constat, quòd sub ea continetur, vel talis certe, quòd vere continetur, non tamen constat & si primam subeat conditionem, simul tempore & absque alio medio cum ea cognoscitur conclusio quia sine medio continetur sub ea: si verò secundam, non statim habetur cognitio conclusionis, quousque alio medio ostendatur vere sub uniuersali con-

contineri, vt in eodē exemplo Aristotelis cerni potest: etenim si cognita prius tempore maiori, nempe omnis triangulus, habet tres angulos æquales duobus rectis, dum iam minor subsumitur, videlicet figura in semicirculo constituta est triangulus, perspicue non cerneretur ita esse, hoc est esse triangulum; profecto non statim cognosceretur, habere tres angulos æquales duobus rectis, quæ est conclusio, sed oportet prius medio aliquo id ostendere: at cum oculis cernatur talem figuram esse triangularem, statim illa proposita habemus notitiā conclusionis, & absque alio medio & sic de cæteris singularibus sub aliquo vniuersali contentis intelligendū est, quorum statim vniuersali cognito, sub
12. eoq; subsumptis, eorum notitiam habemus, & non per aliud medium, si constet sub eo esse contenta: cæterum si non constaret, medio opus esset id ostendente & tunc simul ac subsumuntur, cognoscerentur: simul autem cognosci minorem cum conclusione, & singularia sub vniuersali docet Aristoteles de simultate temporis loquens; quemadmodum de illa locutus est in cognitione maioris affirmās prius tempore posse cognosci, quod non tollit naturæ prioritatem, quam semper habet cognitio minoris respectu conclusionis, cum sit causa illius, in qua virtualiter continetur & vere propter eam conclusioni assentiamur

Minorem simul cognosci, cum conclusione docet Arist. simultate temporis.

Hæc est sententia D. Thomæ pro qua refert Doctor Toletus, Aegidium Liconiensem & Appollinarē egregios Aristotelis interpretes, quibus adiungimus Paulum Venetum, Caietanum, & Sotum, in commentariis huius capitis, & omnes fere modernos Vnde communis iam in schola vocari potest, iuxta quam, regulā illam posterioristicam intulerunt, sæpe hac in parte repetitam: Cognita maiori, & minori simul tempore cognoscitur conclusio.

Cōmunis auctorum consensus

Regula posterioristica.

Cæterum Toleto non placuit, nam & si doctrinam veram esse admittat, extra mentem tamen, & textum Aristotelis, quòd duplici ratione probat.

Toleto nō placet prędicta sententia.

1. Ratio. Prior est, quia quod de maiori dicitur prius tempore posse cognosci, tantundem de minori affirmare possumus; nā & eam prius tempore cognoscere possumus, & ea simul cū maiori posita statim habemus assensū conclu-
sionis: cum ergo Aristoteles de sola prioritate 13.
maioris loquatur, aliquid peculiare ei conuenire intelligit, quod minori nullo modo conuenit, & iuxta illud erit germanus sensus literæ designandus.

Secunda ratio. Quia doctrina D. Thom. generalis est omnibus maioribus quarūlibet demonstrationū, vt quid ergo Aristoteles limitauit ad singularia, quæ non dicuntur de subiecto? & certe (ait) verba textus expositionem D. Thom. non admittunt, vt consideranti patere poterit. 2. Ratio.

Sententia P. Toleti.

Est igitur eius sententia sic esse verba Aristotelis exponenda, vt inprimis non loquatur de assensu cōclusionis, sed de singularibus contentis, atque subsumptis sub vniuersali, & rursus nec sermo eius sit de præcognitione principiorum: quia dum docet de principiis prænosse oportere, an sint vera, non loquitur de præmissis demonstrationis, quas non præcognoscimus ante demonstrationem, sed simul in ea cum conclusione: nunc autem de illis loquitur dicens est autē cognoscere alia quidem prius cognoscentem. Quia fere semper sunt propositiones medium admittentes, quæ proinde cognoscuntur in demonstratione, aliis tamen prius cognitis, nempe principiis per se notis, quibus innituntur, & ad quæ reduci possunt: alia verò esse, quæ in demonstratione cognoscuntur, ait Aristoteles, quæ antea non fuerunt à nobis cognita, sed simul inducentes cognoscimus; & hæc sunt singularia, quæ sub maiori vniuersali subsumimus, & eo ipso quod subsumuntur,
absque alio medio cognoscuntur, & non quēadmodum 14.
maior ipsa vniuersalis, cuius certam notitiam non habemus, nisi medio alio discursu, quo eam ad principia per se nota reducimus, & hanc expositionem ait esse valde notandam.

Tres sunt aliæ expositiones huius loci antiquorum interpretum Philoponi, Themistii, & Alberti, quas refert idem Toletus: ego verò ab eis consulto abstineo quia maiorem confusionem pariunt; atque eadem de causa prædictam sententiam omitterem, nisi ex directo esset opposita sententiæ D. Thom. eamq; impugnaret, quam tamen verissi-

Tres aliæ sententiæ.

nam reputo, & germanum sensum Aristotelis continere non dubito.

Probabilior sententia D.Th. Etenim, quòd Aristoteles inter principia præcognoscēda ad notitiam conclusionis non numeret præmissas demonstrationes, singulare est, cuius falsitatem explicata semel Aristotelis litera ostendemus: falsum est etiam, & à mente, ac verbis Aristotelis alienum de assensu conclusionis non loqui, sed de sola cognitione singularium: etenim si explicās præcognitiones, & ea, de quibus habētur ad eiusdem conclusionis notitiam necessaria, de assensu conclusionis loquitur, cur nondum ordinem præcognoscendorum docere vult? de singularibus item agere, quæ sub vniuersali subsumuntur, simulq; subsumpta cognoscuntur, nisi in quantum similitudinem minoris, & conclusionis tenent ad præsens institutum, non solum alienum, sed impertinens esset. Loquitur ergo, absque dubio de ordine; quo præcognoscenda sunt principia demonstrationis, quæ præmissæ vocantur, siue medio vacare intelligātur, vel illud admittere (de quo postea) iuxta mentem D. Thom & vt commodius rem exponeret, similitudinem singularium attulit.

15.

Ad primā obiectionem. Obiectionibus autem aduersus expositionem D. Thom. præiactis facile occurritur. Priori quidem, nam & si minor per se sumpta possit prius tempore cognosci, quam conclusio: minimè tamen si in ordine ad demonstrationem debito modo cognoscatur: nam dispositio syllogistica petit maiorem prius collocari, atque adeò prius cognosci, & deinde minorem, in quo negari non potest discrimen inter vtranque præmissam: loquitur autem Aristoteles, de præmissis debito ordine præcognoscendis, dum docet maiorem prius cognosci posse, nequaquam verò minorem, sed simul cum ea conclusionem cognosci & quanquam doctrina hæc generalis sit cūctis minoribus (vt obiectio secunda ostendit) non limitatur ab Aristotele ad sola singularia, sed exemplum in minori singulari apposuit, vt eius notitia experimentalis internum ostenderet euidentius, nempe sic rem se habere in cunctis demonstrationibus vniuersalibus, ex consequenti verò doctrinam ad singularia quæcunque extendit sub vniuersali contenta, atque subsumpta, de quibus eo ipso, quod constet sub vniuersali comprehendi, absque vllo medio cognoscuntur, & hoc sibi voluit dum dixit. Quorundam verò simul cognitionem accipimus, veluti quæcunque sunt sub vniuersali, quorum quidem habetur cognitio. Est enim similitudo non parua inter cognitionem minoris, sub maiori præmissa in demonstratione, subsumpta, ac cognitionem singularium sub vniuersali. Quod autem dicitur, expositionem D. Thom. literæ non quadrare, simul ac negatur sufficienter censetur solutum.

Ad secundā obiect. 16.

Assensus conclusionis duobus modis cōsideratus. In calce capitis (vt soluat obiectionē Platonis, docet Aristoteles) non solum præmissas & quæ in ipsis continentur ante notitiam conclusionis præcognosci, sed etiam aliquo modo conclusionem; cuius assensum duobus modis ait esse considerabilem, formaliter quidem & expresse; vt dum formata conclusione ei assentitur intellectus propter præmissas, aut virtualiter, vt antequam formata sit in assensu principiorum, tanquam arbor in semine, & fructus in arbore continetur; est namque assensus eorum propria causa assensus cōclusionis: sumpta igitur conclusionis notitia modo priori, nullo modo præcognoscitur, sed per demonstrationem probatur: modo autem posteriori in præmissarum præcognitione, ipsa etiam præcognoscitur: sed quia in prima acceptione sumitur, vt habet iam esse à præmissis distinctum, talis dicitur simpliciter; in secundò verò, non est in se, sed in sua causa, quod est habere esse secundum quid; vnde fit vt simpliciter loquendo non præcognoscatur, nisi secundum quid. Quibus præsuppositis conatur soluere propositum Platonis argumentum, nam fundamentum primæ positionis solutione non indiget, cum satis constet præter singularia in continuo motu existentia esse vniuersalia ab eis abstracta, & quæ in eisdem subsistunt, vt hominem, & animal, sub vniuersalibus conceptibus, à singularibus abstractis, sicq; de cæteris rerum naturis, de quibus quasi de perpetuis scientia esse potest, & primo refert, ac reiicit quorundam solutionem, qui respodebant dicentes eum 17.

Platonis argumentū soluitur

Quorundam solutionem

tionem refellit Aristotel. eum, qui scire conatur aliquid, inquirere illud, cuius notitiam nullam habebat, nam idcirco illud non esse vult sed vrgebant Platonici solutionē impugnantes, iterumq; quærentes ab his, an scirent omnem dualitatem esse parem, & cum faterentur se scire, ostendebant eis duo quædam minuta pugno clausa, quærentes, an sciuerint eam dualitatem esse parem, quod cum se sciuisse negarēt, tali argumento eos conuincere conabantur, scitis

Argum. Platonis. omnem dualitatem esse parem, dualitas pugno clausa, est dualitas. ergo scitis eam esse parem: ipsi verò argumentum illudebant, negantes se scire omnem dualitatem esse parem absolute, sed cum eo additamēto conditionali; videlicet omnem dualitatem, de qua eis constaret, quòd esset dualitas, quam euasionem non videntur refutasse Platonici: ideò Aristot. hoc argumento eam excludit, ea

Quomodo sciamus aliquid de nouo. scimus simpliciter, quorum demonstrationem habemus, sed eam propositionem vniuersalem omnis dualitas est par, absq; limitatiōe demōstramus, ergo absque vlla limitatione scitur;

8. probatur euidenter hac demonstratione, omnis numerus diuisibilis in duo æqualia est numerus par, sed omnis dualitas (siue sciatur esse dualitatem, vel secus) est numerus diuisibilis in duo æqualia, ergo omnis dualitas est par; ecce quo pacto simpliciter est scita talis propositio, cum sit conclusio demonstrationis absque vlla limitatione; vana est igitur solutio hæc, & quæ minime satisfacit argumento. Quòd tamen plenius soluit præfata distinctio: nam dum Platonici interrogant, inquirat ne qui scire cupit, illud quod sciebat, vel nesciebat prius? Dicendum est, nec inquirere illud quod simpliciter sciebat, neque quod omnino ignorabat, sed quod nesciebat simpliciter: sciebat autem virtute, vel secundum quid, vnde locus inquisitioni relinquitur, & rem, cuius notitiam quærimus, inuenire non repugnat: nam cum in principiis, virtualiter saltem nota sit conclusio, principium habet inquirens rem, quam scire cupit inueniendi, & dum per demonstrationem inuenit, de nouo eam scire dicitur formaliter, atque simpliciter, quia scit in se, quod prius in alio duntaxat [illegible] nouerat, & nisi hoc modo respondeamus [illegible] Aristoteles) contingit Menonis ambiguitas vel hæsitatio, hoc est, insoluta permanet.

QVAESTIO I.

An de omni, & sola cognitione intellectiua, accipienda sit vniuersalis propositio Aristotelis.

HIS expositis, quæ ad maiorem claritatem textus oportuna vidēbantur, singula, quæ ab Aristotele dicuntur, examinanda sunt eodem ordine, quō ab ipso proponuntur, vt eorum veritas innotescat magis. Et cum sit primum vniuersale illud theorema: *Omnis doctrina, omnisque disciplina ex præexistenti fit cognitione*, merito de illo dubitare incipimus, an de omni, & sola cognitione intellectus discursiua, intelligatur: etenim quod non de omni videtur manifestum, in fide, & opinione: nam si vna fides, & vna opinio fit ex alia, in infinitum erit procedendum, cum non sit dabilis opinio, vel fides prima, cui ex terminis assentiamus: alioquin essent assensus per se euidentes, quasi ex sola terminorum notitia habiti, quod plane falsum est, & absurdum; cum de intrinseca ratione, vtriusq; sit esse assensum in euidentem, immo incertum, cui non repugnat subesse falsum.

An de omni, & sola cognitione discursiua intelligatur.

1.

Ratio dubitandi

Quod autem non de sola cognitione discursiua intelligatur, testantur reuelationes Prophetarum, & Apostolorum, qui infusam rerum notitiam, non ex alia habuerunt, sed proximè à Deo acceperunt.

Confirmat.

Non defuerunt (vt ab hoc secundo initiū sumamus) qui existimarent, non de sola cognitione discursiua, accipiendam esse propositionem Aristotelis, sed de quacunque scientifica, ita vt Angelica etiam fiat ex præexistenti cognitione, quorùm duplex esse potest fundamentum.

Quorundam sententia circa propositionem Aristotel.

2.

Primum. Quia inferiores Angeli illuminantur à superioribus: vnde illorum cognitio ex præexistenti horum fiet; nam cum perfectiores sint, priores esse videntur.

1. Fundament.

tur, atque adeò eorum notitia quasi præexistens potest appellari.

2. Fundam. Aliud vero. Quia adhuc Angelus quisque causam cognoscit, atque effectum, & quidem effectum per causam: cum perfecta sit eius scientia, & res, vt se habēt in se agnoscat, fit igitur in eo notitia effectus, ex notitia causæ; & esto vtriusque notitia sit idem actus realis, sed prout ad causam terminatur prior erit se ipsa, vt terminata ad effectum, & sub posteriori consideratione, verum erit ex præexistenti fieri, hoc est, ex se ipsa vt priori.

Vera statuitur sententia, & satis fit argumentis oppositis.

Reiicitur prædicta sententia. QVIBVS tamen non obstantibus verias est, ex sola cognitione discursiua, locutum esse Aristotelem, nec assertionem eius posse vllo modo ad Angelorum scientiam extendi; vnam etenim notitiam, ex alia in eodem intellectu existenti

3. fieri plane intelligit, non in diuerso; nam neque id Plato negaret cum posuerit ex impresione idealis sciētiæ fieri eam, quam genitus homo habet, nec negare vllo modo possumus disciplinam, hoc est, notitiam in intellectu discipuli receptam, fieri ex scientia magistri: Controuersia autem solum esse potuit, an scientia de nouo fiat, ex notitia ab eodem, qui scire aliquid incipit præhabita, vel nulla de nouo adquiratur, sed scire non

Sequela ex dictis, et satis fit argumētis ex Prophetarum, & Angelorum cognitione. aliud sit, quam notitiæ iam habitæ reminiscentia: vnde sequitur non satis esse Angelos inferiores, à superioribus illuminari, vel Prophetas, & Apostolos à Deo, vt eorum scientia, vel notitia, ex præexistenti cognitione fieri dicatur. Et rursus hoc syllogismo facile intelligemus doctrinam, vel disciplinam, ex præexistenti cognitione fieri, realem actuum intellectus distinctionem denotare.

Idem actus ex se ipsō non potest fieri. Eundem actum ex se ipso fieri non est intelligibile, sed ita est quod Angeli eodem simplici actu cognoscunt causam, & effectum: non ergo satis est illa distinctio rationis, qua dicitur, & verum est, eandem cognitionem ad effectum, & causam simul terminatam ad illum propter hanc terminari, vt dicatur ex præexistenti cognitione fieri:

4. nam de diuina ac simplicissima scientia, verum est ad effectum, propter causam terminari, à qua tamen alienum est, ex præexistenti notitia fieri.

Fundamentalis ratio. Vtriusque autem fundamētalis ratio est, quia doctrinam, vel disciplinam, fieri ex præexistenti cognitione imperfectionem discursiuæ scientiæ importat, atque exprimit, vnde ad solum intellectum humanum refertur; qui nō simul, sed successiue rerum notitiam comparat, ad notitiam vnius ex alio deueniens; de superiori igitur Angelorum scientia, ab hac discursus imperfectione remotissima, absque dubio non fuit locutus Aristoteles.

An in fide humana, teneat Theorema Aristotelis.

Sententia Soti. AN verò in fide humana, & opinione teneat idem Theorema. Respondet Magister Sotus. qu. 1. huius capitis, in solutione ad confirmationem primam, secundi argumenti, tenere quidem: nam opinio, ex præexistenti cognitione euidenti, per ineuidentem consequentiam gignitur; vt dum sic argumentamur, hæc sphæra tangit planum indiuisibiliter, ergo datur punctum indiuisibile. Et pari ratione in Rhe- 5.

toricis argumētationibus, vt dum ab exemplo sic colligimus, iste habet ensem nudum, sanguineque conspersum prope cadauer, ergo occidit hominem: ecce in vtraque argumentatione antecedens euidens est, opinio verò consequens; quia probabilis dumtaxat est consecutio: etenim vt scientificus gignatur ex præmisis assensus, præter præmissarum certitudinem exigitur euidentia consecutionis, qua deficiente, probabilis dumtaxat fit assensus, nam (vt suo loco dicetur) conclusio syllogismi, sequitur debiliorem partem præmissarum, ita vt si euidens sit vna, probabilis altera, non procedat conclusio euidens, sed tantum probabilis, & eadem est ratio, dum probabilis est consecutio: nam præmissæ non generant assensum certum, nisi euidentia cōsecutionis intercedente, si ergo hæc deficiat, certitudinem deficere certum est.

De fide autem humana eodem modo loquitur inquiens, per consequentiam ineuidentem, ex præmisis euidentibus generari, vt ex hoc euidēti principio: *Homini fide digno credendum est*, fit, vt vera esse ab eo dicta credamus.

Ego

Vera sententia de opinione non semper fieri ex præexistenti cognitione.

6\. Ego vero diuerso modo de vtraque statuendum censeo, de opinione quidẽ non semper ex præexistenti cognitione fieri: nam assensus probabilis, quem vocamus opinionẽ, duplex est, quemadmodum assensus euidens; vnus, qui habetur per syllogismum probabilem, alius verò, qui ex terminis est naturaliter notus, cui intellectus nõ potest non assentire probabiliter, & eiusmodi vocantur quasi prima principia in genere opinionũ, ex quibus per euidentẽ consecutionem, vel etiã probabilẽ deriuantur aliæ Gratia exẽpli; quòd vniuersale fiat, per abstractionẽ intellectus, aut per comparationem, opinio est deriuata ex illo principio euidenti, formalis ratio vniuersalis ab intellectu fabricatur, ex qua vnus deducit per hanc operationem, alter verò per illam esse fabricatum.

Sotus.

Huiusmodi autem propositio, mater diligit filium suum probabilis est, non quia ex alia euidenti deducatur, sed ex propria conditione, nam apprehensis terminis, absque vllo medio, vel discursu, iudicamus esse probabilem, sicque de cæteris huius conditionis iudicandum est: quam opinionum distinctionem approbat idem Sotus quæst. 8. huius primi libri: nunc igitur prior opinio

7\. fit ex præexistenti cognitione euidenti, in qua sistendum est: quia se habet tanquam primum principium opinionis, ab ea per probabilem syllogismum deductæ; quanquã in genere scientificæ notitiæ medium fortasse habebit; sed ad principia per se nota erit reducibilis: constat igitur in his opinionibus nequaquam dari processum in infinitum: cæterarum verò opinionum assensus non fit ex præexistenti notitia, cum non sit discursiuus sed ex terminis habeatur, vt de assensu euidenti primorum principiorum adnotatum est: negandum est igitur assensum esse euidentem, idcirco, quia ex terminis habetur, nam quemadmodum principia scientiæ per se nota, quasi innatam habent euidentiam, pari ratione principia opinionis, quasi innatam habent probabilitatem, vt ergo illis ex necessitate assentitur intellectus euidenter, ita his probabiliter.

Non quia ex terminis habetur assensus, euidens est.

De fide autem humana, & longè melius de diuina censeo nõ esse cognitionẽ discursiuam, sed simplicem quendam assensum, quem propter authoritatem dicentis formamus: hoc est enim discrimen valdè obseruandum, inter fidẽ ex vna parte, & opinionem ex altera, (vt copiosius suo loco dicetur) quod hæc innititur discursui probabili, fides verò non discursui, sed authoritati dicentis, vel testificantis: quæ est ratio proxima assentiendi: itaque dum assensus probabilis ex alio euidenti colligitur, non fides humana, sed opinio est; & vt exemplo eodem vtamur à M. Soto apposito, dum quispiam assentitur dictis alicuius hominis fide digni, per huiusmodi probabilem syllogismum, homini fide digno credendum est: at Petrum Romæ obiisse testificatur homo fide dignus, ergo est verum; assensus talis non est fidei, sed opinionis: distinguũtur autem fides humana, atque opinio essentialiter (vt ostendemus postea) quidquid Sotus velit eadem .q. 8. Hæc autem adeò vera sunt, vt in fide diuina possent euidenter constare: eiusmodi enim propositio, Christus habet duas voluntates, ad fidem diuinam pertinet; cum sit expresse definita àb Ecclesia: si tamen aliquis ei assentiatur virtute huius Theologicę demonstrationis, duas naturas consequuntur duæ voluntates, Christus Dominus habet duas naturas, ergo duas voluntates; non iam assensus fidei, sed scientiæ Theologicæ erit: itaque si ei assentiatur quia Deus Opt. Max. reuelauit per Ecclesiam definientem, assensus est fidei: si verò quia ex vna præmissa fidei, & ex altera euidenti sequitur per demonstrationem, assensus est scientificus, & minoris profecto certitudinis, quia fides Diuina certior est quacunque scientia, & vt ad rem veniamus, in quantum est assensus fidei, non est discursiuus, sed simplex, propter authoritatem dicentis formatus, atque adeò non fit ex præexistenti cognitione at si accipiatur, tanquam conclusio Theologicæ demonstrationis vtrumque habet, & modo simili de fide humana sentiendum est quam si formaliter consideremus, sub ratione fidei, nõ est assensus discursiuus, sed simplex, propter auctoritatem dicentis, vnde nec fit ex præexistenti cognitione: si vero in quantum est conclusio probabilis syllogismi, habet vtrumque, de illaque iudicandum est, quemadmodum de opinione, cum in rationem formalem opinionis transeat.

Tam fides humana, quam Diuina, non est cognitio discursiua.

8\.

Fides, & opinio distinguuntur essentialiter.

De fide Diuina.

9\.

In quantum est assensus fidei nõ est discursiuus.

QVAESTIO II.

An de subiecto præsupponenda sit actualis existentia?

Quid de hac præcognitione sentiat Caietanus.

Caietanus quid sentiat ic. PLVRA (quam opus est) consumit Caietanus in explicanda hac præcognitione; & tandem decernit actualem subiecti existentiam præsupponendam esse, nō quidem quam habeat semper, sed temporibus à natura statutis, vt de rosa habetur in hyeme scientia, quando actu non est, quia verno tempore habebit existentiam: hoc autem intelligendum esse, ait, in scientijs realibus: nam in rationalibus satis est, habeat esse obiectiuum in intellectu, vt constat de ente rationis, quod Dialecticæ obiectum est.

Aristotel. Hęc in primis videtur esse expressa mens Aristotelis lib. 2. huius operis tex. 8. Vbi de his duobus de subiecto in scientia præsupponendis, an sit, & quid sit subiectum, loquens, primum esse fundamentum secundi docet, adeo vt frustra velimus quidditatem eius intelligere, nisi prius existentiam habere, vel habuisse nouerimus. Verba Aristotelis sunt, *Quærere autem quid est, non habentis quod est, nihil quærere est, &c.* quam confirmat ratio. Quia illud esse subiecti, docet Aristoteles esse præsupponendum, quod in scientia probari non potest, sed esse actualis existentiæ, non probat scientia, ergo hoc debet pręsupponi.

Secunda. Secundò, Veritas propositionis fundatur in esse rei: nam ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, ergo esse subiecti est quasi fundamentum omnium veritatum cuiuslibet scientiæ, nisi ergo præsupponatur, vana erit scientia.

II. Pro hac sua sententia refert Caietanus Commentatorem, pluribus suorum commentariorum locis eam tenentem, quam post Caietanum sequitur P. Toletus, quæst. vnica ad 5. Sed oppositam omnino sententiam tenet Magister Sotus quæst. 1. de præcognitis in solutione ad confirmationem primā tertij argumenti, nempe præcognitionem hanc non accipi ab Aristotele de esse actualis existentiæ ipsius subiecti, sed an sit, prænosse oportere statuit, hoc est, an sit verum ens, habens saltem esse possibile in causis naturalibus, alioquin non censebitur veram habere quidditatem.

Oppositam sententiam tenet Sotus (margin)

Fundamentum huius sententiæ. Eius fundamentum est. Quia ante mundi conditionem de entibus, quæ nunc sunt, vera scientia esse potuit, ergo abstrahit scientia ab actuali rerum existentia, quapropter eam necessario non præsupponit, bene tamen in suis causis possibilem; nam propterea de chimera, vel hyppocentauro nulla scientia dabilis est, quia non sunt entia in causis possibilia.

Media sententia Ferrariensis verior.

Ferra. sententia media. MEDIVM inter hæc extrema constituit Ferrariensis 1. lib. contra gentes cap. 66. quod nobis valde probatur, consistit autem in duobus.

1. Argum. Primum est. Intrinseca ratio scientiæ non postulat actualem subiecti existentiam, etiā suis temporibus (vt ait Caietanus.)

III. Probatur efficaciter, quia actualis existentia, siue in particulari, siue in communi consideretur, hoc est, vt conuenit singularibus, vel speciei, extra essentiam est cuiuslibet entis creati; vnde licet non sit accidens essentię, modum tamen prædicandi accidentalem habet, cum enunciari, & non enunciari possit, saluis prædicatis essentialibus: non est ergo obiectum necessarium, vel perpetuum, sed contingens, ac propterea, nec scientia, (quę de necessarijs est, & perpetuis) nec circa obiectum, vt actu existens versatur.

2. Argum. Secundo. Veritates scientię, aut sunt principia, aut conclusiones: & quidem principia continent prædicata essentialia subiecti, ex quibus præcipuum est definitio: conclusiones vero sunt propositiones, in quibus aliqua propria passio enūciatur de subiecto, de quo media definitione demonstratur, vt in sciētia de homine, hominem esse admiratiuum vel risibilem; sed omnes istæ veritates abstrahunt omnino ab actuali existentia, nam etiam si non existat, nec extiterit aliquando homo, vere dicitur rationalis, admiratiuus & risibilis, ergo scientia de homine absque dubio abstrahit ab actuali eius existentia: sicque de reliquis scientiarum obiectis censendum est.

IV.

Vltimum argument. Probatur denium, Quia priusquam conderetur,

deretur mundus, vel etiam, si nunquam cōderetur, non solum Deus, sed Angeli haberent scientiam de speciebus, ac naturis, ex quibus modo constitutus est; euidenter ergo sequitur, scientiam ex se non postulare actualem existentiam subiecti vllo modo, hoc est nec præsentem, nec præteritam, nec futuram, dum ergo Aristoteles alteram præcognitionem necessariā ad scientiam esse statuit an subiectum sit, non de esse actualis existentiæ intelligit, sed quod veram essentiam habeat, cui talia prædicata essentialia conueniunt, talesque passiones demonstrabiles, etenim si id habeat, existere poterit extra causas & hæc potentialis existentia sufficit, vt obiectum scientiæ esse possit, per quam, à fictitiis entibus separatur; & quantum ad hanc partem vera est sententia Soti.

Secundo in quo cōsistit hic modus dicendi.

Secundum, in quo consistit hic modus dicendi est, quòd, & si scientia ex se non postulet vllam existentiam actualem subiecti præsupponendam; cęterum quantum ad imperfectum modum nostrum illam comparandi, necesse est aliquando extiterit, in
16. quo diminuta videtur opinio Soti, omnino negans actualem existentiam esse necessario præsupponendam: comparare enim nos sciētiam, haud quaquam possumus, imò neque vllam intellectus cognitionem, pro statu præsenti, nisi sensuum ministerio: vt autem à sensibus obiectum percipiatur, existat aliquando necesse est, & sub accidentibus sensibilibus, quibus per sensum perceptis, substantiam sub eis latitantem intellectus possit percipere, definitionem eius nosse, atque ex ea proprias passiones demonstrare: itaque nō per se præsupponenda actualis existentia subiecti prærequiritur, sed tanquam conditio, sine qua in hoc statu imperfecto, scientiam minimè conquirere possemus: & postquam semel extitit subiectum, & ex eius sensitiua notitia, accepta est intellectiua, non est eius existentia amplius necessaria vllo tempore, vt scientia de eo habeatur, vel habita in perpetuum conseruetur.

Ad primā rationem.

Ad primam rationem dicendum est esse actualis existentiæ, non probari in scientia, quia ad eam non pertinet, qua propter non bene infertur, vnam esse ex præcognitionibus, sed probandum prius foret, tale esse subiecti necessarium esse ad inferendam con
17. clusionem, & tunc cum non probetur in scientia, euidenter sequeretur esse præcognoscendum, sic autem se habet esse subiecti pro eo, quod est veram habere essentiam, cui potest actualis existentia conuenire; & non esse quid fictum: nam hoc de subiecto nosse necessarium est, & cum non probetur per demonstrationem, necessarium est prænosse. Ratio autem, ob quam in scientia probari repugnat, hęc est. *Ratio.*

Quare existentia rerū improbetur.

Quia esse rei, atque eius quidditas sunt prima cæterorum prædicatorum fundamenta, ac propterea repugnat aliquid eis prius reperiri, per quod possint à priore demonstrari, à priori dicimus, quia à posteriori, hoc est, ab effectu possibile est euidenter probari vtrumque, vt suis locis ostendetur.

Ad secundā rationem.

Secunda ratio soluitur, negando actualem subiecti existentiam esse fundamentum omnium veritatum scientificarum, atque ex eo sequenti ab eo quod res actu existit, vel non, enunciationes esse veras, seu falsas; eas præ-
sertim, de quibus loquimur, quæ cum sint 18.
necessariæ, ac perpetuæ veritatis, non fundantur in actuali existentia, sed in vera essentia rei, à qua eadem existentia prodit, & quā propriæ passiones consequuntur: licet ergo abstrahamus ab existentia actuali omnino, vt vere abstrahunt scientiarum obiecta, veras adhuc, & necessarias enunciationes habebimus, ex quibus constare demonstrationem possimus, atq; adeò de subiecto, vtramque præcognitionem *an sit*, & *quid sit*.

QVAESTIO III.

An de subiecto præsupponendum sit quid. rei, vel solum quid nominis.

DISSENTIVNT etiam circa sensum huius præcognitionis interpretes Aristotelis, an de quidditatiua definitione, quam appellamus quid rei, vel certè de sola nominis explicatione accipienda sit?

Pro dubij explicatione notandū.

Oportebit autem explicare, quid vtraque definitio sit, vt melius opinionum diuersitas percipiatur. Definitio *quid rei*, explicat

Quid rei definitio. Definitio, quid nominis. rei quidditatem, vel certè eius proprietatem si primam conditionem habeat, quidditatiua vocatur, descriptio verò, si secundam: definitio *quid nominis*, nō est aliud, quam explicatio significationis eius, vt dum dicimus magnanimum esse, magnum habētem animum: infinitum, quod non habet finem; his namque nō rei natura, sed sola nominis significatio explicatur: hac supposita distin-
20. ctione, illud est certum, definitionem saltem nominis præsupponendam esse de subiecto, ante notitiā conclusionis: nam si quispiam ignoret, quid voce hominis significetur, nequaquam capere poterit demonstrationem alicuius propriæ passionis de eo quin potius, nec percipere, an ei cōueniat, vel secus, nec solum quid per nomen subiecti designetur, intelligere necesse est, sed etiam, per quamcunque vocem in præmissis positam: nam si alterius dumtaxat significatio lateat, impossibile erit demonstrationis vim capere. *Quid nominis necessario in qua uis demonstrationis particulari, præcognoscitur.*

In quo sit cōtrouersia. Dissensio igitur in eo consistit, an solam definitionem *quid nominis*, præcognoscere sufficiat, vel preter illam necessario sit præcognoscenda definitio *quid rei*.

Sententia Caietani.

Caietani sententia. DISTINGVIT Caietanus duplicem demonstrationem, & scientiā; vnā *quia est*: aliam, *propter quid est*; demonstrationem *propter quid* vocat eam, in
21. qua passio demonstratur de subiecto, à priori, talis est hæc. Omne animal rationale est capax disciplinæ omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est capax disciplinæ: quasi opposita est demōstratio, *quia* in qua per propriam rei passionem quod quid est eiusdem, demōstramus, vt si dicas. Quidquid est disciplinæ capax est animal rationale; omnis homo est capax disciplinę; ergo omnis homo est animal rationale: nunc igitur in demonstratione, *quia est*, ait, solam definitionem quid nominis esse præcognoscendam, nam definitionem *quid rei*, in conclusione probamus; at in demonstratione *propter quid*, definitio quid rei, hoc est, quidditatiua subiecti præsupponenda est cuius ea est ratio: quia medium est demonstrationis, quo passionem conuenire subiecto in conclusione probamus, ergo ante conclusionis notitiam necesse est eam agnoscere. Caietanum sequitur Magister Sotus, & omnes ferè interpretes.

Toleti sententia.

PATER Toletus negat omnino necessariam esse talem præcognitionem definitionis *quid rei*, contra Caietanum, idque contendit probare duobus argumētis. *Opposita sententia Toleti.* 22.

Primum est. Quia Astrologi demonstrāt lunam eclipsari, per suam causam nescientes tamen, quæ sit natura cœlorum, & lunæ. Multa item Mathematici de figuris, & numeris, ignorantes eorum definitiones. *Primum argument.*

Secundò etiam. In demonstratione passionis de subiecto, per definitionem eius quidditatiuam, non oportet talem definitionem prænosse: nam, & si ante conclusionē cognoscenda sit, non tamen ante totam demonstrationem, quin potius in demonstratione ipsa cognoscetur, cum sit medium: Aristoteles autem loquitur de his, quæ præcognoscere oportet extra demōstrationem. Ex quibus infertur, eiusmodi præcognitionē subiecti, de sola definitione, *quid nominis*, quæ ante totam demonstrationem haberi potest, debere intelligi. *Secundum argument.*

Et confirmari potest. Quia eodem tenore verborum loquitur Aristoteles, de præcognitione passionis, & subiecti dicens, de illa præcognoscendum est, solum quid est, quod dicitur; de subiecto verò vtrumque, & quod sit, & quid est quod dicitur, vel quid nomen significet: sed constat de passione, non esse præsupponendum *quid rei*, sed sat esse, *quid nominis*, ergo id etiam, de subiecto pręnosse sufficiet. *Confirm.*

Vera statuitur sententia.

PRO huius quæstionis solutione adnotare oportet, præter distinctionem scientiæ, ac demonstrationis, in *quia est*, & *propter quid est*, adhuc demonstrationē, *Propter quid*, (quam vocant potissimam) in duo alia membra esse distinguendam; nam vna est, in qua propria passio probatur de subiecto, alia non nisi propria causa de suo effectu vel effectus per propriam causam; & tales sunt omnes pœne Mathematicæ demonstrationes: primi autem ordinis reperiuntur in Metaphysica, ac cæteris scientiis particularibus: nam vtraque Philosophia, naturalis, & moralis, *Pro dubij solut. notas. Demonstratio propter quid duplex est.*

moralis, ferè semper procedit per demon-
23 strationem, *quia est*, ex effectibus per experientiam notis, ad proprias causas.

Prima assertio.

His prælibatis nostra sententia, his tribus assertionibus explicatur. Prima, præcognitionum, ac rerum, de quibus habentur ordo non habet locum, nisi in demõstrationibus *propter quid*.

Eius explicatio.

Hæc non indiget probatione, cum nemo ab ea dissentiat; & ex verbis atque contextu huius capitis, ex exemplis item designatis, satis notum sit de hac tantum demõstratione, & scientia Philosophum loqui: demonstra-
24 tio præterea, *quia est* aliquando adhibetur ad probandum subiectum esse; contingit enim non satis id notum esse, & tunc ex aliquo effectu, à posteriori solet probari: aliquando etiam, ad probandum quod quid est eiusdem vnde non petit propria eius natura, similes præcognitiones.

Secunda assertio.

Secunda assertio. In demonstrationibus *propter quid*, in quibus de subiecto, non tam propria aliqua passio, quam rationes quædã posterioris, per priores probantur, non est necessario præcognoscenda definitio subiecti, sed eius loco sufficit proprius conceptus causæ, seu rationis eius, per quam posterior alia, seu effectus ostenditur; & eiusmodi licet non sit, quod quid est subiecti, est tamen cuiusdam rationis ad ipsum spectantis.

Hanc assertionem, non minus quam præcedentem manifestam certè reputo, cum in hoc demonstrandi genere nihil de subiecto, ex directo concludatur, sed de quibusdam eius speciebus, seu rationibus, vt de figuris, numeris, ac de proportionibus.

Tertia assertio.

Assertio postrema. In demõstrationibus *propter quid*, probantibus passionem de subiecto, non solum præcognoscenda est defi-
25 nitio quid nominis, sed etiam quid rei. Hanc esse mentem Aristotelis docet expresse D. Thom. 1. par. quæst. 1. artic. 7. ad primum, & ex processu huius operis constabit, nam (vt videbimus) lib. 2. definitionem decernit medium esse in his demonstrationibus; ergo ante conclusionis notitiam cognoscenda est, atque adeò præcognoscenda; etenim quod præcognitiones, non solum extra, sed in ipsamet demonstratione habeantur, ostendemus inferius; illud certè præsupponitur propriæ loquendo, quod probandum in demonstratione non assumitur, sed tanquam per se notum acceptatur, & ex illo ad inferendam

D. Thom. *Aristotel.*

aliquam conclusionem proceditur, tale est autem quicquid in præmissis, demonstrationis assumitur, ex quibus alterum est definitio subiecti, ergo proprie erit præcognoscendæ.

Limitatio quædam recentiorum reijcitur.

Assertio hæc limitatur à quibusdam modernis, ad solam demonstrationem, in qua passio demonstratur de subiecto per defintionem: at dum vna passio demonstratur de alia, negant prænosse oportere definitionem subiecti, quia non est medium in tali demonstratione; vt si dicamus omne admiratiuum est risibile: omnis homo est admiratiuus, ergo omnis homo est risibilis.
Hæc tamen limitatio falsa est: nam, & si in 26
hac, & similibus demõstrationibus, definitio subiecti, non sit medium formale; semper tamen est virtuale, quia minorem præmissam, cum sit propositio mediata, non sciet, qui nescit illam reducere, ad primum principium vt docet Aristoteles, capite sequenti; sed primum principium, ad quod est reducenda, est definitio, ergo hanc semper prænosse necesse est dum passiones demonstrantur: etiamsi non sit medium formale alicuius demonstrationis, hoc est, siue per definitionem, vel aliam passionem demonstretur.

Probatur refutatio.

Doctrina autem Aristotelis in vtroque demonstrationum, atque scientiarum genere, secundum proportionem intelligenda est;
nam in cunctis scientiis, in quibus aliqua pas- 27
sio demonstranda est de subiecto, præcognoscendum de eo intelligit, non solum *quid nominis*, sed *quid rei*: in quibus verò passiones non demõstrantur, sed rationes posteriores per priores, vel per causas effectus, sat erit definitio quid nominis, cum quidditatiua non sit, tanquam medium demonstrationis necessaria, & his argumenta vtriusque partis soluta esse constat.

Ex dictis fit satis argumentis oppositis.

Testimonium Aristotelis explicandum superest, qui breuitati studens, vnico verbo docet, quo pacto de subiecto, & passione præsuponẽdum est, *quid sint*; ait autem de vtroque prænosse oportere, *quid est quod dicitur* vel *quid nomen significet*, secundum proportionem (vt bene Magister Sotus) hoc est, secundum modum, quo vtrumque habet definitionem ac rursus secundum modum, quo ad demonstrationem quodlibet concurrit; & quia passio concurrit, tanquam demonstrabilis de subiecto, per definitionem eius quidditatiuam, & non per propriam,

Explicatur testimonium Aristotel.

quia nec propriam habet, satis est, *quid nominis* eius præcognoscere; de subiecto verò, eadem probatur ratione, non sufficere, sed requiri definitionem *quid rei*, cùm sit vnicum medium in hoc genere demonstrandi;
28. quod si aliquando Aristoteles docet mediū demonstrationis esse inquirēdum; non tollit certe quin præsupponatur, nam id intelligitur, dum definitio subiecti non constat, sed obscura est: tunc enim quærenda est per diuisiones, vel quopiam alio medio, nunquam tamen à priori in eodem genere causæ probanda. Et ideò semper præsupponenda; nam & principia aliquando oportet inductione manifestare; nec propterea inferre licet, non esse præsupponendam eorum veritatem, nam vt præsupponi dicatur, sat est nunquam à priori demonstrari, sed habita explicatione, vel ostensione à posteriori, dum non patent cunctis, ex terminis esse nota.

QVAESTIO IIII.

An, præcognitiones de subiecto, passione, ac principio habeantur ante demonstrationem, vel etiam in demonstratione ipsa.

CONTROVERSIA hæc à nemine tangitur, quia omnes ferme intelligunt præcognitiones de subiecto, passione, & principio non necessario ante demōstrationem haberi, sed in eadem, quæcumque enim cognitio, quæ ante notitiam, vel illationem conclusionis requisita est, præcognitio necessaria vocatur, si mentem Aristotelis teneamus, qui *omnem doctrinam, omnemque disciplinam*, hoc est, quamlibet notitiam alicuius conclusionis, *Ex præexistenti præmissarum haberi*, docuit; ergo tam præmissæ, quam, quæ in illis continentur, nēpe subiectum, & passio, præcognosci dicuntur: & certe illud proprie dicitur præcognosci, in tota scientia, & qualibet demonstratione, quod non probatur, sed tanquam per se notum præaccipitur, sed talia sunt principia eiusdem demonstrationis, & scientiæ, quæ per se nota vocantur, ex quibus alterum est definitio subiecti; ergo non solum, quæ ante demonstrationem cognoscuntur, dicuntur præcognosci, sed quæ in demonstratione ipsa, vel scientia, ante illationem conclusionis; ac demum de passione, ait Aristoteles, *Præcognoscere oportet, quid est quod dicitur*, & hoc non alia de causa, nisi quia cum de subiecto sit in conclusione probāda, non capietur conclusio, nec ei intellectus assentietur, nisi prius intelligat, quid nomen significet; sed non est necessarium, talem præcognitionem de passione haberi ante demonstrationem, sed sufficit dum præmissæ proponuntur, & ad inferendam conclusionem, eis in modo, & figura dispositis assentitur intellectus, simul accipere terminorum explicationem; tantumdemque de præcognitionibus subiecti, & principiorum censendum est: nam sat erit in ipsamet demonstratione percipere subiectum esse, ac definitionem eius, ac vera esse principia, quæ hinc assumuntur ad inferendam conclusionem; nec minus, tunc primo eiusmodi omnia cognoscens, demonstrationem, scientiamque conclusionis comparauit, quam si multo prius eadem cognouisset: vnde fit præcognitiones in ipsamet demonstratione haberi: ita sentit D. Thom. & cum eo Caietanus, & M. Sotus, ita etiam senserunt antiquissimi interpretes Aristotelis, quos inferius referam.

Quid sit propriè præcognitio.

29.

Quid dicatur propriè præcognosci.

30.

Oppositum tamen cōstanter tenet P. Toletus, in explicatione textus, affirmans præcognitiones assignatas ab Aristotele de subiecto, passione, ac principio, intelligi ante totam demonstrationem, & non in ea.

Opposita sententia Patris Tolet.

31.

Prima ratio.

Probat, quia Aristoteles exemplum attulit in primo principio vniuersalissimo, *quod libet est, vel non est*: in subiecto item, & passione, de quibus multo ante demonstrationem præcognoscimus, an sint, & quid sint; ergo non de his, quę in ipsa demonstratione cognoscuntur, præcognitiones intellexit.

Secunda ratio.

Præterea. Præcognitiones atque ea, de quibus habentur, præsupponuntur processui demonstratiuo, seu scientifico; sed omnia, quæ pertinent ad demonstrationem, tam ex parte præmissarum, quam conclusionis, pertinent ad eiusmodi processum, ergo nihil ex his, quæ in demonstratione cognoscuntur, proprie dicitur præcognosci, sed de nouo esse cognitum.

Vera

Vera doctrina statuitur.

QVID autem in hac re tenendum sit, docuit bene Porphyrius, in commentariis huius capitis, quem refert, ac sequitur Magnus Albertus 1. lib. Posteriorum,
32. tractatu primo cap. 4. ad finem: & cõsistit in hac distinctione; praecognitiones sunt duae, *an sit*, & *quid sit*: tria de quibus habentur, subiectum, passio, & principium; sed tam praecognitiones, quam praecognita bifariam accipiuntur, in communi, & in particulari: communissima principia sunt, *Quodlibet est, vel non est. Totum maius est sua parte. Super quamlibet datam lineam possumus triangulum constituere* De quibus notum est vix, aut nunquam demonstrationem ingredi; communissimum etiam subiectum est vnitas, & communis passio, triangulus: particularia verò sunt ea, quae pertinent ad vnam particularem scientiam, vel demonstrationem, vt in scientia de homine, subiectum est homo; passio, capacitas disciplinae, vel admiratio: principium, hominem esse animal rationale, esse disciplinae capacem, &c.
33. Et de vtrisque intelligitur doctrina Aristotelis secundum proportionem: de communissimis quidem respectu omnium, vel plurium scientiarum, quae ideò ante earum acquisitionem habentur; ac de particularibus etiam respectu talis scientiae, vel demõstrationis: itaque de communissimis subiecto, passione, ac principiis, duo illa sunt praecognoscenda, an sit, & quid sit, ante processum demonstrationis, ac scientiae: at de particularibus, subiecto, passione, & principiis, non est necesse, ante illam praeintelligi, quamuis possibile id sit, sed satis est, si in demonstratione ipsa, vel scientia ante notitiam tamen conclusionis; quod profectò sufficit, vt verè, & propriè dicantur praecognosci.

De quibus praecognoscantur, an sit, & quid sit ante demõstrationem.

Haec sine dubio est sententia D. Thomae, Caietani, & Magistri Soti, quam efficaciter probant argumenta, à nobis in fauorem eius posita: sic loquuntur Themistius in sua paraphrasi super primum librum Posteriorum, cap. 1. 2. & 3. Paulus Venetus in expositionibus huius cap.

Parr[illegible] bus senten-[illegible]

Aristoteles verò, exemplum in communissimis, subiecto, passione, & principio, posuit, Magistralem doctrinam [illegible] in-telligatur eodem modo esse accipiendum, in caeteris particularium scientiarum subiectis, passionibus, ac principiis: itaque doctrina eius ad illa exempla non est coarctanda, nec propria significatio praecognitionum petit, vt ante totum processum, scientiae, vel demonstrationis habeantur; sed solum ante notitiam conclusionis, haec est enim doctrina, vel disciplina, ex praeexistenti cognitione facta, hoc est, ex notitia principiorum eiusdem demonstrationis, quae si praeexistens est, erit praehabita, ipsaque principia propriè erunt praecognita, atque adeò subiectum, & passio, quae in eisdem continentur, idque vel ex ipso praemissarum nomine facile intelligitur, nam principia vocantur praemissae, quia eorum notitia praemittitur, praehabetur, atque praesupponitur conclusioni, vel scientiae: cur autem de passione, non sit praecognoscenda definitio *quid rei*, ac de principio solum, *an sit verum*, supra explicatum est à nobis. 34.

QVAESTIO V.

An assensus conclusionis fiat, ex praeexistenti notitia principiorũ in genere causae efficientis.

NOTITIAM conclusionis; ex praeexistenti cognitione fieri, aliquod genus causae denotat; quemadmodum dum dicere solemus vnum quidpiam fieri ex alio; sed particula *ex*, multiplicem habitudinem causalitatis designare solet: primo quidem habitudinem materialis causae, dum dicimus cathedram fieri ex ligno: secundo, habitudinem efficientis, in quo genere causae verum est calorem fieri ex igne: tertio, habitudinem partium componentium, quo pacto domus dicitur fieri ex lignis, lapidibus, parietibus, & tecto: ac tandem habitudinem causae determinantis aliam: dum dicimus intellectiuam cognitionem ex sensitiua fieri, sed duae istae habitudines, ad causam materialem referri possunt, cuius similitudinem tenent: petit autem quaestio: vtro ex his modis fiat notitia conclusionis ex praemissis, in genere causae materialis, vel efficientis.

35.

Particula ex, multiplicem habitudinem causae designat.

Variae

(vt voluit Aristoteles:) *Tanquam tabula rasa, in qua nihil depictum est*: per assensum autem principiorum informatur speciebus, determinaturque, & fit quasi in actu primo ad assensum conclusionis; non secus ac potentia visiua per speciem coloris ad eundem intuendum, sed forma, per quam fit agens in actu primo ad operandum, concurrit effectiue ad operationem, ergo necesse est assensum principiorum effectiue concurrere ad assensum conclusionis.

Variae sententiae traduntur.

Prima sententia.

NEGAT prima sententia efficientem causam attingere, sed materialiter dumtaxat determinantem; quam videtur plane tenere Durandus in secundo dist. 24. qu. 2. ad quartum, vbi vniuersaliter docet, quòd cum duo actus intellectus non possint esse simul, impossibile est vnum esse causam alterius efficientem, quibus verbis argumentum quoddam non infirmum insinuat id confirmans.

Primum arg.

Causa efficiens agit, in quantum est actu, sed assensus principiorum est actus diuersus, ab assensu conclusionis, cum quo simul esse repugnat, ergo non potest esse causa eius ef-
36. fectiua. Minor ostenditur: quia eadem potentia, non potest simul habere plures actus, sed vnum post alterum, dum ergo conclusioni assentimus, iā non extat assensus principiorum, ergo nō erit efficiens causa scientifica assensus, quia quod non est, nihil efficere potest, sed satis est respectu illius se habere per modum determinantis, in quantum post actum principiorum, scientificus sequitur, & non alius, ad modum, quo apprehensio determinat iudicium, & notitia sensitiua intellectiuam, & modus iste reducitur ad causam materialem.

Secundo arg.

Postremò. Si assensus principiorum est causa efficiens conclusionis, cum sit particularis, & proxima, erit vniuoca, atque adeò eiusdem speciei, quod planè falsum est, cum assensus conclusionis sit scientia, principiorum verò intellectus. Hanc sententiam Durandi sequuntur ex modernis nonnulli.

Sententia opposita.

Secunda sententia opposita.

ALII verò oppositam ex capite praesenti, deducere intendunt, nam eo ipso quod Aristot. docet assensum conclusionis fieri, ex praeexistenti cognitione principiorum, sentire videtur, effectiue ab ea procedere; solum enim materialem concursum ei tribuere, falsum apparet, siqui-
37. dem praeter obiectiuam determinationem, quam habet apprehensio, aut notitia sensitiua, positiue influit ad eius productionem.

Primo arg.

Secundo argument.

Secundò, intellectus priusquam habeat notitiam principiorum, est quasi nuda materia, non informata vlla forma, vel certè

Opinio media.

Tertia sententia media.

NON desunt ex modernis, qui mediū inter haec extrema velint constituere, ita vt plus quidē causalitatis, quam materialis, vel determinantis tribuere velint assensui principiorum respectu conclusionis, non tamen propriam vel strictam efficientiam, sed quandam eius affinitatem, vel similitudinem, idque propter rationem Durandi de distinctione actuum.

Vera sententia refertur, & confirmatur.

Verior sententia.

VERAM nihilominus efficientiam, qualis esse potest inter actus animae, ponendam esse inter principiorum, & conclusionis assensum arbitramur, tanquam magis consonum Aristotelicae doctrinae, & expresse assertum à D. Thom. in commentariis huius capitis, lect. 3. vbi sic loquitur. *Principia autem se habent ad conclusiones in demonstratiuis, sicut causae actiuae in naturalibus ad suos effectus. Vnde in secundo Physic. propositiones syllogismi, ponuntur in genere causae efficientis*, & 1. lib. contra gentes cap. 57. ratione 4. *In omni scientia discursiua oportet aliquid esse causarum; nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis, vnde, & demonstratio dicitur syllogismus faciēs scire, &c.* Et ne putaretur particula, *quodammodo* esse diminuentem, optime eam exposuit Ferrariensis in commentariis eiusdem capitis, sic loquens. *Aduerte, quod S. Thom. dicit principia esse quodammodo causa efficientem cō-*

D. Thom.

Ferrar.

clusionis, non tamen simpliciter esse causam, quia
non sunt causae, quae efficiant cognitionem con- 39.
clusionis, tanquam agens quod sed tanquam ratio agendi: intellectus enim ex cognitione principiorum causat cognitionem conclusionis, in seipso

137

&c. Hæc Ferrarienſ. quibus ſententiam noſtram in primis profitetur, & rurſus expreſſam eſſe mentem D. Thom. docet, viamque nobis aperit ad eam efficaciter probandam hac ratione.

Ratione probatur. Principia ab intellectu cognita non ſunt mortuæ quædam ſpecies, non aliam habentes virtutem, quam repræſentãdi obiectum, vel determinandi intellectum. Hoc enim modo imperfecto, & materiali concurrit apprehenſio terminorum ad iudicium; ſed non nihil virtutis agendi præſtant, qua iudicium conclusionis producere intellectus valet: eiuſmodi autem virtus nõ eſt alia, quam eſſe rationem formalem obiectiuam aſſentiendi concluſioni; hoc eſt, iudicandi veram eſſe, ac neceſſariam propter præmiſſas. Bene igitur Ferrarienſis, non eſſe id, quod producit aſſenſum concluſionis, ſed rationem, ſeu virtutem producendi, virtutem inquam proximam determinatam, particularem, in qua

40. continetur virtualiter aſſenſus cõcluſionis: nam intellectus ipſe virtus eſt vniuerſalis ad eliciendum quemlibet actum. *Declaratur apto exemplo de ſemine.* Appoſitiſſimum exemplum vim huius rationis oſtendens eſt virtus ſeminalis, qua media viuens ab alio viuente producitur, non eſt enim quod operatur, vel producit, ſed ratio producendi: & ita aſſenſus principiorum quaſi ſemen eſt omnium concluſionum, quod in intellectu receptum, quaſi terræ mandatur, à quo pullulant concluſionum germina: vnde quemadmodum nouæ arboris, vel plantæ germinatio, eſt quaſi partus naturæ: modo ſimili germinatio concluſionis per demonſtrationem, eſt quaſi rationalis partus intellectus: quem fœcundum reddiderunt aſſenſus principiorum; eiuſmodi autem ſimilitudo propriam teſtatur efficientiam, talem quidem, qualis inter actus animæ eſſe poteſt, non vt diminuta, vel imperfecta cenſeatur, ſed non adeò materialis, & phyſica, ac ea quæ in corporeis generationibus reperitur, imo longe perfectior, & hanc ſententiam præter D. Thom. & Ferrarienſ. tenuerunt Gabriel. qu. 8. prologi dubio 2. M. Sotus. qu. 1. ad 2. P. Toletus, in expoſitione primi textus, notabili 3.

Quædam notanda. Quam vt illuſtriorem reddamus, obſeruandum eſt aſſenſum principiorum, & concluſionis eſſe actus animæ diuerſos, non ſo-

41. lum numero, ſed ſpecie: ſpecie quidem, quia vnus eſt quaſi intuitiua notitia, ſine vllo medio habita, ſola terminorum notitia præſuppoſita, alius verò diſcurſiua, quæ non habetur ex ſola terminorum apprehenſione, ſed virtute alicuius medii, quod eſt ratio aſſentiendi: numero autem, quia vnus alium præſupponit, ex eoque fieri dicitur, nihil autem ex ſe ipſo proprie fieri poteſt; ſed quonam pacto, vnus poſſit efficere alium explicandum eſt: non enim ſic intelligitur, vt proxime aſſenſus efficiat aſſenſum, nam potentia apprehenſiua, qualis eſt intellectus, nihil operatur niſi ab obiecto mota, atque excitata, vnus autem aſſenſus per ſe, & directe non eſt obiectum alterius, ſi ergo effectiue, ad eum eliciendum concurrit, obiecto mediãte id præſtabit, & hoc modo contingit in propoſito, nam principia, quæ ſunt obiectum cognitum, & iudicatum per aſſenſum (quem vocamus principiorum) ſunt quædam veritas per ſe nota, informans intellectum, & quaſi in actu primo eum conſtituens, virtutemque conferens iudicandi, veram eſſe ac neceſſariam concluſionem in ipſamet contentam, ex eaque per demonſtrationem elicitam. Itaque obiectum cognitum, & iudicatum per aſſenſum eſt ratio formalis obiectiua producendi alium aſſenſum, & quia talem habet virtutem ab aſſenſu, per quem cognoſcitur, & iudicatur, aſſenſus etiam ipſe non per ſe, & directe, ſed quaſi indirecte dicitur cauſare alium aſſenſum, directe verò ab obiecto iudicato per eum, tanquam à ratione formali aſſentiẽdi cauſatur: huius exemplum inuenio in operationibus ſenſitiuis, nam color, in quãtum viſibilis eſt, imprimit ſpeciem ſui in potentia viſiua, qua tanquam propria virtute media effectiue concurrit cum potentia ad eliciendam viſionem, ſed rurſus color idem in quantum ſenſatus per viſum mediante ſpecie expreſſa per viſionẽ producta, in eadem potentia viſiua, imprimit aliam in ſenſu communi, & ea mediante concurrit effectiue, cum ea potentia ad eliciendum ſuum actum, per quem inter obiectum viſus, & aliorum ſenſuum ſuo modo diſcernit. Ita ergo de principiis cenſendum eſt, quæ ſunt obiectum intellectus, ipſum mediantibus ſpeciebus mouens ad eliciendum aſſenſum per ſe notum: idem autem obiectum vt iam cognitum, & iudicatum per talem aſſenſum mouet intellectum, præſta quæ ei virtutem iudicandi veram eſſe, ac neceſſariam concluſionem demonſtrationis

Quo modo vnus actus poſſit alium efficere. 42.

Exemplum

Obiectũ vt cognitum mouet intellectum ad aſſenſum cõcluſionis

tionis propter eam: præstare autem virtutē potest, quia conclusionem ipsam virtualiter continet, veluti semen terræ mandatum, vir
43. tute continet ramusculum pullulantem: veritatem huius doctrinæ cernere licet, in communi demonstratione, omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est capax disciplinæ, nam veritas significata per præmissas, quam per se notam appellamus, quia per se, hoc est, sine vllo medio est ab intellectu cognoscibilis, obiectum est mediantibus speciebus mouēs intellectum ad assensum, vel iudicium eliciendum, hoc est, vt iudicet, sine medio veras easdem præmissas (loquimur de præmissis mentalibus per vocales significatis) eadem autem veritas per vtrasque præmissas significata, in quantum iam cognita, & iudicata mouet eundum intellectum eisdem propositionibus mentalibus iam cognitis, & iudicatis mediantibus, ad iudicandum veram esse conclusionem ex
44. eis elicitam atque adeò ad eliciendum alium assensum, verum quidem, ac necessarium, non tamē propter se, sed propter veritatem ac necessitatem præmissarum, cuius obiectum est veritas conclusionis, per mentalē propositionem, & vocalem ex præmissis elicitam significata. Ecce quo pacto veritas principiorum iam cognita, & iudicata per assensum proprium, est ratio & virtus assentiendi veritati conclusionis, quam appellamus scientificam: itaque veritas iudicata est per se causa veritatis, cum sit quasi forma, & virtus intellectus, ad iudicandū de alia veritate, & ex consequenti, & quasi indirectè iudicium, vel assensus causat aliud iudicium, & assensum virtute in se contentum, cum veritas non nisi per assensum iudicata, virtutem habeat causandi aliam veritatem.

Solutiones argumentorum, primæ & tertiæ sententiæ.

Ad argum. Durandi, prima solutio. ARGVMENTO Durandi cōcedimus diuersos esse assensus principiorum, & conclusionis, eandem tamen demonstrationem componentes: & ideo quasi eius partes; quapropter negandum est, principiorum assensum transire statim, sed continuari posse, vsque ad assensum conclusionis, quem effectiue producit, etenim quam-
45. uis in instanti eliciatur actus intellectus, continuari nihilominus per tempus potest, perseuerante intellectu in consideratione eiusdē obiecti, & esto tres sint actus diuersi præmissæ, & conclusio, habētes tamen modum vnius (vt superius expositum est) vnde non repugnat simul esse in intellectu, qui licet sit vna potentia, plura simul intelligere, plures habere actus, absque dubio potest per modum vnius. *Non repugnat esse plures actus, simul in intellectu.* 46.

Ad vltimum argument. Vltimum soluimus admittentes, esse particularem, & proximam causam, sed æquiuocam, quia effectum specie à se distinctum producunt: non enim sola vniuersalis causa, vt sol, vel cœlestia corpora æquiuoca est, sed particularis etiam, si virtutem habeat producendi effectum in aliena specie, tales enim sunt intellectus, & voluntas respectu suarum operationum, ac terminorum, qui per eas procedunt. 47.

Argumentum tertiæ opinionis falsum supponit, vnum actum animæ non esse efficientem causam alterius; nam, & si repugnaret, licet esse efficiens, *quod* non repugnat, vt sit *quo*. Cum sit ratio producendi alterum, virtutem præbens potentiæ eum eliciendi.

QVAESTIO. VI.

An principia, vel eorum assensus includatur formaliter in conclusione.

SENSVS quæstionis est, an postquam intellectus assensum principiis præbuit, ex quibus conclusionem infert, dum ipsimet conclusioni assentitur, iterum assentiatur principiis, eodem actu in hanc, & illa tendens, vel satis sit principiis assensisse semel, dum assensum maioris, & minoris elicuit, & iudicet veram esse cōclusionem propter illa, absque eo, quod formaliter reperiatur in assensu conclusionis. Vel vt clarius, quod quæstionis titulus petit explicemus, an assensus cōclusionis pro obiecto habeat hoc solum quod est, hominem esse capacem disciplinæ, vel etiā quia rationalis est, hoc enim verbo exprimuntur principia, quod præter extremitates, ex quibus fit cōclusio addunt, cum ex solis tribus terminis, medio videlicet, & extremitatibus syllogismus componatur. 48. 49. *Tituli explicatio.*

Neque

135

Negatiua sententia eiusque argumenta traduntur.

Negatiua pars. NEGATIVAM partem tenent ex modernis nonnulli, eamque testimonijs Aristotel. & D.Thomæ confirmant, atque etiam rationibus non infirmis.

Primum argumentum ab authoritate Aristotelis, & D.Thomæ. Aristoteles quidem, nam syllogistica ars quam ad certam normam redegit Aristoteles, præscribit medium non esse in conclusione repetendum: nam cum syllogismus cõstet tribus terminis totidemque propositionibus, nempe maiori, minori, & conclusione, non nisi bis erit quilibet sumendus, medium igitur bis in præmissis sumptũ impossibile est in conclusione reperiri, sed si principia claudãtur in conclusione medium eam
50. ingredietur, cum in præmissis contineatur, ergo non est id vllo modo admittendũ in doctrina Aristotelis. Docet præterea cap. præsenti notitiam conclusionis, ex præexistenti principiorum cognitione fieri, si ergo cognitio principiorum præexistens est, erit etiã præsupposita, non ergo in cõclusione clausa.

Diuus Thom. 1 lib. contra gentes cap. 57. statuens differentiam inter diuinam cognitionem, & nostram, quod diuina vnico intuitu in principia, & conclusiones fertur, noster autem intellectus diuersis notitiis vtraque concipit, & ex principiis ad cõclusionem procedit, sic loquitur.

Omnis ratiocinans alia cognitione intuetur principia, & alia conclusionem, non enim oporteret consideratis principiis ad conclusionem procedere, si ex hoc ipso quod principia considerantur, conclusiones etiam considerentur, &c. Hæc D. Tho. quibus plane videtur sentire, non vni-
51. co actu intellectum in principia, & conclusionem tendere, sed valde diuersis, & ex vno ad alium procedere, quod si ita est, neuter claudet alterum; & certe si principia, & eorum assensus in cõclusione clauditur, & vnico actu in vtraque fertur intellectus, cessabit ratio discursus in eo consistens, quod sic actus separentur, vt ab vno in alterum procedatur.

Prima ratio. Probatur tandem ratione. Primo; quia, vt quæstione superiori definitum est, assensus principiorum est causa efficiens conclusionis, ergo diuersi sunt assensus realiter: & rursus causa efficiens extrinseca est respectu effectus, neque in eo vnquam claudi potest formaliter, sed ad summum virtualiter: ergo non clauditur in assensu conclusionis, qui est eius effectus.

Confirm. Et confirmatur. Quia experientia constat, dum conclusio inducitur, solas extre-
mitates in ea coniungi, non cum medio, 52. nempe hominem esse capacem disciplinæ, non quia rationalis est, hoc enim, non exprimitur in conclusione, sed in principiis solum continetur, quorum assensus præsupponitur, ergo non reperitur in conclusione, nec proinde in ea clauditur formaliter.

Secunda ratio. Secundo. Si principia clauduntur in conclusione, sequitur eodem actu, quo intellectus assentitur conclusioni, assentiri etiam principiis, sed assensus conclusionis est scientificus, ab habitu scientiæ elicitus, ergo per actum, & habitum scientiæ assentiremur principiis, quod repugnat: cum assen-
sus conclusionis sit notitia discursiua, prin- 53.
cipiorum verò, non nisi intuitiua, & sine discursu.

Tertia ratio. Tertio. In syllogismo euidenti infertur aliquando conclusio vera, & necessaria, ex præmissis falsis, vt dum sic procedimus. Omnis arbor est animal, omnis homo est arbor, ergo omnis homo est animal; repugnat autem claudi falsum in vero assensu, ergo repugnat claudi in conclusione principia.

Verior sententia exponitur.

Opposita sententia. D. Thom. nonnulli discip. eius. PRO opposita nihilominus sententia reperio viros grauissimos D. Thom. in primis de veritate, quæst. 22. artic. 14. ad 3. & expressius 1.2. quæst. 8. articul. 3. in corpore, & quæst. 12. articul. 4. & ex discipulis eius Capreolum, in 1. dist. 2. quæst. 1. in solutione ad argumenta contra quartam conclusionem. Ferrariens. 1. lib. contra gentes. cap. 57. Sonzi. 6. metaph. quæst. 10. Du-
randum item in 2. dist 31. quæst. 3. ad 3. Hi 54.
omnes expresse docent intellectum, dum ex principiis infert conclusionem, eodem actu ferri in conclusionem, & principia, cum ei propter principia assentiatur, & si hoc verum est, sequitur euidenter principia claudi formaliter in conclusione, cum formaliter eius assensus sit propter principia: nam si sic sunt à conclusione diuersa, vt in ea non includantur, non erit intelligibile intellectum eodem actu scientiæ in ea tendere; sed per assensum duntaxat principiorum longe

diuersum, & iam habitum. Placet ad verbum referre primum & secundum testimonium D. Thom. quia non solum hanc doctrinam egregie continent, sed fundamentalem eius rationem. Primum autem sic habet. *Primo intelligit aliquis ipsa principia secundum se, postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus secundum quod assentit conclusionibus propter principia.* Secundo autem loco quaerens an eodem actu, quo voluntas vult media, velit etiam finem, sic respondet. *Motus voluntatis in finem, & in id, quod est ad finem potest considerari dupliciter, vno modo secundum quod voluntas in vtrumque fertur absolute, & secundum se, & sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in vtrumque: alio modo secundum quod voluntas fertur in id quod est ad finem propter finem, & sic vnus, & idem motus voluntatis est ad finem, & in id, quod est ad finē; cum enim dico, volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi vnum motum voluntatis; cuius ratio*
55 *est, quia finis ratio est volendi ea quae sunt ad finem: idem autem actus cadit super obiectum, & super rationem obiecti, sicut eadem visio est coloris, & luminis, & est simile de intellectu, quia si absolute principium, & conclusionem consideret, diuersa est consideratio vtriusque; in hoc autem quod conclusioni propter principia assentit, est vnus actus intellectus tantum, &c.* Docet igitur D. Thom. si principia, & conclusiones per se accipiantur, hoc est, vt illa sunt obiecta actus, & habitus principiorum: hae vero vt per se obiectum, cui assentimur per actum, & habitum scientificum, diuersa esse
56 obiecta, ac diuersis omnino actibus in vtraque tendere intellectum, nec se includere obiecta, neque actus: quia si duae species, vt tales accipiantur, pugnat cum ratione vnam alteram includere: caeterum si conclusio accipiatur, vt cui assentimur propter principia & principia ipsa, vt ratio formalis assentiēdi conclusioni, eodē actu scientifico in haec, & illam fertur intellectus: vnde sequitur plane principia sic accepta claudi formaliter in conclusione, quod vt percipiatur melius, atque etiam ostendatur, quam sit cum ratione coniunctum, adhuc eiusmodi assensus, eorumque obiecta distinguere, oportebit.

Primo testi. D. Thom.

Secundo testim.

Inclusio vnius assensus in alio triplex.

Inclusio vnius assensus in alio triplex esse potest; secundum entitatem realem: secundum essentiam, seū essentialia praedicata; postremo, secundum rationem obiectiuam. Et quidem duobus primis modis certa res est, assensum principiorum, nō includi in assensu conclusionis, nam cum sint diuersi actus numero, ac successiue, vnus post alium, ab intellectu eliciatur, vnus non inhaeret alteri, nec in eo proinde clauditur, per realem inhaerentiam, quemadmodum albedo clauditur in albo: & rursus cum sint distincti specie, repugnat vnum de alio praedicari, ac propterea in eo includi essentialiter; quidquid 57
enim de alio praedicatur, in eo includi necesse est: sola igitur inclusio obiectiua, locum habere in his assensibus, vel obiectis potest. Caeterum haec duobus modis potest intelligi, vno, ita vt assensus formaliter, & directe claudat assensum: & modus iste inclusionis plane est impossibilis, cum realis, vel essentialis esse non possit, vt praecedens distinctio docuit, sed neque obiectiua, nam vnus assensus, nō est per se obiectum alterius, sed quid valde ab eo diuersum. Alio modo sic est intelligibilis, vt obiectum vnius assensus, claudat obiectum alterius, vt per propriū actum cognitum, vel iudicatum, & tunc ex consequenti claudet assensum, vel iudicium, vt de obiecto visus, vel alterius sensus particularis dicebamus, quo pertinente ad sensum cōmunem, vt sensato particulari sensu; ex consequenti, & quasi indirecte sensatio ipsa clauditur in obiecto sensus communis, gratia exempli, color est obiectum visus, sub ratione visibilis, at in quantum cognitus iam per visum, pertinet ad sensum cōmunem, & ex consequenti visio ipsa, per quam cognitus est; & iste absque dubio est modus vnicus, non solum possibilis, sed necessarius, quo 58
principia clauduntur in conclusione, & ex consequenti, & quasi indirecte eorum assensus; iste est etiam, quem D. Thom. plane intendit: fit autem notior communi exemplo adhibito: omne animal rationale est capax disciplinae, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est capax disciplinae; in quo tria possumus considerare, & rem significatam per has tres propositiones, & propositiones ipsas vocales, aut scriptas, aut etiam mentales, quas ex terminis mentalibus apud se format intellectus, quae principia vocantur, vel praemissae, & conclusio
mentalis, vocalis, vel scriptae demonstrationis: postremo, iudicium eiusdem intellectus, quo iudicat veras esse, ac necessarias, quod vocamus assensum, hoc autem iudi- 59

Inclusio obiectiua duobus modis sumitur.

Primus modus.

Secundus modus.

Exponitur D. Thom.

Tria possunt considerari in demonstratione.

iudicium, aliud est præmissarum, aliud conclusionis; præmissarum tale est, vt sola terminorum significatione explorata, absque alio medio iudicet intellectus, veras esse ac necessarias: conclusionis vero, quo iudicat non solum veram esse, ac necessariam, sed propter præmissas, hoc est hominem esse disciplinæ capacem, quia est rationalis; nunc ergo, tam res significata per vocales, & mentales propositiones, quam propositiones ipsæ, rationem obiecti habent respectu iudicij, aut assensus: iudicat enim intellectus, rem ita se habere mediante propositione mentali, apud se formata, quam per vocalem, vel scriptam exterius significat; iudicium enim actio propria est intellectus, per quam fertur in eiusmodi obiectum: nunc ergo, si vtrumque obiectum consideretur absolutè, hoc est, vt id, cui intellectus assentitur per se, absque ordine ad aliud, diuersa sunt, diuersa item iudicia, vel assensus, ita vt nec obiectum in obiecto, nec assensus in assensu includatur: si verò in quãtum vnum est id, cui assentitur intellectus, propter aliud, eodem iudicio, vel assensu fertur intellectus in vtrunque, nempe in conclusionem propter principia, & vnum obiectum in alio clauditur intrinsece, & formaliter, nempe principia in conclusione; & rursus, quia intellectus assentitur cõclusioni propter principia, vt iam cognita, & iudicata per proprium iudicium, vel assensum: ex consequenti, & quasi indirectè clauditur iudicium, vel assensus principiorum in obiecto conclusionis, quod totum hoc claudit formaliter, nẽpe hominem esse disciplinæ capacem, quia est rationalis: hoc enim solo verbo conclusioni addito, exprimuntur principia, quia hoc solum, præter extremitates, ex quibus conficitur addit. Appositissimum est exẽplum D. Thom. in colore, & luce, quæ si entitatiue, & essentialiter accipiantur, nullo modo se includunt, vtpote numero, & specie distinctæ, quarum vna minimè inhæret alteri; sed nec obiectiue, si accipiatur quælibet, vt per se, & tanquam quod mouere potest visum: eiusque actum terminare; nam tunc, nõ vno, sed diuersis actibus in vtramque fertur visus; at si vna, vt ratio alterius obiectiua, per vnũ actum percipiatur, illa, quæ est ratio alterius, in ea clauditur, vt lux in colore, in quantum est ratio eum videndi; sic igitur intelligendum est principia claudi in conclusione

Eodẽ actu fertur intellectus in principia, & conclusiones.

Exemplum D. Thom.

formaliter, ad eiusque assensum pertinere, cui speciem conferunt.

Dubitatio. 61. Si autem dubites, quæ nam sit duplex cõsideratio conclusionis, aut assensus eius: nõne semper consideratur, vt id, cui propter principia assentitur intellectus, & in eam fertur propter principia.

Soluitur. Respondetur, in re ita esse, sed duplex distinguitur consideratio, vna, vt est id, in quod fertur intellectus, non considerata ratione assentiendi speciali, & tunc actus intellectus, consideratur etiam tanquam iudicium cuiusdam veritatis, non per se cognitæ: notum est enim posse cognosci per experientiam, aut per fidem: qua propter bene potest considerari, vt abstrahit à quocunque medio cognoscendi speciali, & hęc cõsideratio sufficit, vt in tali obiecto non includantur principia, atque etiam vt iudicium, vel assensus sit omnino separatus, ab assensu principiorum & verè dicamus intellectum, non vno actu, sed diuersis ferri in conclusionem, & pręmissas, quia tunc quasi materialiter consideramus conclusionem: alia est consideratio formalis eiusdem, vt conclusio demonstrationis est, & tunc non fertur absolute in eam intellectus, sed propter principia, iam per proprium assensum cognita, vel iudicata, & tunc dicimus eodem actu in illam, ac principia ferri intellectum, tunc includere formaliter principia, atq; ex consequenti eorum assensum: & hæc est sentẽtia D. Thom. quam hac ratione, efficacissima quidem confirmat.

Probatur 1. sententia D. Thom. 62. Eodem actu fertur potentia in obiectum, & in rationem formalem obiectiuam, vt visus eodem actu fertur in colorem, & lumen, quod est ratio videndi colorem, sed principia sunt ratio formalis assentiendi cõclusioni, siquidem conclusioni assentimur propter præmissas, ergo eodem actu fertur intellectus in vtrumque obiectum, cuius hęc est ratio à priori, quia ex obiecto, & ratione formali, non duo, sed vnum totale, & completum coalescit obiectum, ergo vnum atque eundem terminat actum; & si ita se res habet, euidenter infertur principia formaliter claudi in conclusione, atque ex consequenti eorum assensum, quia euidens est rationem formalem obiectiuam cuiuslibet actus, vel potentiæ, in eius obiecto claudi, vt lumen; vel rationem visibilitatis in obiecto visus, veritatem in obiecto intellectus, bonitatem

Ratio à priori.

tatem in obiecto voluntatis.

Secundo probatur. Secundo probatur, exemplari inductione in cæteris actibus intellectus, atque etiam in actibus voluntatis: nam actus fidei intrinsece, & formaliter claudit in suo obiecto testimonium humanum, si fides sit humana; vel diuinum, si diuina: in actibus item voluntatis dum sanitatem, tanquam finem volumus, & rursus propter eandem sanitatem assequendam potionem sumere eligimus, apertum

63. est non solum sanitatem esse obiectum intentionis, sed claudi absque dubio in obiecto electionis formaliter, hoc solum discriminis est, quod intentionē per se, & vt quod terminat, in obiecto verò electionis clauditur tanquam ratio formalis obiectiua potionis eligendæ; pari ergo ratione censendum est, in obiecto cōclusionis claudi formaliter principia, cum sint formalis ratio obiectiua assentiendi.

Tertio probatur arg. Ad extremum, probatur, ex distinctione specifica assensus scientifici à cæteris, hoc est ab assensu fidei, & opinionis: etenim si conclusioni præfatæ demonstrationis assentiremur per fidem humanam, vel rationem probabilem, assensus esset humanæ fidei, vel opi-

64. nionis, nunc autem dum ei assentimur, propter principia per se nota, assensus scientificus est, sola ratione formali assentiendi variata, cum eadem sit propositio materialis, hoc est, ex eisdem extremis composita: ratio igitur formalis assentiēdi, variat speciem assensus; ergo clauditur intrinsice, & formaliter in obiecto; quia actus non nisi ex obiecto sortiuntur essentialem, atque specificam distinctionem: & ad particularem rationem descendentes, assensus conclusionis constituitur in propria specie scientiæ, per rationem formalem assentiendi, nempe per principia, & per eandem rationem formaliter distinguitur essentialiter, à reliquis eiusdem intellectus assensibus; ergo intrinsice, & formaliter includuntur principia in eius obiecto, quod est ipsamet conclusio, atq; ex consequenti, & quasi indirecte assensus principiorum, vt expositum est.

Ex distinct. idem deducitur. Hæc sententia (nisi ego fallor) plane deducitur ex his, quæ docet Aristoteles cap. sequenti, certiorem nempe esse assensum principiorum, quam conclusionis, quibus proinde firmius assentimur, quod tali ratione pro-

65. bat. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis: sed propter principia assentimur conclusioni, ergo magis eis assentimur*, hoc est, certius, & euidentius. Hæc autem ratio nullam profecto vim habebit, nisi principia ponantur formalis ratio obiectiua assentiendi conclusioni, vnde elicitur plane inhibita esse in ea.

Opposita argumenta soluuntur.

PRIMVM testimonium Aristotelis (vt argumenta soluere incipiamus) de medio simplici, non de complexo (quod est ratio assentiendi) accipiendum est; duplex est enim medium; vnum simplex pertinens ad communem formam syllogisticam, quod conclusionem haud quaquam ingredi permittitur, & est ille terminus, qui bis sumitur in præmissis: aliud est medium assentiendi conclusioni, complexum quidem, cum sit veritas per se nota, in qua conclusio ipsa continetur, tanquam in causa: & eiusmodi sunt principia, iam per propriū assensum iudicata, quæ in conclusione non exprimuntur, quia non sunt id, cui assentimur, sed ratio assentiendi: hæc enim nunquam in assensu exprimitur in actu signato, semper tamen in actu exercito, gratia exempli, in assensu diuinæ fidei, dum credimus, Deum esse trinū, & vnum, non exprimimus Diuinā reuelationem propter quam credimus, sed solū eam veritatem cui assentimur sed eo ipso quod eā quia testificatam credimus, in actu exercito profitemur, nos credere propter Diuinam reuelationem, de qua nemo dubitat claudi formaliter, in obiecto eiusdem assensus, sic ergo de conclusione censendum est, eo ipso, quod eam ex principiis deducimus, profiteri nos in actu exercito, quod ei propter principia assentiamur, atque adeo quod principia sint nobis ratio formalis obiectiua assentiendi, in ea inclusa: non est ergo necessarium, id in actu signato exprimamus, iterum principia ipsa, vel mediū prædicationis, quo extremitates coniunguntur, in conclusione repetentes.

Ad testimonium Aristotel. resp.

Duplex medium simplex & complexum.

66.

Ad secundū testim. Secundum testimonium, ex capite præsenti desumptum, difficultate caret: nam conclusionis notitiam, ex præexistenti principiorum cognitione fieri, solum infert distinctionem vtriusque cognitionis, et efficientiamque vnius, respectu alterius, cum his autem stat quidem bene, principia in conclusione

clusione claudi, non accepta, *vt quod*, nam hoc modo proprium assensum terminat, sed *vt quo*, hoc est, vt ratio assentiendi conclusioni, & certe nisi ita se res habeat, non est intelligibile præmissas esse efficientem causam conclusionis: in potentiis enim cognoscitiuis, vnus actus eiusdem non causat effectiue alterum, nisi obiecto eius mediante, cum hoc genus potentiarum, non nisi mediante apprehensione obiecti moueatur ad operandum: vnde fit, vt principia, vel eorum assensus non possint esse causa effectiua assensus conclusionis, nisi in eius obiecto includantur, & ita est, quia cum sit quasi eius forma, est etiam ratio formalis effectiua assensus; itaque principiorum notitia, non vt præsupposita, sed vt alio modo sumpta, in conclusione clauditur.

67.

Ad testim. D. Thom. Testimonium autem D. Thom. fundamentalem rationem discursus nostri tradere intendit, quæ absque dubio vtrunque importat, & distinctionem assensuum realem, & causalitatem vnius respectu alterius: & quidem si principia sic cognoscerentur simul atque vnico actu cum conclusione, vt non prius cognoscerentur per proprium actum, à notitia conclusionis distinctum, cessaret ratio discursus: at cum vtroque modo cognoscantur, sub diuersis considerationibus, inclusio distinctionem non tollit, nec rationem discursus lædit, quin potius illam adiuuat, cum ex inclusione, causalitas vnius respectu alterius ortum habeat.

68.

Ad prim. argum. Primum argumentum soluimus, libenter ei dantes duo illa, quæ assumit, nempe assensum principiorum specie, & numero esse diuersum, ab assensu conclusionis atque etiam eius causam, ex quo bene infertur in eo non claudi formaliter, sed bene in eius obiecto claudi potest ex consequenti, vt vidimus & ratione huius inclusionis ad eum pertinere, quemadmodum obiectum quodlibet dicitur pertinere ad proprium actum, cui speciem confert; ratione item huius inclusionis conuenit ei, vt sit causa effectiua, vt à nobis expositum est.

Ad secundum argum. Secundo argumento occurrimus admittentes, eodem actu, vel assensu scientifico, ferri intellectum in conclusionem simul, & principia; diuersa tamen ratione in illam, vt cui assentitur, in hæc, vt in rationem formalem assentiendi: gemina enim consideratio principiorum, permittit ad vtrum-

69.

que actum, & habitum pertinere; *intellectus*, & *scientiæ*: nam principia secundum se considerata, nempe, vt sunt *id*, in quod fertur intellectus, ad actum, & habitum principiorum per se spectant: vt autem sunt ratio assentiendi conclusioni, non efficiunt assensum per se, vel ex terminis notum, sed propter aliud, & talis est assensus conclusionis vnde non mirum est, si ad alium habitum referatur. Itaque veritas principiorum, quasi per essentiam, & participationem, vt *quod*, & vt *quo*, est diuersum obiectum, diuersum actum, & habitum constituens, & eadem eius diuersa consideratio efficit, vt vnus assensus sit veritas per se nota, quasi intuitiua notitia, & sine discursu habita (nam principia ex se considerata, sine medio mouent intellectum ad sui assensum) alius vero non per se, sed per aliud nota, hoc est, per principia iudicata, & vt quælibet veritas suum constituat habitum specie diuersum.

Ad confirmationem secundi. Nec tamen idcirco assensus conclusionis, vel eius obiectum est aggregatum per accidens, quòd principia in conclusione imbibantur; nam cum intra eam sint, tanquam formalis ratio assentiendi, vnum per se obiectum efficiunt: egregie enim D. Thom. docuit (vt vidimus) ex obiecto, *quo* & *quod*, vnum per se completum coalescere, in quibuscunque potentijs, habitibus, & actibus, cum non obstat *quo*, & *quod*, habere diuersam naturã, secundum se considerata: nam etiam materia, & forma, diuersæ naturæ sunt sub genere substantiæ, & tamen propter rationẽ actus, & potentiæ, determinantis, ac determinabilis, vnum per se compositum efficiunt: & ita se res habet in proposito, quod principia, atque eorum assensus diuersam sortiuntur conditionem, à conclusione, eiusque assensu, at in ratione obiectiua, quasi rationem formæ habent in obiecto conclusionis. Ideò vnum per se obiectum cum ea efficiunt, & vnum per se assensum scientificum, cum vnitas assensus, ex obiecti vnitate accipiatur. 70.

Ad tertium argument. Tertium argumentum, haud difficilem solutionem habet; nam conclusio vera non infertur in eo syllogismo, ex virtute falsarum præmissarum, sed solius syllogisticæ dispositionis; vnde conclusio, vel eius assensus, non claudit principia vt falsa, sed vt sic disposita, in demonstratione vero, ex virtute 71.

principiorum

principiorum conclusio infertur, & cum principia sint formalis ratio assentiendi obiectiua, clauduntur in ea, absque dubio formaliter.

QVAESTIO VII.

An maiori & minori cognitis, assensum præbeat intellectus conclusioni in eodem instanti.

Nonnulla præsupponuntur. EX præmissis demõstrationibus docuit Aristoteles maiorem, quæ vniuersalis est, semper posse prius tempore cognosci, quam cognoscatur minor, & conclusio, cui nos addimus, idem censendum esse

P. de minori, quam possumus prius tempore, quam maiorem cognoscere Cæterum si ordinatè, vnaquæque cognoscenda est, hoc est, vt petit dispositio syllogistica, in ordine ad conclusionem inferendam, prius est maior vniuersalis, quam minor sub ea subsumpta cognoscenda, deinde minor, & ideò Aristotel. secundum debitum ordinem cognoscendi, quẽ petit processus demonstrationis loquẽs, de sola maiori docuit posse prius tempore cognosci, quam minor, & conclusio cognoscantur, at cognita maiori, & minori subsumpta sub ea, simul cognosci conclusionem, quam simultatem, de duratione interpretati sumus, iuxta expositionem D Thomæ, nam de prioritate naturæ apertum est, assensum minoris, priorem esse assensu conclusionis, cum sit eius causa.

Status dubij. Quibus præsuppositis, quærimus nunc, an assensus conclusionis semper sequatur in eodem instanti, ex assensu maioris, & minoris? vel aliquando impediri contingat? Multa enim sunt, quæ talem consecutionem impedire posse videntur.

Suadetur negatiua pars primo. Nam fieri in primis potest, vt qui demonstrationem habet huius propositionis: *Triangulus, qui est in semicirculo constitutus, habet tres angulos æquales duobus rectis*: habuerit antea errorem circa eandem, & in eo casu non

73. poterit ei statim assensum præbere, etiam cognita maiori, & minori, errore scientiæ opposito impediente: & præsertim si nimis sit radicatus, per frequentem actuum repetitionem, non poterit vnico actu conclusionis opposito remoueri, sed oportebit, vt quẽadmodum per plures radicatus est, pluribus etiam oppositis, sensim euellatur; oportebit igitur tempus expectandum, ad minus, vt assentiendum conclusioni, & ita non semper, in eodem instanti sequitur eius assensus.

Secundo. Intellectus non potest plura simul actu intelligere, vt Aristoteles testatur, *Secundo probatur idem.* 2. Topic. cap 3. loco 33 hisce verbis. *Contingit enim plura scire, cogitare autem non.* Et confirmat D. Thom. 1. par. quæst. 55. artic. 4. cuius ea videtur esse ratio; quia plurium cognitio *Confirmatio D. Tho.* importat plures actus intellectus, vna autem potentia nõ potest habere simul plures actus, atque adeò nec intellectus plures cognitiones: & si ita se res habet, cum assensus conclusionis sit distinctus assensus intellectus, ab 74. assensibus præmissarum, repugnare videtur in eodem instanti, cum eis haberi: habebitur ergo in alio, cũ intellectus in instanti operetur, & inter quælibet duo instantia est tempus medium, expectare igitur tempus aliquod necesse erit, post assensum maioris, & minoris.

Vltim. arg. Postremo. Quia capacitas intellectus limitata est, ita vt tot notitias, vel assensus simul habere possit, & non plures, licet successiue possit habere infinitas; sit igitur casus quòd facultas eius extẽdatur ad decem, quem numerum expleant assensus præmissarum, tunc certe non poterit simul assentiri conclusioni, qua propter, nec èrit necessarium semper, cognita maiori, & minori, simul tempore cognosci.

Vera sententia statuitur, & satis fit argumentis oppositis.

Vera sententia, & eius probatio. HAEC nihilominus non obstant veritati, ab Aristotele traditæ, iuxta communem omnium ferme expositorum sententiam, quòd cognitis maiori, & minori, simul tempore cognoscatur conclusio, cuius duplex est fundamentum, vnum, assensum conclusionis, ex assensibus premissarum esse conflatum; alterum, sub eis, tanquam particulare, sub vniuersali esse contentum, ex quibus infertur, virtualiter in eisdem contineri, vt arbor in semine, ex quo naturaliter pullulat, dum terræ mandatur: sic igitur principia, quasi cõclusionis semina sunt, quæ terræ mandãtur, dum in intellectu recipiuntur, per apprehensionem, & iudicium, vel assensum: & quasi partus quidam intellectus voca-

ctus vocari potest, illatio conclusionis, cum non sit aliud, quam in lucem prodire illud, quod quasi in vtero animæ inclusum continebatur, quod intuens Aristoteles, vt argumentum Platonis solueret, docuit conclusionem cognitam esse in præmissis, virtualiter quidem; nam formaliter, & simpliciter non cognoscitur, quousque ex eisdem eliciatur, elici autem, simul, ac minor præmissa, sub maiori cognoscitur, certum est; non secus, atque ex causa prodit effectus, qui in eius virtute continetur.

Ad primũ argument. Eius autem simultaneam ac necessariam consecutionem, minime impediunt ea, quæ in argumentis opponuntur, non primum de errore, quem admittimus haberi posse, de

76. eadem conclusione, ab eo, qui vtramque præmissam, ex qua infertur cognoscit: cæterum cum ex directo opponatur errori assensus conclusionis, sitque longe potetior, eum expellit, & quidem in instanti: nam quemadmodum assensus scientificus, & erroneus ex propria conditione habentur in instanti, sic in instanti se expellunt: non enim indiget intellectus aliqua mora temporis, ad operandum: quod autem dicitur contingere posse, errorem esse nimis radicatum in subiecto, atque adeò nõ posse per vnum expelli actum, soluimus distinguentes duplicem rationem in errore, formalem, in quantum intellectum inclinat, ad assensum falsum, & præsente obiecto, quasi impellit, vt circa illud eliciat assensum; & materialem, in quantum est quædam qualitas, ex actuum frequẽtatione radicata in subiecto, & quantum ad primam considerationem, per vnum actum scientificæ conclusionis excluditur: nam cum demonstratio efficax causa sit, assensuique proinde scientifico, firmissime adhæreat, propter eam intellectus: & rursus veritas obiecti, quæ latebat prius, manifestissima sit, cessat in habitu erroris vis inclinandi, seu impellendi intellectum in obiectum falsum, iam non extans: nihilominus,

77. quia nimia eiusdẽ habitus radicatio, in quantum est qualitas intensa in subiecto, non tollitur nisi per repetitionem contrariorum actuum, permanet in intellectu, quousque sensim expellatur: materialis tamen est talis permanentia, & quæ minime impedit scientificum assensum conclusionis: non enim opponuntur formaliter habitus, nisi in quãtum inclinant in obiectum contrarium: hac igitur cessante inclinatione, ex parte erroris, cessat formale impedimentum, ac propterea nihil obstat, quo minus maiori, & minori cognitis, simul tempore cognoscatur conclusio, & sic soluitur primum argumentum.

Circa secundum, non est locus disputandi: an intellectus possit simul habere plures cognitiones? Sed illud nobis sufficit in præsentiarum, quod ab vniuersis, tanquam certum acceptatur, posse plura cognoscere, per modum vnius, & eodem pacto, posse simul plures habere notitias, vel assensus; modum autem vnius, tunc habere dicuntur, quando inter se se, vel ad vnum tertium ordinantur, & vtramque ordinationem inuenimus in præmissis, & conclusione eiusdem demonstrationis: nam inter se se ordinantur, in quantum conclusio habet necessariam dependentiam ex præmissis, & illæ ordinantur ad inferendam conclusionem: & rursus tres isti assensus ad eandem demonstrationẽ componendam cõueniunt: propter vtramque igitur rationem, quamquam diuersi sint, habent modum vnius, ac propterea simul in intellectu esse possunt: vnde nihil impediũt assensus præmissarũ, quin eis habitis, statim intellectus conclusioni assentiat. *Ad secundũ argum.* 78.

Testimonia Aristotelis, & D. Thom. de actualibus loquuntur cognitionibus, hoc enim sibi vult verbum *cogitare*, apud Aristotelem; nam *scire* non nisi habitualem notitiam importat, quod igitur de habitu admittit, negat de actu, sed accipi debet de cognitione plurium, vt plura sunt, hoc est, minime ordinata: quæ autem modum vnius habent, pro vno reputantur, sub tali ordine accepta, an verò aliquando, seu aliquo modo possit intellectus plura, vt plura sunt, intelligere, non est præsentis instituti disputare, nec ad solutionem argumenti necessarium, cum sufficienter sit, ex adnotatis solutum. *Ad testimonia Arist. & D. Tho.*

Et magna etiam ex parte postremum; admisso enim casu, de limitatione intellectus, dicimus, quod, & si eius capacitas limitata sit ad decem assensus, vel habet iam, dum præmissis assentitur, octo, aut nouẽ, si primum velis, vterque assensus præmissarum, simul cum conclusione, pro vno reputatus, efficiet nouem: & si postremum, decennarium numerum explebit, & vtroque modo poterit præmissis cognitis intellectus, simul assentire conclusioni: itaque argumentum vim non *Ad postremum.* 79.

non habet, niſi aſſenſus præmiſſarum, & concluſionis per modum multorum accipiantur; tunc enim, ſi nouem aliunde habet, non datur præmiſsis locus, & ſi octo, præmiſsis datur, non concluſioni: ceſſat autem prorſus difficultas, dum per modum vnius capiuntur.

Obiectio. Et ſi vrgeas, totam demonſtrationem eſſe vnum quid, plures tamen habens partes, ad quas non poteſt ſe extendere capacitas intellectus nouem ſimplicibus expleta, qui licet poſt nouem poſſit attentionem ad alium
80. applicare, non tamen ad omnes eius partes, ſiquidem maior requiritur ad vnũ aſſenſum compoſitum, quam ſimplicem.

Reſpondetur obiecti. Reſpondetur: caſum potius eſſe imaginabilem, quam poſſibilem naturaliter, cum non habeat terminum adeò indiuiſibilem capacitas intellectus, vt ad decem ſe extendat, ſi ſimplices ſint, & non ſi vltima ſit compoſita, vel certe ſi terminus ita in-
81. diuiſibilis admittatur, aſſentiet intellectus concluſioni, remiſſa aliquantulum attentione circa alios, iuxta vulgatum illud: pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.

QVAESTIO VIII.

An principiis demonſtrationis cognitis, liberum ſit, aſſentiri concluſioni vel omnino neceſſarium.

Pranotantur aliqua ad controuerſiam.

NOVA eſt in ſchola controuerſia hæc neque antiqui Ariſtotelis interpretes, nec moderni attigerunt, inuenies quidem apud omnes, cõcluſionem virtualiter in principiis demonſtrationis cõtineri, atq; adeò ex eis neceſſario inferri, & id
82. quidem in eodem inſtanti, ac eis aſſentitur intellectus, vt quæſtione præcedenti conſtitutũ eſt. Sed an hæc neceſſitas omnimoda ſit, ita vt aſſenſus concluſionis imperio voluntatis non ſubdatur, neque in eius poteſtate ſit, poſitum, intellectũ ab eo auertere, vel diſtrahere, ita v actum ſuſpendat, non diſputant: moderni vero qui viua voce Ariſtotelem interpretantur, id in controuerſiam vocare cœperunt: cuius titulum vt intelligamus, explicare oportet duplicem modum, neceſſitatis & libertatis. Duobus modis neceſſitatur voluntas ad operandum, circa aliquod obiectũ, quantum ad ſpecificationem actus (vt aiunt) vel quantum ad exercitium: primus modus neceſſitatis in eo conſiſtit, quod circa tale obiectum non poſſit, niſi vno modo operari: ita vt quamuis actum ſuſpendere, circa illud ſibi propoſitum valeat, ſi tamen operari velit, non niſi illo modo, gratia exempli, circa communem rationem boni neceſſitatur voluntas, quantum ad ſpecificationem, quia ſi velit circa illam operari, non poteſt, niſi per appetitum, vel amorem; odio autem proſequi bonum, ſub ratione boni, nequaquam. Neceſſitari quantum ad actus exercitium eſt, propoſito obiecto, cæteriſque ad operandum requiſitis, non poſſe, non operari, vel actum ſuſpendere, hoc modo neceſsitari, ait D. Thom. voluntatem beatorum, ad diligendum Deum clare viſum, quia non ſolum non poſſunt cum odio proſequi, ſed nec ab eius dilectione ceſſare. Iuxta duplicem neceſſitatis modum intelligitur etiam duplex modus libertatis, quia libertas neceſsitati opponitur, liberam ergo eſſe voluntatem, quantum ad ſpecificationem, circa aliquod obiectum eſt, ſic ſe habere circa illud, vt poſsit hoc modo operari, vel alio diuerſo, vel oppoſito, cõſtat in dilectione Dei, & proximi: nam vtrumq; diligere, & odio habere poſſumus, & hæc libertas vocatur etiam contrarietatis, quia per eam indifferens eſt voluntas ad actus oppoſitos, vel contrarios, ad odium videlicet, vel amorem, vel alios ſimiles: libertas autem exercitii eſt poſſe, circa aliquod obiectũ quantumuis bonum, vel neceſſariũ, poſitis etiam omnibus ad operandum requiſitis actum ſuſpendere, vt ſi alicui proponatur Deus, tanquam ſummè bonus, nulla ad hunc ratione mali in obiecto apparenti, nec aliquo extante impedimento operandi, poteſt abſque dubio actum dilectionis ſuſpendere, aut nolle eum elicere, vel quia operari non vult: vel certe, quia bonum aliud particulare poteſt pro tunc diligere, & hæc libertas appellatur contradictionis, quia verſatur circa operationem eliciendam, aut nõ eliciendam. Hos duos modos neceſſitatis, & libertatis, circa voluntatem potius, quam circa aliam potentiam diſtinguimus, quia [illegible] eſt libera: cæteræ 84.

Titulus quæſtionis explicatur.

Duobus modis neceſſitatur volũtas ad operandum.

Volũtas neceſſario fertur in Deũ clare viſũ.

83.

Duplex modus libertatis.

Voluntas libera quo ad ſpecificationẽ quid.

Libera quo ad exercitium quid.

autem potentiæ alicuius libertatis capaces, à voluntate participant eandem libertatem formalem, ita vt actus voluntatis, sint per
85. se primo liberi, cæterarum potentiarum, in quantum imperio voluntatis subduntur, quia ab ea applicãtur ad operandũ, vel ab operatione auertuntur: vnde licet de intellectu cõtrouersia procedat, an circa conclusionem præmissis cognitis necessitetur omnino, vt liberum ei aliquo modo sit actum circa eam elicere: ad voluntatem tamen recurrẽdum est, vt rem ita se habere intelligamus, ac determinemus: nam si aliquam habeat libertatem operandi, in tantum eam habebit, in quantum à voluntate applicari potest ad operandum, hoc vel illo modo, vel ab operatione auerti, & sic est de cæteris potentiis, secundum proportionem accipien-
86 dum.

Præmissa secũdis modis possunt cognosci.

Dicitur autem præmissis cognitis, quod etiam expositione indiget, nam duobus modis cognosci possunt, primo quidem notitia euidenti, vt si sint prima principia & habita explicatione terminorum cognoscantur; vel si non sunt prima, sed mediata, ea tamen demonstrationem construens reducere queat ad prima: secundo, si per aliquam dumtaxat rationem probabilem teneantur, neque sufficit eas cognoscere, seiunctas, vel separatas, quo pacto cognosci solent: extra demonstrationem, sed cognoscere eas necesse est in demonstratione dispositas: vnde
87. ad præmissarum notitiam pertinet bonitatem consecutionis agnoscere, quod etiam duobus modis contingere potest, nam vel intelligit quis esse euidentem, vel solum probabilem: cognitis ergo præmissis dicitur, hoc est notitia euidenti, & pariter euidenter cognita necessitate consecutionis.

Quomodo locum habeat controuersia.

Quo supposito, titulus quæstionis sciscitatur, an necesse sit intellectum assentire cõclusioni, vel adhuc sit ei liberum? Et de necessitate specificationis loquentes dicimus, certum esse intellectum necessitari ad assen-
88. tiendum, hoc est, si actum velit circa conclusionem elicere, omnino necessarium esse, vt sit assensus, quia dissentire repugnat.

Probatur primo intellectum necessitari quo ad specificationem.

Probatur efficaciter. Quia conclusio continetur virtualiter in præmissis euidenter notis, ex quibus etiam sequitur euidenter, & id totum euidenter agnoscitur, ab eo, qui demonstrationem constituit, ergo si operatur circa conclusionem, necesse est assensum eius euidentem eliciat.

Secundo probatur.

Secundo, ex præmissis veris in syllogismo euidenti, non potest inferri falsa conclusio, sed in casu reputantur præmissæ euidentes, atque etiam consecutio, ergo non est possibile in intellectu demonstrantis pro
ducere conclusionem falsam, sed euidenter 89.
veram: veritati autem euidenti non potest dissentire intellectus, ergo nec possibile est dissentire conclusioni.

Status controuersiæ.

Status præsentis controuersiæ est, an necessitetur intellectus, quantum ad exercitium actus, ita vt non solum non possit dissentire, si circa conclusionem operetur, sed nec possit non operari, atque adeò non elice-
re assensum, vel liberum sit ei actum suspen- 90.
dere, voluntate nolente eum applicare, ad operandum, vel alio diuertente.

Prior sententia negans omnino libertatem.

NVLLAM libertatem admittunt moderni quidam, sed necessarium esse 91.
quantum ad specificationem, & exercitium actus, præmissis cognitis intellectum assentire conclusioni, nec posse vllo modo actum suspendere, quia talis actus intellectus imperio voluntatis non subditur.

Prima ratio.

Probant primo. Nam potentia naturalis posita sufficienti applicatione sui obiecti, & sublatis impedimentis, naturaliter determinatur ad eliciendum actum, ita vt non sit in potestate voluntatis eam detinere, vel alio diuertere, gratia exempli, potenita nutritiua debite approximato obiecto velit nolit voluntas operatur. Potentia item conuenienter expedita, & approximato visibili, cuius ea est ratio, quia actus harum potentiarum, opera potius naturæ sunt, quam voluntatis: sed intellectus, non est potentia minus naturalis, & ad vnum determinata, quam visus, ergo posita sufficienti applicatione sui obiecti, vt vere ponitur, dum ei repræsentantur principia, & conclusio, naturaliter circa illud operatur: ita vt non possit à voluntate impediri: explorata enim significatione terminorum fit debita applicatio obiecti, atque etiam cognitis principiis, & euidenti cõsecutione, debite censetur appli-

applicatum obiectum conclusionis, vt omnino naturaliter ei assentiatur intellectus.

Secunda ratio. Secundo. Sicut se habet intentio finis, ad electionem medii, sic assensus principiorum ad conclusionem, vt in schola moralis Phylosophiæ, fatetur omnes, præsertim D. Thomas, pluribus suæ doctrinæ locis, & ratio o-
92. stendit, nam quemadmodum finem propter se intendit voluntas: media verò propter intentum finem eligit, pari ratione principiis propter se assentitur intellectus, conclusioni verò propter principia, sed posita efficaci intentione finis, non est libera voluntas ad eligẽdum etiam quantum ad exercitium, ergo posito assensu principiorum, non est liber intellectus, ad assentiendum conclusioni; tenet consecutio à maiori, cum maior sit libertas in voluntate, quam in intellectu.

Tertia ratio. Postremo. Assensus fidei, & opinionis requirit piam affectionem, quæ est motus voluntatis liber, per quem voluntas inclinata, ad assensum talis obiecti applicat intellectum, vt ei assentiatur, & tota huius ratio, à cunctis designatur, quia obiectum fidei, & opinionis non conuincit intellectum, ac propterea eget libera applicatione voluntatis, in qua consistit meritum diuinæ fidei, cum talis applicatio nõ sit aliud, quam intellectum non conuictum ab obiecto, captiuari in obsequium Christi, (vt docuit Paulus. 2. ad Corinth. cap. 10.) sed principiis euidenter cognitis, conclusio conuincit intellectum, cum sit obiectum euidens, ac propterea à nemine ponitur necessaria pia affectio voluntatis, vt ei assentiatur, neque aliquis vnquam in actu assentiẽdi conclusioni, meritum posuit, ergo nec ponenda est vlla libertas.

Assensum conclusionis adhuc principiis euidenter cognitis liberum esse, quantum ad exercitium actus, omnino tenendum est.

93. OPPOSITA sententia, quæ liberum adhuc esse assentire conclusioni, principiis cognitis profitetur, expressa est, apud D. Thom. & inspecta natura intellectus necessario tenenda: ostendo primum, ex prima secundæ qu. 17. artic. 6. in corpore, vbi actus rationis, quãtum ad exercitium semper imperari posse à voluntate docet. Licet quantum ad specificationem naturales sint aliquando, & potius naturæ imperio, quam voluntati subiaceant. Prius autem quam eandem sententiam probemus ex natura intellectus, atque etiam scientifici assensus conclusionis, vnum præsupponere oportet, videlicet totam huiusce rei difficultatem, in eo positam esse, an intellectus, 94.
quantum ad assensum principiorum, & sciẽtiæ, subditus sit voluntati, aut imperio eius, ita, vt in potestate voluntatis sit, propositis principiis, & explicatis terminis intellectum auertere, aut diuertere ab assensu eorum, applicando illum ad aliam cogitationem, vel alio modo: atque etiam, postquam principiis, in demonstratione dispositis, assensum præbuit, diuertere illum ab assensu conclusionis, si enim hæc potest, liberum absque 95.
dubio erit intellectui, vt à voluntate dependenti, assentiri conclusioni cognitis principiis, immo, & eisdem principiis, declaratis terminis eorum, si vero eadem non possit, neque erunt liberi tales assensus, vt tenet prior sententia.

Sed dicendum erit, in his assensibus eliciendis, intellectum nõ subesse imperio voluntatis? nobis igitur qui liberum esse censemus vtrumque assensum, quantum ad exercitium actus probare incumbit, vere in eisdem assensibus imperio volũtatis subesse. Probare autem promisimus, ex natura, & conditione, ipsiusmet intellectus, quæ potẽtia rationalis est, atque adeò voluntati subdita, quod D. Thom. ex natura obiectorum D.Thom.
vtriusque potentiæ probauit. 1. 2. qu. 9. artic. 1. ad tertium. *Hisce verbis, voluntas mouet intellectum, quantum ad exercitium actus, quia & ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur, sub vniuersali bono, vt quoddam bonum particulare,* quibus tale argumentum constituisse videtur. Voluntas ex appetitu boni 96.
mouetur ad operandum, & mouet etiam cæteras potentias rationales: sed quodcunque verum, circa quod versari potest intellectus, est quoddam particulare bonum: immo, & operatio quælibet intellectus circa illud, ergo potest eam velle, atque etiam non velle voluntas, quare, & mouere, aut non mouere intellectum ad operandum; notanter verò asseruit D. Thomas, obiectum intellectus, quod est verum esse bonum particulare, vt significaret de veris particularibus, circa quæ operari potest intellectus sermonem facere, non de vniuersalissimo contineatur

tinente omnem rationem veri, quale est Deus Optimus, clare ostensus intellectui, qui sicut omnem rationem veri continet, sic etiam omnem rationem boni, quare explet capacitatem intellectus, sub ratione veri, & capacitatem voluntatis, sub ratione boni, ac propterea vtraque potentia, non libere, sed quasi naturæ impetu, ad illum fertur: ita, vt nec in clara visione eius intellectus, subditus sit voluntati. Nec voluntas vllo modo sit libera: ad eundem sic visum deligendum: & sicut bona particularia, non necessitant voluntatem, quantum ad exercitium actus, pariter, nec intellectum, quin à voluntate posset aplicari, vel distrahi ab assensu eius, sed cõclusio, etiam præmissis cognitis, est particulare quoddam verum, atq; etiam particulare bonum, & assensus, etiam scientificus eandem sortitur conditionem, ergo in eo subditur planè intellectus imperio voluntatis. Quam rationem, hunc in

97. Probat. 1. modum corroborare possumus: sic se habet intellectus in ordinem ad assensum principiorum, sicut volũtas in ordine ad vltimum finem, vt sæpè inculcat D. Thomas, sed voluntas in ordine, ad fines quoscunque (excepto Deo clare viso qui perfectissime continet omnem rationem boni) libere mouetur, quantum ad exercitium actus: ita vt possit quemlibet velle, & non velle; ergo &

98. intellectus in ordine ad prima principia liber erit dependenter à voluntate, à qua poterit ad assensum eorum applicari: & post applicationem diuerti: cum non contineant omnem rationem veri, sed quandam particularem.

Probat. 2. Probatur secundo, ex eadem natura intellectus, quæ talis est, vt capax sit habitus, non solum in generali, sed in particulari, circa principia, & conclusiones, nam circa illa acquirit habitum, quem intellectus vocant, & circa has scientificum, sed habitus non potest esse, nisi in potentia indifferente, & libera, vt docet, & probat D. Thomas, ex mente Aristotelis, & ex natura ipsiusmet habitus. 1. 2. quæst. 50. articul. 1. & 3. ergo cum intellectus capax sit habitus circa principia, & cõ-

99. clusiones, sequitur planè liberos esse tales assensus, saltem quantum ad exercitium, cum necessarij sint quantum ad specificationem. Et ex eodem principio probari potest tertio, quia si assensus principiorum, cognitis terminis, & assensus cõclusionis cognitis principiis; nullo modo liberi sunt, nec à voluntate dependent, erunt prorsus naturales, sicut visio oculorum, vel operatio alterius sensus, 100.
sed per naturales operationes, nullus acquiritur habitus. Immo nec potentiæ ipsæ, in ordine ad hos actus, non sunt habitus capaces; ergo si intellectus non assentitur conclusioni, libere, aut dependenter à voluntate, quantum ad exercitium, non erit habitus capax, circa conclusionem cognitis principiis, immo nec circa principia ipsa, quod patet esse falsum, cum per assensum conclusionis, cognitis principiis habitum scientiæ compareт.

Probatur tandem, quia potentiæ naturaliter operantes, nec imperio rationis subditæ, propterea non sunt habitus capaces, quia cum operentur ex instinctu, atque impetu naturæ, & ex determinatione ad vnum, nequeunt in talibus operationibus, vllam facilitatem comparare, vt in potentia visiua, & vegetatiua euidens est, sed si ponatur intellectum, operari circa principia, & conclusines cognitis principiis, absque vlla libertate, aut dependentia à voluntate operabitur ex instinctu & impetu naturæ, & omnino ex determinatione ad vnum, cum operetur absque vlla indifferentia: non ergo comparabit vllam facilitatẽ, aut promptitudinem in his actibus, sed habitus, non est aliud, quã facilitas ad eliciendum actum, ergo neque comparabit habitum, quod aperte falsum est. Probatur. 101.

Primum argumentũ oppositæ sententiæ, hac distinctione diluitur. Potentia naturalis duplex est, aut purè naturalis, non solum propter naturalem inclinationem, in actum & obiectum, sed etiam propter modum operandi, absque vlla indifferentia, sed prorsus ex determinatione ad vnum; vtroque modo naturalis est potentia nutritiua, atque etiam visiua: imo, & sensitiuæ omnes, quas cognoscitiuas vocamus, quales sunt sensus externi, atque interni, nam ex inclinatione naturali, ac determinatione ad vnum operantur semper, & eiusmodi naturales potentiæ, non subiacent imperio voluntatis: aliæ sunt potẽtiæ naturales modo priori, sed non posteriori, quia licet ex inclinatione naturali operentur: non tamen ex determinatione ad vnum; sed aliquam habent indifferẽtiam ad plura obiecta, & ad operandũ circa illa, & ideò natæ sunt determinari à volun- Occurritur argumentis oppositæ sententiæ. 102. 103.

tute, tanquam à potentia vniuersali, quę versatur circa vniuersalem rationem boni: eiusmodi sunt intellectus, & appetitus sensitiuus, qui proinde imperio voluntatis subduntur, & moueri ab ea possunt, quantum ad exercitium actus, ita vt applicari ab ea possint, & postquam applicatæ sunt, remoueri.

Ad primum igitur argumentum, dum dicitur. Naturalem potentiam necessario operari, positis omnibus requisitis ad agendum, respondemus verum id esse, de poten-
104. tiis vtroque modo naturalibus, quia non subiacent imperio voluntatis, falsum vero de postremis, cum adhuc eis positis, in potestate voluntatis sit: eas applicare ad agendum, aut ab actu remouere, præsertim circa particularia obiecta, in quibus non continetur vniuersa ratio obiectiua nisi in communi: hæc enim tanquam imperfecta, mouent
105. quoque imperfectè easdem potentias, ac propterea relinquuntur, sub imperio voluntatis: quantum ad operandum, & non operandum, atque etiam quantum ad operandum circa hoc, vel illud: nam circa obiectum perfectissimum, in quo omnis ratio obiectiua perfectissime continetur, hoc est, nō solum in communi, sed etiam in particulari: quælibet potentia naturaliter, & sine vlla libertate operatur, etiam voluntas ipsa, quæ formaliter est libera: & ita est, quòd intellectus circa Deum clare sibi ostensum, absque vlla libertate, aut dependentia, à voluntate
106. elicit claram visionem, & voluntas naturaliter, & absque vlla libertate, diligit Deum clare visum.

Ad secundum arg. Ad secundum dicimus, non esse paruam similitudinem inter intellectum, & voluntatem in eo, quod assumitur, quia quemadmodum voluntas, primo intendit finem, & ex eius intentione mouetur ad electionem mediorum, cuius tota ratio est eadem intentio finis, pari ratione intellectus, primo applicatur ad assensum principiorum, & ex eo mouetur ad assensum conclusionis in eis contentum, cuius tota ratio sunt eadē prin-
107. cipia; quanquam autem in his conueniant, in alio differunt: nam voluntas non solum eligit media, propter bonitatem finis, sed propter eiusdem consecutionem, ex hac igitur suppositione, quod vult consequi finem, necessaria potest esse electio, & adhuc non ex hac sola, sed concurrente alia conditione, nempe quod vnicum sit medium: nam si plura extent liberum est ei, quod maluerit assumere; itaque electio medij nullam incurrit necessitatem, ex intentione finis, in quantum voluntas finis est, sed in quantum per eam voluntas eum consequi intendit, & 108.
rursus nullius medii particularis electio adhuc supposita tali intentione necessaria est, nisi ex accidenti, quod non extet aliud, sed in communi aliquod medium necessario est eligendum, si voluntas in intentione finis velit perseuerare, nihil autem horum in assensu principiorum, respectu conclusionis reperitur; nec enim assensus conclusionis, ad consecutionem alicuius ordinatur, nec aliam necessitatem incurrere potest, ex notitia principiorum præhabita, nisi consequentiæ, quia cum continea ur virtualiter in principiis necessario ex illis prodit, intellectu circa conclusionem operante: cæterum operari, vel operationem suspendere, in potestate voluntatis est positum, cuius imperio subiacet, ideò non est necessarius talis assensus, quantum ad actus exercitium, sed solum quantum ad obiectum, vel specificationem.

Ad vltimum respondetur, assensum fidei, & opinionis liberum esse vtroque modo, & libertate exerciti, & specificationis, *Ad tertium respondetur.*
quia proposito obiecto, non solum intellectus potest actum suspendere circa illud, sed ei dissentiri, & assensum contrarium elicere, aut in eo perseuerare, ad vtrumque igitur est necessaria libertas voluntatis, nempe ad continendum intellectum, ne dissentiat, vel ad contrarium declinet assensum, atq; etiam ad eum applicandum, vt positiue, & quantum ad exercitium eliciat assensum: & actus volūtatis intellectum determinantis pia affectio vocatur, propter primum, potius quā propter secundum, propter primum etiam qui credit reuelatis à Deo, dicitur captiuare intellectum in obsequium fidei, quod in assensu conclusionis minimè requiritur, quia si operatur intellectus, circa conclusionem, 109.
principiis cognitis dissentire non potest vllo modo, neque quantum ad assensum, vel dissensum, subditur eius operatio imperio voluntatis (vt docuit D. Thom.) sed solum quantum ad applicationem, videlicet, vt operetur, vel non operetur obiecto proposito, ideò motus liber voluntatis applicantis intellectum, ad assentiendum conclusioni,

sioni, non vocatur pia affectio, sed solum libertas exercitii, in quo aliquam meriti rationem inueniri posse, si ex charitatis imperio procedens, in Deum finem supernaturalem dirigatur, negare nō possumus, sed minorem longe, quam in assensu diuinæ fidei, qui cum plenam libertatē requirat, plenam item meriti rationem habet.

QVID SIT SCIRE, QVID DEmonstratio, & quæ conditiones ad eius propositiones requirantur. Quid sit propositio, immediatum principium, ac eorum species. Propositiones magis, quam conclusionem credendam esse.

CAPVT SECVNDVM.

SCIRE autem arbitramur vnumquodque simpliciter, sed nō sophistico more, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Totius capi. partitio. *POSTQVAM Aristoteles cap superiori scientiam, & demonstrationem esse constituit pergit in præsentia ostende-*
1. *re, quid vtraque sit partitur autem in quatuor partes vniuersum caput, in quarū prima, quid sit scire tradit: in secunda duplici definitione demonstrationis designata singulas alterius definitionis particulas explicat: tertio principium describit, illudq; gemina diuisione diuidit, ac tādem notiora esse principia conclusione docet, & confirmat. Eorum naturam & rationem, quæ alicuius finis gratia sunt constituta, nihil aliud ostendere melius potest, quam ipsemet finis, vt bene D. Thom in commentariis huius loci, si enim velis ostendere, qualis futura sit domus, vel ex quibus constituenda partibus, finem intuere, in quem ordinatur, & ex eo optime intelliges: huius rei gratia domus construitur, vt a temporis iniuriis nos defendat, talis autem finis postulat, vt ex lignis, & lapidibus, parietibus, & tecto, tali modo coagmentatis constituenda sit: cum igitur demōstratio sit compositum quoddam arte Dialecticæ fabricatum, tanquam instrumētum quoddam, & medium cōparandi scientiam, ex natura talis finis, colligenda est propria* Quid per
eius conditio, ideò Aristoteles in ipso statim scire intel-
capitis principio explicat, quid per scire, ligit Ari-
vel actualem scientiam intelligamus. Scire stotel.
(ait) arbitramur vnumquodque simplici- 2.
ter, & non sophistico more, qui est secundum accidens, cum causam existimamus cognoscere, propter quam res est, quod illius causa est, & non contingit, hoc aliter se habere, &c *Quæ sane definitio actum potius scientiæ, qui est assensus demonstratiuæ conclusionis, quam habitum explicat: est autem scire verum, quòd tale absoluta appellatione, ac per se vocatur; aliud verò fucatum, & apparens, quod ideo non est per se, sed per accidens tale. Simpliciter, & per se aliquid scimus, quando in se ipso, ac per propriam causam cognoscimus, vt hominem esse disciplinæ capacem, quia rationalem: contingit autem scire aliquid non in se ipso, sed in aliquo alio vniuersali, in quo continetur, vel tanquam pars in toto, vt domum cognoscentes eo ipso dicamus scientifice nos agnoscere parietem, aut sicut accidēs in subiecto, vt si quispiā musicum se dicat cognoscere, quia venientem (qui forte musicæ peritus est) agnoscit: aut tanquam effectus in* 3.
causa, vt si principia cognoscentes existimemus iam scire nos vniuersas in eis cōtentas conclusiones scire aliquo ex his tribus modis præsertim, primo, & secundo vocat Aristoteles scire per accidens, vel sophistico modo, quia sophistæ eo modo se scire arbitrātur, cū tamen non verè, non simpliciter, non per se, sed secundum quid, & per accidens sciant, dum ita arguunt, scio venientem, veniens est musicus, ergo musicum scientifice agnosco: per accidens autem appellatur, quia quemadmodum sub communi conceptu venientis continetur per accidens musicus, sic sutor, vel faber per accidens igitur est musicu ex eo agnoscere, cū non minus posset alio accidenti affectus homo cognosci: bene igitur Arist. priusquā definitione producat statuit definitum nō esse scire quodcunq;, sed illud duntaxat, quod verū est ac simpliciter tale.

Cum

Scire triplicẽ complectitur conditionem. Cuius definitio triplicem eius conditionem complectitur, prima est, vt causam eius cognoscamus: secunda quod sit ei causa essendi, & non solum vt à nobis cognoscatur, quemadmodum actus ridendi causa est nobis cognoscendi hominem esse risibilem, causa autem essendi non est hæc, sed esse rationalem:
4. vnde etiam si aliquis certo cognoscat hominem esse risibilem ex actu ridendi, non dicetur scire simpliciter. Tertia conditio est, vt non cõtingat aliter se habere, quod verbum referri potest ad rem scitam, vel ad causam, ita vt intelligamus rem scitam esse necessariam, hoc enim sibi vult non posse, vel non cõtingere, quod aliter se habeat, aut secundo ad propriam ipsius effectus naturam, ita vt sit sensus, non potest res absque tali causa esse, sed neque causa, quin effectus ipse sit: postremo ad solam illationis necessitatem, & erit sensus, non contingit aliter se habere, quin posita causa necessario sequatur effectus, non enim habebit quispiam verã scientiam futuræ pluuiæ ex Austri flatu, cum sæpe contingat eiusmodi causa posita non sequi effectum. Iuxta primum modum exponitur
D. Thom. à D. Thom. & huius expositionis ratio est, quia de contingentibus, quæ aliter se habere possunt, non datur scientia. Iuxta secundum
Philopõ. Albertus Magnus. exponit Philoponus: expositionem tertiam attulit Albertus Magnus, & neutra est à veritate, aut etiam à sensu literæ penitus
5. aliena.

Probat Aristotel. tunc sciri aliquid cũ causa eius cognoscitur. Probat hanc descriptionem ex communi modo concipiendi, & loquendi sapientum, atque insipientum, omnes enim tunc se scire aliquid putant, cum causam eius agnoscunt, isti quidem non veram, sed quam veram esse arbitrantur, & ideò non vere sciũt, sed se scire existimant: sapientes verò veram agnoscentes causam, non solum se scire arbitrantur, sed vere sciunt. Ex hoc modo probandi bonitatem definitionis, intulit D. Thom. non esse quid rei, sed solum explicare significationem vocis, quod vt denotaret Aristoteles non dixit scire est, sed scire tunc opinamur, & sat fuit illud sic explicare ad capiendam naturam demonstrationis, nam in hunc finem duntaxat scire in præsentiarum consideratur.

Illatum. Ex definitione infert Aristoteles, vel exprimit, quod in definitione non satis explicatum posuit, conclusionem scitam esse necessariam: nam si scitur causa, & quod eius
causa est, & quod non contingit aliter se habere, 6.
quin ex ea effectus sequatur, cum id totum sit necessarium, nec possit aliter se habere: talis etiam erit conditio obiecti, de quo habetur scientia, alium autem sciendi modum promittit se in sequẽtibus traditurum, quem definitionem esse nonnulli intelligunt, vel etiam principiorum notitiam, quæ suo etiam modo vocari scientia potest: placet nihilominus magis expositio D. Thom. fere communis, de modo sciendi per demonstrationem, quia ab effectu, loqui Arist. quam tradidit c. 10. huius 1. lib. Probabilior est expositio D. Thom. & cõmunis.

Concludit Arist. Hanc denique partem concludit Aristot. dicens, scire esse per demonstrationem intelligere, quod non est alia definitio eius (vt voluerũt quidam) sed his verbis declarare intendit Aristotel. ex designata definitione
intelligi scire esse finem demonstrationis, & 7.
hoc non est aliud quam coniunctio demonstrationis cum suo fine, quasi dicat. Si scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod non contingit aliter se habere, fit plane per demonstrationem nos scire, in qua isthæc continentur.

Duplex demõstrationis definitio. Sed statim quispiã desiderabit nosse quid demonstratio sit? ideo eam explicat gemina definitione, vna ex fine, altera quasi ex materia; quasi distincta enim accipiuntur à cunctis expositoribus: est autem prima. Demonstratio est syllogismus scientialis, vocat autem scientialem, quia eum habentes scimus, ideo idem est, ac si ita definiatur, demonstratio est syllogismus faciens scire: ex hoc autem fine per quem definitur, facile colligitur excellentia demonstrationis supra alios syllogismos, nempe probabilem, & sophisticum, quibus quandamcunque cognitionẽ comparamus sed per demonstrationem sciẽtificam omnium, quæ per syllogismum sunt comparabiles, absolutissimam.

Ex hoc autem fine infert Aristoteles, qualem esse demonstratiuam sciẽtiam oportet:

etenim

Qualem oporteat eſſe demōſtratiuam ſcientiam.

etenim ſi ſcire eſt causā rei cognoſcere, quod illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere, demonſtratiuam ſcientiam talem eſſe oportebit, vt ex veris primis, atque immediatis, notioribus, & prioribus, cauſisq; concluſionis procedat: nomine autem demō-
8. *ſtratiuæ ſcientiæ non intelligit Ariſtot. ſcire ipſum, quod effectus eſt demonſtrationis, vt Alberto Mag. placuit tract. 2. cap. 2. iuxta quam expoſitionem ſenſus huius literæ eſſet, ſi tale eſt ſcire, quale poſuimus, ſequitur ex his fieri debere, ſatis enim iam fuerat explicatum ſcire; ſed nomine demonſtratiuæ ſcientiæ demonſtrationem potius intelligit, vt communis fert aliorum interpretum cōſenſus, quam appellat ſcientiam demonſtratiuam, à fine, vel effectu per quem priori fuit definitione explicata: ac ſi dicat neceſſe eſt demonſtrationem, tāquam proprium inſtrumentum comparandi ſcientiam ex talibus procedere.*

9. *Vt melius expoſitio huius demonſtrationis, quam tradit ipſemet Ariſtoteles, capiatur, ſtatim ſub verba eiuſdem definitionis ſubiungenda eſt, aliis ab Ariſtotele interpoſitis interim omiſſis.*

Ex veris procedit demōſtratio.

Vera oportet eſſe, ex quibus procedit demonſtratio, cuius hæc eſt ratio, quia verum eſt paſſio entis, ergo quod non eſt verum, nullum eſſe habet falſum igitur, vt pote vero, atque adeò enti oppoſitum, nihil eſt, ergo nec ſcibile eſſe poteſt, quia quod nō eſt obiectum ſcientiæ repugnat eſſe, ſiquidem circa aliquā rei naturam verſantur omnes ſcientiæ: exemplū producit Ariſtoteles in diametro quadrati, nulla cum coſta eius proportionem habente, quapropter nec obiectum ſcibile erit eum eſſe coſtis commenſurabilem.

Ex primis atque indemonſtrabilibus.

Ex primis etiam, atque indemonſtrabilibus procedat neceſſe eſt, quia non ſciet non habens demonſtrationem ipſorum principia demonſtrationis in duplici differentia eſſe poſſunt, nam vel medio vacāt, vel illud ad-
10. *mittunt, & ſi primam ſortiantur conditionem, ex terminis nota ſunt, atque adeò indemonſtrabilia: ſi verò poſtremam, demōſtrari poſſunt, & tunc, vel demonſtrationē conſtituens nouit ea demonſtrare, & ad prima reducere, vel non: ſi non nouit, nec concluſionis habebit ſcientiam, & hoc ſibi vult Ariſtoteles dum ait:* Quia non ſciet non habens; demonſtrationē ipſorum, *impoſſibile eſt enim certiorem eſſe præmiſſis concluſionem, cum propter ea vera ſit, ac certa: ſed neſciens ea reducere ad prima: neſcit cauſam concluſionis, ergo nec ſcientiam illius habebit per cauſam, de qua loquitur Ariſtot. quanquam alium modum ſciētiæ imperfectè habere poterit, ſi fortè per euidentem experientiā præmiſſas nouit: quod ſi eas ad prima nouit reducere, tunc ex primis demōſtratio procedit virtualiter ſaltem, nam primis principiis innititur præmiſſe, in quantum ad ea reducibi-* 11.
les ſunt: & hoc eſt quod Ariſtot. de hac eadē conditione demonſtrationis loquens primo **Ariſtot.**
Topicorum ait in hæc verba: Demonſtratio verò eſt, quando ex veris, & primis ſyllogiſmis erit, aut ex talibus: quæ per aliqua prima, & vera, eius, quæ circa ipſa eſt, cognitionis principium ſumpſerunt. *Itaque ex his duobus locis cōiunctis elicitur germanum ſenſum huius particulæ* ex primis, *talem eſſe, demonſtratio debet procedere ex primis formaliter, aut virtualiter, hoc eſt, quæ formaliter ſint medio vacātia, vel virtualiter per reductionem ad ea, quæ medio vacant. Vnde infertur falſò exiſtimaſſe Cōmentatorem, quamlibet demonſtratione procedere ex primis formaliter, hoc eſt, ex principiis nullum medium admittentibus.*

Ex cauſis notioribus, & prioribus.

Ex cauſis præterea, notioribus, & prioribus procedere ait: ex cauſis quidem, nam ex definitis conſtat ſcire eſſe cauſam rei cognoſcere, cauſa autem natura prior eſt effectu, ideò præmiſſas cauſam concluſionis continē- 12.
tes priores eſſe neceſſe eſt: cauſa item non ſolum prior, ſed etiam notior eſt, cum per eam effectus ſit natura rei cognoſcibilis, ac propterea notiores etiam oportet eſſe non ſolum quantum ad nominis ſignificationem, ſed etiam quantum ad earum naturam. qui enim aliquem effectum per cauſam demonſtrat, nō ſolum debet prænoſſe, quid nomine cauſæ ſignificet: ſed naturā ipſius cauſæ, ſaltem in quantū cauſa talis effectus eſt: non enim ſciet aliquis (vt oportet) eclipſin lunæ, niſi quid ſit

terram inter ipsam, & soli interponi nouerit, quod causa propria eclipsis est, quanquam naturam solis, lunæ, & terræ fortè non cognoscat, id namque minimè necessarium est.

Notiora sunt in duplici differentia. *Vt autem ostendat quorum pacto principia sint notiora, distinguit ea, quæ notiora sunt in duo membra: nam alia, inquit, sunt notiora ex propria natura: alia ad imperfectam nostram cognitionem comparata, quæ cum à sensibus incipiat, fit vt nobis sint notiora sensibilia, & magis materiæ immixta, et talia sunt singularia: vniuersalia verò, tanquam à sensu remotissima, & ideò minus materialia, cuiusmodi sunt principia,*

13. *notiora sunt non quoad nos, sed ex natura rei, quod est esse notiora simpliciter: quæ autem ratione conueniant, quæ hic dicuntur de notioribus naturæ, & quoad nos cum his, quæ habentur in proœmio Physicorum, non est præsentis considerationis discutere grauis enim de hac re ibidem agitatur controuersia Phylosophica.*

Illatum. *Colligit autem ex prædictarum omnium particularum expositione. Aristoteles, demonstrationem ex propriis principiis, causisq́ procedere, his verbis.* Sic enim erunt, & principia eius, quod demonstratur, *quæ tribus exponuntur modis: primo, vt hoc sibi velit Aristoteles, vt si vera sint, si prima, si causam conclusionis priorem, ac notiorem contineant, principia apta esse, & accommodata ad conclusionem demonstranda. & hunc sensum tribuit eis Commentator Auerroes, quem sequitur D. Toletus.*

Secunda expositio commentatoris. *Expositio secunda eiusdem commentatoris est propria debere esse principia, hoc est, non cōmunia aut dignitates, nisi forte contrahantur ad particularia & sic reddant propriam causam conclusionis, sed non attingit*

14. *mentem Aristotelis, qui propriis principiis demonstrationem constare docet, illud addens quod si propria non sint, syllogismum poterunt constituere, minime demonstrationem: eiusmodi autem incoueniens non sequitur in dignitatibus, quæ si secundum se accipiantur, syllogismum, nec demonstrationem ingrediuntur, vt quodlibet est, vel non est, totum est maius sua parte; si verò contracta ad principia particularia, sunt propria, ex quibus demonstratio conficitur, vt tenet Commentator.*

Verus Aristo. sensus. *Germanus ergò sensus Aristotel. est de principiis communibus causam conclusionis remotam, atque inadquatam reddentibus, eiusmodi enim ex directo opponuntur propriis hoc est, proximis, & adæquatis ex eis item syllogismus fieri potest, nequaquam demōstratio, vt si quispiam ostendat hominem respirare hoc syllogismo, omne animal respirat,* 15. *omnis homo est animal, ergo omnis homo respirat, optimus est syllogismus, sed non demonstratio, cum maior præmissa sit falsa, & iuxta hunc sensum exponit hanc literam D. Thomas in commentariis, quem cæteri sequuntur.* D. Thom. *interpretes affirmantes cum eo Aristotelem hisce verbis tacitæ cuidam obiectioni respōdisse: videbatur enim quādam conditionem demonstrationis apprime necessariam in definitione omisisse, nempè vt ex propriis principiis, & causis, hoc est, non cōmunibus procedat, nā vera esse principia possūt & causam conclusionis remotam continere, & si talia sunt, non erunt demonstrationi apta, vt exēplum de respiratione productū conuincit, sed oportet propriā causam demonstrationis adhibere, videlicet, quia habet pulmonem: sunt enim animalia quædā respiratione carentia, quia pulmone carent: huic ergo obiectioni respondet Aristot. eiusmodi conditionem in cæteris à se appositis esse inclusam: nam si vera sint principia si prima, medioq́ vacantia, si causam contineant conclusionis: & idcirco priora sint, & notiora, propria sine dubio erūt, & non cōmunia: nam cōmunia non semper sunt vera, ad vnū, vel alterū particulare applicata, nec sunt necessaria, cum nō solū ad vnū, sed ad multa applicari possunt, & quod amplius est, cōmunis causa non est talis, quæ posita particularis effectus, quē demonstrare intēdimus, necessario ponatur: non. n. animali posito ponitur necessario respiratio, & si de cæteris causis, ac principiis communibus.* Obiectioni occurrit Aristot. 16.

Tertia pars cap. explicatur. *Sed vt illustriorem reddat eandem definitionem, viamq́, aperiat ad demonstratoriā artem, desinit in tertia parte capitis, quid sit.*

Quid sit primum.

sit primū, hoc est, principium indemonstrabile, ex quo demonstrationem procedere dixit, & ex eis definitione occasione desumpta, diuersa principiorum genera explicat; Principium itaque ait esse demonstrationis propositionem immediatam: etenim demonstra-
17. tionis principia, ex quibus conclusio infertur, principia dicuntur, quia prima sunt, ex se fidem habentia, & non per aliud prius, ideò dicit esse propositiones immediatas, vel medio vacantes; dicuntur etiam propositiones demonstrationis, in quantum proponuntur ad cōclusionem inferendam, ideò dicit principium esse propositionem demonstrationis, ac tādem dicuntur præmissa quodam extensiori vocabulo, in quantum præhabentur, vel præcognoscuntur conclusioni.

Quid propositio immediata.

Duabus itaque particulis descripsit principium, propositione videlicet, & immediata, & vtranque propria descriptione explicat: primò, quid sit immediatum esse, immediata, ait, est illa propositio, quæ non est alia prior, id est, quæ non habet aliam, per quam à priori ostendatur, sed eius veritas per se ipsam (percepta terminorum significatione) innotescat, talis est hæc, totum est maius sua parte.

Propositio describitur.

Describit deinde propositionem inquiens esse alterā enunciationis partem, vnum de vno: etenim enunciatio cōprehendit quamlibet affirmatione, vel negationem, tanquā
18. partes subiectiuas, quarum quælibet per se sumpta dicitur propositio, quia ad inferendam conclusionē sumitur, ac proponitur: qui enim syllogismū constituit, non accipit affirmationem simul, & negationem, sed alterā duntaxat, ideò propositio dicitur altera enunciationis pars, & quasi species vnum de vno, hoc est, in qua vnū de vno affirmatur, ad differentiam æquiuocæ propositionis, in qua non vnum, sed plura, vt si dicamus canem esse substantiam.

Diuidit propositionem in duo membra.

Diuidit propositionem in duo membra, vt qualis esse debeat propositio demonstrationis ostendat: aliam esse ait Dialecticam, aliā demonstratiuā, Dialectica est accipiēs par-
19. tem quālibet, demōstratiua alterā determinatè, quia verū est enim, qui Dialecticū, hoc est probabilem syllogismū constituit, indifferenter accipere affirmatiuā, vel negatiuam propositionē, siquidē propriū munus eius est in vtrāmque partē probabiliter disputare, vnde quælibet propositio, siue affirmatiua sit, vel negatiua, immo siue vera sit, vel falsa, apta est ad syllogismū probabilem cōstituendū, ideò Dialecticā propositionem, ait, assumere vtramq; partem enunciationis, nō quidem simul, sed diuisim, hoc est, indifferenter vnā, aut alteram: demonstratiuā verò, non nisi alteram determinatè, & eam duntaxat, quæ vera est, nam cum ex virtute propositionum inferatur in demonstratione conclusio, veram semper esse oportet propositionem demonstratiuam, & huius rei gratia demonstrationem non solum ex primis, sed ex veris procedere docuit Aristoteles.

Enūciatio contradictionis.

Et quia vtraque propositio, tam Dialectica, quam demonstratiua est altera enunciationis pars, describit enunciationem, esse cōtradictionis quamlibet partem dicens, hoc
20. est, tam affirmationem, quam negationem comprehendere (vt nos diximus) affirmatio enim, & negatio sunt partes cōtradictionis, hoc est, diuersa membra propositionis cōtradictoriæ, inter quæ versatur.

Quid sit contradictio.

Contradictionem verò inquit esse oppositionem, cuius non est medium secundum se inuenire, quam definitionem non erit difficile intelligere, si memoria repetamus, quæ in post prædicamentis cap. 1. de oppositis adnotauimus, nempe oppositionem contradictoriam versari inter affirmationem, & negationē, & esse omniū oppositionum maximā, cuius nullum est mediū, cætera namq; oppositionū genera medium ferè semper admittunt, & si aliquādo medio vacent, vt priuatiua respectu eiusdem subiecti, tunc temporis apta habere formam cum ea careant, in tantum id habent, in quantū participant oppositionem
21. contradictoriā, cui non conuenit esse immediatā oppositionem ex participatione alterius sed ex propria natura, & conditione, & hoc sibi voluit Aristoteles dū eā definiens ait esse oppositionem cuius non est medium secūdū se inuenire. Huius oppositionis duas esse partes docet, vna quæ aliquid de aliquo,

& hæc affirmatio est: alia verò quæ aliquid ab aliquo. & hæc est negatio. ac si dicat vnā esse, quæ aliquod prædicatum alicui subiecto attribuit, vt dū dicimus hominē esse animal, & hanc esse affirmationem; aliam verò, quæ aliquod prædicatum remouet ab aliquo, vt hominem non esse lapidem, & eiusmodi esse negationem. Isthæc omnia necessaria fuere ad explicandam definitionem principij.

Diuidit primū in duo membra.

Nunc autem diuidit principium idem in duo membra, vnum est indemōstrabile quidem, sed non necessario præhabendum ab eo, qui ailquam scientiam, vel artem, addiscere parat, & eiusmodi principium vocatur positio: aliud est vtralibet conditione præditum, nam, & demonstrari haudquaquam
22. potest, & necessario præhaberi debet à discente, & vocatur dignitas, vel positio maxima: & hinc videtur ortum habuisse Dialecticorum vsus in disputationibus, qui dum aliquam propositionem vniuersalissimā accipiunt ad syllogismum constituendum, maximam appellare consueuerunt similitudine ex dignitatibus desumpta, & ex huius verbi Aristot. dignitatem vocantis propositionem maximam occasione.

Quędā scitu digna.

Sed vt ratione vtriusque principii intelligamus scire oportet, quædam esse principia, non solum per se nota, hoc est, ex propriis terminis absque alio medio, sed quorū euidētia cūctis est manifesta, cuius ea est ratio,
23. quia terminis vniuersalissimis, ac notissimis, constant, eiusmodi sunt, quodlibet est vel non est, totum maius est sua parte; quis est enim, qui significationem totius, & partis ignoret? quis item cui vniuersalissimum prædicatum essendi non sit manifestum? & eiusmodi principia vocantur dignitates, ea fortassis de causa, quia principia vniuersalissima, sunt quidem digna, quibus statim à cūctis assensus præbeatur: alia sunt nota quidem ex se, absque vllo medio, sed quorum veritas, atque euidentia non omnibus patet, quia termini, ex quibus componuntur, non sunt adeò vniuersales, vt eorum significatio facile possit à cunctis percipi, sed cum alicuius scientiæ, vel artis sint propria, ab eadem explicentur oportet, & significatione percepta, statim percipiuntur, & quia à qualibet ponuntur, & explicantur arte, aut scientia, ideo vocantur positiones: ponit enim Geometra hæc principia, à quolibet puncto, in quodlibet punctum possumus lineam ducere, & super quamlibet datam lineam triangulum constituere, quæ nō sunt dignitates, quia non statim significatio ter- 24.
minorum patet cunctis, sed cum sint cuiusdam determinatæ scientiæ, ab ea explicanda sunt, vt veritas eorum percipiatur, & idcirco vocantur positiones: & hinc oritur aliud discrimen ab Aristotele constitutū, quod positionem nō est necesse præhaberi ab eo, qui scientiam addiscere parat, sed ab eadem scientia explicanda est, vt intellecta significatione terminorum percipiatur: dignitas verò præhabenda est, quia non pertinet ad sciētiam determinatam eius explicatio, sed præsupponitur; necessitas autem præhabendi illam, hinc procedit: quia, & si dignitatibus, non inferantur rectè positiones, neque cōclusiones particularis scientiæ, sunt tamen adeò vniuersales, vt in eis innitantur: quemadmodum enim specialia, quarumlibet rerum prædicata, innituntur prædicatis vniuersalissimis entis, vel accidētis, quæ sunt prima, quibus cōsistunt; pari ratione principia particularia, scientiarum, atque ex consequenti conclusiones, consistunt vniuersalissimis positiones itaque in tribus à dignitatibus differunt; primo, quia dignitates nunquam demonstrantur, positiones verò, & si in propria scientia sint indemonstrabiles, non repugnat in alia demonstrari: principium est enim per se notum chirurgicæ artis, circulare vulnus difficilius curatur, quàm longum, cuius tamen causam à priori reddit 25.
Geometra, quia latera circuli magis distant, ideò difficilius coniunguntur. Secundò differunt, quia dignitates sunt communes pluribus scientiis, vel artibus, positiones verò, ad vnam determinantur. Postremo, dignitates nulla via oportet probare, vel ostendere, vt fidem habeant, & ab vniuersis recipiantur, quia vniuersales termini, eas manifestas efficiunt. positiones verò licet à priori non demonstrētur, sæpenumero aliqua inductione,

Dignitates vocantur quædā principia

Quæ dicātur positiones.

Positiones à dignitatibus in trī bus differunt.

ctione, vel demonstratione à posteriori, ex effectis necesse est eas ostendere, siquidem ex propriis terminis, vtpote particularibus non statim, neque omnibus innotescunt.

Positionis partitio. Positionem rursus partitur in illud principium, quòd esse, vel non esse significat, verum continet vel falsum, quod proinde suppositionem appellat, quia sub certa dispositi-
26. one demonstrationis ponitur ad inferendam conclusionem, & in eam, quæ nihil affirmat vel negat, nec verum dicit, nec falsum, sed simplicem essentiam rei, (ex qua suppositio fieri potest, continet, & eiusmodi est definitio, vt animal rationale: definitio enim simplex quædam positio est, quam scientia quælibet de suo subiecto ponit, vt cognita, tanquam medium assumatur ad demonstrãdas passiones, & producit exemplum Arithmetici, qui ponit vnitatem esse indiuisibilem in genere quantitatis; hæc autem definitio suppositio nõ est, quia non sunt idẽ tradere essentiam vnitatis, & de illa affirmare, quod sit.

Comparãtur prima eum conclusione. Huc vsque principia, dum demonstratione comparauit, cuius quasi caput esse constat: in extrema autem parte capitis, eam comparat cum conclusione, quam inferunt, docens notiora esse; vt autem id probet præsupponit notitiam conclusionis haberi, per demonstrationem, procedentem, ex princi-
27. piis, tanquam, ex primis, veris, & notioribus: nam si aliunde cognoscatur, & non per principia, vt si habeatur per experientiam, non erit eius notitia cum cognitione principiorum comparabilis; hoc igitur præsupposito, probat intentum duplici ratione.

Prima ratio. Prima quidem, nam conclusioni assentitur intellectus propter principia, ergo magis hoc est, certius, atque fortius principiis assentitur, tenet consecutio, ex vulgato illo, à cunctis receptissimo, propter quod vnumquodque tale est, illud magis tale est, vt si Petrum propter Ioannem diligo, euidenter sequitur me magis eum, quam Petrum diligere. credens igitur intellectus conclusioni, propter principia, maiorem eis fidem adhibeat, necesse est.

Secunda ratio. Probat secundo, & ratione ducente ad impossibile, obscurissima quidem, & quam interpretes non satis declarant, sed (nisi ego fallor) sic formanda est, si sciens conclu- 28.
sionem per demonstrationem, non magis principiis credit, quam conclusioni, æqualem, vel maiorem ei fidem adhibebit: vnde fiet perfectius eum cognoscere illud, de quo, nec scientiam habet, nec altiorem aliam cognitionem quam illud quod verè scit; cõsequens autem planè impossibile est, ergo & antecedens falsum: probatur consequutio postrema, nam per se est euidens; si æqualem vel, maiorem fidem adhibet conclusioni, ergo non ei assentitur propter principia, nam tunc magis principiis crederet, vt prima ratione efficaciter probatum est; ergo nec per notitiam scientificam, nam hæc propter principia semper habetur. Sed neque altior esse potest notitia conclusionis: nam omnium cognitionum, quæ per medium habentur, perfectissima est scientifica, cum demonstratio sit potissimum medium cognoscendi: ergo si perfectior est notitia conclusionis vel æque perfecta & per principia 29.
non habetur, immediata, erit, quod pugnat cum natura conclusionis; solis namq; principiis, vt talia sunt conuenit ex terminis cognosci: cõclusio vero non est per se, sed per aliud cognoscibilis; vnde sequitur euidenter si magis, vel æque credit conclusioni, ac præmissis demonstrator, magis, vel æque credere ei, cuius nec scientiam babet, nec altiorem aliam cognitionem, quam quod per scientiam cognoscit, cuius modi sunt principia, quod satis absurdum est. Vocat autem Aristoteles notitiam principiorum scientificam, non strictè, sed extenso vocabulo ad certam, & euidentem cognitionem etiam ex terminis habitam: & his duabus rationibus, euidenter conuincit, certiorem esse ac firmiorem eorum notitiam, quam conlcusionis, vsque adeò, vt qui demonstrationem habet, nihil magis falsum existimare debeat, quã oppositum principiis, propter quæ conclusionem nouit: sciens enim conclusionem, immutabilis debet esse ab eius assensu, ita vt nulla via, aut modo trahi poßit ad oppositum, idq; propter principiorum firmitatem: & hæc, de expositione textus.

Concludit Arist. firmiorẽ esse notitiã principiorum, quam conclusionis.

CIRCA EXPOSITVM textum notabilia.

NOTABILE I.

Quonam modo intelligendum sit demonstrationem procedere, ex primis.

Duo habēt principia demōstrationis.

30. *PRINCIPIA demōstrationis, duo habent, vnum, vt causam conclusionis cōtineant, aliud vt medio careant, per quod possint demonstrari, propter illud vocantur priora, quia hæc est dignitas causæ, vt prior natura sit effectu, propter hoc non priora, sed prima appellantur, nam primum propriè dicitur illud, quod aliud non præcedit, prius verò quod antecedit aliud; primum igitur principium appellatur omnis, & sola propositio, cuius prædicatum, sine medio conuenit subiecto: hinc enim fit, vt non habeat aliud se prius, per quod demonstrari valeat; dum ergo dicitur demonstrationem procedere ex primis idem significatur, quod ex non habentibus alia se priora, per qua demonstrentur; quod vt clarius constaret, addidit Aristoteles,* Medioque vocantibus, *vel vt habet alia translatio, ex primis indemonstrabilibus, quod idem est: nam cum demonstratio sit per medium, idem est medio vacare propositionem, & esse indemonstrabilem:* ex prioribus verò, *primum continet sensum, valde diuersum, vt inter explicandam particulā, ex causis copiosius dicemus.*

Principia dicuntur prima, & priora.

31. *Itaque pricipia dicuntur prima, & priora respectu conclusionis, priora quidem propter causalitatem: prima verò propter dignitatem propositionis per se nota, qua caret cōclusio, & harum duarum rationum diuersitatem ostendit, planè diuersitas præmissarum, quæ dum non sunt principia per se nota, sed quæ demonstrari possunt, nō dicūtur prima, nisi virtualiter, in quantū ad prima reduci possunt, dicūtur tamen formaliter priora cōclusione, cū sint causa illius; ex quibus sequitur germanū sensū huius particulæ* ex primis, *hoc verbo explicari, demonstratio procedit, ex principijs per se notis, vt autem notior fieret, & constaret prima distinguì à prioribus, secundum rationem, additum est,* Medioque vacantibus, aut ex indemonstrabilibus, *quamquam non nihil diuersum secundum rationem, adhuc in his particulis continecatur: nam, & si reuera idem sit, primum, ac medio vacans, vel indemonstrabile, quodammodo dicuntur respectu diuersorum; dicuntur enim principia demonstrationis, prima respectu conclusionis, quæ non est primum quid, sed à primo deriuatum: medio vacantia, aut indemōstrabilia, non respectu conclusionis, sed in quantum priori alio carent, per quod demōstrentur, & huius signum est, quod extra demonstrationem dicentur, modo vacare, vel indemonstrabilia esse: prima verò non nisi in demonstratione, vel saltem respectu conclusionis, quæ ex eis per demonstrationem deriuari potest, bene igitur ad hanc rationum diuersitatem explicandam adduntur prædictæ particulæ.*

Particula exprimis quomodo intelligatur.

32. *Circa textus demum elucidationem docuimus eandem particulam* exprimis, *non coarctari ab Aristotele, ad sola principia formaliter per se nota, vel medio vacantia, sed satis esse, si virtualiter talia sint, in quātum ad prima reduci valent ab eo, qui demonstrationem constituit; id namq; docuit expresse Aristoteles, non solum cap. præsenti, sed primo Topico. cap. 1. cuius verba ibidem retulimus, vt constaret, quam falsa sit, doctrinaq; Aristoteles opposita commentatoris sententia, in expositionibus huiusce capitis, tenentis quamlibet veram demonstrationem, ex principijs formaliter per se notis componi. Et pariter falsa est sententia Temistij cap. 5. suæ paraphrasis, quem sequuntur Albertus, & Philoponus in expositione huius capitis, qui omnes hoc verbum definitionis, ad solas dignitates coarctasse videntur, quasi hæc pro loquia, ac præfata dicantur, atque adeò præhabenda sint à cunctis aliquam artem, vel scientiam addiscere parentibus, tanquam prima: cum tamen Aristoteles, primum nō solum ad dignitates, sed etiam ad positiones, quæ sunt principia peculiaria alicuius sententiæ extendi voluerit,*

ri., immo etiam ad quascunque præmissas demonstrationis, etiam medium admittentes modo reducibiles sint per demonstrationem à priori, ad prima principia, ex terminis nota.

NOTABILE II.

Particulam ex causis declarans.

Duplex est causa. 33 CAVSA quantum ad præsens pertinet institutum, duplex est, essendi vna, cognoscendi altera, causa cognoscēdi est medium, per quod alicui assentimus, quanquam in ratione essendi sit eo posterius: vnde cum præmissæ demonstrationis, sint medium assentiendi conclusioni, semper sunt causa cognoscendi illius respectu, etiam in demonstratione, quia ab effectu procedenti, vt si sic demonstrantes procedamus, quidquid est capax disciplinæ, est animal rationale: omnis homo est capax disciplinæ, ergo omnis homo est animal rationale: ecce capacitas disciplinæ, quæ effectus est rationalitatis, atq; adeò ea posterior in ratione essendi, causa nihilominus cognoscendi est, cum per eam, rationalitatem, conuenire homini cognoscamus: causa autem essendi est res illa, à qua procedit altera, vt in eodem exemplo rationalitas vera causa est capacitatis disciplinæ: sed inter vtranq; causam, maximū est discrimen,

Discrimē vtriusque causæ. 34. nam prima ex duplici parte, non est appellāda causa simpliciter sed secundum quid, ex prima quidem quia non est causa essendi sed effectus in hoc ordine: causa autem essendi sola, talis appellatur simpliciter, ex secunda verò quia adhuc non est causa cognoscendi, nisi tantum quo ad nos; nam absolute, eadem est causa essendi, & cognoscendi, cum eodem modo res se habeat ad cognitionem, ac se habet ad esse.

Cæterū causa essendi talis est simpliciter, ac propterea nulla causa est essendi, quæ nō sit cognoscēdi simpliciter, quanquā nostra cognitio imperfecta, à sensib. inchoata, ab effectu, etiam maiori ex parte incipiat itaque vt rē in pauca cōferamus, alia est causa cognoscēdi, & non essendi alia essendi, & cognoscēdi simul, & hæc est causa cognoscendi simpliciter illa tantū secundū quid, de qua non intelligitur particula ex causis in definitione posita, sed de causa essendi, & cognoscēdi simul: nā hæc sola vocatur simpliciter causa, atque etiam simpliciter causa cognoscendi.

Cæterum hæc, adhuc est duplex, vna vere influens in effectum, cumq; producens, altera similitudinē eius tenens, quantū ad prioritatem, quam proinde non tam appellamus causam, quam rationē priorem respectu alterius, sed ad effectū demonstrationis, tantundē valet, ac si vera esset causa; vt in anima rationali immortalitas est, ratio impossibilitatis: non tamē causa, nā vbi non est distinctio, nisi solius rationis, nō habet locū vera causalitas in Deo etiā immutabilitas est ratio prior æternitate, non quidē aliqua prioritate reali (quā in diuinis nō admittimus, excepta prioritate originis, propter realē processionē, vnius personæ ab alia) sed prioritate rationis, in eo posita, quod prius sit intelligibilis à nobis, immo etiā à Deo Optimo, cuius intellectus, licet in vtramq; simul feratur, semper tamen intelligit vnā esse rationē alterius. Eiusmodi distinctio duarū rationū, cum prioritate sufficit ad constituendā demonstrationē, ex primis simpliciter procedentē: talis est.n. hæc omne immutabile est æternū, Deus Optim. est immutabilis ergo æternus est. Ideò dixi ad effectū demōstrationis, tantundē valere vnā rationē priorē, altera, ac si vna esset causa, altera effectus; ac propterea particula, ex causis in definitione posita, vtranq; comprehendit. — Duplex causa in essendo in ordine ad demōstrationem. 35.

NOTABILE III.

Circa particulam ex notioribus, & prioribus.

DVplex dignitas, conuenit causæ ex propria conditione, & esse effectu priorē, & notiorē etenim cum ex virtute causæ, esse ētus prodeat secundū ordinē naturæ eā præsupponit. & rursus cū ordo cognitionis, accipiatur ex ordine essendi, ab eadē causa aqua effectus participat suū esse, habet etiam quod sit cognoscibilis: vt igitur vtraq; causæ dignitas exprimeretur in definitione, duas particulas addidit Aristoteles, nēpe ex prioribus & notioribus, sub particula ex causis virtualiter contentas. — Dignitas causæ.

Aduer-

Nota. 36. *Adnotare tamen oportet, vt melius intelligantur, quod licet causa ex se sit notior effectu, quemadmodum prior, atque adeo prius semper cognoscatur, ab intellectu expedito, non tamen semper est nobis notior, ob defectum nostræ cognitionis, quæ non fertur in obiectum secundum se, sed vt per sensus percipitur; contingit autem maiori ex parte, quo res sunt perfectiores, esse à sensitiua cognitione magis remotas, vt capite præsenti admonet Aristoteles dicens: notiora natura esse à sensibus remotissima, ac propterea difficilius à nobis cognosci, materialitate sensuum obstante: effectus verò magis subduntur sensibus, ideò notiores nobis sæpenumero sunt, & viam nobis aperiunt, qua possimus ad cognitionem causæ peruenire; diximus causas esse notiores natura, atque etiam prius ab intellectu expedito cognosci; nam Deus, & Angeli, expeditum habentes intellectum feruntur in obiecta iuxta propriam naturam: ideo semper cognoscunt per causam effectum, semper à priori procedũt in scientiis: nos verò maiori ex parte à posteriori, per effectum inuestigantes causam; quamquam in his, quæ à sensu abstrahunt, non certè sine magno labore, causam per se ipsam aliquando cognoscamus, & ea mediante effectum, & hoc modo procedimus in Mathematicis disciplinis, & Metaphysica, hinc est, quod eiusmodi scientias difficilius assequimur, præsertim Metaphysicam, magis à materia & à sensibus abstrahẽtem, facilius autem Phylosophiam concernentem motum sensibus subiectum, in qua fere semper demonstrationibus à posteriori procedi-* 37.
mus: itaque non semper priora, & notiora natura sunt notiora nobis, sed sæpe contingit oppositum: Aristoteles autem de potissima nunc demonstratione agens, notioribus, & prioribus constare docet, per priora, atque notiora, ea intelligens, quæ talia sunt secundum naturam & in ordine ad intellectum perfectè cognoscentem, & aliquando etiam in ordine ad nostrum.

NOTABILE POstremum.

Docens quid nomine immediatæ propositionis intelligat Aristoteles, in definitione principij.

PRINCIPIVM sic describit Aristoteles, principium est demonstrationis propositio immediata,: propositio verò immediata, quæ nõ est altera prior, indiget autem explicatione vtraque descriptio, prima quidem, nam propositio immediata, secundum totum suum ambitum, non solũ necessariam, sed contingentem comprehendit: si enim immediata propositio est illa, inter cuius subiectum, & prædicatum non est mediũ, sed proximè ei inhæret, immediata erit quæcunque propositio, talem habens conditionem; ergo immediata erit hæc, nix est candida, quæ tamẽ contingens est, & ad demonstrationem componendam minimè apta: immediata est etiam hæc, homo est animal rationale, ex qua bene demonstratio effici potest, vnde fit non conuerti propositionem immediatam vniuersaliter acceptam cum principio: cum tamen per eam definiatur, & ita verum est, ac propterea non dixit Aristoteles, principium esse propositionem immediatam absolute (vt bene adnotauit Themistius cap. 5. suæ paraphrasis in principio) sed demonstrationis addidit, vt intelligatur, non quamlibet immediatam propositionem esse principiũ, sed quæ necessaria est aptaq́, proinde, ad conficiendam demonstrationem, per quam particulam excluduntur immediatæ propositiones contingentes. Principij quid. 38.

Definitionem etiam propositionis immediatæ explicare oportet, nam si secundũ corticẽ literæ accipiatur, non videbitur exacta: propositiones namq́, medio vacantes aliæ sunt vniuersales (quas dignitates vocãt) vt quodlibet est, vel non est; totum est maius sua parte, quæ ab omni scientia præsupponũtur, & quas præhabere docendum oportet (vt verbis Aristotelis vtamur) aliæ sunt particulares, quia à scientiis particularib. statuũtur, Definitio definitionis. 39.

149

atque explicantur, vt à discente capiantur, & ideò vocantur positiones, quas nõ necesse est præhabere docendum talis est in scientia de homine; homo est animal rationale, & in naturali Phylosophia natura est principium motus, & quietis; inter hæc autem duo genera immediatæ propositionis, notum est dignitates esse priores positionibus, cum sint vniuersalissimæ. Quo supposito non erunt positiones immediatæ propositiones, iuxta tenorem definitionis cum sint aliæ eis priores, immo inter ipsas dignitates vniuersalior est prima, quæ propter non dicetur altera immediata, vtpote aliam se priorem habens.

Cæterum si definitio, vt oportet explicetur, constabit omnes esse immediatas: nam dum in definitione dicitur propositionem immediatam esse, non habentem aliam priorem cum hac limitatione accipiendum est, videlicet, per quam à priori sit demonstrabilis, & hæc ratio æque conuenit positionibus, & dignitatibus; postquam enim prædicatum in vtrisque, sine medio inhæret subiecto, æqualis est immediationis ratio (vt ita loquar) itaque nihil refert vnam esse altera aliquo modo priorem, dummodo per illam non sit demonstrabilis, & vt hoc verbo definitio explicata moneat, talis est eius sensus, propositio immediata est, quæ non est alia prior in ordine demonstrandi.

QVAESTIO I.

An definitio, verè sit principium, quod appellatur positio, distinctum è dignitate?

Ratio dubitãdi ex triplici testimonio Aristot.

VTRVMQVE est apud Aristotelem difficile, & definitionem esse principium, & positionem, definiens enim principium, ait esse propositionem immediatam: & rursus de definitione loquens ait propositionem non esse, quia nec dicit rem esse vel non esse, nec verum continet, aut falsum, sed simplicem explicationem essentiæ, vt animal rationale, definitio hominis est, & tamen nec dicit hominem esse vel non esse, nec propositio est, cum non enunciet, vnum de alio, nec copulam importet, in qua cōsistit affirmatio, vel negatio; ergo non est principium: & eadem ratione, non potest esse positio, vt vult Aristoteles, cum principium diuidatur in dignitatem & positionem: tunc enim bene sequitur, definitio non est propositio; ergo neque principium: & rursus non est principium, ergo nec positio, tenet euidēter consecutio, à diuisio ad alterum membrum negatiue, vt non est animal, ergo non est rationale: apparet igitur duplex contradictio aperta in verbis Aristotelis. 1.

Ac tandem, dignitatem à positione separat, quia dignitatem præhaberi à docendo, necessarium esse affirmat, minimè positionem, cuius tamen oppositum experimur, cū constet aliquem habere posse scientiam huius conclusionis, homo est risibilis, per demonstrationem, etiam si nunquam assensum præbuerit, his dignitatibus, quodlibet est, vel non est, totum est maius sua parte: non est igitur necessarium, vt præhabeantur ab eo, qui aliquam scientiam, vel artem ad discere parat: nam etiam si nunquam eas nouerit, poterit nihilominus, sibi comparare plures scientias.

Plures adhibentur solutiones, à diuersis expositoribus circa primum, quibus Aristotelem à contradictione liberare intendunt, quas consulto prætermitto, quia à nemine iam probantur, solum referam solutionem à D. Thom. in his commentariis adhibitam, quam iam penè omnes moderni sequuntur, videlicet definitionē esse propositionem, nō formalem, sed virtualem, quia ex ea simul, ac definito, proxime potest propositio fieri, & hoc sufficit, vt principium, & positio appelletur. *Solutio D. Thom.* 2.

Hæc tamen solutio duplicem patitur difficultatem, primam, quia si aptitudo hæc sufficit, vt definitio appelletur propositio, eadem sufficiet, vt definitio similis appellatio tribui posſit, nec enim minus, ex eo, ac definitione propositio potest, quàm è conuerso: immò quælibet vox simplex appellari propositio poterit, siquidem ex ea componi potest. *Duplex obiectio cōtra solutionem.* 3.

Secundam, quia Aristoteles definitionem vocat positionem, sine verò, & falso ad differentiam eius, quæ vnum vel alterum continet, quam appellat suppositionem ergo non *Secunda obiectio.*

non loquitur de definitione, vt est virtualis propositio, quia sic accepta, verum, vel falsum, virtualiter etiam continebit.

Ad solutionem nota. Propterea, vt sensum Aristotelis iuxta mentem D. Thom. eruamus, adnotandum est definitionem duo habere, & quidditatem subiecti simpliciter, hoc est absque affirmatione, & negatione explicare, & esse medium, quo passiones de illo demonstrari possunt, & hoc secundum ex primo oritur. Ratione primi quasi primum fundamentum est cunctorum, quæ in scientia traduntur, quod attendens Aristotel. cap. præsenti docuit de subiecto præsupponēdum esse quid sit, quod de vera definitione quidditatiua accipiendū esse ostendimus, quasi dixerit definitionem ponendam esse, & quasi statuēdam, vt primū totius scientię elementum, vt productum à se exemplum de vnitate, quæ totius Arithmeticæ elementum est, manifestum facit; ex hoc itaque sortitur definitio primam atque potissimam rationem positionis: ex alio verò habet esse propositionem virtualem aut secundum aptitudinem, & potentiam proximam, non quidem generalem, vt est in qualibet voce simplici, sed specialissimam, & sibi propriam; nam ex propria conditione habet esse assumptibilem, tanquam medium demonstrationis atque ex consequenti virtutem constituendi, simul cum definito, cuius quidditatē continet, propositionem, non qualemcunq; sed immediatam, & quæ verè sit demonstrationis principium: itaque ex vtroque simul habet definitio, quod sit principium & tale, quod per anthonomasia dicitur positio & quia vtrunque habet in quantum definitio, quæ esse, vel non esse, verum, vel falsum, formaliter non continet, positio, dumtaxat vocatur, non suppositio: nam suppositio formaliter est propositio, cum in demonstratione supponatur, vt sub sumpta minori præmissa, sub ea inferatur conclusio.

4.

Ex solutio difficulta tis. 5. Sensus igitur harum diuisionum talis est, principium aliud est positio, aliud dignitas: ita vt sub positione compræhēdantur principia propria cuiuslibet scietię, siue sint definitiones, vel aliæ propositiones immediatæ, qualis est illa, in qua vna passio proxima prædicatur de alia, vel prima de definitione, & rursus positio diuiditur in eam, quæ ex propria ratione prima est & principalis, sine vero & falso formali, & hæc est definitio, & in eam, quæ licet generali ratione positio sit; speciali tamen suppositio vocatur, quasi dicatur positio alia est generalis, quæ ideò suppositio potius dicitur; alia specialis, quæ nomen positionis retinet, quia verè non supponitur, sed quasi primum omnium elementum ponitur, ideò sine verò vel falso formaliter.

Ecce quo pacto, definitio simul est principium, & positio prima, vt à dignitatibus separetur, & à cœteris principijs particularis scientiæ, quæ vocantur suppositiones. Et ex adnotatis soluuntur duo argumenta aduersus solutionē D. Tho. (quæ vera est) proposita: primum quidem, quia definitio cum sit medium demonstrationis, specialem habet aptitudinem, vt cum definito assumatur ad demonstrandas passiones de subiecto; assumpta autem cum definitio propositionem constituit per se notam, quæ vocatur principium, ideò speciali titulo vocatur propositio per se nota virtualis, & hoc sufficit, vt principium dicatur, quia verba in definitione non important actum, sed aptitudinem, præsertim dum ad aliquid efficiendum ordinantur: non est ergo par ratio de definitione, ac definito, cæterisve simplicibus terminis, in quibus sola generalis aptitudo constituendi propositionem reperitur. *Soluuntur duæ obiectiones* *Ad secundam obiectionem* 6.

Ad secundum dicimus definitionem esse positionem sine vero, & falso formaliter, quo à suppositione separatur, in qua veritas formaliter reperitur. *Ad secundum.*

Ad aliud verò de dignationibus dicendū est necessario præhabendas esse, tum quia cū vniuersalibus terminis constent, eis innituntur particularia scientiarum principia: tum etiam, quia vt docet Aristoteles in fine capitis, qui habet demonstrationem certus debet esse, non solum de veritate conclusionis, sed de falsitate oppositi, quod non est possibile, nisi nouerit, simul aliquid esse, & non esse repugnare. *Ad rationem dubitandi initio propositam respondetur.* 7.

Quod autem dicitur, posse aliquem habere demonstrationem alicuius conclusionis, etiam si nunquam assenserit dignitatibus.

Respon. fortasse id verum esse de assensu formali, sed virtualis saltem requiritur, qui non est aliud, quam in ea esse dispositione, vt continuo, ac ei proponantur, absque alia explicatione assensum præbeat ei, præsertim quod esse, & non esse simul eandem

rem.

rem repugnare docet de quo loquitur Aristoteles.

QVAESTIO II.

An principia sint veriora conclusione, & vniuersaliter vna propositio, sit verior altera.

Status controuersiæ.

Duplex veritas DVPLEX veritas in primis distinguẽda est: vna simplex, & incomplexa, quibuslibet rebus intrinseca, cum sit

8. propria passio entis, quæ ideo veritas transcendẽtalis appellari cõsueuit: de qua loquitur

Aristotel. Aristoteles 2. lib. meth. text. 4. hisce verbis. *Quare vt secundum esse vnumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem.* Itaque veritas hæc formaliter in rebus ipsis reperitur, & eius ratio accipitur, ex comparatione ad intellectum, nam cum obiectum eius sit verum, in tantum res dicitur vera, veritate hac simplici, in quantum est intelligibilis, & hunc ordinem, vel proportionem ad intellectum addit supra entitatem. Alia est veritas cõplexa, vel composita, quæ consistit in adæquatione intellectus iudicantis ad rem: de qua fert sententiam, vel iudicium, de qua loquitur Aristoteles 1. lib. de interpretatione cap. 1. dicens: *Circa compositionem enim & diuisionem est verum vel falsum.* Eiusmodi autem veritas in tribus reperitur ad inuicem ordinatis, in iudicio intellectus, in propositione, atque in re per propositionem significata: sed in vno eorundem dumtaxat formaliter, nempe in iudicio intellectus sententiam ferentis de aliqua propositione, an vera sit, vel falsa; in ipsa autem propositione vocali, mentali, ac scripta, tantundem in signo prædictæ veritatis, in iudicio consistentis: in re autem complexa, per propositionem significata, tanquam in causa obiectiua, à qua in intellectu producitur: nam vt Aristoteles in prædicamentis, capite de substantia docet, ab eo, quod res est, vel non est, vera, vel falsa dicitur enunciatio: quemadmodum ergo sanitas formaliter in solo animali, in vrina tanquam in signo, in medicina tanquam in causa, sic veritas in intellectu, in propositione, atque in re significata inuenitur.

In quo conueniat veritas simplex & composita. Conueniunt autem simplex veritas, & complexa, nam vtraque consistit in adæquatione intellectus cum re ipsa, vel obiecto, aut re intellecta, sed illa in ordine ad intellectum simplicem, hoc est, simplicia apprehendentem, hæc verò in ordine ad intellectum iudicantem, vel componentem accipitur, nostra autem controuersia, non de simplici, sed de complexa procedit, cum hęc sit, quæ in principiis demonstrationis reperitur, & vniuersaliter in propositionibus.

Diuersæ Doctorum de hac re sententiæ traduntur.

Prima sententia. HAC igitur prætermissa veritate. De complexa diuersæ traduntur opiniones nam quidam rationem eius intrinsecam attendentes, affirmant, magis, vel minus, nullo modo suscipere, neque vnam propositionem veriorem esse altera, sed æqualem habere veritatem omnes: veritas enim consistit in adæquatione rei ad intelle- 9.
ctum, vel intellectus cum re ipsa: sed eiusmodi adæquatio consistit in indiuisibili; ergo magis, & minus haud quaquam suscipiet. Probatur minor: quia vel iudicium, seu assensus intellectus conformatur rei, de qua est, quod est dicere, sic rem sę habere, sicut intellectus iudicat, & tunc verum est, si autem Eius fund.
vel minimum ab ista conformitate discrepet non dicetur minus verũ, sed simpliciter falsum; ergo veritatis meta indiuisibilis est, quam non est magis, vel minus attingere, sed attingere vel non, siue ergo propositio 10.
sit principium vel conclusio, ex eo deriuata, siue per experientiam nota, quinimo siue de se sit contingens, absque dubio nõ erit minus vera, sed æqualiter: nec enim minus verũ est Petrum esse album, albedine ei inhærente, quam esse hominem, imo nec minus verum est; quam Deum esse, aut quam principium illud vniuersalissimum, quodlibet est, vel non est.

Secundo; quia si duæ res sint æquales in Confirm.
quantitate, non est possibile dari alias magis æquales, cuius tota ratio est, quia æqualitas stricte accepta in indiuisibili consistit sed veritas est quędã æqualitas, & quidẽ perfectissima, 11.

ergo etiam consistit in indiuisibili: quapropter non erit vna propositio magis intellectui iudicanti adęquata, quam altera, nec ideò magis vera: fieri quidem poterit, vt veritas vnius propositionis diuturnior sit, magis immutabilis, vel etiam ex se perpetua: hæc tamen non efficiunt esse maiorem: nam quemadmodum veritas in his non consistit, sed quasi eius accidentia sunt, pari ratione ex eis non augetur.

Patroni huius sententia. Hanc sententiam planè tenet Ferrariens. 1. lib. contra gentes, cap. 13. ad 1. cuius verba referre placet, quia duplicem modum veritatis à nobis traditum optimè explicant (ait) ergo: *Sic veritas secundum quod est in re, fundatur in esse rei: vnde materiale quidē in ipsa est esse rei, formale autem est adæquatio ad intellectum: dupliciter ergo possumus de veritate rei loqui, aut quantum ad materiale tantum, videlicet quantum ad esse, & sic non inconuenit vnum esse altero verius, sicut vnum est altero perfectius ens propter quod perfectissima entiū dicuntur verissima: aut quantum ad formale, siue quantum ad materiale, vt stat sub formali, & sic,*
11. *vnum non est altero verius, vnumquodque enim natum est adæquare, sibi intellectum suo modo, & vnumquodque Diuino intellectui, pro sua entitate adæquatur, nec fieri potest, vt vnum magis alteri adæquetur; sicut, & in quantitatibus non magis adæquatur lignum viginti cubitorum, ligno viginti cubitorum, quam lignum vnius cubiti altero eiusdem mensuræ, &c.* Hæc Farriens. quem sequitur Magister Sotus, 2. lib. summul. vbi veritatem ait in se, non esse maiorem, vel minorem, quanquam vna maiores causas, vel stabiliores habere possit, quam alia, & ideo vna propositio poterit habere plures, vel maiores causas suæ veritatis, esse autem magis veram nullo modo.

Secunda opinio opposita.

Secunda sententia. OPPOSITA est secunda opinio, tenens veritatem complexā maiorem esse, vel minorem in diuersis propositionibus, quæ videtur euidenter colligi ex doctrina huius capitis: nam si ita est, quod maior est adhibenda fides principiis, quam conclusioni, sequitur euidenter veriora esse, quia fides adhibetur propositioni alicui, quia vera censetur, ergo cui maior est adhibenda fides, magis vera erit, qua propter, principia quibus maior est adhibenda fides, magis vera, quam conclusio erunt, & certè ita est, quod conclusio est vera propter principia; ergò hæc erunt propter se, conclusio propter aliud, sed quod tale est propter se, magis tale censetur, quam id quod tale est, propter aliud, vt Aristot cap. præsenti testatur, ergo necesse est fateri principia magis vera esse conclusione, & ex consequenti vnam propositionem quam aliam.

Secundo, vna propositio est euidentior alia, ergò verior: probatur planè antecedens: euidentia est claritas rei, sed vna propositio per se ipsam patet, ab intellectuque clarè eius veritas cernitur: altera verò non per se est euidens, per aliam tanquam per medium; ergo euidentior est prior: quod autem eo ipso sit verior, non videtur minus certum nam veritas eius etiam per se ipsam patet. *Prima ratio.*

Secundo, à nemine negatur vnam propositionem certiorem esse altera: nisi enim hoc verum esset, stare non posset sententia Aristotel. quod principiis magis sit quam conclusioni credendum: vnde enim maior est eis adhibenda fides, nisi propter maiorem certitudinem: non est certè alia causa designabilis: nec stare posset vnam scientiam, esse alia certiorem, quo plus à materia abstrahit vt communis est scholæ vox, atque consensus: & si certitudo non est aliud, quam firma adhæsio intellectus, euidenter profectò infertur certiora esse principia, si verum est firmius eis assentire; quod si certitudo magis, & minus admittit, etiam veritas; nam illa super hanc cadit: supponit enim certitudo veritatem: & certam vocamus propositionem, cui non potest sub esse falsum: sed quæ apta est omnino determinate intellectum ad assensum *Secunda ratio.*

Confirmat. Et idem argumentum fit de necessitate; necessaria enim propositio est, quæ non potest aliter se habere, vel cui non potest falsitas contingere; & prius certè intelligimus veram esse propositionem, quam necessariam: nam postquam veram audimus, statim inquirimus, in quanam materia constituatur contingenti, vel necessaria: sed necessitatem esse maiorem in vna, quam in alia propositione cōuincit ratio cum notum sit, talem esse vnam, in qua per se ipsum hoc est sine medio prædicatum conuenit subiecto; ita enim se res habet in primis principiis; in conclusionibus verò, non nisi ratione alicuius me- 12.

ius medij: magis autem tale est illud, quod est per se, quam quod est per aliud, ergo magis necessaria sunt principia, quam conclusiones.

Postremo verum, & falsum opponuntur contrarie; sed falsum admittit magis, & minus, ergo verum: euidens est consequentia, cum eadem sit oppositorum conditio; sed antecedens probatur: nam magis falsum est, Deum non esse, quam hominem non esse album, cui inhæret albedo: magis item falsum est, de eadem re simul verificari esse, & non esse, quàm hominem non esse corpus mixtum, vel quid simile: magis demum centum, & mille æqualia esse, quam duo, & tria; ergò magis etiam verum erit vnum, quam alterum, & vniuersaliter loquendo, magis verum erit illud, quod magis distat à falso: hanc sententiam tenet, Omnia in fine huius capitis.

Media sententia tenenda.

EGO verò medium inter præfata extrema, necessario ponendum esse censeo, hac distinctione explicandum: veritatem propositionis, ex duplici capite pensare possumus: aut ex parte ipsiusmet adæquationis, quam habet propositio cum intellectu, aut intellectus cum propositione, in qua adæquatione, iuxta cōmunem scholæ sententiam, formalis ratio veritatis consistit: recepta, est enim à cunctis definitio veritatis, quod sit, adæquatio intellectus cum re intellecta, aut huius cum eodem intellectu, hoc enim sibi voluit Aristot. cap. de substantia in prædicamentis, dum asseruit, ab eo quod res est, vel non est, veram esse, aut falsam enunciationem: quod etiam ostendit ratio: nam verum esse existimamus intellectum, dum ita rem intelligit sicut in se est, vel falsum, dum aliter rem intelligit, ac in se est, veram item enunciationem quæ adæquatur intellectui rectè intelligēti; ergo formalis ratio veritatis cognitionis (de qua loquimur) in adæquatione consistit, quid verò hæc adæquatio sit, hoc est, an absolutum quid, vel respectiuum, an reale quid, vel rationis, non est præsentis instituti discutere, nec aliquid ad præsentis controuersiæ decisionem referre arbitror. Secūdo pensari potest veritas, ex parte fundamenti, & causarū eius, ex quibus maxima perfectio ei prouenire potest, fundamētum veritatis est entitas, vel esse ipsius rei veræ: nam cum veritas sit passio entis: fundamentum absque dubio totius veritatis est: causæ autem veritatis sunt necessitas rei, infallibilitas: certitudo etiam, atque euidentia: etenim cum necessitas rerum in eo consistat, quod nequeant aliter se habere, maximè perficitur veritas ex necessitate: nam si aliter se habere non potest, ergo non potest esse falsa enunciatio, sed quod magis aliquid à falso distat eo censetur, magis verum, ergo necessitas, absque dubio perficit veritatem: certitudo præterea si ex parte intellectus consideretur, firmam adhæsionem ad vnam partem importat, & si ex parte obiecti, aut propositionis, talem esse propositionem denotat, vt nata sit firmam adhæsionem in intellectu causare, quæ veritatem, quasi stabilitam efficiunt. Idemque de euidentia, aut claritate rei, secundum proportionem iudicandum est. Hac autem distinctione præmissa, duplici assertione explicatur nostra sententia. Prior est, ex parte adæquationis, aut formalis rationis veritatis, nō est vna propositio magis vera, quam altera. Assertio posterior, ex parte fundamenti, & causarum eiusdem veritatis: necessario dicendum est vnam propositionem magis veram esse, quam alteram, sub qua consideratione principiis, maior, aut perfectior veritas, quam conclusione conceditur.

Vtramque assertionem expressam reperio apud D. Thom. duobus præsertim suæ doctrinæ locis: quos propterea referre non grauabor? Prior locus est, quæst. 2. de virtutibus, articul. 9. ad 1. vbi sic loquitur, *obiectum fidei est verum: vnde secundum, quod contingit esse aliquod magis verum sic etiam contingit aliquid magis credere: cum autem veritas consistat in adæquatione intellectus, & rei, si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis, & minus, sic non contingit esse aliquid magis, & minus verum, sed si consideretur ipsum esse rei, quæ est ratio veritatis, sicut dicitur in secundo Metaphysic. eadem est dispositio rerum in esse, & veritate: vnde quæ sunt magis entia, sunt magis vera, & propter hoc etiam, in scientiis demonstratiuis,* 16. *magis creduntur principia, quam conclusiones: & sic etiam contingit in his, quæ sunt fidei, vnde Apostolus. 1. ad Corinthios, 15, probat resurrectionem mortuorum, per resurrectionem Christi, &c.*

Definitio veritatis.

Vera enunciatio.

Causæ veritatis.

Geminæ cōsideratio veritatis.

D. Thom. sententia.

&c. Ecce vtramque assertionem nostram expressam satis. Priorem quidem, illis verbis, quibus veritatem, ex parte adæquationis fatetur, non suscipere magis & minus, quia in indiuisibili consistit: posteriorem verò aliis quibus ex perfectiori modo essendi, aliisque causis magis necessariis, vnum magis, quam aliud verum esse docet, quo pacto ait principia magis esse vera, quam conclusiones.

Secundum testimonium desumitur, ex 1. lib. contra gentes, cap. 3. vbi hæc habentur verba. *Potest etiam alia ratio colligi ex verbis Aristot. in 2 lib. Metaphysic. ostendit enim ibi, quod ea quæ sunt maximè vera, sunt etiã maximè entia. In quarto etiã Metaph. ostendit esse aliquid maximè verum, ex hoc, quod videmus duorum falsorum, vnum altero esse magis falsum: vnde oportet, vt alterum sit etiam altero verius: hoc autem est secundum à proximatione, ad id quod est simpliciter & maxime verum.*

D. Thomas

Easdem quoque assertiones elicio ex doctrina Aristotel. 4. lib. Metaph. text. 18. vbi stultam illam Philosophorum positionem refellens, qui arbitrabantur contradictoria, simul de eodem verificari, probat aliqua saltem ex parte falsam esse, quia vna saltem earum pars magis est vera, quam altera, vnde comparatione illius falsa erit, verba autem eius sunt.

Aristotel.

Attamen ipsum magis, & minus inest entium natura; nõ enim similiter paria esse duo ac tria esse dicimus, nec eodẽ modo mentitus est, qui quatuor esse putet quinque, aut qui mille, si itaq. non similiter patet quod alter minus, quare magis verum dixit: si igitur quod magis est, propinquius est, profecto erit aliquid verum, cui propinquius est, quod magis verum est, quod si non est ac etiam saltem aliquid est certius & verius, & ita ab illa intem[pe]rata oratione remoti erimus, quæ prohibet quicquam mente determinare.

Assertio prior probata

Primam vero assertionem efficaciter probant argumenta prioris sententiæ; nam si formalis ratio veritatis, in adæquatione intellectus, & rei posita est (vt admittit vniuersa schola) vel iudicium intellectus adæquatur rei quòd ita esse cernimus, si ita se res habeat extra, ac iudicat ipse, vel non, & si ita se res habeat, verum erit, si vero aliter se habet falsum: consistit ergo veritas intellectus in attingenda re intellecta sicuti est, à qua si minimũ declinauerit, non dicetur minus verum, sed falsum, & si eam attigerit, verum erit, nec minus verum, quam aliud quodcunque, sicut non minus adæquatum, & quod de iudicio intellectus dicimus, quod mentalis propositio est, & formaliter verum, vel falsum, secundum proportionem intelligi debet de vocali, & scripta enunciatione, in quibus veritas, vel falsitas, non formaliter, sed per extrinsecam denominationem reperitur in quantum signa sunt, vel causæ veritatis, in iudicio intellectus formaliter consistentis: exemplis fiet res manifesta: dum intellectus iudicat Petrum currere, aut hominem esse album currente illo, & hoc albedinem sibi inhærentem habente, adæquatum est iudicium intellectus, & idcirco verum, & pariter dum iudicat quodlibet esse, vel non esse, aut totum maius esse quolibet eius parte, & cum adæquatum sit respectu vtriusque propositionis, ex parte adæquationis, non est magis adęquatum vnum quam alterum, quia adæquatio in attingenda re, vel obiecto consistit, atque adeò in indiuisibili, quia attingentia indiuisibilis est: sicut in indiuisibili consistit, rem ita se habere, vel non: sed aliter, & si ita se habet, adest in iudicio veritas; si aliter se habet, à veritate deficit, & eo ipso censetur falsum: non est ergo magis vel minus attingere, sed attingere vel non attingere indiuisibiliter: quare nec maior aut minor veritas ex parte adęquationis, vt prior assertio nostra asserit.

Mentalis propositio formaliter vera.

Nec minus est vera assertio posterior, quæ ex parte fundamenti, & causarum statuit vnã rem, vnamve propositionem, magis veram esse quam alteram, quod si intelligatur, constabit profecto, quam verum sit, declaratio igitur ab eo quod Aristot. & D. Thom. asserere vidimus inchoãda est, nempe entitatẽ rei esse fundamentum veritatis, nam hæc ab entitate oritur, & proprietas eius est, nec re aliter, sed ratione tantum ratiocinata distincta, vt suo loco ostendetur, quare emanatio eius ab entitate, non est realis, sed secundum rationem, in quantum entitatem, tanquam fundamentum, & causam intelligimus eius rationis, quam supra eam veritas addit. Vnde sequitur, quo res aliqua perfectiorem habet entitatem, perfectiorem quoque ei inesse rationem veritatis: & cum Deus sit entitas quædam prima, ac perfectissima, à qua cæteræ entitates rerum dependent, & accipiunt esse, & ipsa non dependet ab alia: ex consequenti dicitur prima, & sum-

Aristotel. D. Thom.

Entitas fundamentum veritatis

& summa, atque perfectissima veritas, & sicut entitas creata, quo magis Deo apropinquat, eo est nobilior, atque perfectior. Pari ratione est maior, ac perfectior veritas: ex parte etiam causarum maiorem esse, aut minorẽ veritatem intelligimus, quia eadem adæquatio, quo firmiores habet causas, stabilior, ac perfectior intelligitur, cuius exemplum accipere possumus in propositionibus, quæ veriores cẽsentur, quo magis necessarias causas magis certas, aut infallibiles habent suæ veritatis, vt illæ, in primis quæ in materia necessaria sunt, veriores censentur, quam quæ in materia sunt contingente: nam habitudo, prædicati ad subiectum in illis necessaria est, & quæ non potest non esse: in his vero contingens & quæ potest non esse, stabilior igitur est adæquatio intellectus & rei in propositionibus necessariis, quam in contingentibus, etiam veris: & inter propositiones necessarias maiorem habẽt necessitatem vna, quã altera: vt principia quam conclusiones, quia cum principia propter se sint necessaria, hoc est, propter immediatam habitudinem prædicati ad subiectum, & propterea sine dependentia ab aliquo medio, conclusiones verò non immediatam habitudinem habeant, sed propter medium aliquod necessariæ sint, & cum dependentia ab illo, idcirco magis necessariam causam habent suæ adæquationis, & consequenter maior est ac perfectior earũ veritas: immo inter principia ipsa, quo minus, à materia, & motu dependent, magis necessariam connexionem prædicati cum subiecto importanti: cum notum sit radicem imperfectionum, ac defectuum esse materiam & motum, quo fit, vt quo scientiæ magis à materia & motu abstrahunt, magis necessaria principia, & conclusiones habeant: & ex hac parte magis vera, vt Philosophiæ naturalis, & moralis magis materiam, & motum concernentium minus, necessaria sunt principia, & conclusiones. Mathematicæ verò disciplinæ à materia, & motu modo saltem sensibili abstrahunt, propterea magis necessaria habent principia, & maiorem necessitatem habent principia, & conclusiones Metaphysicæ, quia omni modo à materia abstrahunt, magis demum necessaria sunt vniuersalissima principia omnibus sciẽtiis communia, quæ dignitates appellantur, qualia sunt de quolibet verum est affirmare, vel negare: & de nullo vera esse potest affirmatio, & negatio simul.

Necessitas causa veritatis.

Principia Mathematica veriora.

Communissima principia magis vera.

Certitudo quoque perfectior est causa veritatis, quia in eo consistit, vt non possit res vel propositio aliter se habere, sed ita sit vera vt repugnet esse falsam: vnde propositio certa magis vera est, ex hac parte, quam quæ certitudine caret, etiam si vera sit: & inter propositiones certas, vna est certior altera, vt principium quam conclusio, quia illud ex se, & non ab aliquo medio certitudinem habet, conclusio verò, non ex se habet certitudinem, sed a principiis participatam, immo, & inter principia ipsa quædam sunt aliis certiora, sicut & magis necessaria, & ex consequenti maior eorum adæquatio cum intellectu, ex causa certitudinis.

Certitudo causa veritatis.

Ex causa etiam infallibilitatis magis vera est propositio prolata à Deo, aut reuelata ab illo, quam prolata à quocunque homine fidedigno, quia sicut non potest Deus à seipso recedere, pariter non potest à veritate deficere: homo autem, vel Angelus, licet vera proferat, non tamen repugnat ex parte sua, à veritate recedere, aut falsa enunciare: & quod de his causis dicimus, suo modo de reliquis intelligi debet: & ex his constat, quam sit vera posterior assertio nostra, quam efficaciter probant argumenta posterioris sententiæ; vnde nec argumenta vnius, neque alterius dissoluere oportet, cum id solum conuincant, quod vtraque nostra assertio statuit; & distinctio veritatis, ex parte adæquationis formalis, atque etiam fundamenti, & causarum, vtrisque argumentis facit satis, ex eius enim explicatione constat, principia non esse veriora conclusione, ex parte adæquationis. Sed ex parte necessitatis, certitudinis, & infallibilitatis, & in hoc sensu locutus est Aristoteles capite præsenti, non in priori.

Infallibilitas causa veritatis.

Quo pacto vna propositio sit magis falsa, quam altera.

VLTIMVM dumtaxat argumentum posterioris sententiæ, non nihil difficultatis ingerere posset, quia absoluta locutione, imo omni ex parte dicitur, vna propositio magis falsa, quam altera, ergo

ergo & omni ex parte dicetur magis, vel minus vera, hoc est non solum ex parte fundamenti, & causarum, sed etiam ex parte adæquationis, quæ est formalis ratio veritatis. Respondeo primo, falsum ex se nihil est, sed solum dicitur tale per recessum à veritate: vnde quo plus à veritate recedit propositio, magis falsa vocatur, vel certe quo magis cōtraria est eidem veritati: nam veritas, & falsitas contrariam oppositionem habere videntur? Secundo, & melius respondetur, quod licet veritas ex parte adæquationis cōsistat in indiuisibili, & ideò nō suscipiat magis, & minus, nihilominus falsitas omni ex parte potest esse maior, vel minor, quia licet indiuisibilis sit regula, vel meta, & ideò indiuisibiliter attingatur, recessus tamen ab illa multiplex esse potest, & quouis modo ab illa recedi potest, magis, vel minus: vt à puncto indiuisibili, vel linea, vnde cum falsitas sit recessus à veritate, stare potest, vt maior, aut minor omni ex parte esse posit, quanquam formalis ratio veritatis in indiuisibili consistat, nec posit maior esse, vel minor veritas ex parte illius.

QVAESTIO III.

An semper sit necessarium vtranque præmissam certiorem esse conclusione?

Quædam sententiæ proponuntur.

Præmissæ sunt in duplici differentia. PRAEMISSAE demonstrationis in duplici differentia esse possunt; nam vel sunt prima principia indemonstrabilia, vel demonstrari possunt: etenim cum ex eisdem principiis plures conclusiones, certò quodam ordine deriuentur, fit vt quāquam in prima demonstratione inde mōstrabiles
35. sint præmissæ, in sequentibus verò medium admittant, per quod demonstrari possunt; gratia exempli ab essentia hominis prodeūt plures passiones, nempe capacitas disciplinæ, admiratio, ac risibilitas tali ordine, vt capacitas disciplinæ, sit prima, quam admiratio sequitur; postremum verò locum risibilitas tenet: itaque capacitas disciplinę prodit immediate, & ea mediante admiratio: admiratione autē media risibilitas, & iuxta hunc ordinem demonstrantur de homine, prima per essentiam, secunda per primam, postrema per secundam; ea igitur demonstratio, per quam prima probatur de subiecto per essentiam, ex præmissis procedit indemonstrabilibus: est enim talis, omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est capax disciplinæ; at dum secunda, vel tertia demonstrantur, non est id necessariū, nam vera demonstratio est hæc, omne animal rationale est admiratiuū, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est admiratiuus.

Quibus expositis, duo petit titulus quæstionis: primum an necesse sit præmissas esse certiores conclusione, vel contingere possit conclusionem certitudine non superare? *Explicatur titulus.* 36.
Secūdum, an saltem admitti, hoc possit de altera; ita vt in casu, quod minus sit certa cōclusio, quam altera præmissarum, æqualem cū alia habere possit certitudinem, & quidem dum vtraque præmissa principium est indemonstrabile, dubitat nemo, quin vtraque etiam certior esse debeat, vt ex superiori quæstione facile constare poterit; nam cum ex terminis habeant certitudinem, & non per medium, apertum est, per se primò certas esse; conclusionem verò non nisi per aliud, videlicet per easdem præmissas. Solum ergo controuersia esse potest, dum vtraque vel altera non est principium, sed conclusio demonstrabilis, an in casu, vtraque, vel ea saltem, quæ medium admittit, certior semper sit conclusione. *De quo sit cōtrouersia.*

Pro parte negatiua. Primū arg. 37. Et videtur planè non esse necessarium primò, quia præmissæ in casu sunt assensus scientifici, nihil minus quàm cōclusio, ergò non habent maiorem certitudinem, quam scientialem: hanc autem habet conclusio, & non alterius, sed eiusdem scientiæ, ergo æquales sunt.

Secundo argument. Secundo. Si certior vtraque præmissa semper sit, continget aliquando conclusionem omni prorsus carere certitudine; probatur planè sequella: nam vbi multæ sunt conclusiones ex principiis, vna post aliam deductæ, & semper certitudo diminuitur in posterioribus, exhaurietur tādem, ac deficiet in postremis; conclusio autem non erit sciētifica, si non sit certa, ergò repugnat minorem semper esse in singulis.

Postremo

Tertio arg. Postremo. Si certiores debent esse, maximè propter rationem Aristotelis, propter quod vnumquodq; tale, & illud magis est, sed hæc non tenet, nisi in causis efficientibus æquiuocis. Petrus namque homo est propter Paulum parentem, & tamen parens non est magis, aut perfectior homo, sed imperfectior aliquando esse potest, non alia ratione,
38. nisi quia causa vniuoca est, quæ cum effectũ intra eandem speciem producat, non est necessarium esse perfectiorem eo, immo in essentialibus non est possibile; at dum præmissæ demonstrabiles sunt, tanquam vniuoca causa generant assensum conclusionis, ergo non est necessarium eum certitudine superare: minorem ostendo, quia inter assensus scietificos eiusdem scientię, non habet locum distinctio essentialis, cum circa idem obiectum versentur, & ab eisdem principiis oriantur.

Patronus huius sententiæ. Propter hæc tenuit hanc partem modernus quidam Doctor, in eisdem controuersiis huius capitis, docens propterea Aristotelem, vniuersaliter non protulisse, maiorẽ fidem adhibendam esse cunctis principiis, quam conclusionibus, sed cum hac limitatione, omnibus, vel quibusdam, vt D. Thom. Philoponus, Albertus, & M. Sotus exponunt.

Prima opinio affirmatiua, circa secundam partem quæstionis. *Henricus Aegidius.* Circa aliud verò, an conclusio possit habere æqualem certitudinem cum altera præmissarum non defuerunt, qui alia via affirmatiuam partem sustinerent eam tribuentes Henrico 1. p. summ. art. 7. q. 2. & Aegidio q. 5. prologi. ita contingere aiunt, dum vna præmissa demonstrationis euidens est: altera verò non nisi obscura, ad fidem diuinam pertinens, vt sequenti
39. exemplo fit manifestum: Omnis homo est risibilis, Christus est homo: ergo Christus est risibilis: ecce conclusionem si ad fidem spectare affirmes, non solum æqualem, sed maiorem habebit certitudinem, quam præmissa euidens, cum fides diuina certior sit qualibet scientia euidenti: si vero scientificum esse assensum contendas, cum participet certitudinem fidei, maioris eadem ratione certitudinis erit, quod vniuersaliter verum est in cunctis demonstrationibus Theologicis: nam ferè omnes modo simili ex præmissa naturali, & Diuinæ fidei conficiuntur.

Pars Posterior.

Vera opinio ostenditur.

NOSTRA autem sententia prædictis duabus opposita tenet, in potissima demonstratione, de qua nobis est sermo, vtranque præmissam esse certiorem, ita vt in nullo casu possit contingere æqualis esse certitudinis conclusionem cum aliqua earum, siue demonstratio ex primis principiis, siue ex mediatis præmissis procedat, siue naturalis sit vel Theologica. *Sententia opposita vera.* 40.

Probatur primum: nam in ea etiam demonstratione, in qua præmissæ, vel earum altera est demonstrabilis, conclusio pendet essentialiter ab vtraque; tanquam ab vna causa totali efficienti, in quibus vna eademque ratio assentiendi consistit; ergo necesse est vtramque esse certiorem, cum conclusio sit propter vtramque certa, tanquam propter rationem formalem suæ certitudinis. *I. Ratio.*

Confirmatur simul, & explicatur ratio; nam pręmissa demonstrabilis, duobus modis est considerabilis, vno modo tanquam conclusio, alio tanquam præmissa alterius conclusionis; & quidem sub consideratione priori, non habet ordinem ad conclusionem, quę nunc ex ea infertur, sed ad principia, ex quibus infertur ipsa: sub posteriori verò causa illius est, sed agens in virtute principiorum, cui innititur eius veritas, vnde fit, vt cum principia sint certiora, etiam pręmissa talis, eorum virtute agens ad inferendam conclusionem, certior sit: quemadmodum prior natura est & notior. *Confirmat.*

Secundo probatur. Virtus principiorum deriuatur ad conclusiones, à quibus suo ordine participatur: ergo à proximiori, absq; dubio perfectius, quam à cæteris, à quibus non nisi ea mediante: magis enim absque dubio tale est illud, quod magis ad per se primo tale appropinquat, quàm aliud, quod magis remotum est, sed præmissæ etiam si sint demonstrabiles, proximiores sunt principijs, quam conclusio; ergo perfectius certitudinem eorum participant: verum est hanc maiorem certitudinem non esse essentialem, sed accidentalem: nam, & si primorum principiorum certitudo sit specie diuersa à certitudine conclusionis, eiusdem tamen rationis, est certitudo omniũ conclusionũ, quę ab eisdem principiis deriuantur. *II. Ratio.* 41.

Secunda pars probatur. Secundum autem, videlicet, quod etiam in demonstrationibus Theologicis, in quibus vna præmissarum est euidens, de fide altera, conclusio neutrius certitudinem pertingere possit, euidenter (nisi ego fallor) probatur argumento communi, conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum, ita vt si altera sit opinio, quanquam alia sit euidens, non possit esse conclusio, nisi probabilis, ergo in demonstratione Theologica, vbi altera est de fide, & ideo obscura, non erit conclusio euidens; & vbi altera est naturalis, minorem habens certitudinem, quam præmissa fidei, non habebit conclusio certitudinem fidei; sed longe minorem, cum innitatur certitudini consecutionis, quæ longè minor est, quam certitudo fidei.

Prima ratio. 42.

Secunda ratio. Secũdo probatur in demonstratiõe Theologica, in qua illata conclusio pertinet etiam alias ad fidem, vt si sic procedamus, duas naturas consequuntur duæ volũtates, Christus habet duas naturas, ergo & duas voluntates: ecce conclusio secundum se considerata, ad fidẽ pertinet, cum sit expresse ab Ecclesia definita: cæterum, vt ex his præmissis infertur non pertinet ad fidem, cum demonstrationi innitatur: vnde nec habet certitudinem fidei, sed minorem, longe, nẽpe, quam à præmissis mediante consecutione accipit; & cum certitudo consecutionis, minor adhuc sit quam præmissarum, fit vt minorem etiam certitudinem habeat.

Tertia ratio. Probatur tandem efficaci ratione, cui duæ præfatæ innituntur: conclusio demonstrationis, tanquam ab vna causa adæquata pendet à præmissis non separatis, sed vnitis sub forma syllogistica, hoc est, sub eodem medio: & rursus conclusio, non est aliud, quam vnio extremitatum inter se, propter vnionẽ cum medio; ergo certior debet esse vnio cum medio, sub qua præmissæ cõcurrunt ad producendã conclusionem, quam vnio extremitatum inter se, quam conclusio importat, cum prior vnio sit ratio formalis posterioris & hæc sit propter illam, tanquam propter causam adæquatam, ac rationem formalem assentiẽdi; & hinc fit omni ex parte debiliorẽ partem præmissarum sequi conclusionem; & cum demonstratio Theologica, possit constare vtraque præmissa fidei: in tali demonstratione veritas hæc dilucidior apparebit, vt si dicamus, Ecclesia militans est visibilis,

43.

Christus Deus, & homo, est caput Ecclesiæ militantis, ergo est visibilis: conclusio enim huius demonstrationis, in quantum ex præmissis infertur minorem habet certitudinem, non profectò alia de causa, nisi quia præmissæ licet sint Diuinæ fidei, non concurrunt ad generandum eius assensum, nisi vt vnitæ in syllogismo, ideò certitudo conclusionis ab vnione dependet, nec maior ea esse potest, cum certitudinem præmissarum, non nisi per eam modificatam participet: diximus conclusionem, vt ex præmissis infertur, minorẽ habere certitudinem, quæ aliunde poterit habere æqualem, si secundum se considerata ad fidem spectet, vt contingit in eodem exemplo: nam Christum esse visibilẽ, plane in multis Sacræ paginæ locis continetur.

Satisfit argumentis, & exponitur theorema illud propter quod vnumquodque tale, &c.

AD primum argumentum dicimus, nõ nisi certitudinem scientiæ habere præmissas in casu, maiorem nihilominus quam conclusionem: nam intra latitudinem eiusdem scientię, quædam conclusiones sunt aliis certiores, quo proximius virtutẽ principiorum participant: constat autem pręmissas proximiores esse principiis, à quibus proximius deriuantur; ergo perfectius certitudinẽ eorum participabunt, ideoque certiores erunt conclusione ex eis illata. *Ad primũ argument.* 44.

Ad secundum argumentum respondetur, certitudinem semper esse minorem in singulis conclusionibus, quo plus à principiis elongantur: cæterum nõ diminuitur earum certitudo, per partes æquales, sed proportionales, vt cõtingit in diuisione continui, cuius quãtitas semper est minor, dum successiue diuiditur, sed continuis diuisionibus non consumitur, quia diuisio fit per partes proportionales quarum vna non est extra aliam, sed in ea clauditur; pari ratione certitudo diuisibilis in infinitum secundum intensionem, in singulis conclusionibus diminuitur per partes proportionales intensionis; nec tamen vnquam totaliter consumi potest: quod autem sit inter partes proportionales, & æquales discrimen, non est præsentis loci disputare, sed ad Philosophiam spectat. *Ad secundum argu.*

Post e-

Ad vlt. argumentum soluendum. Nota.

Postremum argumentum sensum postulat illius propositionis vniuersalis: propter
quod vnumquodque tale, & illud magis: ex
qua deducit Aristoteles principia esse certi-
45. ora conclusione, in cuius expositione multa
congerũt diuersi interpretes, innumeras pe-
nè limitationes ei adiicientes, quæ potius
ad effugiendas instantias, quam ad eruendum
germanum sensum Aristotelis conferunt:
nec tamen possunt omnes effugere, ideò eas
silentio præterire decreui: & ex diuersis Ari-
stotelicæ doctrinæ, ac D. Tho. locis, veram ex
positionem eius quærere, propriamque ap-
plicationem ad principia, & conclusiones
iuxta eiusdem Aristotelis mentem, atque in-
stitutum.

Aristotel.

Eandem in primis propositionem clariori
bus verbis prolatam ab Aristotele inuenio 4
lib. metaph. tex. 4. vbi sic legimus. *Nescimus
porrò verum sine causa, vnumquodque autem
maximè tale est. præ cæteris enim causa, cæteris
& nomine, & ratione idem conuenit, sic ignis
est calidissimus, quod cæteris caloris causa
sit, &c.*

Expositio D. Thom.

D. Thom. pluribus suæ doctrinæ locis ex
positionem eius attingit, præsertim in com-
mentariis huius capitis. 4. meth. lect. 2. & 1.
part. quæst. 87. artic. 2. ad 3. placet quidem hu-
ius postremi loci verba referre, quę ita habẽt
46. *Cũ dicitur propter quod vnũquodque tale, & illud
magis, veritatem habet, si intelligatur in his, quæ
sunt vnius ordinis, puta in vno genere causæ, puta
si dicatur, quod sanitas est desiderabilis propter
vitam, sequitur quod vita sit magis desiderabilis:
si autem accipiantur ea, quæ sunt diuersorum or-
dinum, non habet veritatem, vt si dicatur, quod
sanitas est desiderabilis propter medicinam, non
ideò sequitur, quòd medicina sit magis desidera
bilis, quia sanitas est in ordine finium: medicina
autem in ordine causarum efficientium, sic igitur
si accipiamus duo, quorum vtrumque sit per se in
ordine obiectorum cognitionis, illud, propter quod
aliud cognoscitur, erit magis notum, sicut principia
conclusionibus, &c.*

Quadruplex cõditio illius maxime propter quod vnumquodque tale, &c.

Duplicem conditionem posuit expresse
Aristoteles, vnam, vt prædicatum per se pri-
mo conueniat vni, cæteris verò, vt à primo
deriuatis, vel (vt dicere consueuerunt) per
participationem: alteram vt nomine, & ra-
tione, hoc est, formaliter, & vniuoce omni-
bus; & vtramque conditionem cernimus in
igni, & cæteris calidis; nam esse calidum per
se primo illi conuenit, his verò per participa-
tionem, atque etiam vniuoce omnibus: ex 47.
prima conditione sequitur euidenter alia,
quæ erit tertia in ordine, nempe, vt comple-
ta, adequata, ac totalis ratio, propter quam
cæteris conueniat, sit, quia a primo deriuan-
tur: etenim si ei per se primo, & non propter
aliud conuenit, euidenter sequitur, non posse
aliunde conuenire cæteris, quam ex eius par-
ticipatione: quia impossibile est dari aliud,
cui per se primo conueniat, cum notum sit
vnum prædicatum non posse duobus conue-
nire per se primo. Quartam conditionem
posuit D Thomas quod in eodem ordine
contineantur, hoc est, intra idem genus causę
efficientis, vel finalis, &c. Ita vt si illud, cui
per se primo conuenit sit finis, cætera sint
media ad ipsum ordinata, & si primum effi-
ciens, cętera sint quasi effectus ab eo proce-
dentes.

Veritas Maxima Arist.

His quatuor conditionibus cõcurrentibus
verissima est vniuersalis propositio Aristote-
lis, & ex qua efficax desumere possumus ar-
gumentum, ad conuincendum, perfectius
vni, quam alteri conuenire aliquod prædica-
tum: habet autem locum sine dubio, in prin- 48.
cipiis, & conclusione, iuxta præsens Aristo-
telis institutum, & ratio eius ad probandum
notiora esse, ac certiora conclusione, effica-
cissima est: nam veritas, certitudo, necessitas,
atque euidentia per se primo in eis reperitur,
cum ex propriis terminis, & absque vllo me-
dio similes cõditiones sortiantur: ex eis ter
tanquam ex primo efficienti in genere asser-
sus deriuantur ad conclusiones: nã, & si prin
cipalior causa efficiens sint anima, & intel-
lectus: in genere tamen assensus, prima ratio
assentiendi sunt principia, quibus propter se
assentitur intellectus, & omnes alij assensus
ab eis, mediis demonstrationibus prodeunt:
isthæc etiam prędicata vniuocè conueniunt
principiis, & conclusioni, quod est secundum
requisitum: & rursus tertium notum est con-
currere, cum ratio totalis, adequata, atq; com-
pleta assentiendi sint; ac tandem in eodem or-
dine, vel causæ genere, nempe efficientis, siqui-
dem principia rationem primi efficientis ha-
bent, in quorum virtute continentur conclu-
siones, & à quibus tanquam effectus proce-
dunt; quicunque enim discursus, aut processus
scientificus, in principiis sistit; neque vlte-
rius licet progredi, nisi velimus nunquam

processum nunquam terminari, sed in infinitum abire.

Ratio ex dictis Ecce tibi verum, ac germanum sensum Aristotelis, absque illis limitationum congerie traditum, simul cum modo applicandi vniuersalem propositionem ad principia, &

49. conclusiones. Ecce vim, atque efficaciam Aristotelicæ rationis, qua probauit notiora esse, ac certiora principia. Ecce demum omnes instantias, quæ afferri solent ad illud eludendum, solutas, quas sub compendio indicabo.

Responde- tur ad instantias tertio argumẽto positas. Defectu namque primæ conditionis, vnus homo, à quo alius procedit, non est magis homo, quia ratio hominis non inuenitur, primo, & per se in eo, nec ex se illam habet, sed ab alio acceptam, nec si à Deo immediate produceretur (vt de primo fatemur parente) fieret Deum esse magis hominem, propter defectum secundæ conditionis, quia ratio hominis non conuenit formaliter, & vniuoce Deo: scio alios velle sat esse, vt ei conueniat eminenter, sed planè extra mentem & propositum Aristotelis vagantur vt verba illius à nobis allata ostendunt; per hanc itaque conditionem excluduntur cætera exempla, in quibus commune prædica-

50. tum, non conuenit duobus formaliter, vel certè non vniuoce: & per tertiam genus causæ formalis, & materialis, propter incompletam, ac partialem vtriusque rationem: ac tandem ea, quæ diuersum genus causæ continent, quale est illud à D. Thom. designatum, sanitas est desiderabilis propter medicinam: vbi illud animaduersum velim: non mirum esse, si in vno, vel altero exemplo ab his conditionibus deficienti, verum sit, commune prędicatum magis, vel perfectius conuenire ei, propter quod alteri attribuitur: nã id per accidens, & quasi materialiter contingere censendum est, quemadmodum fallax syllogismus, & præter prioristicas constructus regulas, in aliqua materia continget inferre conclusionem: quem tamen ineptum ostendemus, si vnam, vel alteram afferamus instantiam, in qua ex verò antecedenti infertur consequens falsum: ita ergo existimandum est quatuor illas conditiones, ab Aristotele, & D. Thom. designatas, & à nobis expositas concurrere oportere, vt vera sit semper vniuersalis illa propositio, propter quod vnumquodque tale, & illud magis; & vt ex ea efficax deduci possit argumentum ad conuincendum commune prædicatum perfectius ei, propter quod alteri attribuitur, conuenire.

Solut. arg. Vltim. Tandem ex his soluitur argumentum, occasione cuius hæc adnotata sunt: nam dum præmissæ non sunt principia indemonstrabilia, sed medium admittunt, adhuc sunt veriores, certiores, ac notiores conclusione 51. non propter se: nam cum non conueniant eis per se primo veritas, aut certitudo, non tenebit Aristotelicum argumentum, si sub tali consideratione accipiantur; sed propter prima principia, in quorum virtute generant certum, atque euidẽtem eius assensum: itaque ex primaria intentione, solum conuincit præmissas certiores conclusione, dum sunt prima principia; cæterum ex consequẽti, & quasi secundaria, dum sunt propositiones demonstrabiles, in quantum in virtute eorum operantur: sic enim considerata, licet non sint prima formaliter, sunt tamen virtualiter, & ex tali virtute eis attribuitur, quod ipsismet primis ex propria. Quod verò 52. Aristoteles protulit omnia, vel quædam saltem principia esse notiora conclusione: non ideò eum limitatione illa prolatum est, quia non semper vtraque præmissa sit notior, ne-

D.Thom. que talem expositionem D. Thom. vnquam somniauit, sed triplicem attulit valde diuersam, quam ad literam referre placet, & prior sic habet. ***Addit autem Aristoteles, aut omnia aut quædam, quia quædam principia probatione indigent, ad hoc quod sint nota, & antequã probentur, non sunt magis nota conclusione, sicut quod angelus exterior trianguli valeat duos æquales intrinsecos, sibi oppositos, antequam probetur, ita ignotum est, sicut quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Quædam verò principia sunt quæ statim posita, sunt magis nota conclusione.*** Secundam verò hisce verbis adiungit: ***Vel aliter quædam conclusiones, quæ sunt notissimæ, vt puta per sensum sumptæ, siue acceptæ, sicut quod sol eclypsetur, vnde principium, per quod probatur, non est notum magis simpliciter, scilicet quod luna interponatur inter solem, & terram, licet sit magis notum in via rationis procedentis ex causa in effectum, &c.***

53. Postrema solutio docet temperasse, verbum Aristotelem, quia non omnia principia prius tempore, quàm conclusionem cognosci docuerat primo capite: iuxta quamlibet autem harum expositionum constat ex verbis Aristotelis, non bene colligi, conclusionem.

sionem æqualem, cum altera præmissarum certitudinem habere posse.

QVAESTIO IIII.

An scientia semel acquisita, possit à contrario destrui, vel quouis alio modo amitti?

Explicatur quæstionis titulus.

Explicatio tituli. VT Quæstionis titulus intelligatur obseruandum est accidens tribus modis posse corrumpi, primo corrupto subiecto, in quo sensu protulit Aristoteles in prædicamento substantiæ vniuersalem illã
54. propositionem, destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere: nam, & si de vniuersalibus prædicatis, quæ in ea fundantur atque subsistunt, præcipue ab eo intelligatur, quæ corrumpi vult, quantum ad existentiam ea corrupta, consequenter verò de accidentibus: etenim cum accidentia per se sustentari nequaquam possint, sed subiectum pro fundamento habeant, eo destructo, ipsa quoque perire necesse est. *Quomodo pereant accidentia.* Secundo perire potest accidens manente subiecto, defectu alicuius extrinseci, à quo eius conseruatio dependet, & hoc modo perit lumẽ, aëre adhuc permanente, in quo tanquam in subiecto residet; per solam absentiam luminosi à quo conseruatur: abscedente enim sole medium hoc statim priuatur lumine: postremo à suo contrario accidens corrumpi potest, vt frigiditas aquæ, adueniente calore ignis: & quantum ad primum modum res est certa, non habere locum in scientia, nam cũ
55. hęc sit in anima, tanquam in subiecto, ex parte eius, non contingit perire; sed nec secundus modus locum habet, quia non dependet scientia, ab alio extrinseco conseruante, nisi à solo Deo; qui nunquam concursum suspendit, licet suspendere possit secundum potentiam absolutam, & tunc non solum scientia, sed quęcunque creatura periret, cum à Deo conseruante omnes dependeant: relinquitur ergò de solo vltimo titulum quæstionis accipiendum esse, an scientia habeat contrarium à quo corrumpi possit;

Sententia negatiua refertur cum fundamentis.

ET pars negatiua, videtur expressa sententia Aristotelis, in fine huius capitis vbi habentem demonstrationem, ita certum esse debere de assensu conclusionis asserit, vt non solum putet verissimum esse, sed nihil esse magis falsum, quam eius oppositum: cuius rationem reddidit, quia scientem impermutabilem esse oportet, ab assensu scientifico; ex quibus plane sequitur sentire, quod penitus sit in amissibilis scientia semel acquisita, ac propterea non habeat contrarium, à quo corrumpatur. *Opinio tenens scientiam nõ habere contrarium.*

Hanc sententiam, non solum tenent, sed acerrimè defendunt moderni quidam, in cõtrouersiis huius capitis, quam hoc modo temperant; scientia quosdam habet habitus, sibi aliquo modo repugnantes propter vnam vel alteram conditionem ei oppositam: triplex est enim conditio scientiæ, veritas, certitudo, & euidentia; triplex idem est habitus, cui aliqua ex his conditionibus deficit, ratione cuius quodammodo contrarius scientiæ 56. reputatur: primus est error, qui non est aliud quam opinio falsa, & propterea scientiæ opponitur defectu primæ conditionis: ob defectum euidentię Diuina fides, quę obscura est: opinio demum vera, ex deffectu certitudinis; quãquam enim vera sit, non repugnat ei subesse falsum, ex parte medij, quod est probabilis syllogismus, immo etiam si sit opinio per se nota, cui ex propriis terminis non repugnat falsitas; cæterum licet hæc ita se habeant, verè, & proprie, nullum habet contrariũ scientia, neq; à contrario corrumpi potest, sed semel comparata per solam obliuionem amitti posse censent: vt si quispiam habens habitum scientiæ, eo non vtatur, desuetudo efficiet, vt multiplicatis extraneis, ac peregrinis speciebus, proprium medium scientiæ obliuioni tradatur, & diuagatus circa alia obiecta intellectus, errorẽ admittat, circa proprium scientiæ, à quo scientia ipsa expellatur: non propter veram contrarietatem, sed propter indispositionem subiecti.

Primum argument. Probant primo: nam si scientia haberet contrarium, maximè errorem, sed error nõ est ei proprie contrarius, ergò nullum habebit: minorem ostendunt; quia contraria debent esse sub eodem genere, sed error non

57. conuenit in genere cum scientia, ergo non est ei contrarius, est enim error non aliud, quam falsa opinio; opinio autem non potest conuenire cum scientia in proximo genere, qui est habitus intellectualis certus, & infallibilis, cuius quinque duntaxat enumerauit species Aristoteles .6 ethicor. cap.3. Scientiam, videlicet, sapientiam, intellectum, prudentiam, & artem, opinionem, & fidem humanam, ab hoc genere id circo reiiciens, quia potest eis falsum subesse.

Aristotel.

Confirmat. Et confirmatur: quia error cum sit opinio falsa, per se opponitur opinioni veræ, ergo non scientiæ patet euidenter consequentia, quia vnum, vni tantum vere, & proprie opponitur: antecedens etiam quia opinioni veræ, & falsæ, conueniunt omnes conditiones, contrariorum: continentur namque sub eodem genere proximo opinionis, sub quo maxime distant: nam, & si magis distet scientia ab opinione falsa absolute, quam opinio vera; minimè tamen sub genere opinionis: multo item sese ab eodem subiecto expellunt: nam cum neutra conuincat intellectum, facilè potest ab vna ad alteram permutari.

Secundũ argument. Secundò, contraria talia esse debent, vt ab eodem subiecto possint sese expellere,
58. sed scientia non habet à quo expelli possit, ergò nec propriè contrarium; minorem probant in primis, ex verbis Aristotelis in fine capitis, vbi de habente scientia statuit, non posse ab ea dimoueri: deinde ratione, quia scientia fortior est quocunque sibi opposito, vel repugnanti, cum sit habitus verus, certus, & euidens: quæ autem sibi repugnant, incerta, atque in euidentia, & falsa; ergo à nullo potest superari, neque expelli.

Confirm. Et confirmatur; quia is, qui habet scientiam, euidenter cognoscit oppositorum falsitatem, ergò nunquam ea admittere poterit, vt ab eis scientia habita destruatur.

Tertium argument. Postremo Lux corporalis non habet contrarium, ergò neque spiritualis, sub qua comprehenduntur habitus principiorum, & scientiæ. Et rursus de habitu principiorum certum est, non habere contrarium; ergò tantundem de habitu scientiæ tenendum erit, si propriam rationem contrarietatis attendere velimus.

Diui Thomæ sententia confirmatur, & approbatur. 59.

D.Tho. sententia opposita & vera SCIENTIA nihilominus verè, & propriè habet contrarium, nempe, errorem, à quo ex directo corrumpitur, vt docet expresse D. Tho. 1.2. quæst. 55. artic. 1. hisce verbis. *Aliquis habitus est in intellectu possibili ex ratione causatus, scilicet habitus conclusionum, qui dicitur scientia, cuius causa dupliciter potest aliquid contrarium esse, vno modo ex parte ipsarum propositionum, ex quibus ratio procedit; etenim enunciationi, quæ est bonum est bonum, contraria est ea, quæ est bonum non est bonum. secundum Philosophum in secundo Perihermen. alio modo quãtum ad ipsum processum rationis, prout syllogismus sophysticus opponitur syllogismo Dialectico, vel demõstratiuo: sic igitur patet, quod per falsam rationem potest corrumpi habitus veræ opinionis, aut scientiæ: vnde Philosophus dicit, quod deceptio est corruptio scientiæ, &c.* Quibus ex dupliei parte profitetur, assensum scientificum, habere contrarium, & ex parte præmissarum, ex quibus deducitur, & ex parte ipsius deductionis, vel consecutionis: nam syllogismus sophisticus, & præmissis falsis apparentiam veritatis præ se ferentibus constare potest, & consecutione falsigrapha: & ex vtraque parte infert conclusionem falsam, habentem aliquam veritatis apparentiam, cuius assensus, ex directo contrarius est scientifico. 60.

D.Thom. assequitur Caietan. D. Thom. sequitur Caietan. & hanc puto esse communem omnium Phylosophorum, & Theologorum sententiam, licet pauci admodum id in controuersiam verterint.

Prima assertio. Et probatur euidenti ratione: nam essentiales scientiæ conditiones sunt, vt sit assensus verus, certus, & euidens; sed error habet conditiones, ex directo contrarias; ergo verè, & propriè est ei contrarius; est enim falsus, incertus, atque ineuidens positiue.

Secunda ratio. Secundò. Demonstratio, & syllogismus falsigraphus sunt directe contrarii: ergò generant contrarios assensus; nempe scientificum, & erroneum: probatur antecedens, ex conditionibus vtriusque essẽtialibus: nam demonstratio procedit ex veris, iste ex falsis: illa ex primis, hoc est, ex propriis terminis neces-

61. nis necessariis & euidentibus; iste ex præmissis in materia remota consistentibus, quarum aperta est falsitas, licet veræ reputentur ab intellectu decepto: procedit etiam ex ignotis, cum falsum, vt tale non sit per se cognoscibile, ac demum tales præmissæ talem generant conclusionem: vera igitur inter syllogismos ipsos reperitur contrarietas, atque adeò inter effectus qui sunt scientia actualis, & error à quibus geniti habitus, verè erunt contrarij.

Quomodo corrumpatur scientia ab errore. Sed quanam ratione, vel modo, error, possit scientiam corrumpere explicatur optimè à D. Thom. artic. eodem ad 3. atque etiam articul. 3. eiusdem quæstionis in corpore, quibus locis duabus viis corrumpi posse scientiam ostendit; prima quidem per infirmitatem, vel alium corporalem motum, vt dum quis in amentiam incidit: nam cum scientia nostra in intellectu, & anima, tanquam in subiecto residens, ex viribus sensitiuis, quibus mediantibus obiectum ei ministratur dependeat, & hisce motibus corporalibus fiat, vt vel species sensibiles amittantur, vel certè ita confundantur, vt amplius non possint intellectui, ad ordinatè intelligendum deseruire, necesse est vsum scientiæ cessare penitus: & tunc corrumpetur scientia, non quidem quantum ad radicem habitus (ait D. Thom.) cum etiam actu cessante permanere habitus possit.

Duobus modis scientia corrũpitur. 62.

Secundo modo. Alia etiam via (ait D. Tom.) corrumpitur habitus, à contrario directè, etiam quantum ad radicem habitus, cuius corruptionis principium est obliuio, non per se, sed tanquam causa per accidens, quæ appellatur remouens prohibens: cessante enim vsu scientiæ obliuioni traduntur demonstrationes, quæ sunt media, quibus scientia ac-

63 quiritur, atque conseruatur; his autem obliuioni traditis locus datur falsis imaginationibus, atque apprehensionibus, quibus demonstrationis vsus obsisteret; ac tandem sic perturbatur intellectus, vt fidem præbeat falsis propositionibus, solam apparentiam veritatis habentibus, ex quibus syllogizans falsigraphum construit syllogismum errorem scientiæ contrarium generantem, à quo tãquam à contrario habitus scientiæ expellitur. Itaque obliuio, vel desuetudo causa per accidens est corruptionis, scientiæ, remouens vsum demonstrationis, per quem falsæ apprehensiones, & imaginationes excludentur, vel certe eis obsisteretur: quemadmodum causa per accidens motus ligni deorsum est, qui remouet lapidem, à quo detinebatur: causa autem per se corruptionis scientiæ, est error, per syllogismum ex apparentibus, & vere falsis genitus.

Pro solutione argumentorum notabilia.

PRO solutione argumẽtorum, valde adnotandum est discrimen inter errorem & opinionem falsam, nam in eo consistit oppositæ sententiæ deceptio, quod pro eodem vtrunque accipit, cum tamen multum differant: certum namque est, quod quemadmodum voluntas semper tendit in obiectum sub ratione boni, etiam dum peccat, illud appetens, quod vere malum est: pariter intellectus tendit semper in obiectum sub ratione veri, quanquam re vera sit falsum: vnde quoticunque aliquid opinatur, probabiliter sentit esse verum, & syllogismum, vnde illud deducit Dialecticum, seu probabilem; sed aliquando vltra progreditur falsigrapho sillogismo deceptus, vt aliquam conclusionem reputet euidenter veram, cum tamen sit euidenter falsa: quia reputat euidentem esse consecutionem, quæ vere deceptoria est, solam habens apparentiam bonitatis: vel certe circa præmissas deceptus, vtranque vel alteram euidentem esse iudicat, cum sit euidenter falsa. Itaque in duobus differt error, ab opinione re vera falsa: nam in primis est assensus, cuius falsitas euidenter constat: deinde non probabilis, sed euidens reputatur, ac certus, per euidentem syllogismum deductus, verè tamen deceptorium, cuius deceptio facile ex Elenchorum regulis deprehendi potest: opinio autem, etiam si vere sit falsa, assensus probabilis debet esse, atque adeò cuius falsitas euidenter non constet, licet efficaces habeat contra se rationes: syllogismus item, per quem deducitur, probabilis debet reputari, vel certè talis esse debet quòd à cunctis sapientibus non habeatur pro euidenti, cum probabile sit iuxta definitionem Aristotelis, quod pluribus, vel sapientibus apparet: hanc enim limitationem addere necesse est propter illud ab Aristotele prolatũ, & multis experientiis confirmatũ, nonnulli ita adhærent suis opinionibus, sicut alij suæ scientiæ.

In quo error differat ab opinione falsa.

Quædam notabilia. 64.

Error differt ab opinione falsa in duobus. 65.

Prædictam autem distinctionem erro-

Probatur ... pra...

Dicta distinctio. ris, & falsæ opinionis euidenter (nisi ego fallor) confirmat distinctio syllogismi Dialectici, atque Sophistici, quæ iuxta Aristotelis,
66. & omnium Dialecticorum mentem, essentialis est, ergo assensus erroneus, per falsigraphum syllogismum genitus specie distinguitur ab opinione falsa: falsum est ergò, errorem cum opinione falsa cõfundere.

Sub quo genere sit error. Sub quo autem genere collocetur error in prædicamento qualitatis, nõ erit difficile intelligere, si consideremus Aristotelem. 6. *Aristotel.* Ethic. cap. 3. quinque dumtaxat enumerasse habitus intellectuales, certos suo modo, atque euidentes, ad quorum genus proximum referuntur, absque dubio alij quinque eis contrarij, nam vt de prudentia id euidenter ostendamus, vbi, quæso, habitus imprudentiæ ponitur, nisi reductiue sub eodem genere, ad quod prudentia spectat? quemadmodum vitia opposita virtutibus moralibus, sub eodem genere, cum ipsismet virtutibus collocantur, itaque veri ac certi habitus intellectuales, quinque dumtaxat enumerantur, quibus tamen adduntur oppositi.

Alterius partis obiecta diluuntur.

Ad primũ argument. Ex his facile soluuntur argumenta: nam licet ad primum respondere possemus negantes, contraria semper sub eodem genere proximo esse collocanda, sed satis esse sub remoto (vt in prædicamẽtis adnotauimus:) verius tamen dicendum est, errorem non esse opinionem falsam, sed as-
67. sensum euidentem existimatum, de quo constat esse euidenter falsum, cuius habitum (si vere habitus est) ad illud idem genus proximum, sub quo collocatur scientia, referendum esse arbitramur: nam Aristoteles quinque dumtaxat certos, ac veros enumerans, non negauit esse alios eis contrarios.

Ad confir. Confirmatio etiam soluta est negato antecedenti, nempe, errorem esse falsam opinionem; sed dicimus esse assensum euidẽter falsum, ex directo oppositum sciẽtifico: opinio autem falsa, veræ opinioni contraria est, vt argumentum assumit, nihil proinde aduersus nostram sententiam probant.

Ad secundum arg. Ad secundum argumentum respõdemus, admittentes illam legem contrariorum: negamus tamen non habere scientiam, à quo
68. expellatur; & dum Aristoteles, ait habentem demonstrationem immutabilem esse, ab assensu scientifico, intelligit absque dubio, dum in ea perseuerat dispositione, qua mutata, desuetudine, vel obliuione intercedente, datur locus falsis apprehensionibus, ex quibus deceptorius syllogismus formatur erroneum producens assensum, à quo scientia expellitur: fortiorem etiam esse scientiam, per se sumptam admittimus, sed propter malam subiecti dispositionem debilem reddi, ad resistendum contrario censemus, & idcirco vinci ab errore posse: quemadmodum, de Diuina fide notum est, certiorem longè esse, quocunque errore ei opposito, licet debilior in tali subiecto reddatur ad resistendum, ac propterea à debilissimo contrario vinci possit. *Ad confir.*

Ad confirmationem respondetur, scientem euidenter cognoscere oppositorum falsitatem, dum scientia vtitur, vel demonstrationem constituit: huius autem cognitionis per desuetudinem oblitus, ab errore superatur scientia, & consequenter à subiecto expellitur.

Postremo argumento occurrimus negata paritate rationis, inter lucem corporalem *Ad vltim. argum.*
& scientiam: hæc enim non est lux spiritualis, 69.
nisi per quandam similitudinem, sed inclinatio quædam in obiectum, producta per frequentationem actuum, & ideò habere potest sibi oppositam inclinationem, in assensum euidenter falsum, sed propter deceptionem existimatum verum: de habitu principiorum diuersam esse rationem docet D. Thom. quæst. illa 53. artic. 1. quia simplex quædã cognitio est, & intuitiua, quæ non per medium, sed ex terminis habetur, quibus semel exploratis, non habet locum obliuio, nec medium deceptorium generans assensum contrarium: ex his enim causis procedit contrarietas scientiæ, & erroris (vt à nobis fuit expositum) vnde nec corruptioni datur locus.

OPINIONVM CONFVTATIO, *& eorum, qui omnino demonstrationem tollunt, & eorum, qui omnium demonstrationem esse ponunt.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Non nullis quidem igitur, eo quòd oportet prima scire, non videtur scientia, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum, & diuisio cap. CAPVT hoc quasi appendix est præcedentis, eiusq; diuisio bimembris: nam duo præstat Aristoteles, refert in primis duos errores ex vniuersali doctrina, à se tradita, exortos, deinde vtrumque excludit.

1. Primum membr. Docuerat in ipso capitis principio, scire quasi finem, simul atque effectum demonstrationis esse, in fine verò, non solum conclusionem esse scitam ab eo, qui demonstrationem habet, sed etiam principia, & hæc perfectius, quam conclusionem. Cum propter eadem sciatur: ex vtroque autem intulerunt quidam, impossibilem esse scientiam, hac ratione ducti; qui scit conclusionem, vel ignorat principia, vel scit? primum non est possibile, quia conclusionis notitia ex principiis oritur, ergò cum ratione pugnat ignoratis principiis, conclusionem nosse: si verò dicatur scire principia, cum omnis scientia habeatur per demonstrationem, sequitur eorum notitiam demonstratione comparasse: & rursus cum ex principiis procedat omnis demonstratio scita erūt ex aliis principiis, & hæc, modo simili ex aliis, procedeturq; in infinitum, ita vt infinita principia nosse oporteat ad assensum conclusionis acquirendum, sed infinita non sunt vnum post alterum cognoscibilia; ergò nec conclusio, ex eis cognoscibilis est, nec scientia possibilis.

Prim. error.

2.

Secund. error. Alii verò reputantes necessarium, principia demonstrationis ex aliis esse præmissis scita: quia nihil certò, & euidenter cognosci arbitrantur, nisi per demonstrationem, vt infinitum processum vitarent, nec omnino scientiam tollere viderentur, ad circulum confugere, ponentes conclusionem, per principia demonstrari, & rursus principia per eandem conclusionem, ideò omnium esse demonstrationem, cum omniū sit scientia.

Vtramque tamen positionem, tanquam in Dialectica erroneam excludit Aristoteles in secunda parte capitis, primam quidem, quia etsi principiorum notitia communi vocabulo appelletur scientia, proprio tamē nō nisi intellectus vocanda est, quia non per demonstrationem, vel medio habetur alio, sed ex sola notitia terminorum, ideò quasi scientia indemonstrabilis dicitur, hoc est, notitia absque medio demonstrationis habita, in eo igitur, quod assumit positio prior, nempe, principia esse scita per demonstrationem, falsitas eius manifestè deprehenditur, verum quidem assumptum esset, si principiorum notitia scientifica esset, vt conclusionis, & ex eo euidenter deduceretur processus infinitus, atque adeò impossibilitas scientiæ: sed non sic res se habet, cum notitia principiorum altior, sit scientifica, licet communi vocabulo scita dicantur, quapropter ex alia non gignitur, sed in ea sistendum est, neque vlterius procedendum, vt planè constet processum demonstrationis, non esse infinitum, sed in assensum principiorum terminari: & hinc etiam apparere incipit falsitas posterioris sententiæ, circulum in eo ponentis: etenim si per se cognoscibilia sunt principia demonstrationis, non erit necessarium per eandem conclusionem demonstrari, circulumq; committere. Membr. 2. 3.

Sed quam vitiosus sit, & cum ipsamet pugnans veritate, ex professo ostendit Aristoteles triplici ratione, quarum prima est: demonstratio, vt tradita eius definitio docet, procedit ex notioribus, & prioribus, ita vt principia semper sint priora, & notiora conclusione, repugnat igitur per eam rursus demonstrari: nam tunc idem esset prius & posterius, notius, & ignotius respectu eiusdē, quòd manifestam repugnantiam continet: & si dicatur diuersa ratione id esse possibile, ita vt principia sint secundum naturam priora, & notiora, in ordine autem ad nostram cognitionem posteriora, & minus nota, sicq; per conclusionem nobis notiorem demōstrari posse: minimè fit argumento satis: quia potissima demonstratio quæ sola per præcedentes definitiones explicatur, ex prioribus, & notiori- Circulum esse vitiosum. Prim probatur. 4.

tioribus simpliciter procedit, cum procedat ex veris causis ergò non habet in ea locum similis distinctio: si autem duplicem esse demonstrationem velit quispiam, vnam ex prioribus, & notioribus simpliciter procedentem: aliam verò ex notioribus nobis, hoc est, ex effectibus, quamquam verum hoc sit (ait Aristoteles) nondum tamen difficultatis nodū soluit, cum hac non sit demonstratio simpliciter, sed sola prior, quam propter quid appellamus, in qua talem circulum vitiosum esse euidenter probat argumentum.

Secunda ratio.

5. Sed secundo probatur. quia si per circulum demonstretur conclusio ex principiis & rursus principia ex conclusione, non erit aliud, quam principia per se ipsa demonstrare, & vniuersaliter idem per se ipsum: quo nihil absurdius excogitari potest: & vt sequelam euidentius ostendat Aristoteles, vtitur elementorum, seu literarum exemplis primò quidem in tribus, deinde in duabus literis cōstitutis, vt si ostendamus B. ex A. & rursus, C. ex B sic procedētes, quia A. est, B. est & quia B. est C. est ergo de primo ad vltimum, quia A est C est. nam si A. est causa vt sit B. & B. vt sit C. euidenter sequitur A. etiam esse causam vt sit C. ex vniuersali illa regula. quidquid est causa causa, est causa causati, vel effecti: rursus assūptis duobus, nempe, A. & B. quia loco C. repetitur A. probat intentum: bene, inquit, sequitur: quia A. est, B. est, & è conuerso iuxta prædictam positionem, quia B. est A. est, ergò quemadmodum de primo ad vltimum inferebamus, quia A. est C. est, inferre euidēter licebit, quia A. est A. est, nam si A. est causa B. & iterum B. est causa eiusdem A. per quam circulariter demonstratur, erit A. causa sui ipsius: nihilq; aliud fiet per talem circulum, quam A. per se ipsum demonstrari atque ita perferre, quia A. est A. est, & vniuersaliter idem per se ipsum. cū tamen idem non sit sui met causa.

Nota.

6. Sed vt exempla literarum illustremus operæpretium erit, illa ad communes terminos significatiuos transferre: notum est hanc demonstrationem à priori esse: omne animal rationale est capax disciplinæ: omnis homo est animal rationale. ergò omnis homo est capax disciplinæ: cuius præmissæ iuxta prædictam positionem, non demonstrantur à priori per alias, sed per eandem conclusionem: ita vt conclusio assumpta cum vna illarum demonstret alteram hoc modo, quidquid est capax disciplinæ, est animal rationale: omnis homo est capax disciplinæ, ergò est animal rationale. Ecce conclusio iterum cum maiori assumpta demonstrat minorem: tunc igitur verum erit, animal rationale esse causam capacitatis disciplinæ, & eandem capacitatem disciplinæ esse causam eiusdem animalis rationalis, ac de primo ad vltimum, animal rationale, esse suimet causam, ac se ipsum à priori demōstrare: nam cum sit causa capacitatis disciplinæ, erit etiā causa effectus, ex tali passione illati, si ergo animal ipsum rationale, ex ea iterum infertur à priori, erit sui met causa, ac per se ipsum, tanquam per causam demonstrabitur.

Tertia ratio.

7. Postrema ratio, etiam si positio hæc ad circulum confugiens, aliqua posset ex parte admitti, insufficiēs tamen deprehenditur, quia euidenter probatur, non omnes præmissas demonstrationes posse circulariter per conclusionem demonstrari, sed eas duntaxat, quæ ex terminis conuertibilibus constant: vnde fit vt cum in cunctis figuris syllogismus possit constitui, vt ostēditur primo lib. de priori resolutione, cap. 6. talis circulus non nisi in prima locū habeat, imò in solo primo modo eius & id quidē in solis terminis conuertibilbus: vanum est ergò ponere omnium esse demonstrationem per circulum: probatur prima consecutio, in secunda, & tertia figura semper conclusio est negatiua, aut particularis, vt discurrenti per omnes earum modos constare facile potest, vbi ergò negatiua est; altera præmissarum est etiam negatiua: vnde, vt affirmatiua demonstretur assumenda erit conclusio simul cum negatiua, & ex duplici præmissa negatiua, pro maiori & minori sumpta, constituenda erit demonstratio negatiua inferens affirmatiuam; ex præmissis autem negatiuis nullus potest syllogismus coalescere vt in secundo lib. priorum, cap. 6 & 4. libro. summularum patuit, non est igitur affirmatiua, præmissa, per conclusionem, & alteram nega-

negatiuam, quæ in demonstratione circulari accipiuntur, demonstrabilis sed aliunde probanda erit: si autem in his duabus figuris particularis est conclusio, altera præmissarum erit particularis, vel vniuersalis vtraque, & vbi primum contingit, euidenter
8. probatur vniuersalem præmissam, non esse per conclusionem, & præmissam particularem demonstrandam, quia inutilis est combinatio: vtriusque præmissæ particularis ad syllogizandum in qualibet figura, vt eisdem in locis ostenditur: sed etiam vbi ambæ præmissæ sunt vniuersales, neutra ex cōclusione particulari simul cum altera accepta demonstrabitur: non enim permittit forma syllogistica, vt ex particulari præmissa vniuersalis conclusio inferatur, sed particularem necesse est conclusionem esse, vbi vna præmissarum particularis est, vel vitiosum syllogismum; quis enim vnquam putauit bonam esse consecutionem à particulari ad vniuersalem propositionem, quamquam ob materiæ necessariæ, vel remotæ conditionem, aliquando inferri contingat. Et eisdem probatur argumentis in tribus modis primæ figuræ, præter primum, non esse quamlibet præmissarum demonstrabilem per circulum ex conclusione & altera, nam vel particularis est conclusio vel negatiua.

In primo modo nō habet locum hæc demonstratio.

Sed neque in primo modo locum habet talis modus demonstrandi, nisi termini sint conuertibiles, quia vt vna præmissarum demonstretur, necesse est conclusionem accipere simul cum altera, non quidem vt iacet, sed conuersa; vniuersalis autem affirmatiua non conuertitur nisi in partem, hoc est, in parti-
9. cularem, nisi termini sint conuertibiles, vt omnis homo est animal in hanc, aliquod animal est homo; ergò ex conclusione vniuersali, & vna præmissa particulari demonstranda erit altera præmissa vniuersalis, quod non patitur forma syllogistica (vt ostensum est) vnde intulit Aristotel. demonstrationem circularem, in his casibus secundæ ac tertiæ figuræ, atque etiam primæ non esse ex acceptis possibilem, hoc est, ex conclusione, & altera præmissarum; sed oportere alias præmissas extraneas accipere; & iam non continget omnia demonstrare per circulum, vt asseruit falsa hæc positio.

Et his continetur expositio tertii capitis iuxta communem modum exponendi omnium fere interpretum præsertim Diui Thomæ in commentariis. 158

QVAESTIO I.

Possit ne euidenter conuinci scientias, non solum esse possibiles, sed verè ab hominibus comparari aduersus primum errorem.

Variæ Philosophorum sententiæ traduntur.

NON propterea in quæstionem vertimus, an scientia sit possibilis, vel actu ab hominibus acquiratur, quod res sit dubia, sed vt antiquum errorem eorum, qui scientias abstulerunt, radicitus euellamus. Diuersis viis, diuersi incedentes, scientias impossibiles esse posuerunt, quidam propter obiecti instabilitatem; putantes enim non esse in rerum natura, nisi singularia in continuo motu, & fluxu posita, quæ proinde obiecta scientiarum, esse non possunt, cùm de stabilibus, ac perpetuis scientia esse debeat (si possibilis est) affirmare ausi sunt nullam dari scientiam, quorum meminit Aristoteles. 4. metaphys. tex. 22. Variæ sententiæ. 1. Prima sententia.

Plato verò, & si scientiam non penitus abstulerit, sic tamen eam posuit, vt crediderit animam prius esse conditam intelligibilibus formis plenam, atque adeò omnibus scientiis ornatam; quas tamen corpori immersa obliuioni tradidit, sed ope phātasmatum excitari postea, & quasi reuiuiscere, fierique in homine quandam veluti reminiscentiam prioris scientiæ, ideoque non esse de nouo conquisitam, cuius positionis meminit Aristoteles multis suæ doctrinæ locis, sed præsertim 1 lib. metaphys. cap. 7. & antiqui Ecclesiæ Patres eandem retulerunt, Irenæus, lib. 2. aduersus hæreses cap. 60. D. Augst. 12. de Trinitate. cap. 15. D. Thom, 2. lib. contra gentes. cap. 83. & Sententia secunda. 2.

1. par. quæst. 84. articul 3 Albertus Mag. in commentariis metaphys. tract. 1. cap. 8 vtrunque hoc errorem cap. 1. retulimus doctrinam Aristotelis elucidantes.

Tertia sententia.
August. in.

Supersunt antiqui Philosophi Academici nuncupati, quorum meminit August. 3. lib. contra Academicos cap. 14 hisce verbis. *Nam si tot tantisque rationibus roboratam (hoc enim*
3. *dixisti) Academicorum sententiam, quæ eis placuit nihil scire sapientem &c.* Aduersus quos cap. hoc 3. disputat Aristoteles, propterea scientiam negantes, quod putauerint nihil posse esse scitum, aut euidenter cognitum nisi per demonstrationē, quo admisso plane sine dubio conuincitur scientiæ impossibilitas; nā cum demōstratio conclusionē inferat ex principiis, & necesse sit illa esse scita, aut euidenter cognita per demonstrationem, atque adeò ex aliis principiis, non minus euidenter per demōstrationē cognitis, in infinitum procedetur, infinitus autem processus termino caret, ergò nunquam cognitio perueniet ad finem, quod (absque dubio) pro-
4. bat non esse possibilem, cum non sint cognoscibilia vniuersa ad notitiam conclusionis requisita.

Fundamentum huius sententiæ.

Hos errores huius rei gratia retulimus, vt intelligatur non esse præsentis instituti omnes refutare: nam quemadmodum diuersi sunt, diuersa habentes fundamenta, sic eos excludere ad diuersas Dialecticæ, Philosophiæ, ac Metaphysicæ partes spectat.

Nunc igitur præcipue intendimus aduersus omnium Academicorum errorem ostendere non esse propter prædictum fundamentum negandam scientiam; cui etiam aliud adiciunt, omnis nostra cognitio initium capit à sensibus; sensus autem (vt experientia testatur) delusi sępe in errorem labuntur, ergo intellectus, qui eos sequitur, errandi periculo exponitur, quapropter non erit certa eius cognitio, nec proinde scientifica, cuius ea est conditio Aristotele asserente cap. præcedenti, vt impossibile sit aliter se habere: antecedens frequens experientia confirmat: nam sensu iudicamus solē, & stellas, minima quædam corpora esse: cum tamen veritas sit, multis partibus molem terræ su-
5. perare, & id genus alia sensus vera iudicat a veritate aliena, adde si placet, non modo sensum, sed intellectum, multa tanquam verissima accipere posse plane falsa, vt dum iudicat eum, quem videt esse hominem, vel equum Petrum, vel Paulum, cum tamen contingere possit, vt non sit verus homo, nec sit Petrus, vel Paulus, sed quid ei simile, per artem magicam, a dæmone confictum (vt docet Augustinus. 18. lib. de Ciuitate Dei, cap. 17) ergo pari ratione de quauis alia cognitione per demonstrationem habita dubitare licebit, an sit vera?

Secundum fundamentum Academicorum

Scientifica

Vnde intulerunt Academici, vt D. Augustinus testatur, satius esse à cunctis rebus assensionem cohibere, quam cum erroris periculo quidquam asseueranter affirmare: multoque sapientius fore nihil certum existimare, quam falsæ opinionis naufragio sapientis animum committere; turpe est enim, & sapienti indignum in errorem labi, ac pro- 6.
pterea finalis eorum fuit sententia, sapientem nihil certo scire, sed de re qualibet id, quod verisimilius est, quærere, atque coniectari.

Academicorum illatum.

Resoluitur quæstio.

Dvabus nihilominus assertionibus, horum error à nobis labefactatur.

Prior est non solum assensus veritatis determinatus, atque scientificus possibilis est, sed verè ab hominibus habetur.

Prima assert. contra prædictum errrorem.

Quam euidenter in primis probat dignitas naturæ rationalis, in qua naturalis residet sciendi appetitus, vt docet Aristoteles. 1. lib. metaphys. cap. 1. cui hisce verbis initium dedit. *Omnes homines natura scire desiderant*, quem appetitum quisque in se ipso reperit, adeò vt vel ipsimet Academici ex ipsa sua positione conuincantur eum habere; etenim si sapientis (vt aiunt) est, veritatem dubitando inuestigare: talis inuestigatio vnde nisi 7.
ex desiderio inueniendi prodire potest? desiderium autem ex appetitu, atque inclinatione naturali pullulat: tunc vltra, naturalis appetitus, vel inclinatio capacitatem item naturalem præsupponit: & tam capacitas ipsa, quam appetitus, & potentia eius rei, in quam ordinatur, possibilitatē, nempe, ipsiusmet scientiæ, quam ideo falso reputant impossibilem. Denique si eam capacitatē appetitum, & potentiam naturalem homini indidit, natura ipsa in eandem scientiam naturaliter possibilem, tanquam in finem ordinatum, frustra esset, nisi in vno saltem, vel altero homine ad eiusdem finis consecutionem

Prima ratio.

Aristo.

cu[illegible]ionem perueniret: sunt igitur absque dubio nonnulli scientiam assequentes; nisi velis Deum Optimum, & naturam frustra dedisse homini similem appetitum, ac potentiam sciendi; cum tamen nihil frustra, in rebus efficere, veritas sit a cunctis accepta vt testatur Aristoteles, lib. 2. de cœlo, & mundo tex. 59.

Secunda ratio.

Secundum argumentum ad hominem (vt aiunt) constituit Augst. ex duobus quæ ab
8. ipsis negari nullo modo possunt: nempe certò cognoscere ipsorum quemlibet se viuere, ac veritatem dubitando (vt ponunt) inuestigare, vnde euidenter sequitur aliquem certum habere assensum: etenim licet nulli determinato assentiātur, de hoc tamen quod est se non assentiri sed dubitare, haud quaquam dubitare possunt, sed certos esse necesse est; & ex eodem euidenter quemlibet cognoscere se viuere plane sequitur; dubitare enim, veritatem inquirere, imò etiam errare, viuentis est: dormiens enim homo, vel mortuus, qui vitam rationalem non habet, vel certe non exercet, nihil inquirit, de nullo dubitat, circa nihil errat, quibus adde si vis tertium, quod repugnat non esse ab eodem quolibet euidenter cognitum, nempe se esse hominem, atque disciplinæ capacem; vanum est igitur asseuerare nihil esse scitum, aut euidenter cognitum.

Tertia ratio.

Tertium adiungit Augustinus argumentum, in Enchiridio ad Laurentium cap. 10. in moralem errorem, & quidem intollerabilem inducens; etenim si nulli deter-
9. minatè assentitur homo, sed dubitanter de omnibus inquirit, sequitur euidenter in quocunque suo opere peccare: qui enim ex dubia conscientia, aut rationis dictamine operatur, periculo se exponit malè operandi, nam si dubitat an bonum sit, vel malum obiectum, circa quod operatur, sicut bonum ita & malum esse poterit: vnde sicut bona, ita & mala operatio esse poterit: est autem in lumine naturali euidens, peccare eum, qui peccandi periculo se exponit, ergo euidens erit peccare semper eum, qui dubiam sequens cognitionem operatur, & si fidem Diuinam Christianosq; mores spectemus (ait Augustin) detestabilem, esse hunc errorem inueniemus, quem proinde, vt talem detestatur Ecclesia Catholica, tollit namque fidem, quę certissima Diuinarum rerum notitia est, & ad æternam salutem consequendam apprimè necessaria.

Secunda assertio, non est necessarium quamlibet euidentem cognitionem demonstratione esse comparatam, sed ad aliquam perueniendum est in processu demonstratiuo, quæ non ex alia, neque per demonstrationem habetur, sed ex sola notitia terminorum.

Secunda assertio.

Hanc veritatem docuit Aristoteles, cap. præsenti, ac præcedenti, vt ex ea intelligamus, non esse procedendum in infinitum in demonstrationibus: nam, & si conclusioni semper assentiamur per principia: prin-
cipiis tamen non per alia, sed per se ipsa, 10.
in quibus sistendum est.

Prima ratio.

Probatur euidenti ratione, nam quælibet potentia intra latitudinem sui obiecti habet aliquid per se primo ad eam comparatum, hoc est non per aliud, & in illud tale per se primo fertur, non per aliud medium; visus fertur in colorem ratione lu-
minis, at in lumen ipsum absque vllo me- 11.
dio, voluntas medium vult propter finem, hunc vero propter se appetit: obiectum autem intellectus est veritas: ergo intra latitudinem veritatis datur vna, quæ per alteram comparatur ad intellectum, alia, quæ per se ipsam sine medio, & illa quidem per hanc percipiet: hanc verò per se ipsam; ad aliquam igitur perueniendum est in processu intelligendi, præsertim scientifico, qui perfectissimus est, quam non per alteram, sed per se ipsam percipiat intellectus, & talem esse veritatem principiorum necesse est, propter quæ conclusionibus assentimur.

Secunda ratio.

Secundo, non minus euidenter probatur in quibusdā principiis omnibus notissimis, qualia sunt quæ sequuntur, quodlibet est, vel non est, totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent
sunt æqualia, quibus non solum sapientes, 12.
sed rustici, & agrestes homines, terminorum significatione percepta, statim præbent assensum; quædam item alia sunt, quæ per continuam experientiam habentur, ita vt statim, ac audiuntur, tanquam verissima acceptentur à sapientibus, qualia sunt, visibilia quæcunque aliquo modo esse corporea, quæ a se motum habent vita esse prædita, & ex opposito quæ nullum penitus talem motum habent, vitæ expertia esse, aut

mortua, hominem esse disciplinæ capacem, & his similia ex quibus alia deducuntur per euidentem consecutionem, & appellantur conclusiones, vel assensus scientifici.

Obiectis alijs occurritur.

Ad primum argument. ECCE quo pacto euidenter ostenditur non omnem euidentem cognitionem per demõstrationem haberi, sed quasdam veritates dari per se, hoc est, absque tali medio acceptatas ab intellectu, ad quas processus demonstratiuus terminatur, & in
13. quibus sistit, quæ ideò primæ veritates, in hoc genere appellantur, & prima scientiarum principia: ex quibus non modo soluitur, sed penitus extinguitur primum, ac præcipuum Academicorum fundamentum.

Ad secundum arg. prima solutio. Secundum argumentum soluimus asserentes, ex doctrina D. Thom. 1. par. quæst. 84. articul. 6. in solutionibus argumentorum, & Scoti in .1. distinctio. 3. quæst. 4. Intellectum pendere quidem semper à sensu, sed non semper ab eius iudicio, vel sententia, vt dum prima principia audimus, solum à sensu dependet intellectus, quantũ ad subministrationẽ sensitiuarũ specierum, vt ex eis eliciat quid nomine totius, & partis intelligamus, in quo nullum habet iudicium sensus; eiusmodi autem significatione percepta, ab ipso naturali lumine ducitur naturaliter ostendente veritatem, quapropter errare minimè potest.

Secunda solutio. Secundo respondetur, in his adhuc, in quibus intellectus pendet à iudicio sensus, rarò decipi, si debitæ seruentur conditiones, vt si sint propria sensibilia sufficienter ei approximata, circa quæ sensum non falli docet Aristoteles, 2. lib. de anima tex. 63. & si
14. circa communia aliquando contingat deceptio, vt in exemplo argumenti (etenim magnitudo, vel quantitas inter communia refertur sensibilia) adhuc in his corrigitur sensus ab intellectu veritatem per aliam rationem euidentem deducente.

Ad primum argument. Postremo argumento hac distinctione adhibita occurrendum est: euidens cognitio, vna est, quæ circa res singulares versatur: altera, quæ circa vniuersalem connexionem essentialium prædicatorum, & passiones eorum ratione conuenientes: & prior quidem non est talis Metaphysice, sed moraliter, aut naturaliter, hoc est, iuxta communem modum, & consuetudinem, ac naturæ ordinem: & in hoc sensu dicere solemus, euidens esse, quem oculis videmus hominem, vel equum, esse Petrum, vel Paulum; hæc igitur aliquam pati potest deceptionem, quia iudicio sensuum innititur, & quidem circa communia sensibilia: nam ex motu, magnitudine, forma, aut figura, 15.
aliisque communibus sensibilibus id iudicamus. In tali autem iudicio, non potest esse maior euidentia: posterior verò Metaphysica est, & quæ iudicio sensuum minimè innititur, sed virtuti intellectualis luminis, quod cum sit, ex diuina impressione acceptum, nullam penitus pati potest deceptionem; sed infallibile fert iudicium de veritate principiorum ex quibus per euidentem, infallibilemque consecutionem deducuntur conclusiones.

QVAESTIO II.

Sit ne circulus quicunque in processu demonstratiuo vitiosus?

Dubitandi rationes proponuntur, & communis sententia traditur.

SVperuacanea fortassis alicui videbitur controuersia hæc, cum tam expresse circulum in demonstrationibus reprobauerit Aristoteles, efficacissimisque rationibus ostenderit vitiosum esse: cæterum si eum aliis suæ doctrinæ locis consuluerit, videbit non minus expresse, cum approbasse, & in primis vniuersalem causarum doctrinam tradens. 2. lib. Physic. tex. 30. causas sibi inuicem esse causas docet his verbis, 16. *Rationem dubitandi aliqua testimonia Ari. præbent.*
Sunt autem quædam, & ad inuicem causæ, vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi; sed non eodem modo, sed hoc quidẽ, vt finis illud autem, vt principium motus, &c. *Causas inuicem sibi esse causas.* Eadem ferè verba repetit 5. metaphys. cap. 2. text. 1. ex quibus intelligimus circulum in diuersis causarum generibus, minimè esse vitiosum, sed licere per finalem, efficientem

tem demonſtrare, & rurſus per efficientem eundem finem: materiam item per formam, à qua accipit eſſe ſpecificum, & formam proinde per materiam: nam in ſuo genere quælibet eſt prior altera.

Cap. etiam præcedenti vnam definitionem demonſtrationis oſtendit ex alia, quam rurſus facile ex eadem oſtendere poſſumus. & 1. libro de anima, in principio, tantundem diuerſis animæ definitionibus deſignatis fecit.

Circulum non eſſe vitioſum, neque in eodẽ genere cauſæ.

Nec ſolum in diuerſis cauſis, ſed in eodem cauſæ genere circulum approbat 2. lib. huius operis cap. 7. tex. 15. Sic loquẽs, *quod autem circulo, hoc eſt, in operibus autem apparet, ſic madefacta terra neceſſe eſt vaporem fieri, hoc autem facto nubem, hoc autem facto aquam, hoc autem facto neceſſe eſt madefactam eſſe terram: hoc autem erat quod à principio, quare circulo circuiuit, vno enim ipſorum quocunque exiſtente*
17. *alterum eſt, & illo aliud, & hoc primum &c.* Conſtat enim vaporem ex madefacta terra, tanquam ex materia genitum, materialẽm eſſe cauſam nubis, & hanc pluuiæ, & hanc madefactionis: vnde circulo vti poſſumus in eodem genere materialis cauſæ, demonſtrantes, ex madefactione terræ, vaporem fieri, ex hoc nubem, ex hac pluuiam, ex qua iterum madefit terra, & gignitur vapor.

Circulo vtitur Ariſt.

Circulo etiam vtitur Ariſtotel. in materia demonſtrationis, cap. 6. huius libr. vbi oſtendit demõſtrationem procedere ex propoſitionibus neceſſariis; quia procedit ex iis, quæ ſunt per ſe: cap. autem 7. oſtẽdit è contrario procedere ex his quæ ſunt per ſe, quia procedit ex neceſſariis: & 2. lib. de cœlo, & mundo tex. 34. Circulo vtens probat motum cœli incipere ab Oriẽte, quia ibi eſt dextrum
18. cœli: & rurſus probat ibi eſſe dextrum cœli, quia ab ea parte incipit motus. tex. demũ 59. eiuſdẽ libri probat aſtra ſphæricã habere figuram; quia immobilia ſunt per ſe, & è conuerſo immobilia eſſe, quia ſphæricam figuram habent: non eſt igitur cur circulum omnino improbemus: nec eum improbaſſe cap. præſenti Ariſtotelem aſſerere poſſumus, niſi expreſſam in doctrina eius contradictionem velimus admittere.

Conciliantur teſtimonia Ariſtotelis.

Communis expoſitorum ſententia quandam diſtinctionem adhibet, vt diuerſa Ariſtotelis loca ad concordiam reuocet, ſimulque explicet, in quo nam ſenſu vitioſus ſit circulus, quo etiam pacto vitio careat, eoque vti poſſimus: primo modo circulus conſtitui poteſt, inter cauſam, 19.
& effectum, vt dum ex hoc per experientiam cognito, cauſam nobis ignotam oſtendimus, vt ſi ex motu terræ deorſum demonſtremus eam eſſe ens naturale hoc modo, quidquid mouetur motu naturali conſtat natura, & eſt ens naturale; ſed terrã mouetur naturaliter motu deorſum, ergo eſt ens naturale conſtans natura: & rurſus ex cauſa effectum, vt ſi in eodem exemplo terræ, ex eo quod eſt ens naturale demonſtremus naturaliter moueri, dum fertur deorſum, ſic procedentes, omne ens naturale, mouetur motu naturali, ſed terra eſt ens naturale; ergò dum fertur deorſum naturaliter mouetur.

Secundus modus.

Secundus modus circuli eſt inter cauſas diuerſas, dum vnam oſtendimus ex alia, & rurſus hanc ex illa, vt ſi exemplo Ariſtotelis vtamur, demonſtrantes domum conſtare, ex tali materia, lapidum, videlicet, & lignorum, tecti, ac parietum, quia in eum ordinatur finem, vt à temporum iniuriis nos defendat; & rurſus benè ab eiſdem nos defendere, quia tali materia conſtat.

Tertius modus.

Tertius modus eſt, dum in eodem genere cauſæ conſtituitur, vt ſi velimus à priori, & tanquam ex cauſa demonſtrare hominem eſſe riſibilem, quia eſt rationalis, & rurſus 20.
etiam à priori, & tanquam eſt cauſa eſſe rationalem, quia eſt riſibilis.

Vltimũ modum circuli excludit Ariſtotel.

Ex his autem tribus modis vltimum dumtaxat reprobauit Ariſtoteles, tanquam vitioſum, vt rationes huius capitis teſtantur: ex eo namque ſequitur euidenter, idem eſſe notius, & ignotius, prius ac poſterius, non ſolum reſpectu eiuſdem, ſed eadem ratione, hoc eſt, tanquam cauſam eiuſdem generis: ſequitur etiam non eſſe aliud tali circulo 21.
vti, quam idem per ſe ipſum demonſtrare, quod friuolum eſt, & præterquam, quod vitioſum eſt, non habet locum, niſi in primo modo primæ figuræ, & id quidem in terminis æqualibus, vel conuertibilibus. Primum autem, & ſecundum modum nunquam reprobauit, ſed eis vſus eſt in diuerſis

locis

locis à nobis recensitis, in quibusdam quidẽ ex diuersis causarum generibus procedens, in aliis verò ex effectu demonstrans causam & rursus ex eadem effectum, quo etiam circulo, vsi sunt Philosophi in comparandis scientiis naturalibus; visis enim effectis, & in admirationem rapti, occultas eorum causas cœperunt inquirere, quibus cognitis iterum per easdem ad eosdem effectus reuersi sunt; quem etiam modum cap præsenti approbasse videtur Aristoteles, quanquam eius considerationem in alium locum distulerit.

Explicatur Arist. cum in eodẽ genere causæ vtitur circulo. Si quando autem in eodem genere causæ circulo vtitur, vt dum ex madefacta terra vaporem, & ex hoc nubem, & ex nube pluuiam atque ex hac eiusdem terræ madefactionem demonstrari posse docet, non de eisdem numero, sed specie loquitur, vt bene D. Tho. in eiusdem loci commentariis; nec enim eadẽ madefactio terræ fit ex hoc vapore. nube & pluuia, sed longè diuersa ab ea ex qua eiusmodi generantur.

Impugnatur communis sententia

Pro negatiua parte argumenti. HAEC quidem prima (vt aiunt) facie, satisfacere videntur: at si res diligentius expendatur, non parum difficultatis adhuc superesse apparebit: etenim siue ab effectu ad causam processus demonstratiuus instituatur, & iterum ab eadem causa ad
22. effectum regressus, vel à diuersis causis vicissim se se ostendentibus, vitiosum esse circulũ sic ostendo, dum vnam causam per alteram ostẽdimus, vt per finalẽ materialem, sequitur hanc esse nobis euidentem, in quantum ex finali demonstrata est, & si rursus ex ea finalem ostendas, non maiorem, immo neque aliam habebit euidentiam, sed eandem prorsus, quam ab ea materialis sortita est: vndę sequitur de primo, ad vltimum à se ipsa, & non ab alio euidentiam habere, quod non est aliud ac per se ipsam esse demonstratam: quapropter non minus ex tali circulo illud sequetur absurdum, videlicet, idem per se ipsũ ostendi, quam ex eorum positione, qui in eodem genere causæ cum committebant, gratia exempli, si ostendamus domum ex his partibus, & tecto esse cõstruendam, quia in ta-
23. lem finem ordinatur, non habebit materia aliam certitudinem ab ea, quam à fine per talem demonstrationem accipit, & si rursus ex eadem materia sic cognita eundem finem ostendamus, nón habebit aliam finis, nisi quam materiæ communicauit, atque adeo per propriam demonstrabitur; & modo simili dum ex effectu per experientiam cognito causam ostendimus, non habet maiorem euidentiam causa, immo neque aliam ab ea, quam ab effectu participat, cum non sit, nisi per demonstrationem à posteriori eius existentia cognita: tunc ergò, si rursus ex causa sic cognita velis eundem effectum demonstrare, non habebit maiorem, vel aliam euidẽtiam 24.
effectus ex tali demonstratione, sed eandem prorsus, quam causa ab eo participauit, cum non possit ei præstare, nisi quam ab eo per primam demonstrationem accepit; & de primo ad vltimum, ex propria euidentia experimentali ostẽdetur, dum iterum per causam demonstratur; quod est idem demonstrare per se ipsum, vel vt intulit Aristoteles antiquos illos impugnans, demonstrare hoc esse, quia hoc est.

Vitiosum esse circulũ ostenditur. *Exempli.*

Argumento nititur respondere Card. Tolet. Huic argumento de causa per effectum demonstrata, ex qua rursus ostendimus effectũ, respõdere nititur noster Cardinalis Toletus quæstione vnica huius cap. inquiens, ex effectu in singulari cognito per experientiam cognoscere nos existentiam causæ, sed rursus cum regredimur à causa ad effectum eundem 25.
non in singulari, sed in vniuersali: vnde non est demonstratio circularis, nisi ab effectu in singulari cognito ad eundem cognitum in vniuersali, in quo nullum vitium esse potest. Confirmat solutionem ex Aristot. 1. Posteri. tex. 43. vbi sic loquitur. *Sed planè quod & si esset sentire triangulum, quod duobus rectis æquales habet angulos, quæreremus vtique demõstrationem, & non quemadmodum dicunt nonnulli sciremus, sentire quidem enim necesse est singulare: scientia verò est in cognoscendo vniuersale, &c.* Quibus verbis non satis esse conclusionẽ demonstrationis per experientiam cognoscere, sed demonstrationem requiri, per quam melius cognoscitur, cum non in vno, vel alio singulari, sed in vniuersali cognoscatur.

Improbatur solutio P. Toleti. Hæc tamen solutio nec satisfacit argumẽto, nec mentem Aristotelis attingit: ostendo primum, quia cognitio experimẽtalis duplex est, singularis vna, vniuersalis altera, quam ex multis experimentis colligimus, vt hominem esse risibilem in vniuersali cognoscimus 26.
ex multis experimẽtis singularium hominũ, quos videmus actum ridendi exercere: dum igitur

igitur causam demonstramus per effectum, non ex cognitione singulari effectus procedimus, sed ex vniuersali, quam ex multis experientijs comparauimus, vt optime D. Thomas, 1. Posterior. lect. 42. non longe à fine his verbis. *Vniuersale autem non cognoscitur sensu, sed ex pluribus singularibus visis, in quibus multoties cõsideratis inuenitur idem accidere, accipimus vniuersalem cognitionem.* Ex hac ergò vniuersali cognitione effectus causam à posteriori demonstramus, ex qua, si rursus procedamus ad effectum ostendendum, non maiorẽ, vel nobiliorem eius notitiam comparemus, cum causa non nisi per effectum sit nobis cognita, vnde vitiosum committemus circulum.

D. Thom.

Aristoteles verò sensum valde diuersum illis verbis tenet, cum solum intendat (vt idem D. Thom. in eorum commentariis docet) discrimen inter sensitiuam, & intellectiuam cognitionem statuere, quas antiquiores quidam Philosophi confundebant: in duobus autem differre docet: in primo quidẽ quia sensitiua singularium est, intellectiua vniuersalium, in secunda verò, quod cum demonstratio vniuersalium sit, sola intellectiua ad demonstrationem pertinet; & hoc est, quod ait etiam si per sensum cognoscamus triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc nos demonstrationem quærere, vt in vniuersali id intelligamus: siquidem per sensitiuam cognitionem solum in singulari cognitum à nobis est.

Arist. sensus. 27.

Resolutio quaestionis, & rationum dubij dilutio ponuntur.

PROPTEREA, vt hæc soluantur, & quæstioni plenius fiat satis, obseruandum est demonstrationem circularẽ vocari sumpta metaphora ex motu locali, quẽ circularem appellamus: nam quemadmodũ motus circularis nõ est ab vno in alium locũ, sed ab eodem in eundem reuersio, sic demõstratio circularis ab eodem principio ad idemmet reuersio, vt dum hominem esse rationalem ostendimus, quia est risibilis: & rursus esse risibilem, quia rationalis, à risibilitate proficiscimur, & ad eandem reuertimur; sed motus localis circularis duplicem considerationem postulat, vt formaliter sit talis, vnam quidem, vt fit ab eodem in idem alteram, vt fiat per eandem viam, qua conditione deficiente non erit circularis, nisi materialiter: nam licet mobile ab hoc loco profectum in eundem reuertatur, cum id fiat per aliam viam, non reuertetur per circulum, ideò non erit motus circularis formaliter, quemadmodum neque rectus, licet ab vno in alium tendat locum, nisi per rectam lineam pergat. Eadem similitudine circulus in demonstrationibus duplicem petit conditionem, vt sit formalis, priorem, vt ab eodem in idem fiat, posteriorem, vt per eandem viam fiat regressus; nam si fiat per diuersam, non erit nisi materialiter talis: quid autem sit per eandem viam fieri, quid per diuersam? paucis explicabo: etenim dum essentiam per proprietatem, & causam per effectum cognoscimus, aut nouam eiusdem essentiæ cognitionem cõparamus penetrantes propriam naturam ex ipsis terminis, vel non? Si noua cognitione minimè cõparata ex sola ea, quã ex effectu acquisiuimus, procedamus ad demõstrationẽ effectus per eandem viam, absque dubio regredimur ad eundem terminum, vnde profecti sumus, & talis circulus formalis est ab eodem in idem per eandem viam: si verò noua cognitione ex terminis comparata fiat regressus, non erit circulus formalis, sed quasi materialis, nec talis erit simpliciter vocandus, sed secundum quid, & pari ratione censendum est de circuculo procedente, ex diuersis causis: nam si vna earum per alteram ostensa, nouam illius cognitionem ex propriis terminis comparemus, per aliam viam pergimus ad ostensionem alterius: at si nullam habentes de nouo, sed ex sola ea, quam per demonstrationem comparauimus, per eandem; vnde formalis erit posterior iste circulus; prior verò non nisi materialis.

Ad solutionem quaestionis aduotandum. 28. *Simile.* 29. *Quid sit per eandã viã & per diuersam fieri circulum* 30.

Quibus prælibatis nostra sententia, duabus continetur assertionibus. Prior est: circulus formalis, siue ab effectu ad causam & è conuerso à causa ad effectum procedat, vel ab vna causa in alteram, semper est vitiosus, & omnino ab Aristotele reprobatus.

Vera sententia.

Quam sic probò. Demonstratio semper debet ex notioribus procedere secundum naturam, vel saltem quoad nos, vt expressè docuit Aristoteles cap. 2. & propria conditio ipsiusmet demonstrationis ostendit, quæ in eum finem construitur, vt ex vnius notitia aliud cognoscamus, nempe ex præmissis cõclusio-

Prima assertio. 31.

clusionem; & cum propter præmissas cognoscatur, quæ sunt nobis ratio cognoscendi, & assentiendi, euidenter sequitur notiores esse; sed in secunda demonstratione formalis circuli non sunt præmissæ vllo modo notiores, cum earum notitia ex sola conclusione, habita sit per demonstrationem primam: ergò vitiosus erit talis circulus: & certè si notiores essent, euidenter sequitur idem esse notius, & ignotius respectu eiusdem, & sub eadem formali ratione: est enim conclusio demonstrationis primæ, ex qua demonstrata est causa, cuius nullam maiorem notitiam comparauimus: si ergo dum rursus ostenditur per secundam demonstrationem, notiores sunt præmissæ minus nota erit conclusio eadem prorsus ratione, & respectu eiusdem, & pari ratione id sequitur euidenter, dum circulum formalem in diuersis causarum generibus construimus.

Ratio prima.

Ratio secunda. Secundo probatur, quia euidenter infertur illud absurdum illatum ab Aristotele aduersus antiquos Philosophos, nō esse aliud formalem circulum inter effectum, vel causam, aut inter diuersas causas constituere, quam idem per se ipsum demonstrare;

32. vel certè demonstrare, hoc esse, quia hoc est; nam si hominem esse rationalem demōstramus, quia est risibilis, & rursus ex hac sola cognitione rationalis iterum esse risibilem, quid obsecro aliud efficimus, quàm demonstrare hominem esse risibilem, quia est risibilis? quod non modo absurdum, sed plane ridiculum est.

Secunda assertio. Assertio secunda. Circulus per aliam viam factus, quem materialem vocamus, siue fiat inter causam, & effectum, vel inter diuersas causas, non est vllo modo vitiosus, neque ab Aristotele reprobatus.

Prima ratio. Probatur euidenter: nam cum causam demonstramus à posteriori ex effectu, & rursus ex propria natura causæ ex termi-

33. nis penetrata eundem effectum, à priori procedimus, & ex noua, ac perfecta notitia causæ: vnde ex notioribus vtraque demonstratio procedit, illa quidem ex notioribus nobis, hæc verò ex notioribus secundum naturam, atque etiam quo ad nos: nouam item, & longè perfectiorem notitiam effectus assequimur: nam prius per solam experientiam eum agnouimus, modo verò per propriam originem, & naturam: prius solam eius existentiam, modo non solam existentiam, sed naturam, & conditionem propriam penetramus: nam cum in virtute causæ effectus contineatur à qua talem sortitur naturam, dum ex notitia causæ cognoscitur, natura eius penetratur.

Vtranque assertionem iam rationibus roboratam confirmare libet grauissimo quodam testimonio D. Thom. ex quo nostram hausimus sententiam: continetur autem. 2. lib. de cœlo, & mundo lect. 16. vbi Aristot. probat stellas esse sphœricæ figuræ, quia sunt immobiles: arguit autem D. Tho. 34.
aduersus talem probationem, hisce verbis. *Videtur autem hac probatio non esse conueniens: nam supra probauit Aristoteles stellas non moueri per se ipsas, ex eo quod sunt sphæricæ figuræ, vnde cum hic probet è contra, quod sint sphæricæ figuræ, per hoc, quod sunt immobiles secundū se ipsas, videtur quod sit probatio circularis. Respondet autem ad hoc Alexan. quod ex hoc nullum sequitur inconueniens, quia Aristoteles probauit stellas non moueri per se ipsas, non solum per hoc, quod sunt sphæricæ figuræ, sed etiam per quædam alia media, & non solum per hoc, quod sunt secundum se immobiles: obiicit autem contra hoc Simplicius, quod non impeditur ratio circularis demonstrationis per hoc, quod vtraque conclusio pluribus mediis ostenditur; sed dicendum est, quod licet per hoc non tollatur ratio circularis demonstrationis, tollitur tamen inconueniens, quod ex circulari demonstratione contingit, vt scilicet nihil manifestet, quia non potest aliquid manifestari, nisi per notius: non potest autem idem esse notius, & minus notum; sed dum vtraque conclusio per alia media manifestatur, vna potest sumi vt manifestatiua alterius ad ostendendam conuertibilitatem conclusionum.* Hæc D. Thom. quibus in primis docet vi- 35.
tiosum esse circulum, ex eadem notitia prorsus inuariata procedentem: deinde vitio carere, si ex noua conclusionis notitia alia via comparata, secunda demonstratio constituatur, quia tunc ex notioribus vtraque constabit. Et hæc est nostra sententia, circulum priorem formalē vocans, & semper vitiosum: posteriorem verò, non nisi materialem, & vitio semper carentem: priorem ab Aristotele omnino improbatum affirmans, posteriorem verò, his omnibus admissum locis in principio quæstionis à nobis recensitis, quibus non quomodocunque ab effectu ad causam, vel ex diuersis causis circulum constituit, sed ex noua causæ noti-

Ab authoritate D. Thom. confir. vtraq; assertio.

Nostra sententia.

notitia procedentem: ita vt demonstratio posterior effectum à priori ostendat, nouamque eius cognitionem à prima distincta, eaque longè meliorem tradat; & modo simili dum ex vna causa per aliam demonstrata, secunda demonstratio procedit, nouam eius cognitionem ex terminis habitam contineat, ex qua prior causa demonstratur.

Nota. Vnum tamen animaduersum vellem in hac parte: quod superius attingere cæpi, demonstrationes ex diuersis causis procedentes sic se habere, vt licet quælibet sit à priori in suo genere, simpliciter tamen illam
36. solum à priori procedere censendum est, quæ procedit ex causa simpliciter priori, alteram vero a posteriori; gratia exempli, demonstratio, quæ procedit ex causa finali, simpliciter est à priori, quia finis causa est absoluta consideratione prior, quæ verò à materia, à posteriori, quia & si in suo sit genere prior, eiusmodi tamen prioritas solum est secundum quid: absoluta autem consideratione, fine posterior est materia, & sic de cæteris causis post finem loquendum est.

Corollariũ Ex duplici nostra assertione, rationibusque in earum confirmationem productis illud inferre licet, sic nobis loquendum esse, vt circulum in demonstrationibus simpliciter, & absolute pronuntiemus esse vitiosum, & ab Aristotele improbatum, & non nisi secundum quid per mittendum: nam solus formalis circulus procedens ab eodem in idem per eandem viam, hoc est, ex eadem inuariata cognitione, talis est simpliciter, & iste semper est vitiosus, ergò absolute vitiosum debemus vocare circulum: materialis vero ex diuersa procedens noti-
37. tia, non nisi secundum quid circulus vocatur, vt nomen ipsum materialis indicat; ergò cum solus iste approbandus sit, solum secundum quid approbandus erit circulus; & vere ita est, quòd dum Aristoteles aduersus antiquos Philosophos circulum damnat, non eum dumtaxat, qui ab eadem causa ad se ipsam procedit, condemnare vult, sed quemlibet ex eadem inuariata cognitione procedentem, cum vere eadem sit de vtroque ratio: & ex dictis constat germanus sensus testimoniorum Ari-
Solutio ad argum. & stotelis, & solutio argumentorum: nam dum causam per effectum, & rursus effectum per causam, huius natura de nouo cog *testimonia Aristotel.* nita demostramus, materialem dumtaxat circulum constituimus, ab eodem in idem, per diuersum viam, hoc est, per diuersam cognitionem procedentes: atque etiam dum vna causa per alteram demonstrata, & de nouo eius natura cognita, priorem ex ea rursus demonstramus: & vt formalius loquamur, in prima demonstra- 38.
tione ex cognitione effectus quantum ad existentiam procedimus, solam existentiam causæ ea demonstrantes: in secunda verò ex cognitione causæ quantum ad essentiam, essentiam item effectus ostendimus; vnde fit, vt non idem per idem formaliter ostendamus, sed certe diuersum per aliud diuersum.

QVAESTIO III.

Quotuplex nam sit propositio per se nota, & an omnis immediata sit per se nota appellanda.

CIRCA hanc quæstionem non solum videntur dissentire Doctores in designanda definitione propositionis *Intentum proponitur.* 39.
per se notæ, sed etiam in diuisione eius; vt igitur clarius procedamus, referre in primis placet quid quisque sentiat, tam circa definitionem, quam circa diuisionem; deinde quid sit in doctrina Aristotelis certum, vt ex eo quid magis cum ratione coniunctum sit deducentes, illud postremum, quod titulus quæstionis sciscitatur, an videlicet omnis propositio immediata sit per se nota, definiamus.

Et in primis illud præsupponendum est, quod bene adnotat Ferrariens. 1. lib. contra gentes, cap. 11. ex professo agitans eandem quæstionem: de propositione dumtaxat per se nota ad demonstrationem pertinente procedere, qualis est propositio vniuersalis, & necessaria; sunt enim multæ contingentes quidem, singulares vel etiam vniuersales, quibus absque vllo medio assentimus ex his, quæ frequenter per sensum accipimus (vt docet Aristoteles 2. libr. Physic. text. 6.) quales *Pro tituli explicatione notanda* *Aristotel.*

 sunt

sunt, niuem esse albam, coruum nigrum; & ap pellantur à quibusdam per se notæ, non secundum se, sed quo ad nos, quia prædicatum ex propria natura, non inhæret subiecto immediate, licet nos sine medio eis assentiamus: eiusmodi ergo ad præsentem controuersiam minime pertinent, cum neque ad demonstrationem aptæ sint, neque per se notæ intellectiua cognitione, sed sensitiua potius (à qua accipiuntur, censeantur.

Duæ opposita sententiæ traduntur, eiusque fundamenta.

Opinio D. Thom. De sola igitur propositione per se nota demonstratiua agens D. Thom. 1 lib. post. lecti. 36. & expressius longe de veritate. quæst. 10. artic. 12 1. lib. 40. contra gentes, cap. 10. & 11. in 1. dist. 3. quæst. 1. artic. 2. & 1. parte quæst. 2. Artic. 1. Docet propositionem per se notam esse, cuius prædicatum clauditur in ratione intrinseca *Duplex propositio per se nota. D. Thom. as.* subiecti, talis est hæc, homo est animal, cũ de intrinseca ratione hominis sit animal: propositionem deinde per se notam vnam esse (ait) quæ ex propria natura talis est, cuius prædicatum clauditur in ratione subiecti intrinseca, eius tamen terminos, ignoramus, & hæc dicitur per se nota secundum naturam, non tamen nobis, & talis est ea, in qua definitio nobis incognita prædicatur de definitio: 41. altera est non solum ex propria natura talis, sed cuius terminos cognoscimus, & dicitur per se nota, non solum secundum naturam, sed etiam quo ad nos: quæ adhuc est duplex vna, cuius termini cunctis patent, cuiusmodi sunt vniuersalissima principia, quæ ab Aristotele cap præcedenti dignitates appellantur, vt quodlibet est, vel nõ est, totum est maius sua parte: altera, cuius termini non omnibus, sed solis sapientibus patent, cuius exemplum attulit D. Thom. ex Boetio in libro *Boetius.* de hebdomadibus, non longe à principio, in hac propositione incorporalia non esse circumscriptiue in loco, sapientibus quidem notissima, sed cuius terminos vulgus ignorat, ideò non omnibus per se nota dicitur sed sapientibus.

D. Thom. Hanc doctrinam D. Thom. sequitur vniuersa eius Schola Ferrariẽs. vbi supra Capreol. in 1. dist 2 quæst. 2. artic. 1. & 2. Caietan. 1. pat. quæst. 2, articul. 1, & ex professo in commentariis huius cap. M. Sotus cap. præcedenti quæst. 2. ad nonum argument. ex antiquioribus verò Scholasticis Richardus in. 1. dist. 3. art. 1. q. 2. Durand. eadem dist. quæst. 3.

Scoto verò non placuit in .1. dist. 2. q. 2. vbi *Secũda opinio Scoti.* propositionem per se notam alio modo definit, diuisionem verò penitus excludit; eamq; ex professo impugnat: asserit ergo sic esse definiendam propositionem per se notam: omnis, & sola illa propositio, per se nota est, 42. quæ ex terminis propriis, qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, hoc est, vt sic concepti, & non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios, habet euidentem veritatem, vt omne totum est maius sua parte proprios autem terminos, vt sunt eius vocat formales.

Primo illatũ ab Scoto. Vnde primo infert, quod cum alius sit terminus definitio, à definitio distinctus, alia erit propositio, in qua prima passio prædicatur de definitione, distincta simpliciter ab ea, in qua prædicatur de definito, vt cum dicimus animal rationale esse capax disciplinæ, vel hominem esse disciplinæ capacẽ, & distingui adeò, vt prior sit propositio per se nota, minimè posterior: distinctionem autem probat hisce argumentis.

Primo arg. Primo Definitio est medium demõstrationis, vt aliquid de definito ostendamus, ergò constituit distinctam propositionem ab eo. Probatur euidenter antecedens in hac demonstratione: omne animal rationale est capax disciplinę; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est capax disciplinæ; in qua tres termini reperiuntur: nam ex duobus non constituitur demonstratio; duæ itẽ 43. præmissę, ergò definitio distinctus terminus est à definito, & distinctam propositionem constituit, & quidem per se notam, cum ex propriis terminis, vt sunt eius euidentem veritatem habeat, ea verò, quam definitum constituit, non ex propriis terminis, sed per definitionem, tanquam per medium.

Confirm. Et confirmatur: quia si definitio, non esset distinctus terminus à definito, in prędicta demonstratione contingeret, probatio eiusdem per semetipsum, essetq; absque dubio vitiosa, quod à nemine admittitur.

Secundo argument. Secundo, repugnat eundem conceptum esse distinctum, & confusum, priorem, & posteriorem, respectu eiusdem, sed definitio importat, conceptum rei distinctum: definitum vero confusum, prius ille conuenit rei, quam iste; ergo absoluta locutione distincti 44. censentur

censentur, distinctasque constituere propositiones: ex distinctione autem planè infertur vnam esse per se notam, & non aliam, vt probatum est.

Tertiū arg. Postremo si eadem esset propositio, ex definitione cum prima passione conflata, & ex eadem cum definito, fieret quamlibet propositionem, quam Metaphysicus (cuius est terminos proprios eius per definitiones cognoscere) habet per se notam, esse etiam in scientiis particularibus (ad quas non pertinet definitiones terminorum cognoscere, sed rem dumtaxat definitam confuse) non minus per se notas, quod absurdum est, cum Metaphysice excellentiam tollat.

Secundo illatum ab Scoto. Secundo infert ex eadem definitione, minus bene distinctam esse propositionem per se notam à D. Thom. in eam, quę secundum naturam est talis, & quo ad nos: minus etiam
45. bene distinctam esse per se notam nobis, in eam, quæ cunctis per se nota est, vel solis sapientibus; sed omnem propositionem per se notam talem esse censendam secundum naturam, siue nobis sit nota, vel secus, siue cunctis pateant termini eius, vel solis sapientibus, aut etiam nullis, idque probat

Primum argument. Quia propositio per se nota secundum naturam, cuicunque intellectui, est per se nota, licet per accidens, actu non sit cognita, quia termini non cognoscuntur; ergò ex se habet euidentem veritatem, licet à nullo cognoscatur, & etiam si à cunctis; non variatur eius veritas, ergò nec ratio propositionis per se notæ.

Secundum argument. Secundo, propositio non dicitur per se nota, quia à cunctis, vel à solis sapientibus cognoscatur, sed quia ex propriis terminis est per se cognoscibilis; ergò quemadmodum ratio eius, ex actuali omnium cognitione, vel plurium non accipitur, sic etiam ex eadem non variatur; aliena igitur est ab eius natura similis diuisio, in per se notam, secundum naturam, & nobis, vel nobis omnibus, aut solis sapientibus.

Confirm. Et confirmat similitudine quadam, ex forma syllogismorum desumpta: perfectus
46. namque syllogismus est, qui nullo indiget, vt appareat cunctis consecutio necessaria: imperfectus verò, quibusdam indiget reductionibus, vt eius necessitas manifesta fiat: nec tamen ex hoc constituitur aliquod discrimen, inter vtrumque: ergò neque inter propositiones per se notas, quod omnibus, vel nullis pateant, vel solis sapientibus constituendum est.

Tertio arguitur ab Aureol. & Gregor. de Arimino. Arguunt tertio Aureolus & Gregorius Arimenensis, eandem Scoti sententiam secuti (vt refert Capreolus in 1. distinct. 2. quæst. 2. artic. 2) primo eam confirmantes, deinde ex directo impugnantes sententiam D. Tho. confirmant quidem: nam propositio per se

Confirm. nota est illa, quæ ex propriis conceptibus, à quocunque intellectu formatis talis est; ergò etiam nobis est per se nota: nam: vel formamus proprios eius conceptus, vel alios distin- 47.
ctos: si proprios, nobis erit per se nota, si distinctos non erit eadem, sed alia; ergò propositio per se nota, ex se cuilibet intellectui erit per se nota, si eadem percipiatur; quapropter malè distinguitur in per se notam, secundum naturam, & quo ad nos.

Quartum in definitionē à D. Thom. assignatam argumēt. Impugnant deinde definitionem propositionis per se notæ, à D. Thom. designatam, multæ sunt propositiones per se notę in mathematicis disciplinis, vt totum est maius sua parte, à quolibet puncto, in quodlibet punctum possumus lineam deducere; & in Philosophia naturali, per se notæ sunt, motum esse, & naturam esse (vt docet Aristoteles. 2. Phys. tex. 6. ac demum in communi vsu, atq; 48.
experientia per se nota est hæc, nix est alba, & tamen nullius prædicatum clauditur in ratione subiecti, sed extraneum quippiam est ab eo: ergò non bene definitur propositio per se nota, cuius prædicatum clauditur intra rationem subiecti.

Confirm. Quod possumus nos confirmare, nam propositio per se nota, & immediata conuertuntur, apud Aristotelem, cap. præcedēti, sed non omnis propositio, cuius prædicatum clauditur in ratione subiecti, est immediata, vt patet de his homo est viuens, corpus, vel substantia; ergo non omnis talis est per se nota, vt voluit D. Thomas

Traditur quæstionis vera solutio.

AVDITIS aliorum Doctorum sententiis, & rationibus, quædam statuenda censeo, tanquam verissima, in quibus D. Thomas, & Scotus, non desident; alia verò iuxta placitum D. Thom. (quod communis fere consensus schlasticorum, & interpretum Aristotelis sequitur) tanquam

Aliqua in quibus D. Thomas & Scotus conueniunt.

probabiliora, quibus plenè satisfactum erit quæstioni.

Primo conueniunt.

Sit ergò primum talem esse definitionem propositionis per se notæ designandam, vt cunctis conueniat, propositio per se nota est, quæ non per aliud medium, sed ex sola notitia terminorum nota est: etenim, vt bene adnotat Scotus) particula ex se, non excludit terminorum notitiam, cum naturalis connexio prædicati cum subiecto non sit, nisi per proprios terminos cognoscibilis, sed solum excludit medium extrinsecum demonstrationis, in hoc igitur discrimen inter per se notam, & demonstrabilem positum est, quod huius veritas etiam cognitis terminis non cognoscitur, nisi medium adhibeatur eam ostendens, extrinsecum quidem, cum sint principia ab ea distincta, ex quibus demonstratio constituitur: connexio autem prædicati cum subiecto, atque adeò veritas propositionis per se notæ habita notitia terminorum cognoscitur, absque alio medio; vnde
50. fit, vt non statim, ac termini cognoscuntur, assensum propositioni demonstrabili præbeamus, sed oportere medium assentiendi adhibere conuincens intellectum, & hoc medium est demonstratio, quod iure appellatur extrinsecum: propositioni autem per se notæ, statim, ac terminorum significationem percipimus, assensum præbemus, quia non indiget, imò, neque habet aliud medium assentiendi, præter naturalem connexionem prædicati cum subiecto, per semetipsam cognoscibilē, & per se adæquatam intellectui, quem idcirco per se trahit ad assensum.

Primū illatum ex doctrina prædicta.

Ex quibus constat primo; idem esse propositionem ex propriis terminis esse cognoscibilem, & non per aliud medium esse notam, sed per semetipsam.

Secunda illatio.

Constat secundò, non esse necessarium addere, & non per aliud medium extrinsecum, cum satis sit explicatum eo ipso, quod dicitur, ex sola notitia terminorum cognoscibilem esse: præterea, eo ipso quòd dicitur ex sola notitia terminorum esse notam, in
51. telligimus talem esse connexionem prædicati cum subiecto, vt formaliter, vel virtualiter, directè, vel indirectè prædicatum claudatur proxime, hoc est absque vllo medio in subiecto: formaliter quidem, & directè clauditur, quoties definitio subiecti est, vel certè pars definitionis: vt animal rationale in ratione hominis, vel solum animal, vel solum rationale: vnde omnes istæ sunt per se notæ, homo est animal rationale, homo est animal, homo est rationalis: indirectè verò, sed formaliter, quando in eo, quod formaliter, & directè clauditur, importatur intrinsece: gratia exempli, totum intrinsece componitur, non ex sola vna parte, sed ex multis, vnde ex propria conditione habet quamlibet excedere: prædicatum ergo huius propositionis, totum est maius sua parte intrinsece clauditur in ratione totius, quod
est subiectum indirectè sicque de cæteris propositionibus per se notis intelligendum est; 52.
virtualiter demum, sed proximè clauditur, quando, & si formaliter extra rationem eius sit, in eius tamen virtute proximè continetur, ex qua tanquam ex proxima causa oritur & talis est prædicatio primæ passionis de essentia, nempè animal rationale est capax disciplinæ; radicaliter namque accepta capacitas disciplinæ proximè continetur, intra rationem hominis intrinsecam, ideò per se notam propositionem constituit, cum ea itaque non sufficeret virtualis continentia nisi esset proxima: nam cunctæ passiones continentur virtualiter intra essentiam rei, non tamen omnes proximè, sed prima dumtaxat, reliquæ ea mediante; ideò non omnes constituunt cum essentia propositionem per se notam, sed sola prima: bene ergò D. Thom. propositionem per se notam definiens (ait) eam esse cuius prædicatum clauditur in ratione intrinseca subiecti, prædicto modo intrinsecam inclusionem accipiens.

Quomodo debet claudi prædicatum in subiecto.

Capreolus. Ferrariens.

Sic enim eam exponunt Capreolus, & Ferrariens. locis nuper indicatis, & hæc definitio D. Thom. sic exposita, eadem est cum
definitione Scoti, licet verbis videatur diuersa: 53.
nam si prædicatum propositionis clauditur intrinsice in ratione subiecti, eius proculdubio veritas ex sola notitia terminorum, vt sunt eius termini, erit cognoscibilis, & non per medium extrinsecum cum inter essentiam rei, & prædicata essentialia nullum sit: definitio demum à nobis designata breuius, clariusque vtramque comprehendit: & hoc est primum, in quo Diuus Thomas, & Scotus conueniunt.

Primo conueniunt in diuisione.

Secundum est, diuisio hæc, propositio per se nota, vna est affirmatiua, negatiua altera; affirmatiua est ea, cuius prædicatū continetur
intra rationē subiecti; negatiua cuius prædicatum, 54.

164

catum, & subiectū essentialiter se se excludūt: quemadmodum enim propositio, cuius prędicatum clauditur intra rationem subiecti, ex sola terminorum notitia nota est, pari ratione illa cuius extrema mutuo se se excludunt essentialiter, cuius hęc est pulchra ratio, quia quemadmodum prædicata positiua constituunt essentiam rei; sic etiam negationes aliarum essentiarum in ea clauduntur intrinsece. vt negatio differentiæ essentialis equi, vel leonis, in essentia hominis: hæc igitur erit per se nota positiue, homo est rationalis, hęc negatiue, homo non est equus vel leo, aut non est hinnibilis (si hæc sit differentia essentialis equi) hæc item erit per se nota negatiue, substantia non est quantitas; & vniuersaliter loquendo omnis alia, in qua vnum genus supremum negatur de alio, vna item sub alterna species, vel athoma de altera. Hanc diuisionem posuit expresse Aristoteles .1. poster. tex. 38. his verbis. *Sicut quedam principia sunt indemonstrabilia, quod sit hoc illud, & quod sit hoc in illo, sic & quod non erit hoc illud, nec quod sit hoc in illo, quare hæc quidem esse aliquid, alia autem non esse aliquid erunt principia, &c.* Eandem acceptat D. Thom. in eorundem verborum commentariis, lect. 36. quam Scotus non negat.

Aristotel.

In duabus vterque dissentit primo.

His duobus, in quibus consentiunt explicatis, duo alia supersunt, in quibus dissentiunt, vnum est definitionem, & definitum esse diuersos terminos ex se, atque adeò diuersas constituere propositiones cum prima passione, definitionem quidem per se

55. notam secundum naturam: definitum verò non nisi demonstrabilem per definitionem.

Secundo.

Alterum est, non esse distinguendam propositionem per se notam in eam, quæ est per se notam secundum naturam, & quo ad suos, neque propositionem per se notam nobis in eam quæ cunctis est per se nota, vel solis sapientibus: nam D. Thom. & omnes, qui eum sequuntur contraria his tenent, his duabus diuisionibus propositionem per se notam diuidentes (vt vidimus) atque etiam duas illas propositiones ex definitione, ac definito constitutas, ex natura rei non esse distinctas, quemadmodum nec definitio ipsa a definito ex natura rei distinguitur: vnde nec distinctas constituere proposi-

56. tiones, sed eandem, ac per se notam secundum naturam, solum quo ad nos distinctos esse terminos, distinctas efficere propositiones; definitionem quidem per se notam definitum per eam demonstrabile; hoc enim docuit D. Thomas 1. lib. post. lect. 36. & vtrumque nos tanquam longè probabilius dictis Scoti recipimus.

Primum notabile.

Vt autem vtrumque probemus illud est tanquam certum præsupponendum. Intellectum nostrum, ex duplici parte esse imperfectum, ex priori quidem quia non valet quęcunque sunt in re aliqua, vno actu, vel conceptu capere, sed quasi per partes ea intel- 57.
ligens in plures conceptus diuidit, quos iterum coniungens integram rationem perficit; vnde nec statim potest rem distincte concipere, sed confuse prius eius conceptum format, deinde ad distinctum procedit: ex posteriori autem parte imperfectus, in quantum pro præsenti saltem statu corporis as sensibus accipit cognitionem; vnde ea sunt sibi maiori ex parte notiora, quæ magis sunt sensibilia: & cum effectus, vel operationes rerum præsertim corporalium per sensus percipiantur, eiusmodi facilius capit, ex quibus ad causarum, rerumque spiritualium inuestigationem procedit; causas igitur natura priores, & notiores non prius percipit, sed ex effectibus earum notitiam venatur: & hinc procedit, vt quę ex propria natura sunt notissima ac per se, hoc est, sine medio ab intellectu expedito cognoscibilia, à nostro difficilius cognoscantur, nec per se, sed per medium sibi manifesta fiant: hinc etiam procedit, quemadmodum solum eius comparatione distinguūtur priora & notiora, quia quæ sunt talia ex propria natura, sibi sunt posteriora ordine cognitionis, pari ratione per se nota distinguenda sunt, siquidem quæ sine medio sunt cognoscibilia, non nisi per medium apta sunt ab eo cognosci: solum autem eius comparatione distingui eiusmodi dicimus; quia respectu expediti intellectus qualis est diuinus, vel Angelicus, non habet locum similis distinctio, sed quæ sunt ex propria natura priora, & notiora, prius suo modo ab eis cognoscuntur; & quæ ex propria natura sunt per se nota sine medio.

Secundum notabile.

Ex priori autem imperfectione fit, vt non possit conceptum rei distinctum formare, nisi per partes eam concipiendo; nam si absque tali diuisione vnico velit eam conceptu capere, distincte, sed confusè sapiet; per partes autem rem intelligere, eaque in vnum

58. vnum coniungere, vt integram eius rationem distinctè perficiant, nō est aliud, quam definitionem construere modo quidem imperfecto, quem partiales conceptus, eorumque copulatio (quæ compositio quædam est) satis apertè indicant, hæc namque in intellectu expedito non sunt necessaria, imò nec locum habere possunt; sed vnico actu, & simplici conceptu, rem totam integramque eius essentiam, absque vlla diuisione, definitione, vel successione, distinctè intelligit: & ex eisdem intelligimus diuisionem essentiæ in partes generis, & differentiæ, ex quibus definitio componitur; & compositionem speciei, quam metaphysicam appellamus, esse in reipsa composita, in ordine ad nostrum intellectum eam imperfectè concipientem.

Primum corollariũ. Ex quibus infero primo verissimum esse definitionem, & definitum non distingui ex natura rei, sed in ordine ad nostrum intellectum confusè, ac distinctè eandē rem cōcipientem; atque adeò non nisi quoad nos distinctam propositionem constituere; at ex
59. ipsamet rei natura, vnam, & eandem: & quidem per se notam, cum nullum sit medium inter subiectum, & primam passionem, excepta definitione, quæ solum medium quo ad nos existimatur, cum solùm quo ad nos sit à subiecto distincta: Itaque non est locus distinguendi propositionem per se notam secundum naturam, ex definitione, & prima passione conflatam, per quam demonstratur eadem passio de definito (vt voluit Scotus) sed solum quæ ad nos (vt docet D. Tho.)

Probatur ratione. Quod rursus probatur ex his, quæ docet idem D. Tho. opus: de fallacijs cap. 12. & Albert. Mag. 2. li. Elench. cap. 14. nēpè ex modis, quibus contingit fallacia petitionis principij, positis ab Aristotele 8. lib. Topic. cap. 4. loco 80. Primum esse quando affertur definitio rei, tanquam medium ad probandum aliquid de definito: tunc enim petitur principium, ait D. Tho. quia tam ignotum

D. Thomas est aut incertum, quod definitioni conue-
Albertus niat, ac definito; & si negatur illi conueni-
Magnus. re, non minus negari poterit, quod defini-
60. tioni conueniat: petitur ergo vt tanquam certum detur, quod probandum superest: eiusmodi autem fallacia locum non habet, nisi ex natura rei accipiendo definitionem ac definitum, quo pacto tam ignotum est vnum ac alterum, imò cum idem prorsus sint, non erit aliud, quàm velle idem probare per se ipsum, & ignotum per id, quod modo simili ignotum est; nam si quo ad nos accipiantur, cum distincta sit definitio, ac definito notior legitimus erit argumentandi modus, probans prædicatum conuenire definito, quia definitioni conuenit: nec modo simili negari poterit, siquidem hæc notior est, & stare benè potest vt quispiam ignorans, quod definito conueniat, definitioni conuenire nouerit; ex qua sibi persuadeat conuenire definito: vnde fit, vt hoc modo dumtaxat distincta sit vna propositio ab altera; hoc item modo secunda sit per se nota, prima verò, quæ per eam probatur demonstrabilis.

Ex eadem adnotata doctrina infertur secundo, bonam esse ac necessariam diuisionem propositionis per se notæ à D. Thom. traditam, in per se notam secundum naturam, & quo ad nos. *Secundo illat. & secunda conclus.* 61.

Quod planè colligitur ex doctrina Aristotelis, cap. præsenti, & præcedenti, quibus locis expressè tenet, & notiora distinguenda esse in ea, quæ talia sunt ex natura rei, & quo ad nos: quod etiam confirmat inferius tex. 30. discrimen inter demonstrationem, quia, & propter quid, designans in eadem scientia, in qua aliquando à causa procedimus quandoque etiam ab effectu, per quem demonstramus causam, & vtroque modo à notioribus; alioqui non posset esse vtilis modus procedendi: verba autem eius sunt. *Alio autem modo si per immediata quidem, sed non per causam, sed per notius eorum quæ conuertuntur: nihil enim prohibet eorum, quæ conuersim prædicantur, notius aliquando esse, quod est non causa, quare erit per hoc demonstratio, &c.* Si igitur in prioribus, & notioribus locum habet distinctio, ex natura rei, & quo ad nos, non minus habebit locum in his, quæ per se nota sunt. *Ab authoritate Arist.*

Quod efficaciter probari potest, si intelligatur, quid sit propositionem esse per se notam, non est enim aliud, quam notam non per aliud, sed notitia terminorum: tot igitur modis erit ex propositio demonstrabilis, quot contingit habere medium; sed verè contingit propositionem ex natura rei immediatam, medium quo ad nos habere, per quod in tali ordine nobis demonstretur, quibus alias non erat nota, ergo quæ per se nota *Primo probatur ratione.* 62.

nota est; ex natura rei, potest esse quo ad nos demõstrabilis, quibus tamẽ si eius termini noti essent, non solum ex se foret per se nota, sed etiam quo ad nos.

Secunda ratio. Secundo probatur ex duobus, quæ ab Aristotele, eisdem statuuntur locis cap. præsertim 2. ex quibus simul acceptis euidens (nisi ergo fallor) argumentum constituitur aduersus Scotum: primum est definitio propositionis immediatæ, quam hisce verbis tradit, præpositio immediata est, qua non est alia

68. prior: priora, autem distinguit in ea, quæ talia sunt ex natura rei, & quo ad nos: ergò eisdẽ duobus modis cõtingit propositionem aliquam habere aliam priorem, vel ea carere, si careat, est propositio immediata, quam vocat idem Aristoteles cap. eodẽ principium demonstrationis, ergò principium demonstrationis aliud erit tale secundũ se, aliud quo ad nos: principium autem demonstrationis conuertitur cum propositione per se nota: hanc igitur in per se notam secundum naturam, & quo ad nos necesse est distinguere in doctrina Aristotelis. tex. etiam 30. cuius verba retulimus, de demonstratione procedente ab effectu ait ex immediatis procedere, non certè ex natura rei, ergo quo ad nos; duplicia igitur esse censet immediata, atque adeò per se nota, quæ cum eis conuertuntur: peculiare autem id esse in nostra cognitione propter imperfectionem eius intrinsecam docuimus, cum in aliis cognitionibus, diuina nẽpe, & Angelica, talis distinctio locũ non habeat: & ex tali cognitionũ differentia intulit bene D. Thom. locis præallegatis, hãc propositionem, Deus est, per se notam esse ex natura rei, quia esse Deo conuenit essentialiter, & sine vllo medio: vnde, & ipsi Deo Optim. ac beatis erit per se nota; nobis verò immediatam connexionem prædicati cum subiecto non capientibus non est per se nota, sed euidentem eius veritatem, per medium percipimus, nempè per effectus, ex quibus eam demonstramus.

Qualibet propositio immediata est per se nota. Ex tota hac doctrina infertur quamlibet propositionem immediatam esse per se notam, quod hoc argumento euidenter probatur: propositio immediata est, qua non est alia prior (vt docuit Aristoteles) ergò quæ non habet medium per quod demonstretur: vnde sequitur per se esse cognoscibilẽ, hoc est, ex terminis propriis, quod est esse per se notã;

69. sed quemadmodum per se nota distinguitur in eam, quæ talis est ex se, vel quo ad nos, pari ratione immediata.

Satisfit Scoti sententiæ argumentis.

Ad argum. Scot. primi ordinis. Argumentis Scoti primi ordinis occurrimus admittentes propositionem per se notam esse, quæ ex propriis terminis, vt sunt aliquid eius, & non ex alio intrinseco, habet euidentem veritatem (eiusmodi enim definitio eadem est cum definitione D. Thom. licet verbis valde diuersa appareat, vt in corpore quæstionis adnotauimus) illud tamen, quod ex ea intulit Scotus, nempe distinctam esse propositionem, in qua prima passio prædicatur de definitione, ac de definito, & illam esse per se notam, hanc verò ex ea demonstrabilem, distinguendum est (v. bene D. Thom. & qui eum sequuntur) nam si ex natura rei intelligatur, falsum est, si verò quo ad nos, verum: & cum per definitionem demonstramus primam passionem de subiecto, vim demonstrationis solum habet quo ad nos, qui definitionem tanquam conceptum distinctum à definito, sicut à confuso separamus, minimè ex natura rei, in qua non est talis distinctio, cuius illud est euidens signum, quod ab intellectu expedito non fit: etenim si definitum intelligentes confusum duntaxat conceptum eius formamus, nec distinctum formare possumus, nisi illud per partes intelligendo, quas coniungentes, definitionem constituimus; ex nostro modo intelligendi imperfecto, totum hoc accidit, cum tamen distincta sit essentia in eo, & ab intellectu expedito absque tali conceptuum diuisione distinctè intelligatur, apud quem similis demonstratio primæ passionis de subiecto per definitionem, locum non habet, nec secundum modum discursiuum, nec per simplicem notitiam, itaque ex natura rei solum demonstramus vnam passionem, per aliam de subiecto, hoc est, secundam per primam, & per secundam tertiam, sicque deinceps: prima verò demonstrabilis non est, sed propositionem per se notam cum eo constituit: quidquid autem definitione mediante vlterius efficitur, solum in ordine nostræ cognitionis imperfectæ ad processum demonstratiuum, ac scientificum pertinet. 70.

Ad confirm. Vnde ad confirmationem respondetur, ex natura

natura rei nec distinctum esse terminum de-
72. finitionem à definito, nec distinctam propositionem constituere, nec demonstrationem: sed isthæc omnia modum nostrum imperfectum intelligendi distinguere, atque efficere.

Ad secundum argu. Ex quibus etiam patet solutio secundi argumenti; nam quemadmodum quo ad nos tantum reperitur distinctio conceptus distincti, & confusi, sic etiam prioritas; cum tamen in ipsa rei natura neutrum reperiatur.

Ad tertium argum. Ad tertium dicimus imperfectas esse cunctas scientias in nobis (etiam si de Metaphysica nostra sit sermo) quæ igitur distinctius per definitiones in ea cognoscuntur, vel demonstrantur, quod scientiæ particulares non attingunt, quo ad nos fieri intelligendum est, non ex ipsa rei natura, quæ sic est indefinito distincta, sicut à nobis per definitionē concipitur.

Ad argum. secundi ordinis. Argumenta secundi ordinis illud tanquā certum præsupponere videntur, quod planè falsum est, nempe propositionem per se notā secundum naturam talem esse respectu cuiusque intellectus, quemadmodum falsum arbi-
73. tratur Aristoteles respectu cuiusque intellectus priora, & notiora esse, quæ ex se sunt talia; etenim cum non omnis intellectus eundem modum cognoscendi habeat, neque est eadem comparatio obiecti cum eo, sed ad intellectum expeditum, atque perfectum comparatur, secundum propriam naturam, veluti est in se, ad imperfectum verò iuxta proprium modum, qui talis est, vt non possit quæcunque per propriam naturam cognoscere, nisi prius ei per effectus sensibiles ostendantur; vnde neque propositionem quamlibet (etiam ex propria natura, ex terminis cognoscibilem) sine medio sibi proportionato cognoscere aptus est, quod & si propositio ipsa ex se non habeat, bene tamen ad talem modum imperfectum cognoscendi comparata: vnde fit, vt quamuis verum sit propositionem per se notam per proprios terminos esse cognoscibilem ab intellectu expedito; non tamen ab imperfecto, & veluti sensibus impedito, qualis est humanus, præsertim pro statu corporis præsenti; & idcirco respectu huius intellectus distinguenda est propositio per se nota, quemadmodum priora & notiora distinguit Aristoteles, ita vt propositio per se nota, vna sit ex se talis, & respectu intellectus expediti, altera verò respectu humani, vel (vt aiunt) quo ad nos, quæ distinctio licet sit per accidens quantum ad ipsam propositionem secundum se sumptam; non tamen respectu nostri intellectus, cui ex proprie natura conuenit similis imperfectio; nec solum dicitur per se nota ex se & non quo ad nos, quia à nobis non cognoscitur ex terminis, sed quia non est hoc modo à nobis cognoscibilis, sed per medium proportionatum; & eodem pacto negandum est propositionem quamlibet per se notam, ex se sapientibus, & insipientibus esse per se notam: nam multæ sunt ex terminis non cognoscibiles ab intellectu humano, nisi iam instructo; vnde respectu huius dicuntur per se notæ, non respectu cuiusque.

Propositio per se nota, quomodo sit accipienda.

74.

Ad confir. Confirmatio huius argumenti non solum habet solutionem facilem, sed nostram confirmat sententiam: nam syllogismus secundæ, ac tertiæ figuræ, si ex natura
75. rei accipiatur, non minus est euidens consecutio, quam syllogismus primæ; in eo solum discrimen est positum, quod huius forma, atque euidentia cunctis est manifesta, illius verò non omnibus, sed iam instructis, & ideò, vt percipiatur ab omnibus, reductione ostensiua, vel (quam vocant) ad impossibile indiget; solum ergò differunt in ordine ad nostrum intellectum; & hæc differentia sufficit, vt diuersæ figuræ ab Aristotele, & omnibus distinguantur, ergò sufficiet comparatio propositionis per se notæ ad nostrum intellectum, vt distinguatur in per se notam secundum se, & quo ad nos.

Ad 1. Aureol. & Gregorij. Ad primum Aureoli, & Gregorij respondetur, proprios formare conceptus terminorum propositionis per se notæ, duobus modis contingere, ex sola notitia terminorum,
76. vel per medium à posteriori: & quidem expeditus intellectus modo priori eos format; noster verò non nisi modo posteriori: ideò respectu illius per se nota dicitur, non tamen respectu nostri, nisi à posteriori demonstrabilis: falsum itaque existimandum est vniuersale illud assumptum, propositio per se nota est talis in quocunque intellectu proprios conceptus terminorum formante; sed distinguendum est; nam vel formantur ex solis terminis, & tunc censetur per se nota, vel per aliud medium, & tunc ei erit demonstrabilis, saltem respectu talis intellectus sic ei assentientis.

Ad 2. Arg. Secundum argumentum, solutum est ex his, quæ.

his, quæ in corpore quæstionis adnotauimus: nam in propositionibus, quæ in argu-
77. mento accipiuntur, & similibus, licet directè non claudatur prædicatum intra rationem subiecti, cum partes sint extra rationem totius, & linea extra rationem punctorum, à quibus ducitur; indirectè tamen verè clauditur, cum de ratione totius intrinseca sint reliquæ partes, quarum ratione qualibet per se sumpta maius est; vel certè si propositio per se nota negationem importet, prædicatum intrinsecam repugnantiam dicit respectu subiecti, ac propterea intrinsece ab eo excluditur: definitio enim Diuæ Thomi, secundum proportionem est accipienda in propositionibus per se notis; affirmatiuis, & negatiuis vtriusque iuxta propriam conditionem accommodanda: de cæteris verò, quę accidentales sunt, secundum rem, vel modum; vt motum esse, vel naturam, niuem esse albam, &c. diximus iam non numerari in propositionibus per se notis ad demonstrationem conficiendam aptis & quæ appellantur per se, de his enim solis præsens controuersia procedit, vel quod idem est (vt bene Ferrariens.) non sunt per se notæ notitia intellectiua, sed sensitiua, quas definitio D. Thom. non comprehendit, earum etenim notitia per experientiam sensuum accipitur, atque ex eius vi, & efficacia nullo expectato medio eis assentitur intellectus.

Ad confir. Confirmatio demum à nobis addita explicationem petit harum propositionum, homo est substantia, corpus, & viuens, & aliarum similium, quæ medium videntur ad-
78. mittere, cum tamen vere sint immediatæ, non solum ex natura rei sed etiam quo ad nos: præsertim apud D. Thom. nam prædicatum omnino clauditur intra rationem subiecti; cuiuslibet enim speciei essentia, atque definitio, non solum differentiam atomam, cum qua conuertitur, sed omnes superiores cum suis generibus formaliter claudit, vt homo non solum differentiam rationalis, sed substantiæ corporeæ, atque viuentis, cum eisdem generibus ex quibus completa eius definitio coalescit: vnde fit vt isthæc omnia prædicata immediate ei conueniant; veruntamen, quia animal solam naturam sensitiuam exprimit, & rationale solum gradum rationalitatis, in quibus implicitè clauduntur cęteri, duo hæc prædicata dicuntur proximè conuenire homini secundum hanc rationem, vel conceptum explicitum, cum tamen omnia immediata sint æqualiter absoluta locutione: nam animæ rationali, a qua accipiuntur radicaliter, proximè conuenit esse formam substantialem corpoream, viuentem, sensitiuam, & rationalem: possumus igitur, hac vti distinctione (si placet) vt clarius argumento satisfaciamus: *Secundum* medium duplex esse, vnum prædicationis, *mediū, & eius expositio.* aliud demōstrationis, vel causalitatis, & rationem illius in eo dūtaxat cōsistere, quod explicite, & quasi expresse proximū genus, vel 79. differentiam rei contineat, ideo proxima appellata, quia explicite propriam adæquatamque rationem speciei exprimunt, cum tamen cætera implicite, atque essentialiter in eis, atque in specie eadem æque proxime claudantur, vnde merito medium hoc nudæ prædicationis appellatur, & non tale simpliciter, sed secundum quid, vel certè medium prædicamentale, quod solum prædicamentali constitutioni deseruit medium autem demonstrationis tale est simpliciter, quia vere est causa, quare insit prædicatum aliud ex natura rei, & quo ad nos, & prioritatem respectu alterius prædicati importat; vnde à priori vnam pro- 80. positionem per alteram ratione illius demonstramus, talis est vna passio respectu alterius, vt capacitas disciplinæ respectu visibilitatis, & iuxta rationem huius medij accipienda est ratio propositionis per se nota, quæ talis est, quia ex propriis terminis ei assentitur intellectus, & non per medium; non iuxta rationem primi, quod non est tale, nisi in certo ordine, nempe prędicamentali; propositio igitur per se nota, cum immediata conuertitur, hoc est cum ea, quæ medio caret demonstrationis non cum alia, quæ solo caret prædicamentali, *propositio* nam quanquam hoc admittat à ratione pro- *per se nota,* positionis per se notæ non deficit, cum ex *cum imme-* propriis terminis sit cognoscibilis; & in hoc *diata con-* sensu locutum esse Aristotelem, non obscu- *uertitur.* re indicat definitio immediatæ propositionis; nam eam esse ait, qua non est alia prior: vnde fit, vt cum medium prædicationis 81. nullam prioritatem, vel causalitatem importet, nec propositionem mediatam efficiat, vel demonstrabilem: & hinc etiam intelligitur non esse veras demonstrationes,

quæ ex talibus prædicationibus efficiuntur, sed euidentes quosdam syllogismos, ex vno prædicato adæquato, atque explicito ostendentes alia prædicata (vere etiam, & simpliciter immediata) explicite conuenire: exemplo nobis esse potest syllogismus iste, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergò omnis homo est substantia; quem à vera ratione demonstrationis deficere euidenter ostendo: nam vera demonstratio ex veris, primis, notioribus, & prioribus, causisque conclusionis constare debet; sed in tali syllogismo, & similibus nulla causalitas, nulla prioritas reperitur, ergo veram rationem demonstrationis non attingit.

Nota. Hæc de propositionibus per se notis adnotata sufficiant Circa caput hoc tertium differunt nonnulli interpretes, de habitu
2. primorum principiorum, eiusque natura & conditionibus, quas nos (Deo bene fauente) ad finem huius libri commodius explicabimus.

DEMONSTRATIONIS PRO-positiones veras esse veritate necessaria. Quid sit id, quod dicimus de omni, quid per se, quid vniuersale.

CAPVT QVARTVM.

QVONIAM autem impossibile aliter se habere, cuius est scientia simpliciter, necessarium vtique fuerit scibile, &c.

QVOD MODIS CIRCA PRAEdicatum vniuersale. primum errare contingat: & quomodo ipsum vere cognoscatur.

CAPVT QVINTVM.

OPORTET autem non latere, quòd plerumque peccare, & non esse, quod monstratur primum vniuersale, &c.

VTRIVSQVE TEXTVS expositio.

QVANQVAM hæc duo capita, quartum videlicet, & quintum, communis diuisio textus, vtriusque translationis Boetii, & Argyrophyli separet. expositio tamen minimè separanda est, ex ea namq; constabit quintum caput non esse aliud, quam fragmentum quoddam quarti, simul cum eo necessario explicandum, vt completa sit doctrina Aristotelis, & eodem à nobis conceptu adæquate comprehendatur. Intentum. 1.

Vtrumque igitur quasi in vnum coniungentes in tres partes diuidendum censemus: in prima statuit Aristoteles demonstratiuam scientiam, hoc est quam per demonstrationem comparamus, circa rem necessariam versari, ex quo infert demonstrationem ex necessariis principiis procedere, obiter illatum hoc vnica ratione ostendens in secunda parte tres conditiones affert, quas habere oportet præmissas, vt necessariæ censeantur nempe, vt sint de omni, vt sint per se, & in quibus prædicatum dicatur de subiecto vniuersaliter, vel secundum quod ipsum, singulas conditiones sigillatim exponens: ad extremum verò tribus modis deceptionem contingere circa assignationem prædicati, vniuersalis docet, hoc est, in tribus procedere, vt decepti putare possimus demonstrare nos aliquam proprietatem de subiecto vniuersaliter, quæ tamen vere non conuenit ei vniuersaliter, & ideo non leuem defectum in tali modo demonstrandi committi.

Vt autem quæ ab Aristotele in his duobus capitibus afferuntur melius capere possimus, aperire necesse est, quid in sequentibus intendat; sunt enim quasi sequentium proœmium: est igitur intentum ostendere demonstrationem, ex necessariis, & propriis, ac perpetuis procedere: vt autem similes habeant conditiones, necesse est, sint de omni, per se, & in quibus prædicatum dicatur de subiecto vniuersaliter, ad probandum igitur principale institutum necessarium fuit explicationem horum tri- Nota. 3.

horum trium terminorum præmittere, quam capite 4. & 5. tradit.

Quod demonstratio procedat ex necessariis.

Demonstrationem ex necessariis procedere hac ratione probat (vt textus iam expositionem aggrediamur) conclusionem demonstrationis scimus ex principiis ergo non potest aliter se habere, est igitur necessaria; ac proinde ex necessariis principiis deducta, quapropter demonstratio ipsa, per quam deducitur, ex talibus principiis necessariis procedat necesse est: prima consecutio euidenter probatur ex definitione scire cap. 2. designata, scire est rem per causam cognoscere, quod illius est causa, & quod non contingit
4. *aliter se habere, secunda, ex definitione necessarii, est enim illud, quod non potest aliter se habere: postrema non est minus euidens; nam licet verum posit ex falsis, necessarium ex probabilibus aliquo modo syllogizari, demonstrari verò minimè, nisi ex necessariis.*

Cuius hæc est pulchra ratio, ex discrimine inter demonstrationem, & syllogismos cætero, deducta; nam in his, non ex virtute præmissarum, sed solius illationis necessaria solet conclusio inferri, in demonstratione vero, vtpotè syllogismo perfectissimo, nō solum ex illationis vi (quāquam hæc requisita sit) sed præcipue ex virtute præmissarum de-
5. *ducitur: repugnat autem falsam esse causam veritatis, aut probabilem causam necessarii, nisi velis effectum esse causa præstantiorem, quod planè absurdum est: si ergò res ita se habet infert Aristoteles definiendum esse, ex quibus præmissis sit demonstratio, & ex qualibus conclusionibus constare debeat.*

Tres modi in demonstratione requisiti.

Tres sunt modi, quos habere oportet; tam principia demōstrationis, quam conclusionē; primus, vt in eis prædicatū dicatur de omni: dici aūt de omni duplicē conditionē requirit apud Aristotelem, nempe, vt de quolibet contento sub subiecto, ac pro quolibet tempore dicatur, primam conditionem habet prædicatum huius propositionis, omnis homo vigilat, non tamen secundam quia non semper conuertit, sed tempore quodam determinato, ideò non dicitur de omni, habet vtramq; coloratum respectu hominis: quia pro qualibet temporis differentia de eo dicitur, ac propterea de omni est hæc, omnis homo est coloratus.

Primus modus per se.

Per se, distinguit Aristoteles in quatuor modos, quorum primus est, quando prædicatum pertinet ad essentiam subiecti, quia vel est eius definitio, vel pars definitionis, vt homo est animal rationale, homo est animal, homo est rationalis; vel certè aliquo modo ad definitionem pertinens. quod addi- 6.
mus propter exempla ab Aristotele apposita, de lineæ respectu trianguli, & puncto respectu lineæ. non enim cadit in definitionem lineæ punctum, tanquam pars eius essentialis, cum ex punctis non cōponatur, sed tāquam aliquid in essentia clausum: punctis namq; continuatur, ac terminatur, sine quibus nec esse nec intelligi potest, ideò intrinseca sunt ei, tanquam continuatiua, & quasi in obliquo.

Secundus modus per se.

Secundus modus est quando ex opposito subiectum, clauditur in definitione prædicati; hoc enim sibi vult Aristoteles illis verbis obscuris quidem. Et quibuscunque in existētium ipsis ipsa sunt in oratione quid est declarante, &c. id est quando subiecta defini-
unt ea, quæ sibi in existūnt, vel ipsis inhærēt 7.
prædicatum: quemadmodum numerus parem definit, vel imparem, & linea rectam vel curuum; etenim si velis definire parem vel imparem, dices esse numerum talem si rectum, esse lineam sic se habentem; & si risibile, esse hominem aptum addendum, & quamlibet passionem per propriū subiectum explicabis: vnde quoties passio enunciatur de subiecto, in hoc secundo modo per se constituēda est propositio. Et his duobus modis per se constitutis, infert Aristoteles cæteras propositiones, in quibus neutro modo prædicatum se habet respectu, per accidēs esse, vel accidentales.

Tertius modus per se.

Tertium modum per se constituit substātia, quia ex propria conditione habet non in subiecto, sed per se subsistere: vnde nec de aliquo subiecto dici: à quo excluduntur quælibet accidentia, quibus ex opposito conue- 8.
nit non per se, sed in alio sustentari, de alio:

que tanquam de subiecto enunciari. vt albo, & musico.

Quartus modus per se. Quartus modus per se efficitur ex effectu, & causa per se; contingit enim aliquem effectum ex causa sequi, sed per accidēs; quia non ex virtute causæ sed aliūde, vt coruscatio ex deambulatione, vel ex terræ effusione inuentio thesauri: alius est effectus, qui per se sequitur, hoc est, ex virtute causæ; propositio igitur in qua iste de sua causa enunciatur per se dicitur quarto modo, & tales sunt quæ sequuntur, iugulatus interiit, ædificator ædificat: si verò effectus per accidens de sua causa enuncietur, per accidēs omnino censetur, vt si dicamus vineam effodientem pecuniam inuenisse.

9. Quomodo distinguantur hi modi per se. Ex his quatuor modis per se (vt bene adnotāt D. Thom. Philoponus, & Themistius, quos cæterorum interpretum turba sequitur) duo primi sunt per se prædicandi, tertius per se existendi, quartus per se causandi: nam, & si ex quarto modo fiant prædicationes, non fundatur earum veritas in eo, quod prædicatum insit subiecto, quòd commune esse in prædicationibus solet; sed in eo duntaxat, quod per se sequatur, quanquam ei non insit, vnde non tam per se inhæsionis, vel prædicationis, quā causalitatis appellantur.

10. Quibus modis per se vtatur demonstrator. Ex horum modorum explanatione infert Aristoteles obscure admodum, sed ex cunctorum interpretum sententia, quibus modis per se demonstratoria ars vtatur: dissentiunt tamen Autores in eis designandis, quos enumerare vult Aristoteles: nam quidam secundum enumerasse. Sentiunt, D. Thom. quem sequitur Paulus Venetus, secundum, & quartum, nempe quando subiectum definit prædicatum, & est causa eius per se: alii demum, primum, & secundum, quia quartum non enumerant inter modos prædicandi.

11. Expositio Boetii. Rem dubiam fecit obscura, & fortè diminuta Boetii translatio, cuius verba referre placet, habent enim sic: Quæ ergo dicuntur in simpliciter scibilibus per se sic sunt, sicut inesse prædicantibus, aut inesse propter ipsa, quæ sunt ex necessitate, &c. Ecce solū duos modos enumerat, secundū videlicet primis verbis in esse prædicantibus; quasi dicat eo modo per se vti demonstratorē, quo subiecta insunt prædicatis, id est ad eorum definitionem pertinent: quartum autem verbis postremis dicens, aut in esse propter ipsa, id est, quando ex eorundem subiectorum virtute sequuntur prædicata: fauet, absque dubio translatio hæc maximè D. Thom. expositioni: sed translatio Argiropyli, clarior quidē eis fauet, qui primum, & secundum enumerasse sentiūt, his enim verbis continetur: Quæ igitur in hisce, quæ sub scientiam simpliciter cadunt, per se dicū-tur, vel eo pacto, vt sint in prædicatis subiecta, vel eo rursus, vt ipsa sint in subiectis, ea ob ipsa, & necessario sunt, &c.

12. Agiropyli translatio.

Expositio autoris. Ego verò, cui dilucidior hæc Argiropyli translatio magis placet, existimo omnes tres modos per se, primum: videlicet, secundum, & quartum recensuisse Aristotelem (vt omnes expositiones comprehendamus) primum namque, & secundū explicauit plane dum dixit, vel eo pacto vt sint in prædicatis subiecta, vel eo rursus, vt ipsa sint in subiectis: quartum verò non minus aperte adens ea ob ipsa, & necessario sunt quibus verbis vsus antea fuerat in eius modi explicatione, estq; valde rationi consentaneum hos omnes enumerare voluisse. 13.

Nam omnem fere demonstrationem propter quid ingrediuntur (vt in adnotationibus ostendemus) primus quidem, & secundus in præmissis, imò etiam quartus, & iste in conclusione: rem manifestam efficiet communis demonstratio: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal, rationale; ergo omnis homo est risibilis: cuius præmissa maior in secundo, & quarto continetur modo, cum subiectam sit in definitione prædicati, & rursus causa eiusdem per se: & tantundem censendum est de conclusione: minor verò in primo, cum integra definitio de proprio definito enuncietur: illud tamen certum esse debet, quod si de sola conclusione sermo sit, de qua videtur Aristotel. locutus iuxta Boetii translationem, duo, tantum modi, secundus videlicet, & quartus enumerari debuerunt: repugnat

pugnat enim conclusionem demonstrationis propter quid, collocari in primò, ideò D. Thom. de conclusione demonstrationis literam exponens secundum, & quartum modum enumerauit, cui non repugnat tertium addidisse Aristotelem, si de tota demonstratione loquitur, vt videtur ostendere translatio Argiropyli. Nostra igitur expositio non est vllo modo contraria sensui D. Thomæ.

Passio de subiecto, in secundo vel quarto modo per se enunciatur.

Passionem autem de subiecto enunciari docet necessario, & per se in secundo, vel quarto modo, non solum dum vna res simplex est, sed etiam si sint duæ sub disiunctione; exemplum primi tenet risibilitas respectu hominis, secundi verò par, vel impar respectu numeri, rectum, vel curuum respectu lineæ: huius autem postremi hanc rationem reddit, quia sic se habent par, & impar comparatione numeri rectum, & curuum comparatione lineæ, sicut contradictoriè, cōtrariè, vel priuatiue opposita: vnde quemadmodum contradictoria absolute, contraria immediata, & priuatiua, circa idem subiectū sub disiunctione accepta necessario ei conueniunt, quia contradictoriis æquiualent; pari ratione par vel impar: idem est enim in contrariis immediatis, & priuatiuis circa subiectum aptum, calidum, quod non frigidum, cæcum, quod non videns: id circo necessariam prædicationem totum disiunctum constituit, nempe calidum esse, vel non calidum, cæcum, vel non cæcum, homo, vel non homo: pari ratione idem est circa numerū imparē esse, quod nō parem, & circa lineam curuum, quod non rectū: & propterea necessaria est totius disiūcti prædicatio, numerus est par vel impar, linea recta, vel curua & ex consequenti per se in suo ordine, & modo.

Quid sit vniuersaliter.

Tertium terminis est vniuersaliter, *nulla egens diuisione, sed simplici expositione, quæ talis est apud Aristotelem.* Vniuersale autem dico, quod vtique, & de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum, &c. *Triplicem conditionem continens requisitam, & sufficientem, vt prædicatum vniuersaliter dictum de subiecto; quod dicatur de quolibet contento sub illo, & pro quolibet tēpore, quod dicatur per se iuxta aliquē modum ex quatuor, & quod conueniat subiecto secundum quod ipsum, hoc est, in quantum tale est. Defectu primæ conditionis prædicatum huius propositionis, omnis homo vigilat, non dicitur vniuersaliter, neque huius, omnis homo est coloratus, defectu secundæ, nam, & si de omni dicatur, non per se; defectu tertiæ non prædicatur sensibile de homine vniuersaliter; quia etiamsi per se ei conueniat in secundo modo; non conuenit ei secundum quod ipsum, hoc est, in quantum homo est, sed in quantum animal. Ex his exemplis facile intelliguntur alia, quæ in figuris designatur ab Aristotele, vt duos rectos habere respectu figuræ non dicitur de omni, ideò neque vniuersaliter. Nec demonstrator figuram designat tanquam proprium huius proprietatis subiectum, cum notum sit quadrangulo non conuenire; conuenit autem triangulis per se, sed nulli vniuersaliter vt æquicruri (hoc est triangulo habenti duo latera tantum æqualia, quæ se habent tanquam duo crura in homine) per se conuenit habere tres angulos æquales duob. rectis, nō tamen vniuersaliter, quia non secundū quod ipsū, hoc est, in quantū æquicruri, sed in quātum triāgulo, vnde de solo triangulo à particularibus abstrahēte dicitur vniuersaliter.*

Nota

Obiter autem dixit Aristoteles per se idem esse, quod vniuersaliter, quod nonnullos turbauit interpretes, qui & D. Thom eadem propositionem tanquam falsam attribuunt: quem autem sensum tenuerit Aristoteles, ipse statim exposuit subdens, addere nihilominus vniuersaliter supra modum, per se, illam conditionem, nempe vt secundum quod ipsum conueniat prædicatum subiecto. Ex quo constat hoc sibi voluisse, idem videlicet esse per se; & vniuersaliter, vt superius prædicatum idem est cum inferiori, vt de animali solemus proferre, idem esse cum homine, & eundem plane sensum tenuit D. Tho. vt fidelissimus eius interpres.

Extrema pars capitis explicatur.

In extrema tandem parte, quam quintum efficit caput, communisq; diuisio vtriusque translationis; triplicem deceptionem ostendit Aristoteles contingere solitam in designatione vniuersalis, quarum prima contingeret, si vnica tātum esset species alicuius gene-

Triplici modo contingit deceptio: primus modus.

generis, vel vnum dumtaxat indiuiduum alicuius speciei: & demonstrantes de illo aliquam proprietatem genericam, vel specificam, putaremus de illo nos vniuersaliter demonstrare, quia non extat aliud, cui conueniat, ideò ei soli videtur cõuenire, ac proinde vniuersaliter; exemplum singulorum modorum statim subiiciemus, vt clarius procedamus, quanquam Aristoteles separatim atque inuerso ordine exempla omnia producat;
18. *est igitur exemplum huius primi modi apud ipsum; si non extaret alius triangulus nisi æquicrus, & de illo demonstremus, quod tres habeat angulos æquales duobus rectis, putaremus fortè nos vniuersaliter demonstrare, ex eo decepti, quod ei soli conuenire videatur, & licet in casu soli conueniret, minimè tamen vniuersaliter, siquidem non conuenit secundum quod ipsum, hoc est, vt æqui cruri sed vt triangulo, ab eo, & aliis possibilibus abstracto. Similis est ratio in eo, quod vere contingit, si probemus lunam eclipsari, quia terra interponitur inter eam, & solem, putantes nos de hac luna, vt est hæc, talem effectum, vel proprietatem ostendere vniuersaliter: quia ei soli conuenit; decipiemur tamen, quia etsi ei soli conueniat non tamen vniuersaliter: quia non conuenit ei, vt talis est, sed vt luna, cui non repugnat multis esse communem.*

Secundũ modus.

Secundo modo potest deceptio contingere quando proprietas aliqua multis speciebus conuenit ratione alicuius generis cunctis communis, quod tamen innominatum
19. *est, & hæc est deceptionis causa; nam demonstrantes proprietatem illam de omnibus speciebus putamus nos vniuersaliter illam ostendisse, cum non appareat aliud cui conueniat: gratia exempli progredi, conuenit equo, homini, ac leoni, multisque aliis animalibus, non vt animalia sunt, siquidem non conuenit cunctis animalibus, neque vt sunt talia: sed secundùm quandam rationem innominatam nempè habentis virtutem, aut potentiam progressiuam; tunc ergo deciperetur quispiã, si putaret se vniuersaliter talem proprietatem ostendisse, quòd de cunctis animalibus, quibus conuenit, eam ostenderit non enim conuenerit singulis, vel omnibus secundum quod ipsum, atque adeò neque vniuersaliter, sed habenti talem virtutem vt à cunctis particularibus abstrahenti; aliud exemplum apponit Aristoteles in numeris, lineis, corporibus solidis, ac tempore, quibus communis est commutata proportio ratione partium, à qua in cunctis possumus argumentum ducere.* Nota.

Quod vt intelligamus obseruãdum est (vt bene D. Tho.) proportionem esse habitudinem inter duas quantitates, & vt eam ad numeros tanquã ad notiores applicemus, pro- 20
portio dupla est inter duo, & quatuor, est etiã proportionalitas, nempè proportio inter duas proportiones, vel inter duos proportionatos numeros, vt si dicamus qualis est proportio duorũ ad quatuor, talis est quatuor ad octo, proportionalitatẽ cõstituimus: sed duobus modis potest se habere proportionalitas: nã vel est cõiuncta, & tũc inter tres terminos dũtaxat versatur, vt ostendat designatum exemplum; si vero sit diuisa versatur inter qua-
tuor, vt qualis est proportio duorum ad tria 21
talis est quatuor ad sex, diuisa autem hæc dicitur, illa verò coniuncta, quia duæ istæ proportiones numerorum non vniuntur in aliquo eorum vtrique deseruiente: quod tamen habet prima: siquidem vtraque eius proportio in quaternario vnitur vtrique deseruiente, & hoc est, quod ait D. Thom. proportionalitatem coniunctam vti vno numero vt duobus, in exemplo tamen vtriusque vt patet, eadem est proportio, permutatur verò, si termini iidem permutentur, vt si dicamus, sicut se habent duo ad tria, ita quatuor ad sex, quia vtrobique est sex qui altera, ergo sicut duo ad quatuor, ita tria ad sex, quia vtrobique est dupla.

Hoc est igitur argumentum à permutata proportione, quòd quemadmodum in numeris constitutum est, sic in lineis, in corporibus, ac tempore, secundum diuersas partes constitui potest, eiusmodi ergo proprietas permutatæ proportionis his quatuor communis est, quam, & si quispiam de cunctis ostendat putans se vniuersaliter eam ostendisse, decipietur, cum non conueniat eis, vt sin-

singulis nec etiam, vt omnibus, sed sub quadam ratione communi innominata quantitatis proportionabilis, vt sic loquamur.

Tertius modus deceptionis. Postremus error contingit, dum aliquam proprietatem ostendimus de aliquo toto, quæ verè conuenit cunctis eius partibus, vel inferioribus; & idcirco putamus de eo vniuersaliter demonstrari: decipimur tamen, cum se habeat tanquam pars ad totum respectu illius cui vere vniuersaliter conuenit tanquam pars inquam obiectiua, vel prædicatum inferius; vt si aliquis demonstraret de animali, quod augetur putans se vniuersaliter hanc proprietatem de illo ostendere quia cunctis animalibus conuenit: deciperetur profecto; nam augmentatio viuenti vt sic conuenit, cuius comparatione se habet
22. animal, vt pars obiectiua ad suum totum potentiale.

Exemplum designat Aristoteles in lineis; & enim si quispiam ostēderet de lineis rectis æque distantibus non coincidere, seu non concurrere, putans se vniuersaliter hanc de eis proprietatem ostendere, quia cunctis lineis rectis æque distantibus conuenit, deciperetur; quia lineæ rectæ æque distantes, tāquam pars in toto sunt, respectu linearum æque distantium incōmuni à rectis, vel obliquis seu curuis abstrahentium, quibus conuenit secundum quod ipsum, itaque rectis æque distantibus conuenit non vt rectis, sed vt æque distātibus, ideò non secundum quod ipsum, neque vniuersaliter.

Illatum. Ex quibus infert Aristoteles regulam esse vniuersaliter veram, vt quamquam de cunctis speciebus ostendatur passio conueniēs superiori innominato, vel cui nomen est impositum, non sciatur vniuersaliter, quo vsque de
23. eo demonstretur, sed sophistico modo, cum nō conueniat alicui secundùm quod ipsum, imò neque omnibus simul nisi vniuersali ab eis abstrahēti, vt si de Isochele, vel æquicruri, & gradato, hoc est habenti tres angulos inæquales, ac de cæteris trianguli speciebus sigillatim ostendant quispiam tres angulos æquales duobus rectis habere, non scit talem proprietatem vniuersaliter prædicari de subiecto, quousque de triangulo à cūctis abstrahente ostendat, cuius eam designat rationem: quia si eadem esset ratio trianguli, & harum specierum, sciretur vniuersaliter, quando de vna, vel pluribus, aut omnibus demonstratur; sed cum sit distincta, nō satis est de inferioribus illam ostendere, vt vniuersaliter sciatur; esse autem distinctam non realiter, sed secundum rationem intelligit: nam ratio generica, & quæcunque superior hac sola distinctione distinguitur à particularibus, à quibus abstrahitur, & in quibus est.

Superest ergò vniuersalem regulam tradere ad dignoscendum, quando prædicatum vniuersaliter primo, vel secundum quod ipsum enunciatur de subiecto (eiusmodi enim res termini ad conuertentiam dicuntur,) & hoc præstat Aristoteles in calce textus duas exigens conditiones prior est, vt tale sit illud cui proprietas aliqua attribuitur, quod se motis quibuscunque aliis adhuc ei cōueniat: gratia exempli, triangulus vt sic talis est, vt etiamsi ab eo separes materiam æream, vel etiam speciem Isochelis, æquicruris, vel gradati, nihilominus ei cōuenit habere tres angulos æquales duobus rectis: vnde fit, vt de eo possit vniuersaliter demonstrari, & ex cōsequenti eiusmodi, quæ auferuntur, non sunt prima eius subiecta, nec vniuersaliter eis accommodatur. Vniuersalis quædā regulam. 14.

Posterior conditio est, vt tale sit quo semoto, non quomodolibet, sed primo proprietas ipsa aufertur: primo (ait) quia ablato superiori aufertur passio inferioris, quæ tamē non eo ipso superiori conuenit vniuersaliter, cum non aufertur primo eo ablato, sed quasi secundario, vel ex consequenti, vt ablata figura, quæ triangulo superior est) auferuntur tres anguli æquales duobus rectis, sed non primo, nisi quia triangulus aufertur. idcirco vniuersaliter ei soli attribuitur non figuræ, neque particularibus triangulis: quibus etiam ablatis adhuc non aufertur, sed triangulo conuenit. 15.

Ex his constat expositio quarti, & quinti capitis, quæ vt absolutior esset, necesse fuit vtrunque in vnum coniungere.

NOTABILE I.

Circa particulam de omni.

DIVVS Thom. 1. posterior. lect. 9. Themistius cap. 9. sua Paraphrasis, Magister Sotus in explicatione textus, quos caterorum interpretum turba sequitur, duobus modis adnotant esse considerabilem hanc particulam de omni, primo quidẽ, vt nihil sit
26. sub subiecto accipere, de quo non dicatur pradicatum, quo pacto consideratur in libris priorum: sic namq; pradicatum dici de omni subiecto sat est, vt propositio sit syllogistica quamuis non dicatur pro quolibet tempore, sed aliquando sit falsa. Secundo accipitur, vt pertinet ad prasentem posteriorum tractatum; & addit aliam conditionem, ratione cuius semper efficit propositionem veram, nempe vt pro quolibet tempore; & hoc esse (aiunt) quod sibi voluit Aristoteles dicens: Non in aliquo quidem, in alio autem non, neque aliquando quidem, aliquando autem non, &c quasi dicat, sed de omni ac semper.

De quolibet contẽto sub subiecto enunciari prædicatum, quomodo intelligatur.

Vera sunt hac quantum spectat ad dici de omni posterioristicum (vt ita loquamur) sed qua de prioristico dicuntur explicatione indigent, vt vera censeantur: etenim de quolibet contento sub subiecto enunciari pradicatum, duplicem sensum exhibere potest, primum secundum veram inhærentiam, postremum secundum modum enunciandi vniuersalem dumtaxat, siue inhareat vel secus; & iuxta priorem sensum in solis propositionibus reperitur pro aliqua temporis differentia veris: posterior etiam in semper falsis; de omni namq; dicitur pradicatum huius propositionis, omnis homo est lapis secundum modum enunciandi, cum sit vniuersalis affirmatiua, sed ideò falsa est; quia non vere conuenit subiecto iuxta modum, quo de eo enunciatur, & quidem ad ar-
27. tem syllogisticam non est necessarium, vt pradicatum vere dicatur de omni subiecto, sed sat est, si secundum modum enunciandi: abstrahit enim syllogistica ars à veritate, vel falsitate propositionis, cum non minus exerceri in falsis, quam in veris possit: satis est igitur hoc modo dici de omni pradicatum ad prioristicam consideratione, solam formam syllogisticam attendentem, qua absque dubio abstrahit à quacunque materia contingenti, necessaria, vel remota: huic etenim principio innititur, vt 28.
cum pradicatum maioris dicetur, de quocunque contento sub subiecto, dicetur de pradicato minoris, quod sub eo continetur, atque ex consequenti de subiecto eiusdem minoris in conclusione, de quo idem pradicatũ minoris enunciatur, vt, si omne animal est album, & omnis homo est animal, euidenter sequitur, quod omnis homo sit albus: vt autem eiusmodi consecutio necessaria sit, impertinens est veras esse propositiones, aut falsas, non est enim minus necessaria in his, atque in illis, id est tamen requisitum, & sufficiens, vt secundum modum vniuersalem enunciandi de omni dicatur pradicatum: & hinc sequitur euidenter non esse necessarium pradicatum dici de quolibet contento subiecto, iuxta veritatem rei significata, vt dicatur de omni prioristico, sed sat est si secundum modum enunciandi vniuersalem, quod verum esse testantur exempla Aristotelis in elementis designata, quibus frequenter vtitur .2. lib. priorum, quibus omnes affirmantes propositiones semper sunt falsa.

Modus loquendi in schola exponitur.

Et iuxta hanc expositionem intelligitur modus loquendi D. Thom. & aliorum de dici de omni prioristico, vt cum asseuerant oportere, vt pradicatum dicatur de quolibet contento sub subiecto, sensus eorum sit non de veritate rei, sed de modo dumtaxat enunciandi: cum tamen dici de omni posterioristico veritatem rei pro quolibet tempore importet.

Et qua adnotata sunt de hac particula dici de omni, secundum proportionem intel- 29.
ligenda sunt de opposita, nempe, de dici de nullo, cum eadem sit oppositorum ratio: & idcircò Aristoteles huius mentionem non fecit, existimans facile eius conditionem intelligi explicata positiua ac principali, cui opponitur.

NOTA-

NOTABILE II.

Sufficientiam modorum per se continens.

Probatur sufficiẽtia modorũ per se.

Circa modos per se adnotanda est fundamentalis ratio, propter quam non sunt plures, nec pauciores, quam quatuor ex doctrina D. Thom. in huius capitis commẽtariis, vbi particulam per se secundum proprietatem sumptam quandam habitudinem
30. *causæ denotare docet, intrinsecè quidem, vt formalis, vel materialis, in quo sensu dicere solemus, corpus viuere per animam, & rursus esse coloratum per superficiem, quæ quasi subiectum est, quo mediante color inhæret corpori, & ideò materialis causa talis inhærentiæ; habitudinem etiam extrinsece causæ denotat præsertim efficientis, vt dum dicimus aquam per ignem calescere: causa autem duplex est, vna per se, alia per accidẽs. per se est illa, ex cuius virtute pẽdet effectus: per accidens, ex cuius virtute non pendet, sed quasi casu, vel contingenter concurrit, vt in motu lapidis deorsum cernimus, cuius causa per se est lapis ipse, vel qui illum fecit; per accidens verè ille, qui impedimentum remouet, quo detinebatur, ne deorsum moueretur.* Ex *his autem duabus sola prior dicitur causa simpliciter, posterior vero non nisi secundum quid, vnde priorem duntaxat denotat particula,* per, *in communi modo loquendi.*

Duplex causa, & per se, & per accidens.

Illatum.

Quibus suppositis quemadmodum inter causas nobilior est intrinseca, sic nobiliores modi per se censentur, qui ex ea accipiuntur, atque adeò priores: & rursus quemadmodum inter causas intrinsecas nobilior est
31. *forma, à qua species rei accipitur: pari ratione nobilior est modus per se denotans formam modo denotante materiam, atque adeò prior: & quia definitio, vel pars definitionis se habet respectu definiti per modum formæ, meritò primum modum per se posuit Aristoteles, quando definitio ipsa, vel qualibet eius pars de definito enunciatur, vt homo est animal rationale, homo est rationa-*

lis: secundum verò, quando subiectum collocatur in definitione prædicati, vbi non formalis, sed materialis causa interuenit: siquidem subiectum in definitione prædicati ponitur tanquam id, cui prædicatum (quod est eius proprietas) inhæret, vt dum dicimus hominem esse disciplinæ capacem, alius verò modus est, quando denotatur causa extrinsece efficiens, vel finalis, sed per se, & iste ponitur ab Aristotele quartus, sub quo collocantur istæ propositiones, & similes, ædificator ædificat, iugulatus interiit: Explicatur particula, per.
particula item, per, *non solum denotat causam intrinsecam, vel extrinsecam, sed etiam modum essendi nobilissimum, quo dicitur aliquid sine dependentia, vel adminiculo alterius subsistere; & talis est dignitas substantiæ ex se habentis subsistentiam, ac* 32.
propterea dicitur per se esse, quasi ex propria natura, & conditione absque dependentia ab altero subsistens, quo separatur ab accidentibus, non nisi dependenter à substantia existere petẽtibus: vnde oritur aliud discrimen, nempe substantiam de nullo subiecto dici, accidentia verò ex propria conditione prædicari de substãtia: & quoniam hic modus essendi per se, vel est intrinsecus, vel certè ex intimis substantiæ visceribus procedens, post primum, & secundum modum statim enumeratur ab Aristotele, modo per se causandi, tanquam ab extrinseco procedente vltimo loco posito.

Alia etiam via, non contemnenda eorumdem modorum sufficientiam desumere possumus: res etenim, de qua demonstramus aliquid, quatuor habet considerationes, primam, vt in se est solitariè subsistens; secundam in ordine ad prædicata essentialia, tertiam in ordine ad proprias passiones: postremam in ordine ad proprias operationes; & prima consideratio constituit tertium modum per se, secunda primum, tertia secundum, & vltima quartum, &c. 33.

Alia ratio.

NOTABILE III.

Circa eosdem modos per se.

EX horum modorũ sufficientia constat, nec plures esse, nec pauciores, quàm quatuor. vnde fit vt quatuor alii quos Aristot. enumerat. 5. Metha. cap. 18. text. 23. Licet sub alio nomine, videlicet secundum se & licet verbis nonnihil diuersis, non
34. sint ab his diuersi, vt bene adnotauit D. Tho. in commentariis eiusdem loci lect. 19. quod vt clarius constet placet eos cursim referre; primo modo, ait Aristoteles, dicitur alicui conuenire secundùm se quod quid erat esse eius vt Callia conuenit, secundum se animal. quoddam enim animal est Callias, & hic est etiam primus modus per se, secundo modo conuenit secundum se illud, quod prædicatur de alios tanquam de primo, seu proprio subiecto totali, vel partiali, vt de superficie, quod sit alba, & de homine, quod viuere natus sit: quandoquidem primum, ac proprium vitæ principium est anima: patet autem hunc modum esse secundum, præsenti loco enumeratum, cum proprium subiectum definiat accidens ab eo procedens, eiq; attributum: tertium modum esse ait prout secundum se dicitur illud, cuius non est alia causa, quo pacto homo dicitur secundum se homo: nam huius quod est esse hominem non designamus aliam causam ex natura rei ab eo distinctam; & ad hunc modum reduci ait D. Thom. quartum enumeratum hoc loco; quia per se dicimus iugulatum interiisse nullam aliam causam interitus designantes ab ipsa iugulatione distinctam: quartum denique modum, hisce verbis explicat Aristoteles: Amplius quæcunque soli insunt, & in quantum soli, eo quod separatum secundum se: quibus verbis modum solitarie
35. existendi substantiæ proprium designat: soli etenim substantiæ, & in quantum soli conuenit solitarie existere, hoc est sine dependentia ab alio.

Secundus modus.

Tertius modus.

Quartus modus Aristot.

Deceptio Themistii.

Vbi obiter animaduertendam duxi manifestam Themistii deceptionem in sua paraphrasi, super 1. lib. posterior. cap 10. vbi tertium modum per se constituit ex accidentibus, respectu propriorum subiectorum, quibus immediate, ac per se insunt, vt superficiei color: sub quarto autem modo, quæ per se sunt, vel per se causantur [illegible] arbitratur: huius autem deceptionis occasionem desumpsisse videtur ex prædicto metaph. loco cum tamen eodem modo loquatur Aristoteles de diuersis modis huius particulæ secundum se, ac præsenti loco de modis per se, accidentia respectu propriorum subiectorum in secundo modo collocans, cum notum sit per ea definiri: modum item tertium per se essendi distinguens plane à quarto modo per se causandi.

DVBIVM VNICVM

Quemnam ordinem inter se seruent tres isti modi de omni, per se, & vniuersaliter.

DIVVS Thom. in huius capitis expositionibus, quem Magister Sotus sequitur. talem ordinem inter eos ponit, qualem inter superiora, & inferiora prædicata ponere consueuimus, ita vt de omni sit supremum, medium per se, infimum vniuersaliter: vnde fit vt quemadmodum sequitur, quidquid est homo etiam est animal, & quidquid est animal etiam est viuens: minime tamen è diuerso, descendendo à superioribus: non enim omne viuens est animal, neque omne animal homo: pari ratione, quodlibet prædicatum si vniuersaliter enunciatur, de subiecto dicetur per se, ac de omni, & quodlibet prædicatum per se erit de omni: descendendo tamen minimè sequitur, dicitur de omni ergò per se, nam de omni est hæc, omnis homo est coloratus, & non per se: nec etiam dicitur per se, ergò vniuersaliter: nam per se enunciatur sensibile de homine in secundo modo, non tamen vniuersaliter, quia non conuenit ei secundum quod ipsum, hoc est, in quantum est homo, sed in quantum est animal. 36.

D. Thom.

Sotus.

Hanc doctrinam non videtur probare D. Toletus in expositione tex. affirmans cum Themistio, Philopono quos ipse refert, non esse neces-

Refutatio primæ ex positionis

esse necessarium, vt omnes propositiones per se in secundo modo sint de omni, nam grāmaticum esse conuenit homini per se secundo: nō tamen enunciatur de cunctis hominibus & curuitas similiter naso.

Approbatio. *Mihi autem sententia D. Thom. explicata magis placet: in secundo enim modo per se est propositio, cuius subiectum definit prædicatum, sed non contingit sic se habere, quin omnibus singularibus conueniat: si enim homo definit risibile, vel numerus parē, aut imparem, repugnat certè aliquem dari hominem, qui non sit risibilis, vel parem, aut imparē, qui non sit numerus: sicq; de cæteris eiusmodi propositionibus; ergò pugnat cū ratione secundi modi per se aliquam eius propositionem non esse de omni; nec oppositum probatur illis duobus exemplis: nam Grāmatica respectu hominis, & curuitas respectu nasi simpliciter sunt accidentia: vnde, & prædicationes istæ, homo est grammaticus, nasus est curuus, ad quintum prædicabile spectant;*

Ad obiectionem respons. *quamuis enim in solo homine possit grammatica reperiri, & curuitas in solo naso eiusmo*

38. *di tamen subiecta à tali accidēti possunt absolui, realiter quidem, aut saltem per intellectum: quemadmodum de accidenti inseparabili docet Porphyrius in 5. prædicabili, quod satis est, vt similes prædicationes sint accidētales, & proinde nō per se.*

De grāmatica verò posset adnotari, quod & si accidentaliter inhæreat homini: aptitudo tamen habendi illam, per se, ideò hæc propositio, homo est aptus ad grammaticam, in secundo modo per se continetur, & ex consequenti prædicatum de omni homine dicitur: de simitate etiam verū est, quod Themistius adiecit cap. 12. suæ Paraphrasis, per se prædicari de naso simul sumpta cum suo opposito sub disiunctione, quemadmodum curuitas de linea simul cum rectitudine, itaque per se erit propositio hæc, nasus est simus, vel rectus, si hæc circa eum quasi immediate opposita se habeant, sed tunc certè sicut per se, sic de omni prædicabitur, omni siquidem naso tale disiūctum conuenire necesse est.

QVAESTIO I.

An hæc prædicatio, & similes, homo albus est animal sint in primo modo per se.

Titulus quæstionis explicatur, & duæ sententiæ traduntur.

Certa res est, prædicationem, in qua genus denuda specie enunciatur, propriè pertinere ad primum modum per se, cum genus sit altera pars definitionis eius; dubia tamen de specie aliquo accidenti vestita, an sit prædicatio per se, vel per accidēs, dum sic enūciamus, homo albus est animal, equus niger est viuēs: nec procedit quæstio, si cum reduplicatione talis accidentis accipiantur hæ, vt si dicamus homo in quantum albus est animal, equus in quantum niger est viuens, certum namque est hoc modo acceptas non solum non esse per se, sed planè falsas, cum ex ratione albedinis, aut nigredinis, solum habeant homo, vel equus esse coloratos, vel quales, nequaquam esse animalia, vel viuere. *Explicatio quæstionis.* 1.

Cæterum, an sine tali reduplicatione per se sint, vel per accidens (earum veritate præsupposita, de qua dubitat nemo) in hoc posita est difficultas. Quam D. Thom. soluit in 3. distinctione 10. quæstione 1, articulo secundo, quæstiuncula 3. affirmatiuam partem tenens hisce verbis. ***In propositionibus per se aliter est ex parte subiecti, & ex parte prædicati, quia ex parte subiecti sufficit, quod secundum vnum tantum eorum, quæ in subiecto continentur prædicatum per se subiecto conueniat: ex parte autem prædicati oportet, quod quidquid est in prædicato, per se conueniat subiecto: vnde hæc non est per se, homo est animal album: hæc autem est per se albus homo est animal, &c.*** *Prima sententia D. Thom.* 2.

Et potest confirmari hæc sententia, quia accidens non reduplicatum non variat essentiam subiecti, cui adiungitur; nec enim minus est animal homo albus, quam niger, vel quam- *Cōfirmatio prædictæ sententiæ.*

quam si nullo colore afficiatur, si ergo de nudo homine prædicatur animal prædicatione per se, non minus prædicabitur per se de eo albedine, vel alio colore affecto.

Secunda sententia recentiorũ. Quidam nihilominus ex modernis, qui viua voce Aristotelem interpretantur, non probant discrimen hoc à D. Thom. constitutum inter accidens positum à parte subiecti, vel prædicati in his propositionibus, dicentes soli eius autoritati inniti, non habens aliquod fundamentum rationis: vnde hac potius distinctione vtendum esse arbitrantur; quando subiectum propositionis est complexum constans ex materiali, & formali, si prædicatum ei conueniat: ratione significati formalis erit in primo modo per se: vt homo albus est coloratus: si verò prædicatum conueniat subiecto ratione materialis significati tantum, sitque de definitione eius erit indirecta propositio, atque adeò simpliciter per accidens, & tales esse aiunt præfatas, nempe homo albus est animal, equus niger est viuens.

3.

[Pri]mum argument. Idque confirmant. Primo propositio per se, in primo præsertim modo, est perpetuæ veritatis; sed similes propositiones possunt esse falsæ; separata enim albedine ab homine, & ab equo nigredine falsum erit sic enunciare.

4.

Secundum argument. Secundo, non est aliud dicere hominem album esse animal, quam album esse animal, cum idem sint album, & homo albus; sed hæc est planè per accidens, & indirecta album est animal, ergo eiusdem rationis erit alia.

Resolutio quæstionis traditur, & argumentis occurritur.

Fundamẽt. sententiæ D. Thom. SENTENTIAM tamen D. Thomæ tanquam veram amplectentes dicimus similes propositiones esse directas, & per se in primo modo: distinctio enim à D. Thom. adhibita de accidenti superaddito ex parte subiecti, vel prædicati, non soli eius auctoritati innititur, sed firmissimo cuidam fundamento a se posito 3. par. quæst. 16. artic. 7. ad 4. vbi sic legimus. *Terminus in subiecto positus tenetur materialiter, hoc est, pro supposito, positus verò in prædicato tenetur formaliter, id est, pro natura significata: & ideò cum dicitur homo factus est Deus, ipsum fieri non attribuitur humanæ naturæ, sed supposito humanæ naturæ, quod est ab æterno Deus, & ideò non cõuenit ei fieri Deum: cum autem dicitur Deus factus est homo, factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam, & ideò propriè loquendo. hæc est vera, Deus factus est homo, &c.*

5.

Ecce quo pacto propter diuersum modum se habendi eiusdem termini à parte prædicati, vel subiecti, negat primam propositionem, & admittit secundam; & eandem ob causam affirmat in primo loco hanc esse per se, homo albus est animal, hanc vero accidentalem, homo est animal album: & meritò quidem, nã homo albus in subiecto supponit pro materiali significato, nempè pro homine absolutè, non pro albo, quod est formali, & cum de essentia hominis sit animal, simpliciter est per se hæc, homo albus est animal, at ex parte prædicati non pro materiali, sed pro formali, videlicet pro albo, quod cum sit accidens hominis, accidentalẽ propositionem constituit. 6.

Expositio fundamẽti. Si autem velit quispiam rationem huius fundamenti intelligere, sciat ex natura subiecti, & prædicati esse desumptam: nam subiectum in propositione se habet vt materia, cui inhæret forma per prædicatum significata: prædicatum vero vt forma, ideo diuersa est vtriusque suppositio, & pro materiali significato oportet supponere subiectum, pro formali prædicatum: refert autem multum fundamẽtum hoc præ oculis habere ad intelligendam veritatem multarum propositionum, quæ circa incarnationis mysterium occurrere possunt: nam si illud reiciamus, necesse erit plures admittere tanquam veras, plus fortassis, quam falsas: refert etiam multum credere nunquam D. Thom. sine fundamento loqui, vt persuasum habeamus solidam semper esse doctrinam eius. 7.

Ad primũ argument. Et ex fundamento D. Thom. à nobis exposito, atque confirmato, constat quid sit dicendum ad primum argumentum, nempè tales propositiones esse perpetuæ veritatis, cuius ea est ratio; quia licet subiectum sit, homo habens albedinem, vel equus habens nigredinem, pro supposito humano in communi accepto, atque simpliciter supponit: vnde propositio tota designat connexionem essentialem animalis cum homine simpliciter sumpto; & cum hæc sit perpetua, quia essentialis, sit perpetuæ veritatis esse propositionem, de qua procedit controuersia: est 8.

enim

enim in rigore verum, hominem album semper fuisse animal rationale, etiam antequam haberet albedinem, cum idem sit ante & postquā habet illam: est enim sensus, homo qui habet albedinem, semper fuit animal: perpetuæ etiam veritatis est propositio, homo currens, vel dormiens est animal, cuius sensus est, homo, qui nunc dormit, semper fuit animal.

Confirmat. solutionis. Confirmat hanc veritatem id, quod de Christo Domino dicimus, & habetur expresse in Scriptura; licet enim significet habentem Diuinam, & humanam naturam; 9. tamen quia in propositionibus à parte subiecti positus, supponit pro supposito quod est æternum, absolute pronunciamus de eo, quod semper fuerit; vt ipse de se protulit Ioannis 8 Iudæos alloquens: *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Et Paul. ad Hebræos. 13. *Iesus Christus heri, & hodie ipse, & in secula*: Plane significans iuxtà communem interpretum consensum, Christum semper fuisse: non est ergo dicendum has propositiones, homo albus est animal, equus niger est viuens; esse indirectas, aut per accidens, sed directas, & per se, in primo modo.

Ad secundū Argum. Ad secundum argumentum negamus parem esse rationem, de his duobus terminis album, & homo albus, nam album nullum 10. determinat substratum, sed corpus duntaxat in communi connotat, cui accidit esse animal, saltem secundum modum se habendi: at homo albus determinat materiale, & tale quidem, ad cuius essentiam pertinet animal, cui si addideris pro eodem materiali absolutè supponere, colliges planè quidditatiuam esse propositionem, homo albus est animal, & in primo modo per se.

QVAESTIO II.

Quidnam per terminum vniuersaliter significetur? & an conueniat prædicationibus superiorum de inferioribus, vel æqualium de æqualibus.

Quæstionis titulus exponitur: & prima opinio proponitur.

Explicatio tituli. DVO petit titulus quæstionis, primum expositionem huius vocis vniuersaliter, ex qua pendet: secundum, quibus nam propositionibus conueniat.

Secunda acceptio vtilis. Duobus modis vniuersale accipitur, vno modo, vt est proprietas subiecti constituentis vniuersalem propositionem; quod contingit, quando aliquo signo vniuersali afficitur, pro singulisque inferioribus distribuitur 11. vt in hac propositione, omnis homo est albus: alio modo, vt est proprietas prædicati & in hac parte certum est, secundo modo sumi ab Aristotele, non primo: cum comparatione subiecti accipiatur.

Sed adhuc vt est proprietas prædicati; geminam habet acceptionem, communem atque specialem; communis acceptio eius est, pro quolibet prædicato multis communi, quo pacto in prædicabilibus accipitur à Porphyrio, & definitur ab Aristotele, 1. lib. de interpretatione, quod sit vnum in multis; sed strictius accipitur in arte posterioristica; non pro quolibet prædicato multis communi, sed pro eo duntaxat, quod conuenit sub recto, secundum quod ipsum, vel primo, quale est prædicatum huius propositionis, homo est rationalis; & in hac acceptione sumitur vniuersaliter in titulo quæstionis, cuius expositionem primò quærit, nam circà eā non consentiunt vniuersi interpretes,

Prima sententia. Quidam hoc sibi velle existimant, quod est prædicatum conuenire subiecto per se primo, hoc est non per aliam causam, sed per propriam essentiam,

Vnde inferunt duplicem conditionem habiturum esse prædicatum, vt subiecto dicatur vniuersaliter conuenire, vnam vt sit ei essentiale, alteram vt proximè, & absque vllo medio conueniat; & talia esse proximum genus, 12. & atomam differentiam; vnde vtraque hæc propositio est vniuersalis, homo est animal, homo est rationalis.

Patroni. Hanc sententiam attribuunt quidam Alberto Magno, qui tamen eam minimè tenet; alii eam attribuunt D. Tho. propter duo, primum; quia lect. 11. in expositione huius termini, expressis verbis id videtur asserere, sic *D. Thom.* scribens: *Ne aliquis crederet aliud esse quod in definitione vniuersalis dixerat, per se, & secundum quod ipsum est, ostendit quod per se, & secundum quod ipsum est idem est, sicut linea per se inest punctum primo modo, & rectitudo secundo modo; nam vtrumque inest ei secundum quod linea est &c.* Ecce quo pacto, D. Tho. per se, & secun-

secundum quod ipsum; pro eodem reputat;
23. sed secundum quod ipsum idem est quod vni uersaliter; ergo idem erit per se, & vniuersaliter, & idcirco prædicatum conueniens subiecto per se primo vniuersaliter de eo enunciabitur. & .2.lib. contra gentes cap. 15. in principio sic loquitur: *Omne enim quod alicui conuenit, non secundum quod ipsum est, per aliquam causam conuenit ei, sicut album homini, nam quod causam non habet primum, & immediatum est, vnde necesse est quod sit per se, & secundum quod ipsum &c.* Quæ verba exponens Ferratien. in eorum commentariis ait, secundum quod ipsum, diuerso modo esse acceptum a D.Thom. in his duobus locis; nam in hoc secundo accipitur pro eo, quod conuenit alicui secundum propriam, & adęquatam rationem, qua ab omnibus aliis differt, in qua acceptione non est idem, quod per se, sed eo inferius, addens supra per se, quod sit adęquatum subiecto: nam per se primo, solum dicit rationem essentialem etiam superiorem; at in posterioribus accipit D.Thom. secundum quod ipsum iuxta, mentem Aristotelis, expositorem eius agens: mens autem Aristotelis, est vt conuertatur cum per se.

Ferrariens. 141 Ex quibus patet eiusdem sententiæ esse, Ferratien. nempè secundum quod ipsum, aut vniuersaliter ex mente Aristotelis, idem esse quod per se, ac propterea non solum vltimam differentiam vniuersaliter prędicari, sed etiam genus proximum; quam expressius tenet M.Sotus cap.4. in expositione textus.11. cuius referre placet, quæ sic habent: *Et quo vno verbo dicamus prædicatum conuenire vniuersaliter, requirit mutuam conuertentiam, vt scilicet tale prædicatum omni, & soli subiecto conueniat, aut saltem sit proximum genus propriæ speciei, vt homo est animal* Eam videtur vterque ex Themistio desumpsisse, qui caput 12. suæ paraphrasis his verbis clausit: *Scire licet genera, quanquam in plura se quasi fundunt; habeantque tamen differentiis proximis inesse vniuersaliter, mox & differentias speciebus, alioquin, si quis hoc negauerit cogitur fateri demonstrationem ad solas pertinere definitiones.*

Sotus.

Themistius

Aristoteles asserit per se, & secundum quod ipsum esse idē.

Et apparet expressa Aristotelis hisce verbis affirmantis per se, & secundum quod ipsum idem esse: *Per se autem, & secundum quod ipsum idem, vt per se linea inest punctum & rectum &c.*

1. Argum. Et ratione probatur: nam quod per se primo conuenit, non conuenit per aliud, ergo secundum quod ipsum est, hoc est autem idē quod vniuersaliter apud Aristotelem, ergo 25. non est coarctandum ad solam rationem adæquatam, & conuertibilem, sed etiam ad proximum genus extendendum.

Confirm. Et confirmatur, quia idem est prædicatum conuenire subiecto, secundum post ipsum: & conuenire in quantum tale est, sed homini in quantum est homo conuenit tota eius definitio, ergò quælibet pars, non ergo sola differentia, sed etiam genus.

2. Argum. Secundo. Prædicatum conuenire subiecto vniuersaliter, non est aliud, quam conuenire primo, vt his verbis docet Aristoteles in calce, quarti capitis. *Vniuersale autem est tunc, quando in quolibet, & primo monstretur,* sed proximum genus monstratur, de qualibet 16. specie primo, cum per se primo, & non per aliud eis conueniat, de cunctis ergo enunciabitur vniuersaliter. *Aristot.*

3. Argum. Postremo. Vt vniuersaliter conueniat prędicatum, non est necesse, vt conuertatur cum subiecto, sed aliis potest conuenire, vt calor conuenit igni secundum quod ipsum, qui de aëre, mixtisque corporibus enunciatur longè ergò melius enunciabitur proximum genus, de qualibet specie vniuersaliter, etiam si cum ea non conuertatur, sed aliis conueniat, cum magis sit intrinsecum, quam color igni.

Secunda sententia late traditur, & vera suadetur.

Secūda sententia vera STRICTIOR nihilominus est significatio huius vocis, apud Aristotelem. D. Thom. cæterosque antiquos interpretes quam, vt percipiamus operæpretium erit verba Aristotelis & D. Thom. in medium afferre. 17. cap. 4. tex. 11 sic loquitur Aristoteles. *Vniuersale autem dico, quod vtique de omni sit, & per se, & secundum quod ipsum*: has autem conditiones sigillatim exponit: duas autem nouimus iam ? quare quid de tertia sentiat audiamus: *Aristot.* *Vniuersale autem est tunc, quando in quodlibet & primo monstretur, vt duos rectos habere, neque figura est vniuersale, quamuis est monstrare de figura, quos duos rectos habeat; sed non de qualibet figura; quadrangulus enim figura quidem est, non habet autem duobus rectis æquales;* 18. *æquicrus verò habet quidem quodcunque duobus rectis æquales, sed non primo, sed trian-*

gulus prius: quod igitur quod vis primum monstratur duos rectos habens, aut quodcunque aliud huic primo inest vniuersale, & demonstratio per se de hoc vniuersaliter est, de aliis vero quodammodo, non per se, neque de æquicrure, non est vniuersaliter, sed in plus.

Et in fine quinti capitis regulam tradit ad dignoscendum, quando prædicatum dicatur vniuersaliter his verbis: *Plane quando ablatis inerit primo, quemadmodum æquicruri æneo triangulo inerunt duo recti: sed & quod sit aliënum ablato, & quod æquicrus, sed non figura, aut termino, sed nō primus quo igitur primo? si quidem triangulo secundum hoc inest, & aliis, & huius vniuersaliter est demonstratio.* *Idem.*

Tres conditiones termini vniuersaliter inferuntur primo. Ex his duobus locis tres conditiones depromũtur expresſè positæ ab Aristotele tanquam requisitæ, & sufficientis, vt prædicatum vniuersaliter dicatur. *Prima conditio.* Prima conditio est, vt sic prædicatum conueniat subiecto, quod quibuscunque aliis sublatis, adhuc ei conueniat, & eo solo primo ablato, nulli; tolle triangulum æneum, ferreum: & quemlibet alium in quacunque materia particulari constitutum; tolle rursus Isochelem, gradatum, & quemlibet aliam trianguli speciem, & adhuc vera perseuerat intellectu prædicatio hæc, triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis: triangulo autem sublato primo repugnat conuenire cæteris. Notanter dixi *ablato primo*, propter prædicata superiora, quibus sublatis nec triangulus permanet, neque aliqua species, nec proinde eis conuenire potest habere tres angulos: verum tamen non cessat superiori sub-
19. lato primo, sed ex consequenti, quemadmodum non cessat rationalitas in singularibus hominibus sublato animali primo, sed ex consequenti, quia eo ablato aufertur homo, à quo eam participant: homine autem sublato primo cessat, quia propria, & adæquata est ei; sic igitur sublata figura, vel qualitate, cessat in cũctis habere tres; non tamen his primo sublatis, sed ex consequenti, quia triangulus aufertur, quo sublato primo cessat in reliquis; vnde fit huic soli vniuersaliter conuenire. 21

Secunda conditio. Secunda conditio est, vt ratione illius cæteris conueniat, quæ constat in eodem exemplo, nam habere tres duobus rectis æqua-
20. les conuenit Isocheli, gradato, cæterisque triangulis, non propter propriam cuiusque rationem, nam tunc non conueniret cæteris, à quibus per propriam rationem separatur, sed nec conuenit eis, propter rationem communem figuræ, vel qualitatis, quia tunc cunctis qualitatibus vel figuris conueniret, quemadmodum ratio ipsa figuræ vel qualitatis; quæ enim attribuuntur homini ratione animalis, cunctis animalibus constat esse communia; superest ergo eis cōuenire ratione trianguli; vnde, & cunctis triangulis conuenit, ideo soli triangulo vniuersaliter. 173

Postrema conditio est, quod non sit in plus quam subiectum, hoc est quod non aliis, sed ei soli conueniat; vnde licet conueniat per se æquicruri habere tres angulos æquales duobus rectis, negat tamē Aristoteles vniuersaliter ei conuenire, quia cum aliis conueniat in plus est. *Tertia conditio.*

Ex eisdem duobus locis infertur secundo, hos tres terminos esse conuertibiles apud Aristotelem, idemque significare, quam diuersa sint nomina, videlicet, secundũ quod ipsum, primo, & vniuersaliter, secundum quod ipsum idem est atque in quantũ, quod duobus modis accipi in schola consueuit, specificatiuè quidem, pro qualibet ratione specificante, modo adæquata sit vel inadæquata, in qua significatione concedimus hominem esse animal, esse corpus, & substantiam; quia his omnibus prædicatis eius definitio, eiusque species constituitur, licet nō adæquate: secundo, modo accipitur reduplicatiuè pro sola ratione adæquata, quæ vel est integra definitio, vel athoma differentia, rem in tali specie constituens, à cæterisque distinguens, in qua significatione non admittitur hæc, homo in quantum homo est animal, vel homo est corpus, aut substantia, sed solum esse animal rationale, vel esse rationalem: nunc ergò licet secundum quod, vel in quantum, vtroque possit modo accipi, particula tamen, ipsum, ei adiuncta reduplicatiuam determinat significationem: nam secundum quod ipsum tantundem valet, ac vt tale est in propria ratione constitutum, à cæterisque distinctum; vel certè idem sonat, quod secundum adæquatam rationem. *Secundum illatum.* *Secũdum quod ipsũ quid significet* 22.

Primo, non significat idem quod immediatè, nam certum est admirationem, & risibilitatem conuenire homini primò, & tamen non immediate; sed nec primò significat idem quod per se primò, vt nonnulli de- *Primo quid significet.* 23.

li decepti putauerunt: nam prædicata vniuersalia conueniunt inferioribus per se primò, cum ad quidditatiuam definitionem spectent, vt homini esse viuens sensibile, sed non primò apud Aristotelem, qui primo conuenire docet illud solum prædicatum ei, cui non conuenit ratione alterius, cui primò conueniat; sed & eius ratione conuenit cæteris, quibus attribuitur: esse autem viuens sensibile non sic de homine dicitur, vt non conueniat ei ratione alterius conuenit enim absque dubio ratione animalis; nec ratione hominis cæteris attribuitur, sed eiusdem animalis; idcirco soli animali primo conuenit.

Vniuersaliter quid significat.

Vniuersaliter demum, quod per duos præfatos terminos exponitur ab Aristotele, sic prædicatum conuenire subiecto denotat, vt vbicunque eius ratio inueniatur, ei conueniat, & quibuscunque etiam eam participantibus, ita vt eo ipso, quod de eo demonstratur, virtualiter de cæteris demonstrata censeatur: habere tres angulos æquales duobus rectis sic triangulo conuenit, vt
24. vbicunque reperiatur eius ratio ei, necessario conueniat, atque etiam quibuslibet eam participantibus, & eo ipso, quod talem de triangulo rationem demonstraueris, virtualiter de cæteris ostendisti: cum ergo eandem rationem formalem tres isti termini significent, merito Aristoteles postremum quasi obscuriorem per duos priores exposuit, clarius eam exprimentes.

Tertium illatum.

Tertio infertur ex eisdem locis prædicata superiora non conuenire inferioribus vniuersaliter, etiam si sint proxima genera, sed plane exclusa esse ab Aristotele illo verbo, *quia sunt in plus*: constat enim de quolibet genere in plus esse ad speciem comparatum, cum ei, & aliis conueniat.

Quartum illatum.

Infertur postremo vniuersaliter ea sola prædicata dici de subiectis apud Aristotelem, quæ rationem eorum essentialem, & adæquatam continent, vel certè ex adæquata ratione sequuntur, & idcirco cum
25. eis conuertuntur; eiusmodi sunt definitio integra, vltima differentia, & propriæ passiones, vel effectus ab ea procedentes adæquatus namque effectus, & per se, etiam si ad essentiam causæ non pertineat, ab ea tamen adæquate procedit, idcirco in quantum talis de ea enunciatur, & prodit secundum quod ipsa est, vel vniuersaliter: tantundem etiam de aliis prædicatis censendum est: cum notum sit hominem esse animal rationale, esse rationalem, disciplinæ capacem, admiratiuum, & risibilem secundum quod talis est, & primo, atque adeo vniuersaliter: cætera autem prædicata ab his, licet conueniant subiectis per se primo, vel secundo, minime tamen vniuersaliter, quia non conueniunt eis; vt talia sunt, non primo, ideo non vniuersaliter.

Quomodo sententia Ferrariens. posita contrarietur D. Thom.

Ex quibus constat sententiam Ferrariens. & Magistri Soti expresse aduersari doctrinæ Aristotelelis. Nec minus expresse contraria est doctrinæ D. Tho. qui easdem tres Aristotelicas conditiones tanquam requisitas, & sufficientes posuit, vt prædicatum dicatur vniuersaliter de subiecto, licet verbis non nihil diuersis 2. contra gentes 26.
cap. 15. vbi sic loquitur. *Impossibile est aliquod vnum duobus conuenire, & vtrique secundum quod ipsum: quod enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit, habere tres angulos duobus rectis æquales, non excedit triangulum, de quo prædicatur, sed est eidem conuertibiliter, &c.* Ecce postremam conditionem, quod prædicatum non debet esse in plus, vt vniuersaliter dicatur de subiecto esse enim in plus idem est, ac duabus conuenire, quibus plane excludit prædicatione generis de specie, cum genus quodlibet de multis dicatur speciebus, atq; adeo de nulla secundum quod ipsum, vel vniuersaliter. Paucis autem interpositis hæc subiungit D. Thom. *Impossibile est aliquod vnum de duobus prædicari,* *D. Thom.*
ita quod de neutro per causam dicatur; sed oportet, vel vnum esse alterius causam, sicut ignis 27.
est causa caloris corpori mixto, cum tamen vtrumque calidum dicatur, vel oportet, quod aliquod tertium sit causa vtrique, sicut duabus candelis est causa lucendi, &c. Quibus duæ aliæ conditiones continentur: nam si prædicatum, quod enunciatur de duobus, non potest de neutro per causam dici, sequitur euidenter alteri conuenire non per causam, sed secundum quod ipsum, alius vero per participationem eius: vnde intulit D. Thom. esse non conuenire cunctis per causam, sed vni secundum quod ipsum, & ex eius participatione cæteris: ille est Deus, ex cuius participatione conuenit creaturis; & hæc est secunda conditio: & si ita se res habet, quod vni soli conue-

conuenit prædicatum secundū quod ipsum, & cæteris per participationem, sequitur euidenter eis sublatis adhuc ei conuenire: eo autem sublato nulli: quemadmodum riuis sublatis non est necesse fontem auferri, a quo emanant, sed ex siccato fonte continuo riuos cessare necesse est.

Albertus Magn. quomodo exponat terminum vniuersaliter. Iuxta mentem Aristotelis, & D Thom. exponit eundem terminum *vniuersaliter*. Albertus Magnus lib. 1 post. tract. 2 cap. 12 cuius hæc sunt vltima verba. *Omne autem, quod sic necessario inest, aut est quid definitiuum, aut non, si non est definitiuū, & tamen necessario inest, sic est de omni; si autem est definitiuū, aut inest sibi,*
28. *itaque non definitionis completiuum, & sic est per se, sicut genus per se, & necessario inest speciei: si autem est completiuū definitionis, tunc est illud, quod dicitur secundum ipsum: vnde de omni dicit indefinitiuum ad definitionem: per se autem accedit plus, & secundum quod ipsum dicit id, quod maximè facit, & complet, hoc est igitur vniuersale*

Patroni secundæ sent. D. Thom. Et hos grauissimos interpretes Aristotelis sequuntur Paulus Venetus. 1. lib. post. cap 4. Caietanus, Doctor Toletus, & moderni omnes, & merito quidem: nam si propriam termini significationem attendamus videbi-
29. mus illud solum prædicatum vniuersaliter conuenire subiecto, quod esse talem, adæquatamque rationem eius continet, vel certe ex tali ratione adæquata procedentem, & cum eo conuertibilem: vniuersaliter, enim importat tali modo conuenire, vt eo ipso quod ei cōuenit, quibuscunq; eius rationem participantibus conueniat: vt rationale conuenit homini vniuersaliter, & ideò quidquid rationem hominis participat, rationale esse oportet, ex vi huius participationis primo: quod de sola ratione adæquata, & conuertibili verum est, non de superiori: sic enim homo est animal, vt quæcunque participant rationem hominis animalia sint, non tamen ex vi huius participationis primo, sed quasi ex consequenti; quia homo communem rationem animalis participat, non tamen est sibi propria.

Solutiones contrariorum argumentorum.

Ad testimonia Arist. Vt argumentis oppositæ sententiæ satisfacere incipiamus, dicimus, si testimonia Aristotelis, & D. Thom. integra accipiantur, nostram potius confirmare *& D. Thom.* sententiam, quam ei fauere, nam idem esse per se, & vniuersaliter, ait Aristoteles, subiungens tamen addere, vniuersaliter, supra 30.
per se, quod conueniat prædicatum sibi vt secundum quod ipsum, vel primo: ergò coniunctis omnibus integra eius sententia est idem esse; vt inferius prædicatum idem esse cum superiori dicere consueuimus, a quo non distinguitur vt vna res ab altera, vel vt vnus conceptus particularis ab alio particulari, sed solum distinctione includentis, & inclusi. idem ergo esse ait, quasi dicat, non ex æquo distingui: in quo sensu Aristotelem interpretatur D. Thom si integram eius expositionem accipiamus, idemque de secundo testimonio D. Thom. censendum est, si quidem post obiecta statim verba subiungit, vnum prædicatum non conuenire duobus, secundum quod ipsum: quæ verba priorum sensum ostendunt talem esse, vt secundum quod ipsum conueniat illud prædicatum, quod non conuenit per aliam causam, sed per eiusdem subiecti naturam, adæquatam tamen, quod non est verum de prædicato superiori, etiam si sit proximum genus.

Ex quibus infertur licet Ferrariensem neq; Aristotelis, nec D. Thomæ sensum penetrasse: vtrobique enim eodem modo exposuit D. Thom. verbum vniuersaliter, vel secundum quod ipsum, & se habere docuit ad per se tanquam inferius, vtpote addens adæquatam rationem, idque iuxta mentem Aristotelis, vt testimonia recensita planè ostendunt. *Corollariū.* 31.

Ad primū arg. Primo argumento occurrimus negantes idem esse, non conuenire per aliud, & secundum quod ipsum, id enim requiritur, sed non sufficit: nam secundum quod ipsum duo petit, vt non per aliud, sed per se ipsum conueniat prædicatum, & in quantum tale 32.
est, hoc est, ex ratione sibi adæquata; hoc secundum excludit genus proximum, quòd non conuenit speciei, vt tali rēduplicatiue: sic autem conuenire oporteret, vt secundum ipsa est, de ea diceretur, & non satis est specificatiue, vt explicantes hunc terminum, secundum quod ipsum, adnotauimus.

Ad secundum arg. Secundo argmento fit satis ex his, quæ diximus explicantes, quid sit primo conuenire: est enim diuersum quid a per se primo

 nam

nam per se primo essentialem, ac proximam conuenienti minimè importat, ac conuenire, primo, non nisi adæquatam, & conuertibilem siue proxima sit, vel ratione proximæ conueniat, vt ostendunt passiones: non est igitur consecutio legitima hæc, genus proximum conuenit speciei per se primo, ergo conuenit primo.

Ad vlt. arg. Postremum non bene probat minimè necessariam esse reciprocationem prædicati
33. cum subiecto, vt vniuersaliter ei conueniat: non enim conuenit igni, vniuersaliter, quicunque calor, sed summus, & iste ei soli conuenit omni aut, sed nec mixtis corporibus, quibus remissus adhuc, non nisi ex participatione ignis conceditur.

Secunda solutio. Secundo respondere possumus negantes iuxta ea, quæ alibi adnotauimus, neque igni conuenire calorem summum vniuersa-
34. liter, siquidem neque omni tempore conuenit, neque cuicunque igni: nam aliquando etiam naturaliter cum minori reperitur: & rursus magis & minus suscipit, quod à propriis passionibus alienum est.

DEMONSTRATIONEM ESSE *ex his, quæ sunt per se, ac necessariis.*

CAPVT SEXTVM.

SI igitur est demonstratiua scientia, ex necessariis principiis, quod enim scitur non potest aliter se habere, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Variæ sententiæ circa intentum capitis. PRIVSQVAM *expositionem literæ aggrediamur, necesse est varias interpretum sententias referre circa institutum Aristotelis, vt vnã aliquam determinatam amplectentes, commodius eam ordinare, elucidareq; possimus.*

1. *Prima D. Thom. Venetus. AEgid. Caiet.* Diuus Thomas, *quem sequuntur Aegidius, Paulus Venetus, & Caietanus, docet intentum Aristotelis esse ostendere demonstrationem procedere ex necessariis, ad id autem probandum, tanquam medium assumere, quod procedat expositionibus per se.*

Obiectio. *Quòd si opposueris in principio sequentis capitis eum probare, quòd procedat ex propositionibus per se, quia ex necessariis, circulumq; proinde committere.*

Facile respondet D. Thom. lect. 14. tex. præsenti ostendere Aristotelem, quod ex necessariis procedat demonstratio non solũ quia procedit ex his, quæ sunt per se, sed ex defini- 2.
tione eius quod est scire, in qua dicitur, quod nõ possit aliter se habere; & hoc idem est, ac esse necessarium; & si necessarium est, non nisi ex necessariis oritur, & rursus, cum sit conclusio demonstrationis oportebit eam ex necessariis procedere, & adhuc ex ea parte, qua probat ex necessariis procedere, quia ex his, quæ sunt per se: non constituit veram demonstrationem, sed argumentum quoddam ostensiuum ad hominem, apud quem notum est, quòd demonstratio sit eorum, quæ sunt per se, vnde fit, vt nullum committat circulum. Solutio.

Græci, & Arabes, quos sequuntur Philoponus in huius capitis expositionibus: Themistius cap. 14. sua paraphrasis, Magnus Albertus. 1. lib. posterior. tract. 1. cap. 15. Copulata Louaniensis, Magister Sotus, Doctor Toletus, & moderni ferè omnes opinantur potius velle Aristotelem conuincere, quod ex propositionibus per se sit demonstratio, assumere autem pro medio, quòd ex necessariis procedat, tantundemq; in sequentis capitis principio, quasi in modum epilogi repetere. Secunda sententia. 3.

Suam habet probabilitatem quaque harum expositionum, & fortasse probabilior est, quam attulit D. Thomas. Cæterum, quia moderni iam postremam sequuntur, ne fortè diuersitas confusionem pariat, obscurioremq; nostram commentationem efficiat, iuxta eandem elucidabimus textum, salua semper vtriusque sententiæ probalitate. Sententia authoris. 4.

Diuisio totius capitis trimembris est, nam primo Aristoteles hanc statuit conclusionem: demonstratio procedit ex propositionibus per se, quam probat, quia procedit ex necessaris, & hoc iterum quadruplici ratione, ex quibus deinde tria quasi corollaria elicit, vt quotnam modis se habeat intra- Diuisio cap. trimembris.

*in ratiocinantibus necessarium doceat, ac
tandem dubium quoddam ex eisdem corol-
lariis ortum proponit, & soluit.*

Primum membrū. *Primam rationem, quæ probat principa-
le intentum, nullus fere expositorum distin-
5. cte formare docuit; quia difficile sit literam
Aristotelis ordinare, sic tamen (ni ego fal-
Prima ratio. lar) formanda est. Per se, & necessarium
conuertuntur, omnis demonstratio proce-
dit ex necessariis, ergo ex his, quæ sunt
per se: maiorem probat ex primo, & secun-
do modo per se: nam in primo prædicatum
definit subiectum, & in secundo subie-
ctum definit prædicatum: vtrunque autem
importat necessariam eorum connexionem;
ergò per se est necessarium. Et rursus, quæ
necessaria non sunt, vt accidentia, nec per
se inhærent, ergò necessarium reciprocatur
cum per se: minorem verò hoc syllogismo
manifestam facit, conclusio demonstratio-
nis est scita, ergo non potest aliter se habe-
re, erit igitur necessaria: prior consecutio
euidens est ex definitione, scire, in secun-
do capite tradita, scire est cognoscere cau-
sam rei, & quod illius est causa, quod non
contingit aliter se habere: posterior verò
quia definitio necessarii est, non posse ali-
ter se habere: tunc vltra conclusio necessa-
ria non potest, nisi ex necessariis princcipiis
demonstrari, ergò demonstratio ex necessa-
riis procedet.*

Prima ratio antecedens probans. *Antecedens probat quatuor argumentis,
quorum primum procedit ex discrimine in-
ter syllogizantem, & demonstratorem: ille
enim ex veris non necessariis, imò aliquando
ex falsis necessarium colligit, vt comprobant
6. duæ ratiocinationes sequentes. Quidquid
ambulat est animal, omnis homo ambulat,
ergo omnis homo est animal; omnis lapis est
animal, omnis homo est lapis, ergò omnis
homo est animal: prioris enim præmissæ con-
tingentes sunt: posteriores vero falsæ. De-
monstrator verò non ex quibuscunque syllo-
gizat, sed ex veris, atque necessariis, cu-
ius discriminis ratio ex demonstrationis ex-
cellentia accipitur, quæ non est quicunque
syllogismus, sed vndequaque absolutus, vi-
delicet ex parte formæ, atque materiæ ne-
cessariæ, vt ex definitionibus cap. secundo
exhibitis euidenter constat.*

*Secunda ratio procedit à signo: experien- Secunda ratio.
tia teste didicimus omnes, qui alicui argu-
mento obuiam ire contendunt ostendere vo-
lentes non esse demonstrationem, aut quia
ita sentiunt, vel quia disputationis gratia,
instantiam afferre cupiunt probabiliter sua-
dentem, hoc vti medio, quod ex necessariis 7.
minimè procedat, cum præmissæ, vel ea-
rum altera probabilis sit dumtaxat, non ne-
cessaria: signum igitur est communem esse
omnium consensum ex necessariis procede-
re demonstrationem: vnde fit stultitiæ no-
tam incurrere eos, qui cum ex veris qui-
dem, sed probabilibus procedat, putant se
conclusionem syllogismi demonstrasse, non
considerantes demonstrationis principia,
propria, ac prima generi, id est, subiecto,
de quo demonstratur conclusio, esse oporte-
re, quasi ex propria natura desumpta, à qua
trahitur necessitas; quod profectò haud-
quaquam attingere possunt probabilia.*

*Hæc fortasse addita esse ab Aristotele ad-
notarunt Philoponus, Auerroes, & Linconi-
ensis ad irridendam vulgatam quandam
demonstrationem Pythagoræ antiquissimi
Philosophi quam hoc modo formare consue-
uerat: qui habet aliquid, scit quod illud sit;
ergò qui scit, scit quid scientia sit, cum tamen
probabile sit argumentum, ex parte antece-
dentis non necessarii.*

*Crediderim nihilominus vniuersalem es-
se doctrinam Aristotelis, & eo fine ab eo tra-
ditam, vt omnes doceantur demonstratio-
nem legitimam construere ex propositionibus,
non minus quam necessariis.*

*Tertia ratio talis est. Syllogismus, quo Tertia ratio.
habito non scimus, non erit demonstratio,
quæ syllogismus est faciens scire (vt supe-
rius traditum est) sed habito syllogismo ex
præmissis non necessariis procedente, non 8.
scimus, ergo talis non est demonstratio, sed
vt esset, procedere ex necessariis deberet:
minorem ostendit; quia per talem syllogis-
mum non cognoscimus propter quid conclu-
sionis: etenim si conclusione existente ne-
cessaria medium probabile, vel contingens*

sit, corrumpi poterit, hoc est, verum esse desinere non minus necessaria, quam prius permanente conclusione. ergò tale medium non est propter quid ipsius. nam conclusionem necessariam causam quoque necessariam habere oportet: exemplo nobis esse potest syllogismus iste; omne videns est animal, omnis homo videt, ergò omnis homo est animal, cuius medium probabile est, & corrumpi potest. demus nullum hominem videre; tunc enim minor est falsa, nec tamen minus necessaria conclusio est, ergò non continet propter quid ipsius.

Quarta ratio. *Quarta, ac postrema ratio præsupponit illud, quod à nemine negari potest, videlicet quatuor de causis dumtaxat corrumpi posse scientiam semel acquisitam. nempe corrupto*
9. *penitus subiecto, in quo inhaeret: destructo obiecto, circa quod versatur; aut obliuione intercedente: vel syllogismo demonstratiuo pereunte: vnde fit, vt his permanentibus scientia prius habita permaneat etiam, vel certe si non permaneat, argumento euidenti erit, nunquam conquisitam fuisse, quãquam crediderimus nos eam habuisse. Hoc præsupposito sic arguit Aristoteles. Existimet quispiam se habuisse demonstrationem per medium contingens huius conclusionis, homo est animal: probatur planè eam nunquam habuisse; nullo enim vidente homine, demonstrationem non habebit. siquidem medio syllogismi pereunte perit etiam notitia conclusionis per illud habita. sed adhuc permanet sciẽs, atque etiam obiectum, quod est conclusio, ita necessaria ac prius, abest obliuio, adest syllogismus*
10. *idem: euidens ergò signum est nunquam habuisse scientiam talis conclusionis; & idem proculdubio sequitur, etiamsi medium non corrumpatur. nam postquam contingens est, corrumpi ex propria conditione potest, quod est non repugnare ei falsum subesse: possibili enim posito in esse nullum inconueniens sequitur: dum autem corrumpitur, constat non esse scitam conclusionem cæteris adhuc permanentibus; ergò nec vnquam fuit scientifice cognita, eo proculdubio deficiente quòd ex necessariis non procedit syllogismus; hoc ergò requisitum est, vt sit legitima demonstratio scire faciens.*

Tertia infert ex dictis, vt intelligamus quonam modo se habeat necessarium in ratiocinationibus. Primum est sic se habere, vt non repugnet conclusionem esse necessariam medio existenti probabili, vel contingenti, hoc est vtraque, vel saltem altera præmissarum: rem manifestam facit nuper à nobis productum exemplum, eamq; probat Aristoteles, quia sicut verum ex non veris præmissis syllogizare possumus pari ratione necessarium ex non necessariis, sed demonstrare impossibile est. Secũdum memb. ca. Primum corollar.

Corollarium secundum est præmissis necessariis existentibus conclusionem necessariam fore, quemadmodum veram esse oportet, dum præmissæ sunt veræ. Probat Aristoteles ex principio, cui innititur ars syllogistica, & vocatur in libris priorum dici de omni, si medium necessarium est, sequitur necessario cõiungere secum extremitates in præmissis, quæ proinde necessario in conclusione copulabuntur inter se, cum euidens sit inter se se cõiungi, quæ cum tertio copulantur; vt si omne animal rationale risibile est, & omnis homo animal rationale, erit vtique necessarium, omnem hominem esse risibilem. Exempla in elementis producit Aristoteles, quæ consulto à nobis omittũtur, quia minus intelligibilem doctrinam eius efficiunt. Secũdum corollar.

Tertium, si conclusio non sit necessaria, nec præmissæ erunt necessariæ, quòd verum esse ostenditur ex secundo: ponamus conclusionẽ non necessariam; præmissas verò ex quibus infertur esse necessarias, tunc ex corollario secundo constat præmissas necessarias cõclusionem inferre necessariam, ergò talis conclusio ex necessariis præmissis illata necessaria erit, & præsuppositum est non esse necessariã: erit igitur necessaria, & non necessaria, quod manifestam implicat contradictionem. Tertium corollar. 12.

Summa horum trium corollariorum est in legitima consecutione necessarium posse ex contingenti deduci, ex necessario deduci semper, sed ex eo inferri contingens impossibile esse.

Concludit tandem ex prædictis rationibus consequens esse, vt cum necessarium sit, quod Quid inferat Arist. ex dictis.

quod per demonstrationem scitur, per medium necessarium sciatur, quod vsque adeò verum est, vt nisi ex necessariis procedat, qui ratiocinatur, neque sciat propter quid, neque quia: sed vel existimabit se scire, si per necessaria (quæ tamen vere non sunt talia) se procedere arbitretur, cum tamen vere non sciat; aut certe, si non existimet medium esse necessarium, nec se scire existimabit, nisi turpiter forte, deceptus & hoc, siue per media procedat, vel etiam per immediata, & propter quid, procedere autem per
15. media idem significat, ac per demonstrationem quia: nã (vt capite decimo videbimus) primus modus demonstrandi, quia, est per causam remotã, vt si dicamus quidquid respirat est animal, paries non est animal, ergò paries non respirat proxima namq; respirãdi causa est habere pulmonem, mediata esse animal, vnde proxima non respirandi erit non habere pulmonem mediata vero non esse animal. Sed de his cap 10. copiosior redibit sermo Ex quibus bene intulit Aristoteles in vtrisque demonstrationibus quia, & propter quid oportere per medium procedere necessarium. vt legitima sit demonstratio, & conclusio eius simpliciter scita.

Sed quia nonnulla sunt accidentia, quæ videntur necessario inesse, ne aliquis decipiatur existimans ex talibus posse demonstrationem procedere, docet Aristoteles non esse ad demonstrationem apta nisi sint per se quasi dicat accidentia esse in duplici differentia; nam quædam sic insunt subiecto, vt ab essentia eius specifica non prodeant; sed vel ex indiuiduali, aut certe ex aliqua causa extrinseca, vnde eiusmodi separari quidem à subiecto possunt re ipsa vel saltem per intellectum, quo pacto ab esse possunt, vt docuit Porphyrius in quinto prædicabili, licet non sint naturaliter separabilia; alia sunt ab essentia orta, vt propriæ passiones, quæ à subiectis proinde desumuntur, & secundum modum per se constituunt, vt risibilitas, vel admiratio respectu hominis: & quidem accidentia primi ordinis non efficiunt conclusionem necessariam, nec medium necessarium, sed simpliciter contingens cum abesse possint; vnde ex his non fit demonstratio, quia nec propositio necessaria: sed bene ex aliis, ex quibus propositiones necessariæ fiunt & tales, quæ sint per se in secundo modo.

Oritur autem ex his dubium (ait Aristoteles in postrema parte capitis) nam si eiusmodi accidentia primi ordinis necessaria non sunt nihil ex eis necessarium elicietur, quapropter superuacaneum erit de his syllogizare vel interrogationes facere, quandoquidem nihil magis necessarium concludi ex datis poterit, quam si quaslibet propositiones prolibito accipiamus probabiles, vel contingentes. Tertio membrum dubium.

Respondet magnam ad hæc vtilitatem afferre ratiocinationes, & interrogationes de his contingentibus nam & si nihil vere necessarium, nihil vere scientificum deduci ex eis possit ex datis nihil hominis syllogizantes conuincere possumus respondentem, vt quidpiam verum: etiam si non necessarium nobis concedat cum euidens syllogismus secundum formam colligendi constitui in his possit non minus quam in necessariis. Itaque ex iis interrogare ad interrogata respondere, & ex datis à respondente probabiliter differere magnam vtilitatem affert, etiam respectu demonstrationis, ad quam per probabilia argumenta intellectus disponitur. Respond.

QVAESTIO I.

An omnis demonstratio procedat ex necessariis?

QVANquam probatum hoc sit ab Aristotele satis efficaciter dubitare cogit demonstratio hæc, & quælibet similis, quotiescunque terra interponitur inter solem, & lunam, sequitur eclypsis, sed dum astra hæc ad talem punctum perueniunt, terra interponitur, ergo luna ipsa eclypsatur; cuius minor non est necessaria, sed contingens, cum prædicatum contingenter insit subiecto, vtpote ad esse, & abesse potens. Ratio dubitandi.

Prima solutio. Diuerso modo, à diuersis soluitur cõtrouersia hæc, nã quidã: quorũ meminit Paulus Venetus in cõmentariis huius ca respondẽt, lunã eclipsari accipi posse secundum actum, vel aptitudinem; & sub consideratione priori vere est prædicatum accidentale, & non necessarium, vt conuincit argumentum; quare non sic demonstratur, sed sub posteriori, videlicet, lunam esse eclipsabilem; eodem pacto, ac de homine non actus ridendi, sed aptitudo demonstratur.

Refut. Hæc tamen solutio vt bene adnotat idem Paulus Venetus, à veritate aliena est, tum quia Aristoteles (vt cap 4. admonuimus) in quarto modo per se non solas aptitudines collocat, sed actus ipsos, qui per se procedunt, à suis propriis causis, vt interitum respectu iugulationis & respectu ædificatoris ædificandi actum, & vere eclipsis actualis, & non sola aptitudo in Philosophia demonstratur.

Secunda solutio. Aegidij. Propterea AEgidius, quem idem Venetus refert, demonstrationem de actu ipso accipiens, respondet necessarium triplex esse, vnum ex conditione, vt necesse est hominem currere dum currit, in quo sensu Aristoteles. lib. de interpretat. protulit rem quamlibet necessario esse dum est, alterum per reductionem ad causam, vt lunam eclipsari terra interposita. postremum simpliciter, vt cæcum moueri, & triangulum habere tres angulos. Necessarium igitur iuxta primam acceptionem demonstrationem minimè ingreditur, bene tamen iuxta secundam, & tertiam: præfata autem demonstratio, & similes procedunt ex secunda acceptione necessarii.

Approbat. solutio Aegidij. Placuit Paulo Veneto solutio AEgidii, qui eiusmodi necessarium per ordinem ad causam voca, ex suppositione; & nobis profecto non displicet, si iuxta ea, quæ capit. 4. docuimus, hoc modo explicetur; necessarium aliud est de inesse, aliud vero de ab alio esse (vt sic nobis liceat loqui) de inesse illud voco, quia importat prædicatum propositionis necessario inesse subiecto: de ab alio esse, quod non inesse, sed à subiecto esse tanquam à causa per se: inter talem namque effectum, & causam necessaria est processionis connexio: & primam necessitatis acceptionem important propositiones primi, ac secundi modi per se, postremam propositiones quarti, ad quem reuocantur demonstrationes illæ, de quibus procedit argumentum, *Necessariũ duplex.* quæ videntur per accidens, & vere tales essent si prædicatum inesse subiecto importarent, sed cum solam processionem importent per se sunt, non ex suppositione (vt voluit Paulus Venetus) sed simpliciter: nec solum per se, secundum quod ipsum, vel in quibus prædicatum vniuersaliter de subiecto dicitur, vt ibidem admonuimus, licet non semper à subiecto procedat, hoc est pro quolibet tempore; sed semper pro determinato, quemadmodum solem oriri, & occidere, non semper, sed statutis à natura temporibus verum est, & nihilominus absque 4. vlla conditione vel suppositione necessarium, sed simpliciter, non secus ac cœlum moueri.

QVAESTIO II.

An necessarium semper habeat necessariam causam.

HOC videtur Aristoteles tamquam certum præsupponere ad probandum, conclusionem demonstrationis esse necessariam, quia cum sit simpliciter scita, non potest aliter se habere, ex quo euidenter infertur, ex necessariis præmissis procedere demonstrationem, quod vtique non bene colligeret, nisi tanquam certum præsupponeret necessarium non posse habere causam non necessariam, vel contingentem.

Ratio dubitandi est. Quod tamen non adeò certum esse ostendo, mors est effectus necessarius, & perpetuus, postquam semel mortuorum impossibile est per naturam ad vitam reuocari, sed habet aliquando causam non necessariam; corruit ergò fundamentum Aristoteles. Probatur minor: nam mors, aliquando habet causam fortuitam imò & omnino voluntariam, vt quando ex lethali vulnere procedit: ergò non erit impossibile conclusionem necessariam per medium contingens aliquando demonstrari.

Prima solutio. Respondent quidam causam mortis duplicem esse, per se, & per accidens, per se est elementorum, vel primarum qualitatum talis alteratio, per quam fit, vt aliqua sic prædominetur cæteris, vt debitum temperamentum dissoluatur, ad cuius dissoluti- 5. onem natu

onem naturaliter sequitur mors: causa autem per accidens esse potest excessus circa cibum, vel potum voluntariè assumptum, vel quidpiam aliud casu eueniens, aut liberè appositum, debitum qualitatum temperamentum tollens, de quorum numero erit lethale vulnus, vnde fit effectum naturalem, vel necessarium habare aliquando causam contingentem per accidens, cuius tamen causa per se semper est necessaria & cum præmissæ demonstrationis semper sint causa per se conclusionis, semper etiam oportebit esse necessarias.

Obiectio. Si autem aduersus hanc solutionem opposuetis Aristotelem cap. 4. præcedenti, qui iugulationem docet esse causam mortis per
6. se, ac propterea in quarto modo collocat hãc propositionem iugulatus fuerit.

Respond. Respondent iugulationem, vel quippiam aliud lethale vulnus non esse per se, & proximam causam mortis, sed quasi per accidens, & remotam, ex qua alterantur qualitates, & naturale temperamentum dissoluitur, & ex tali dissolutione sequitur per se mors: itaque non solum, dum ex infirmitate prouenit, sed ex qualibet alia causa voluntaria, vel contingenti habet eadem causam propriam, ac per se, nempe naturalis temperamenti solutionem.

Reiicitur prædictus dicendi modus. Hunc modum dicendi propterea non approbo; quia vnum continet planè falsum, & experientiæ aduersum videlicet, mortem euenire semper ex temperamenti solutione; nam & si eiusmodi sit causa naturalis eius; semper tamen intercedere impossibile est, cum non sit semper mors naturalis, sed aliquando violenta, vt quoties subito ex lethali vulnere, vel iugulatione procedit: tunc
7. enim nulla interueniente humorum distemperie, sola diuisio, vel solutio principalis membri, vel alterius partis compressio respirationem tollens mortem infert, vt in strangulatione & iugulatione videmus, atque etiam dum globulo alicuius displosi tormenti pectus transfigitur; velle enim in his casibus humorum distemperiem, vel temperamenti solutionem, ex elementorum pugna causatam, altero eorum prædominante, ac vincente fingere, cum manifestissima pugnat experientia, & plane cum doctrina Aristotelis, nam si ita esset, non posset iugulatio appellari vllo modo per se causa mortis, nec esset vllo modo per se hæc, iugulatus interiit.

Vt igitur difficultatis modum iuxta mentem Aristotelis, & veram phylosophiam soluamus, illud in primis tanquam certum præsupponere oportet: eãdem esse rationem de morte, ac de eclipsi lunæ, cæterisque priuatiuis effectibus, a nulla causa naturali per se primo intentis; etenim cum priuato, negatio quædam sit, in subiecto potente talem formam, qua priuatur habere, vel recipere, non potest habere causam positiuam, per se primo eam intendentem; sed in tantum effectus per se appellatur, in quantum ex aliquo positiuo effectu necessario sequitur, & hoc modo ex interpositione terræ eclipsis procedit, in priuatione lucis consistens, terra namque interposita inter solem, & lunam propria densitate impedit illuminationem solis, qua impedita, lumine, quod ab eo recipiebat luna priuatur; & eiusmodi priuationem sic causatam appellamus eclipsim. *Ad solutionem nota.* 8.

Quomodo causetur mors Eodem etiam pacto causatur mors in priuatione vitæ posita; separata enim parte principali à corpore, separatur ab eo anima, quia corpus sic diuisum informare nequaquam potest naturaliter: separatio autem animæ à corpore priuationem vitæ infert; quia anima non est vitæ principium, nisi media informatione; priuatio autem vitæ mors est. Itaque eclipsis ex interpositione terræ, mors, ex iugulatione, strangulatione, vel alio lethali vulnere, tanquam ex causis per se procedunt eo modo, quo priuatio potest habere causam per se, videlicet, quia naturaliter necessario, & ineuitabiliter coniungitur alicui positiuo per se producto; neque alio modo per se factibilis, vel producibilis est, siue ex causa naturali, vel violenta procedat. 9.

Vera solut. Nec enim naturalis humorum, pugna in corpore mixto, in eius dissolutionem per se primo tendit, sed humor qui prædominatur cæteris in propriã intensionẽ, ac perfectionẽ, quam nõ potest in tali subiecto cõparare, nisi cum contrarij diminutione, atque extinctione, vnde ex consequenti illud extinguit, ex cuius nimia diminutione debitum dissoluitur temperamentum, & consequenter corpus mixtum, cuius forma non potest conseruari in materia sine tali dispositione; dissolutio autem corporis corruptio est, & si corpus sit viuens, mors vocatur.

Obiectio. Quod si vrgeas, effectum per accidens esse qui non est propter se ipsum, à causa operante intentus, nec productus, sed ex consequenti ad

10. pi ad alterius productionē, vt casuales, & fortuiti testantur, qualis est inuentio thesauri sed priuationes istæ sic se habent; ergo nunquam sunt effectus per se, sed semper per accidens.

Responsio. Respondetur esse per se intentum dupliciter contingere, aut per se primo, aut per se secundo: per se primo intentum dicitur illud, quod per se primo terminat actionem operantis, per quam producitur, & à quo actio ipsa specificatur per se secundo, quod ex eo naturaliter, & necessario sequitur: & vt exemplum in positiuis designemus, dum homo gignitur substantia eius per se primo intenditur à generante, a qua generatio ipsa specificatur; at capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas; non primo, sed secundo; quia substantiam consecuntur, sed per se, quia naturaliter, ac necessario: ab hac per se ita excluduntur causales, & fortuiti effectus, quia non sequuntur naturaliter, & necessario rem per se intentam, & productam, sed casu, vel fortuito; cuius illud est euidens signum, quòd non semper contingunt, sed rarò, ideò

11. effectus contingentes meritò appellantur: priuationes autem prædictæ, vt eclipsis, vel mors, non sunt effectus per se primo intenti, vel producti, nec tamen per accidens, sed per se secundo, quia non casu, vel fortuito, non raro, sed semper sequuntur effectus positiuos per se primo productos (vt iā ostendimus) & hoc satis est, vt constituant propositiones per se, dum de suis causis enūciantur: pro quibus quartum modum posuit Aristoteles; per se igitur est hoc modo interpositio terræ causa eclipsis, per se iugulatio talis interitus, per se demum lethale vulnus talem infert mortem.

Ad rationem dubitandi. Ecce dubium expeditum, ad cuius rationem dubitandi negamus contingens ex se posse necessarium producere, sed causam habere necessariam semper, vt voluit Aristoteles in demonstratione præsertim cuius præmissæ causa naturalis sunt conclusionis.

QVAESTIO III.

An per se, & necessarium conuertantur.

SI ita est, quod Aristoteles capi. præsenti ostendere vult, demonstrationem ex propositionibus per se procedere: quia procedit ex necessariis, vrget profecto difficultas propositæ quæstionis; quia principalis eius ratio vix formari potest, nisi per se & necessarium conuertantur: nam si necessarium superius sit ad per se, hoc solum modo eam formare poteris, Omne per se est necessarium, omnis demonstratio procedit ex propositionibus necessariis: ergo ex his, quæ sunt per se; syllogismus est in secunda figura, sed ex affirmatiuis procedens, atque adeo plane vitiosus: nam inter inutiles combinationes huius figuræ enumeratur ab Aristotele 1. lib. priorum, ea, quæ ex puris affirmatiuis procedit, vtpote medium non distribuens, atque adeo ex puris particularibus ex parte illius procedens: posita autem horum terminorum conuersione, bene in prima figura, atque in primo eius modo formatur: quidquid est necessarium est per se, demonstratio procedit ex propositionibus necessariis, ergo ex his, quę sunt per se; necesse est ergo discutere, an duo isti termini conuertantur? vt vim Aristotelicæ rationis ostendamus. 12. *Ratio dubitandi.*

De quorum conuersione antiquiores interpretes cōsulens inuenio Albertum Mag. 1. lib. Poster. tract. 1. cap. 15. partem negatiuam his verbis tenentem, *quamuis sint quædam propositiones necessariæ, & non per se, sicut risibile est coloratum, & grammaticum necesse est esse hominem, hoc non obstat, quia non probamus, quod omnia necessaria sint per se, sed è conuerso, quod quæcunque propositio est per se, illa est necessaria, & hoc est manifestè verum, & sequitur si est per se, necessaria sit, quamuis non sequatur, quod si non est per se, quod non sit necessaria, &c.* *Prima sententia.* 13. *Albertus.*

Potissimum autem fundamentum eius, est, necessitatem propositionis duplicem esse vnam ex simplici inhærentia prædicati in subiecto, vt cygnus est albus, & coloratum est corpus, & grammaticum est homo, alteram ex causa necessitatis, quæ est in subiecto, vel prædicato, in quantum subiectum secundum se causa prædicati est, vel prædicatum causa subiecti; & talis necessitatis est causata ab eo, quod est per se, & est illa, quæ est in demonstrationis principiis: hanc autem affirmat conuerti cum per se, non vero primam cum constet in multis esse similem necessitatem, quæ non sunt per se. *Eius ratio.* 14.

Necessarium vero cum per se omnino conuer- *Secūda sententia veter.*

Oblivionis causa nõ corrumpi sciẽtiam probatur. causa corruptionis scientiæ, quia species, per quas eam conquirimus, in intellectu recipiuntur, vnde spirituales sunt atque immateriales, vt intellectus ipse; atque adeò immobiliter ei adhærent secundum propri-
25. am conditionem, quantumcunque ergo obliuio intercedat, non delebuntur, nec scientia eis permanentibus corrumpetur, quod vsqueadeò verum est, vt subiecto permanente prorsus sit incorruptibilis scientia, quibuscunque aliis cessantibus, cui si addideris eiusmodi esse ex propria conditione incorruptibilem, efficietur consequens omnes causas esse impossibiles, vel insufficientes.

Vera sententia, & argumentorum delutio adducitur.

Causarum quaternarius numerus ratione ostenditur etiã in scientijs. HARVM nihilominus causarum quaternarium numerum non sola authoritas Phylosophi confirmat, sed euidens ratio; quià ab illis quatuor intrinsice dẽpendet scientia, quantum ad esse, fieri, & conseruari; ab obiecto quidem, à quo speciem capit; à ratione, vel demonstratione hoc ferè modo, cum principia, ex qui-
26. bus per demonstrationem gignitur, sint rationes formales obiectiuæ assentiendi; à subiecto, à quo sustentatur, quemadmodum accidentia cætera; à speciebus demum, per quas obiectum percipitur; quæ nisi in memoria conseruentur, cessabit penitus vsus scientiæ, à quo etiam eius dependet conseruatio; benè ergo intulit Aristoteles quolibet horum deficiente corrumpi scientiam.

Argumen. respõdetur. Sed solidam esse eius doctrinam clarius cõstabit, si argumentis aduersus singulas causas præiactis fiat satis, in quibus soluendis, non omnes interpretes conueniunt: & in

Prima solutio. primis circa obiectum Paulus venetus in earundem causarum expositionibus corruptionem eius distinguit secundum actum vel potentiam, actum quidem existentiam vocans, quæ licet corrumpatur, permanebit nihilominus obiectum in potentia causarum; vt si de rosa sit scientia, constat hyemali tempore nullam esse in rerum natura; verum tamen quia in causarum virtute vel potentia sic adest, vt suo tempore ab eiusdem produci valeat, sat est, vt scientia eius perseueret; ex hoc enim permanere obiectum dicitur simpliciter, corrumpi verò secundum quid, & si vtroq; modo corrumperetur, indubiè ait scientiam corrumpi.

Displicuit Caiet. solutio hæc, quam his verbis in fine præsentis capitis excludit: *Ex hac autem tam facile fundata, & breui responsione apparet, quantum vagentur illi, qui scientiam remanere corrupta re ideò saluant, quia remanet semper in causis suis, hoc enim est per accidens; nihil enim minus remaneret scientia mea de trianguli passionibus, & rosa, si omnia anihilarentur, me solo remanente, quam si remaneret prima causa, aut corpus cæleste; extranea enim hæc sunt à scientia iam habita nulla enim mutatio ex his sequitur in ea*: Hæc Caietan. qui breuem, facilem & fundatam solutionem appellat; quam verbis proximè præcedentibus attulerat dicens, obiectum scientiæ non esse rosam vel hominem, sed esse disciplinæ capacem, admiratiuum, vel risibilem, & eiusmodi connexiones prædicatorum incorruptibiles esse, quantumlibet obiecta ipsa simplicia corrumpantur, quod aliis solet explicari verbis, vniuersalia, de quibus sunt scientiæ perpetua esse, licet eorum singularia extinguantur. *Verba Caieta. Veneti solutionẽ impugnãtis.* 28. *Secunda solutio.* 29.

Posset Caieta. suam confirmare solutionem ex eodem Aristotele cap. 8. tex. 21. cuius verba retulimus in argumento aduersus hanc causam proposito; illis enim expresè profitetur, scientiam de perpetuis esse, non de corruptibilibus, cuius rationem reddit, quia est de vniuersalibus. *Conf.*

Medium inter has duas solutiones tenendum est; nam duplex est obiectum scientiæ, proximum, & primum, simplex est hoc, complexum illud: habemus scientiam huius conclusionis, homo est capax disciplinæ, cuius proximum obiectum, atque complexum est prõpositio eadem, primum vero ac simplex homo, de quo talis passio per definitionem probatur; & ab vtroque scientia dependet in suo ordine, & gradu; & de primo docuit Aristoteles in huius operis initio duo esse præsupponenda in quacumque scientia: an sit, & quid sit? in quibus proximum obiectum, & totius demonstrationis processus fundantur; nam cum proximum sit conclusio demonstrationis non præsupponitur sed probatur: itaque de connexionibus prædicatorum perpetuis, habetur proximè scientia; cum ex his proximè componatur demonstratio, principia namque essentialem connexionem continent, *Tertia solutio vera.* 30.

conclusiones vero proprietatum cum essentia, sed de primo tanquam de fundamento, quod necesse est esse, id est habere essentiam, nam de Hircoceruo vel chimera scientia non habetur: necesse est etiam quod quid est eius tanquam medium assumere ad demonstrandas passiones: abstrahit igitur ab existentia obiectum scientiæ (vt bene Caietanus) sed necesse est habeat essentiam, in qua prædicatorum connexio fundetur; & cum sit essentia creata, necesse est habeat esse possibile in potentia alicuius causæ, solus enim Deus Opt. independentem ab alio habet essentiam: itaque existentia possibilis conditio necessaria est obiecti, quanquam extra rationem formalem obiectiuam sit: causa autem, in cuius potentia necesse est obiectum existat, vna est proxima altera prima, proxima est creata, à qua proxime produci potest: prima est Deus Opt. à qua dependent omnes: non est autem necessarium obiectum in potentia causæ proxime existere; bene tamen in potentia primæ: quæ enim à Deo producibilia non sunt, neque vllam habent essentiam, neque essentialia prædicata, vel proprietates, de quibus scientia esse possit: moderamine ergo vtraque sententia indiget: prima quidem in quantum existentiam obiecti in potentia causæ proximæ exigit; postrema vero, in quantum nullam admittit tamquam necessariam: nam esto verum sit non esse necessariam ad rationem obiectiuam, quæ solam connexionem prædicatorum importat ab existentia abstrahentem; necessaria tamen absque dubio est, vt conditio, hoc est, vt vera censeatur essentia, vera item essentialia prædicata, veræ demum passiones, quæ in scientia demonstrantur.

Solus Deus est independens ab alio.

31.

Explicatur mens Philosophi.

32.

Ad sensum autem Aristotelis venientes dicimus; non esse absolutum, sed conditionalem, quasi dicere velit: cum scientia intrinsece pendeat ab obiecto, periret absque dubio eo deficiente, siue possibile sit, vel impossibile deficere: bene igitur in veritate stare vtrumque potest, videlicet incorruptibile esse, ac perpetuum scientiæ, & corrumpi scientiam ad corruptionem eius, si corrumpi posset; propter intrinsecam ab eo dependentiam,

Ad 2. de subiecto scientiæ.

De subiecto autem scientiæ videlicet anima rationali; an corrumpatur vel secus, non est certum, quid senserit Aristoteles, sed nec præsentis instituti id inuestigare, vel discutere: argumentum nihilominus procedit, supposito quod separabilem esse à corpore, atque adeò incorruptibilem, & immortalem (vt veritas habet) probabilius sit in doctrina eius; nam si ita se res habet, non erit corruptibilis scientia ex eius corruptione.

Prima solut. Veneti.

Cui respondet primo Paulus Venetus in huius causæ expositionem, quod & si Aristoteles senserit animam à corpore separari, simul tamen tenuit nihil intelligere posse, nisi per conuersionem ad phantasmata, vt 3. li. de anima. tex. 39. his verbis docet: *Et cum speculetur necesse est simul phantasma aliquod speculari, &c.* Vnde valde probabile est eum credidisse habitus scientificos à nobis conquisitos, sic a phantasmatibus dependere, vt sine illis non conseruentur, quia sine his speciebus sensibilibus, à quibus abstrahimus obiecta, nullus esse potest scientię, vel demonstrationis vsus: cui si addideris post separationem animæ à corpore nullum esse tale phantasma, quo vti intelligendo possit: quia eiusmodi, cum corporeæ sint species, non nisi in potentiis organicis residere, vel conseruari possunt; colliges verò simile esse apud Aristotelem separata anima nullam acquisitam scientiam durare. 33.

Aristotel.

Approbat primæ solutionis.

Solutio quidem non contemnenda, cum in doctrina Aristotelis non constet animam separatam, alium modum intelligendi habere, quam per species à phantasmatibus acceptas, neque harum vsum esse possibilem sine actuali operatione phantasmatis.

Secunda solutio authoris.

Crediderim nihilominus in assignatione huius causæ eundem tenuisse Aristotelem sensum, ac in præcedenti; abstrahit enim à vera subiecti corruptione, idque solum intendit scientiam in sui conseruatione sic à subiecto dependere, vt si fortè corrumpi possit, necesse sit simul cum eo perire: quemadmodum vniuersaliter verum est primis substantiis destructis nihil earum posse saluari, vt in prædicamento substantiæ docuit: itaque sensus illius est, scientiam ex parte sua esse corruptibilem ad corruptionē subiecti, quod non tollitur, etiam si subiectum re ipsa sit in corruptibile: verissima est enim cōditionalis hæc, omnis sciētia corrumperetur, si subiectum eius periret: quæ tamen nihil de vera eiusdem subiecti corruptio-

conuertunt Themistius cap. 14. suę paraphrasis, & omnes, qui cum ipso tenuerunt

15. Aristotelem cap. præsenti probasse ex propositionibus per se procedere demonstratio onem, quia procedit ex necessariis: nisi enim verum hoc esset, vix posset efficaciter probari, siquidem assumptum non esset vniuersaliter verum, quæcunque sunt necessaria, sunt per se.

Ab autho. Arist. part. Hanc partem indubitanter sequitur Caietan. cap. præsenti dub. penul. & mihi non solum probabilis, sed vera videtur, nam si præsentem textum (vt patet) expendamus, videbimus hanc esse mentem Aristotelis, qui in ipso capitis principio, postquam docuit necessaria esse quæcunque per se dicuntur, subdit. *Omne enim, aut secundum accidens accidentia vero non sunt necessaria, &c.* Quibus verbis eiusmodi ratiocinationem constituit, quæ per se sunt necessaria etiam sunt, vt primus, ac secundus modus ostendunt, & quæ non sunt per se, sunt accidentia, ac proinde non necessario insunt, ergo cum ex necessariis demonstratio procedat, erit etiam ex propositionibus per se; quid clarius dici potuit? vt indicaretur hos terminos per se, & necessarium conuerti: eadē fere verba repetit in principio sequētis capitis.

Prima ratio. Idque ratio efficaciter conuincit certum namque est, & à nemine vnquam negatum quæcunque sunt per se, esse necessaria, cuius ea est euidens ratio; quia quæ per se sunt, ex propria rei natura conueniunt, ita

16. vt vel essentialia sint, vel certe per naturalem sequellam ab essentia orta, vt propriæ passiones: sed de his constat non posse aliter se habere, ergo sunt necessaria: quod vero omnia necessaria sint per se non minus efficaciter probare possumus; nam quæ necessario alicui competunt, necessariam connexionem cum eo habent, non ergo ex causa accidentali, vel extrinseca insunt sed ex propria natura, quod est per se in esse.

Secunda ratio. Secundo. Adæquata diuisio propositionis erit, atque immediata, si ea in per se, & per accidens diuidamus, non secus atque diuisio causæ, vel effectus: euidenter ergo sequitur, eiusmodi propositio non est per se, ergo est per accidens; sed quæ sunt per accidens, non insunt necessario, sed contingenter, ergo euidens erit etiam argumentum, non est propositio per se, ergo non est necessaria, quod absque horum modorum reciprocatione non teneret, vt ex solutione argumenti oppositæ sententiæ clarius constabit.

Cui vt commodius fiat satis memoria te petendum erit illud, quod caput 4. explicantes circa primum & secundum modum per se adnotauimus, videlicet suam habere quemlibet latitudinem gradualem, ita vt quibusdā propositionibus principalius conueniant, quam aliis iuxta connexionem magis intrinsecam, quam habet prædicatum cum subiecto, vel subiectum cum prædicato, quam regulam si nunc sequamur, dicendum nobis erit nullam esse propositionem necessariam, quæ eodem pacto, quo necessaria est, non sit per se; & sub ea consideratione, quæ non potest esse per se, necessaria esse poterit; idcirco neganda est duplex illa necessitas, quam Albertus distinguit; neque enim vlla est, quæ ex natura subiecti, vel prędicati non proficiscatur, vt nostram sententiam confirmantes ostēdimus, quod etiam in exemplis ab eodem Alberto productis cernere licet, & in primis propositio hæc, risibile est coloratum, tantundem valet ac ista, homo est coloratus, cum risibile à parte subiecti pro materiali, quod connotat, supponat, nempè pro homine; hæc autem homo est coloratus sub his terminis sicut non est per se sic non est necessaria, sed contingens simpliciter, abesse siquidem ab homine potest color absque eius detrimento, si non realiter, saltem per intellectum, quod satis est vt sit in quinto prædicabili, vt Porphyrius docuit, & tanquam vniuersalis regula habenda est, nullum accidens inseparabile constituere propositionem necessariam, sicut nec per se; quia eo ipso quod per intellectum separabile est, non intelligitur habere connexionem necessariam, sed accidentalem, aut contingentem cum subiecto; vnde fit, vt alia propositio cygnus est albus, non sit vllo modo necessaria; nam ex quo albedo aliis à cygno attribuitur, intelligimus non esse proprietatem eius ab essentia specifica prodeūtem, sed dispositionem quādam ad complexionem indiuiduorum huius speciei spectantem, tantundemque de coruorum nigredine cēsendum erit. Posset autem coloratum prædicari de risibili, vel homine per se, si sub corporis mixti reduplicatione accipiatur; nam corpus mixtum per modū passionis consequitur color, cum sit secunda qua-

Right margin: *Ad solut. argu. nota.* 17. 18. *Nullus accidens inseparabile cōstituit propositionem per se.* 19.

da qualitas ex mixtione primarum naturaliter procedens; at sub ratione hominis non necessario, sed accidentaliter ei, vel contingenter conuenit.

Coloratum est corpus, an sit per se. Et ex hac distinctione intelligitur quid sit de alia propositione, coloratum est corpus: sentiendum; nam sicut non est per se; vt iacet, sic non est necessaria, & quemadmodum corpori accepto non in communi, sed in particulari pro mixto, ad primum modum per se reducitur, pari ratione necessaria censetur. Illa demum grammaticum, necesse est esse hominem, sicut ex parte solius subiecti est necessaria, in quantum necessariam connexionem cum natura hominis dicit tale accidens, sic est etiam per se (vt cap. 4. ex multorum sententia docuimus,) & quemadmodum de his propositionibus iudicamus esse per se in eodem gradu, vel ordine; quo iudicantur necessariæ, iuxta regulas traditas de modis per se; sic erit iudicandum de cæteris, quæ aliquo modo censentur necessariæ.

20.

QVAESTIO IIII.

An quatuor sint causæ corruptionis scientiæ, vt Aristoteles docuit

Obiectiones quædam ad solutionem quæstionis traduntur

Explicatio quæstionis. QVATVOR modis, aut viis corrumpi scientiam, præsupponit Aristoteles tanquam certum; nempe cessante ratione, per quam acquisita est, subiecto, in quo recipitur, vel obiecto, circa quod versatur extinctis, aut obliuione intercedente: indeque deducit non comparari per medium contingens, nam si quispiam his permanentibus non habet scientiam argumento est nunquam eam habuisse per rationem ex non necessariis procedentem: quod autem eam non habeat, constat si medium sit corruptum, hoc est, de vero in falsum mutatū, imò etiam si permaneat, contingens namque cum sit, corrumpi potest, quod est non repugnare, vt ei falsum subsit.

21.

Probat. quod perest Habet autem non modicam difficultatem quælibet harum causarum, quia nulla earum videtur vera, aut si vera, non sufficiens ad corruptionem scientiæ.

Ex subiecto non corrumpatur scientia. Probatur sigillatim de singulis incipiendo ab obiecto, de quo idem Aristoteles inferius cap. 8. & tex. 21. his verbis docet esse incorruptibile atque perpetuum. *Manifestum autem, & si fuerint propositiones vniuersaliter ex quibus est syllogismus, quod necesse est, & conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis, & vt simpliciter dicam, demonstrationis, non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, &c.* Vana igitur est causa hæc, cum ex parte obiecti corrumpi scientiam repugnet: vt etiam ratio ipsa conuincit; etenim scientiæ non habentur de rebus secundum existentiam, sed secundum essentiam, vel essentialium prædicatorum connexionem, neque enim passiones, quæ de subiectis demonstrantur, ab eis vt existentibus prodeunt, sed ab essentiis, de quibus notum est esse incorruptibiles, quantumuis secundum actualem existentiam corrumpantur, incorruptibilis ergò erit ex hac parte scientia, & Aristoteles non ex hac parte scientia, Aristoteles non videtur sibi constare in designatione huius causæ. 22.

Ratione subiecti scientiam non posse corrumpi probatur. Tantundem probatur de subiecto, quod est anima rationalis, vel intellectus, nam cum immortalis sit, corrumpi haud quaquam poterit, nec proinde scientia ex eius corruptione.

23. *In solutione Aristotel.* Si autem dicatur apud Aristotelem esse corruptibilem, & ideo hanc causam ex propria potius sententia, quam iuxta veritatem aliis tribus connumerare, non satis fit argumento, quia non est certum in doctrina Aristotelis, quid de animæ immortalitate senserit, sed in opinione positū, & tanquam probabilius in schola tenetur eam posuisse immortalem (vt suo loco videbimus) cum tamen corruptionem subiecti tanquam indubitatam causam corruptionis scientiæ, cap. præsenti posuerit.

Ratione demonstrationis scientiā non corrūpi probatur. De ratione autem, vel demonstratione (quanquam corrumpi possit) probatur non esse sufficientem causam; quia contingere potest multas esse rationes, per quas vna, eademque conclusio demonstratur, vt si ex diuersis ostendatur causis, vel si ex causa, & effectu; tunc ergo singulis rationibus corruptis, non continuo cessabit scientia, cum possint permanere aliæ. 24.

Obliuio tandem non potest esse sufficien

ruptione affirmat, aut negat; non eſt ergo
8 neceſſarium corrumpi poſſe animam rationalem ad conſiſtentiam, aut veritatem huius cauſæ; quare ad examinandam tertiam, nempe rationem demonſtratiuam properandam erit.

Ad tertium de ratione ſciētiæ prima ſolutio.

Circa quam Aegidius in eius expoſitione tenet, non eſſe niſi vnicam demonſtrationem potiſſimam vnius concluſionis, licet plures eſſe contingat minus principales.

35. *Refutatio.* Cuius ſolutionem propterea non probamus: quia vt in argumento aſſumptum eſt, idque certiſſimum, & a nemine vnquam negatum, ex quatuor cauſarum generibus demonſtrabilis eſt eadem concluſio. & de Philoſopho naturali docet planè Ariſtoteles. 2. lib. phyſic. à text. 21. vſque ad 25. per omnia genera cauſarum demonſtrare.

Secunda ſolutio.

Dicendum igitur eſt (vt bene Paulus Venetus in eiſdem expoſitionibus) vere corrũpi ſcientiam demonſtratione ceſſante, aut omni ex parte, ita vt nullo modo concluſio ſcita in intellectu permaneat, ſi per vnam dumtaxat rationem ſciatur, vel ſi per plures,
36. corrumpi ſaltem qualibet earum ceſſante, in quantum per eam ſciebatur; licet ſcita per reliquas adhuc perſeueret, quæ corruptio formalis eſt potius, quam realis.

Ad quartũ de obliuione ſcientiæ.

Vt obliuionem tandem, quam pro vltima cauſa poſuit Ariſtoteles, intelligamus, modum, quo contingit explicare oportebit: non eſt enim vnica eius cauſa, ſed multiplex, cum ex amentia, ex graui etiam infirmitate, atque item ex eiuſdem ſciẽtiæ deſuetudine euenire ſoleat (vt ſuperius de modo, quo ab errore contrario deſtruitur, agentes tetigimus: ex quacumque autem cauſa contingat, illud eſt certum, non eſſe amiſſionem ſpecierum intelligibilium, quæ in memoria reſeruantur; eiuſmodi enim ſimplices quædam qualitates ſunt contrario carentes, ideò nunquam corrumpuntur; ſed nec eiuſmodi ſpecies ſunt ſcientia ipſa (vt nonnulli decepti putauerunt) ſed hoc modo ſcientiis deſeruiunt, vt cum obiecta repre-
37. ſentent, eis mediantibus, talique modo cõiunctis, vel ordinatis fiunt propoſitiones, circa quas verſantur: itaque ex ordinatione ſpecierum dependent ſcientiæ; & talis ordinatio ex duplici parte perire ſolet: primo quidem ex eo, quòd phantaſmata, à quibus abſtractæ ſunt, euaneſcunt, vel ita confunduntur, vt abſque vllo ordine intellectui

Ordinatio ſpecierũ ex duplici aperire poteſt.

ſubminiſtrentur, a qua ordinata ſubminiſtratione cum ordinata operatio intellectus dependeat, ceſſat ea ceſſante: & hinc fit amentes læſa phantaſia non habere operationes intellectus ordinatas: hinc etiam con- 38.
tingere ſolet, vt cum ex diuturna, aut graui infirmitate potentiæ ſenſitiuæ infirmiores reddantur, vim etiam ordinate operandi amittant: ex quo item ordinatus ſpecierum intelligibilium vſus ceſſat, atque ex conſequenti eiuſdem ſcientiæ; nec ſolum vſus ceſſat, ſed deſuetudo efficit, vt quantumlibet ſpecies intelligibiles permaneant, aliarum tamen admixtione confundantur, & propoſitiones, ex quibus compoſitæ erant demonſtrationes mentales, & quas eadem ordinatio ſpecierum conſtituebat, modo ſimili euaneſcant; & hoc eſt, demonſtrationes obliuione intercedente perire, quibus pereuntibus locus errori datur; ex cuius frequẽti vſu habitum ſcientiæ à ſuo contrario paulatim excludi neceſſe eſt; ex quibus argumẽtum aduerſus hanc cauſam prætactum conſtar eſſe ſolutum, nam permanentibus ſpeciebus, his duabus viis perire poteſt ſcientia.

Si autem aduerſus hanc doctrinam opponatur ex ea elici obliuionem coincidere cum corruptione rationis, vel demonſtrationis; *Obiectio.*
quas tamen tanquam diſtinctas cauſas cor- 39.
ruptionis ſcientiæ enumerauit Ariſtoteles.
Reſpondetur (vt bene Paulus Venetus in huius cauſæ expoſitione) diſtingui adhuc, ſecundum rationem: nam ſi vtrumque per obliuionem fiat, & corruptio rationis, & actualis ſcientiæ amiſſo, diſtincti ſunt, effectus, adeò vt primus etiam ſine ſecundo ſufficiens ſit cauſa corruptionis ſcientiæ; ſi enim ſemel ceſſet demonſtratiua ratio, ſolis principiis obliuioni traditis, quamquam concluſio permaneat, non habebit iam rationem ſcientiæ, ſed appellatione quadam materiali concluſio ſcientifica vocabitur, cum eius euidentia, ac certitudo principiis inniteretur; ideò tanquam diſtinctas cauſas eiuſdem corruptionis enumeratæ ſunt, vna enim ad principia, altera ad concluſionem refertur. *Solutio.*

DE

da qualitas ex mixtione primarum naturaliter procedens; at sub ratione hominis non necessario, sed accidentaliter ei, vel contingenter conuenit.

Coloratum est corpus, an sit per se. Et ex hac distinctione intelligitur quid sit de alia propositione, coloratum est corpus: sentiendum; nam sicut non est per se; vt iacet, sic non est necessaria, & quem-

20. admodum corpori accepto non in communi, sed in particulari pro mixto, ad primum modum per se reducitur, pari ratione necessaria censetur. Illa demum grammaticum, necesse est esse hominem, sicut ex parte solius subiecti est necessaria, in quantum necessariam connexionem cum natura hominis dicit tale accidens, sic est etiam per se (vt cap. 4. ex multorum sententia docuimus,) & quemadmodum de his propositionibus iudicamus esse per se in eodem gradu, vel ordine; quo iudicantur necessariæ, iuxta regulas traditas de modis per se; sic erit iudicandum de cæteris, quæ aliquo modo censentur necessariæ.

QVAESTIO IIII.

An quatuor sint causæ corruptionis scientiæ, vt Aristoteles docuit

Ociectiones quædam ad solutionem quæstionis traduntur

Explicatio quæstionis. QVATVOR modis, aut viis corrumpi scientiam, præsupponit Aristoteles tanquam certum; nempe cessante ratione, per quam acquisita est, subiecto, in quo recipitur, vel obiecto, circa quod versatur extinctis, aut obliuione

21. intercedente: indeque deducit non comparari per medium contingens, nam si quispiam his permanentibus non habet scientiam argumento est nunquam eam habuisse per rationem ex non necessariis procedentem: quod autem eam non habeat, constat si medium sit corruptum, hoc est, de vero in falsum mutatũ, imò etiam si permaneat, contingens namque cum sit, corrumpi potest, quod est non repugnare, vt ei falsum subsit.

Probat. quod per esse subiecto non corrumpatur scientia. Habet autem non modicam difficultatem quælibet harum causarum, quia nulla earum videtur vera, aut si vera, non sufficiens ad corruptionem scientiæ.

Probatur sigillatim de singulis incipiendo ab obiecto, de quo idem Aristoteles inferius cap. 8. & tex. 21. his verbis docet esse incorruptibile atque perpetuum. *Manifestum autem, & si fuerint propositiones vniuersaliter ex quibus est syllogismus, quod necesse est, & conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis, & vt simpliciter dicam, demonstrationis, non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, &c.* Vana igitur est causa hæc, cum ex parte obiecti corrumpi scientiam repugnet: vt etiam ratio ipsa conuincit; etenim scientiæ non habentur de rebus secundum existentiam, sed secundum essentiam, vel essentialium prædicatorum connexionem, neque enim passiones, quæ de subiectis demonstrantur, ab eis vt existentibus prodeunt, sed ab essentiis, de quibus notum est esse incorruptibiles, quantumuis secundum actualem existentiam corrumpantur, incorruptibilis ergò erit ex hac parte scientia, & Aristoteles non ex hac parte scientia, Aristoteles non videtur sibi constare in designatione huius causæ. 22.

Tantundem probatur de subiecto, quod est anima rationalis, vel intellectus, nam cum immortalis sit, corrumpi haud quaquam poterit, nec proinde scientia ex eius corruptione. *Ratione subiecti scientiam non posse corrũpi probatur.*

Si autem dicatur apud Aristotelem esse corruptibilem, & ideo hanc causam ex propria potius sententia, quam iuxta veritatem aliis tribus connumerare, non satis fit argumento, quia non est certum in doctrina Aristotelis, quid de animæ immortalitate senserit, sed in opinione positũ, & tanquam probabilius in schola tenetur eam posuisse immortalem (vt suo loco videbimus) cum tamen corruptionem subiecti tanquam indubitatam causam corruptionis scientiæ, cap. præsenti posuerit. 23. *In solutione Aristotel.*

De ratione autem, vel demonstratione (quanquam corrumpi possit) probatur non esse sufficientem causam; quia contingere potest multas esse rationes, per quas vna, eademque conclusio demonstratur, vt si ex diuersis ostendatur causis, vel si ex causa, & effectu; tunc ergo singulis rationibus corruptis, non continuo cessabit scientia, cum possint permanere aliæ. *Ratione demonstrationis scientiã non corrũpi probatur.* 24.

Obliuio tandem non potest esse sufficien cau-

ruptione affirmat, aut negat; non est ergo
8 necessarium corrumpi posse animam rationalem ad consistentiam, aut veritatem huius causæ; quare ad examinandam tertiam, nempe rationem demonstratiuam properandam erit.

Ad tertium de ratione sciētiæ prima solutio. Circa quam Aegidius in eius expositione tenet, non esse nisi vnicam demonstrationem potissimam vnius conclusionis, licet plures esse contingat minus principales.

35. *Refutatio.* Cuius solutionem propterea non probamus: quia vt in argumento assumptum est, idque certissimum, & à nemine vnquam negatum, ex quatuor causarum generibus demonstrabilis est eadem conclusio: & de Philosopho naturali docet planè Aristoteles. 2. lib. physic. à text. 21. vsque ad 25. per omnia genera causarum demonstrare.

Secunda solutio. Dicendum igitur est (vt bene Paulus Venetus in eisdem expositionibus) vere corrūpi scientiam demonstratione cessante, aut omni ex parte, ita vt nullo modo conclusio scita in intellectu permaneat, si per vnam
36. dumtaxat rationem sciatur, vel si per plures, corrumpi saltem qualibet earum cessante, in quantum per eam sciebatur; licet scita per reliquas adhuc perseueret, quæ corruptio formalis est potius, quam realis.

Ad quartū de obliuione scientiæ. Vt obliuionem tandem, quam pro vltima causa posuit Aristoteles, intelligamus, modum, quo contingit explicare oportebit: non est enim vnica eius causa, sed multiplex, cum ex amentia, ex graui etiam infirmitate, atque item ex eiusdem sciētiæ desuetudine euenire soleat (vt superius de modo, quo ab errore contrario destruitur, agentes tetigimus: ex quacumque autem causa contingat, illud est certum, non esse amissionem specierum intelligibilium, quæ in memoria reseruantur; eiusmodi enim simplices quædam qualitates sunt contrario carentes, ideò nunquam corrumpuntur; sed nec eiusmodi species sunt scientia ipsa (vt nonnulli decepti putauerunt) sed hoc modo scientiis deseruiunt, vt cum obiecta repre-
37. sentent, eis mediantibus, talique modo cōiunctis, vel ordinatis fiunt propositiones, circa quas versantur: itaque ex ordinatione specierum dependent scientiæ; & talis ordinatio ex duplici parte perire solet: primo quidem ex eo, quòd phantasmata, à quibus abstractæ sunt, euanescunt, vel ita confunduntur, vt absque vllo ordine intellectui

Ordinatio specierū ex duplici ape- rire potest.

subministrentur, a qua ordinata subministratione cum ordinata operatio intellectus dependeat, cessat ea cessante: & hinc fit amentes læsa phantasia non habere operationes intellectus ordinatas: hinc etiam con- 38.
tingere solet, vt cum ex diuturna, aut graui infirmitate potentiæ sensitiuæ infirmiores reddantur, vim etiam ordinate operandi amittant: ex quo item ordinatus specierum intelligibilium vsus cessat, atque ex consequenti eiusdem scientiæ; nec solum vsus cessat, sed desuetudo efficit, vt quantumlibet species intelligibiles permaneant, aliarum tamen admixtione confundantur, & propositiones, ex quibus compositæ erant demonstrationes mentales, & quas eadem ordinatio specierum constituebat, modo simul euanescant; & hoc est, demonstrationes obliuione intercedente perire, quibus pereuntibus locus errori datur; ex cuius frequēti vsu habitum scientiæ à suo contrario paulatim excludi necesse est; ex quibus argumētum aduersus hanc causam prætactum constat esse solutum, nam permanentibus speciebus, his duabus viis perire potest scientia.

Si autem aduersus hanc doctrinam opponatur ex ea elici obliuionem coincidere cum corruptione rationis, vel demonstrationis; *Obiectio* 39.
quas tamen tanquam distinctas causas corruptionis scientiæ enumerauit Aristoteles.
Respondetur (vt bene Paulus Venetus in huius causæ expositione) distingui adhuc, secundum rationem: nam si vtrumque per obliuionem fiat, & corruptio rationis, & actualis scientiæ amisso, distincti sunt, effectus, adeò vt primus etiam sine secundo sufficiens sit causa corruptionis scientiæ; si enim semel cesset demonstratiua ratio, solis principiis obliuioni traditis, quamquam conclusio permaneat, non habebit iam rationem scientiæ, sed appellatione quadam materiali conclusio scientifica vocabitur, cum eius euidentia, ac certitudo principiis innitetur; ideò tanquam distinctas causas eiusdem corruptionis enumeratæ sunt, vna enim ad principia, altera ad conclusionem refertur. *Solutio.*

DE

da qualitas ex mixtione primarum naturaliter procedens; at sub ratione hominis non necessario, sed accidentaliter ei, vel contingenter conuenit.

Coloratum est corpus, an sit per se.

Et ex hac distinctione intelligitur quid sit de alia propositione, coloratum est corpus: sentiendum; nam sicut non est per se; vt iacet, sic non est necessaria, & quem-
20. admodum corpori accepto non in communi, sed in particulari pro mixto, ad primum modum per se reducitur, pari ratione necessaria censetur. Illa demum grammaticum, necesse est esse hominem, sicut ex parte solius subiecti est necessaria, in quantum necessariam connexionem cum natura hominis dicit tale accidens, sic est etiam per se (vt cap. 4. ex multorum sententia docuimus,) & quemadmodum de his propositionibus iudicamus esse per se in eodem gradu, vel ordine; quo iudicantur necessariæ, iuxta regulas traditas de modis per se; sic erit iudicandum de cæteris, quæ aliquo modo censentur necessariæ.

QVAESTIO IIII.

An quatuor sint causæ corruptionis scientiæ, vt Aristoteles docuit.

Obiectiones quædam ad solutionem quæstionis traduntur.

Explicatio quæstionis.

QVATVOR modis, aut viis corrumpi scientiam, præsupponit Aristoteles tanquam certum; nempe cessante ratione, per quam acquisita est, subiecto, in quo recipitur, vel obiecto, cir-
21. ca quod versatur extinctis, aut obliuione intercedente: indeque deducit non comparari per medium contingens, nam si quispiam his permanentibus non habet scientiam argumento est nunquam eam habuisse per rationem ex non necessariis procedentem: quod autem eam non habeat, constat si medium sit corruptum, hoc est, de vero in falsum mutatū, imò etiam si permaneat, contingens namque cum sit, corrumpi potest, quod est non repugnare, vt ei falsum subsit.

Probat. quod pereā

Habet autem non modicam difficultatem quælibet harum causarum, quia nulla earum videtur vera, aut si vera, non sufficiens ad corruptionem scientiæ.

Ratione subiecto non corrumpatur scientia.

Probatur sigillatim de singulis incipiendo ab obiecto, de quo idem Aristoteles inferius cap. 8. & tex. 21. his verbis docet esse incorruptibile atque perpetuum. *Manifestum autem, & si fuerint propositiones vniuersaliter ex quibus est syllogismus, quod necesse est, &* 22.
conclusionem perpetuam esse huiuscemodi demonstrationis, & vt simpliciter dicam, demonstrationis, non est igitur demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, &c. Vana igitur est causa hæc, cum ex parte obiecti corrumpi scientiam repugnet: vt etiam ratio ipsa conuincit; etenim scientiæ non habentur de rebus secundum existentiam, sed secundum essentiam, vel essentialium prædicatorum connexionem, neque enim passiones, quæ de subiectis demonstrantur, ab eis vt existentibus prodeunt, sed ab essentiis, de quibus notum est esse incorruptibiles, quantumuis secundum actualem existentiam corrumpantur, incorruptibilis ergò erit ex hac parte scientia, & Aristoteles non ex hac parte scientia, Aristoteles non videtur sibi constare in designatione huius causæ.

Ratione subiecti scientiam non posse corrūpi probatur.

Tantundem probatur de subiecto, quod est anima rationalis, vel intellectus, nam cum immortalis sit, corrumpi haud quaquam poterit, nec proinde scientia ex eius corruptione.

In solutionē Aristotel.

Si autem dicatur apud Aristotelem esse 23.
corruptibilem, & ideo hanc causam ex propria potius sententia, quam iuxta veritatem aliis tribus connumerare, non satis fit argumento, quia non est certum in doctrina Aristotelis, quid de animæ immortalitate senserit, sed in opinione positū, & tanquam probabilius in schola tenetur eam posuisse immortalem (vt suo loco videbimus) cum tamen corruptionem subiecti tanquam indubitatam causam corruptionis scientiæ, cap. præsenti posuerit.

Ratione demonstrationis scientiā non corrūpi probatur.

De ratione autem, vel demonstratione (quanquam corrumpi possit) probatur non esse sufficientem causam; quia contingere potest multas esse rationes, per quas vna, eademque conclusio demonstratur, vt si ex
diuersis ostendatur causis, vel si ex causa, 24.
& effectu; tunc ergo singulis rationibus corruptis, non continuo cessabit scientia, cum possint permanere aliæ.

Obliuio tandem non potest esse sufficien

ruptione affirmat, aut negat; non est ergo
8 necessarium corrumpi posse animam rationalem ad consistentiam, aut veritatem huius causæ; quare ad examinandam tertiam, nempe rationem demonstratiuam properandam erit.

Ad tertium de ratione scientiæ prima solutio. Circa quam Aegidius in eius expositione tenet, non esse nisi vnicam demonstrationem potissimam vnius conclusionis, licet plures esse contingat minus principales.

35. *Refutatio.* Cuius solutionem propterea non probamus: quia vt in argumento assumptum est, idque certissimum, & à nemine vnquam negatum, ex quatuor causarum generibus demonstrabilis est eadem conclusio & de Philosopho naturali docet planè Aristoteles. 2. lib. physic. à text. 21. vsque ad 25. per omnia genera causarum demonstrare.

Secunda solutio. Dicendum igitur est (vt bene Paulus Venetus in eisdem expositionibus) vere corrũpi scientiam demonstratione cessante, aut omni ex parte, ita vt nullo modo conclusio scita in intellectu permaneat, si per vnam
36. dumtaxat rationem sciatur, vel si per plures, corrumpi saltem qualibet earum cessante, in quantum per eam sciebatur; licet scita per reliquas adhuc perseueret, quæ corruptio formalis est potius, quam realis.

Ad quartũ de obliuione scientiæ. Vt obliuionem tandem, quam pro vltima causa posuit Aristoteles, intelligamus, modum, quo contingit explicare oportebit: non est enim vnica eius causa, sed multiplex, cum ex amentia, ex graui etiam infirmitate, atque item ex eiusdem sciẽtiæ desuetudine euenire soleat (vt superius de modo, quo ab errore contrario destruitur, agentes tetigimus: ex quacumque autem causa contingat, illud est certum, non esse amissionem specierum intelligibilium, quæ in memoria reseruantur; eiusmodi enim simplices quædam qualitates sunt contrario carentes, ideò nunquam corrumpuntur; sed nec eiusmodi species sunt scientia ipsa (vt nonnulli decepti putauerunt) sed hoc modo scientiis deseruiunt, vt cum obiecta repre-
37. sentent, eis mediantibus, talique modo cõiunctis, vel ordinatis fiunt propositiones, circa quas versantur: itaque ex ordinatione specierum dependent scientiæ; & talis ordinatio ex duplici parte perire solet: primo quidem ex eo, quòd phantasmata, à quibus abstractæ sunt, euanescunt, vel ita confunduntur, vt absque vllo ordine intellectui

Ordinatio specierũ ex duplici aperire potest.

sub ministrentur, a qua ordinata subministratione cum ordinata operatio intellectus dependeat, cessat ea cessante: & hinc fit amentes læsa phantasia non habere operationes intellectus ordinatas: hinc etiam contingere solet, vt cum ex diuturna, aut graui 38.
infirmitate potentiæ sensitiuæ infirmiores reddantur, vim etiam ordinate operandi amittant: ex quo item ordinatus specierum intelligibilium vsus cessat, atque ex consequenti eiusdem scientiæ; nec solum vsus cessat, sed desuetudo efficit, vt quantumlibet species intelligibiles permaneant, aliarum tamen admixtione confundantur, & propositiones, ex quibus compositæ erant demonstrationes mentales, & quas eadem ordinatio specierum constituebat, modo simili euanescant; & hoc est, demonstrationes obliuione intercedente perire, quibus pereuntibus locus errori datur; ex cuius frequẽti vsu habitum scientiæ à suo contrario paulatim excludi necesse est; ex quibus argumẽtum aduersus hanc causam præiactam constat esse solutum, nam permanentibus speciebus, his duabus viis perire potest scientia.

Si autem aduersus hanc doctrinam opponatur ex ea elici obliuionem coincidere cum *Obiectio.*
corruptione rationis, vel demonstrationis;
quas tamen tanquam distinctas causas corruptionis scientiæ enumerauit Aristoteles. 39.
Respondetur (vt bene Paulus Venetus in huius causæ expositione) distingui adhuc, secundum rationem: nam si vtrumque per obliuionem fiat, & corruptio rationis, & actualis scientiæ amisso, distincti sunt, effectus, adeò vt primus etiam sine secundo sufficiens sit causa corruptionis scientiæ; si enim semel cesset demonstratiua ratio, solis principiis obliuioni traditis, quamquam conclusio permaneat, non habebit iam rationem scientiæ, sed appellatione quadam materiali conclusio scientifica vocabitur, cum eius euidentia, ac certitudo principiis innitteretur; ideò tanquam distinctas causas eiusdem corruptionis enumeratæ sunt, *Solutio.*
vna enim ad principia, altera ad conclusionem refertur.

DE

Obliuionis causa nō corrumpi sciētiam probatur. causa corruptionis scientiæ, quia species, per quas eam conquirimus, in intellectu recipiuntur, vnde spirituales sunt atque immateriales, vt intellectus ipse; atque adeò immobiliter ei adhærent secundum propri-
25. am conditionem, quantumcunque ergo obliuio intercedat, non delebuntur, nec scientia eis permanentibus corrumpetur, quod vsqueadò verum est, vt subiecto permanente prorsus sit incorruptibilis scientia, quibuscunque aliis cessantibus, cui si addideris eiusmodi esse ex propria conditione incorruptibilem, efficietur consequens omnes causas esse impossibiles, vel insufficientes.

Vera sententia, & argumentorum delutio adducitur.

Causarum quaternarius numerus ratione ostenditur etiā in scientijs. HARVM nihilominus causarum quaternarium numerum non sola authoritas Phylosophi confirmat, sed euidens ratio; quià ab illis quatuor intrinsice dependet scientia, quantum ad esse, fieri, & conseruari; ab obiecto quidem, à quo speciem capit; à ratione, vel demonstratione hoc ferè modo, cum principia, ex qui-
26. bus per demonstrationem gignitur, sint rationes formales obiectiuæ assentiendi; à subiecto, à quo sustentatur, quemadmodum accidentia cætera; à speciebus demum, per quas obiectum percipitur; quæ nisi in memoria conseruentur, cessabit penitus vsus scientiæ, à quo etiam eius dependet conseruatio; benè ergo intulit Aristoteles quolibet horum deficiente corrumpi scientiam.

Argumen. respōdetur. Sed solidam esse eius doctrinam clarius cōstabit, si argumentis aduersus singulas causas præiactis fiat satis, in quibus soluendis, non omnes interpretes conueniunt: & in
Prima solutio. primis circa obiectum Paulus venetus in earundem causarum expositionibus corruptionem eius distinguit secundum actum vel potentiam, actum quidem existentiam vocans, quæ licet corrumpatur, permanebit nihilominus obiectum in potentia causarum; vt si de rosa sit scientia, constat hyemali tempore nullam esse in rerum natura; verum tamen quia in causarum virtute vel potentia sic adest, vt suo tempore ab eiusdem produci valeat, sat est, vt scientia eius perseueret; ex hoc enim permanere obiectum dicitur simpliciter, corrumpi verò secundum quid, & si vtroq; modo corrumperetur, indubiè ait scientiam corrumpi.

Displicuit Caiet. solutio hæc, quam his verbis in fine præsentis capitis excludit: *Ex hac autem tam facile fundata, & breui responsione apparet, quantum vagentur illi, qui scientiam remanere corrupta re ideò saluant, quia remanet semper in causis suis, hoc enim est per accidens; nihil enim minus remaneret scientia mea de trianguli passionibus, & rosa, si omnia anhilarentur, me solo remanente, quam si remaneret prima causa, aut corpus cæleste; extranea enim hæc sunt à scientia iam habita nulla enim mutatio ex his sequitur in ea:* Hæc Caietan. qui breuem, facilem & fundatam solutionem appellat, quam verbis proximè præcedentibus attulerat dicens, obiectum scientiæ non esse rosam vel hominem, sed esse disciplinæ capacem, admiratiuum, vel risibilem, & eiusmodi connexiones prædicatorum incorruptibiles esse, quantumlibet obiecta ipsa simplicia corrumpantur, quod aliis solet explicari verbis, vniuersalia, de quibus sunt scientiæ perpetua esse, licet eorum singularia extinguantur. *Verba Caieta. Venetiꝭ solutionē impugnātis.* 28. *Secunda solutio.* 29.

Posset Caieta. suam confirmare solutionem ex eodem Aristotele cap. & tex. 21. cuius verba retulimus in argumento aduersus hanc causam proposito; illis enim expresse profitetur, scientiam de perpetuis esse, non de corruptibilibus, cuius rationem reddit, quia est de vniuersalibus. *Conf.*

Medium inter has duas solutiones tenendum est; nam duplex est obiectum scientiæ, proximum, & primum, simplex est hoc, complexum illud: habemus scientiam huius conclusionis, homo est capax disciplinæ, cuius proximum obiectum, atque complexum est propositio eadem, primum vero ac simplex homo, de quo talis passio per definitionem probatur; & ab vtroque scientia dependet in suo ordine, & gradu; & de primo docuit Aristoteles in huius operis initio duo esse præsupponenda in quacumque scientia: an sit, & quid sit? in quibus proximum obiectum, & totius demonstrationis processus fundantur; nam cum proximum sit conclusio demonstrationis non præsupponitur sed probatur: itaque de connexionibus prædicatorum perpetuis, habetur proximè scientia; cum ex his proximè componatur demonstratio, principia namque essentialem connexionem continent, *Tertia solutio vera.* 30.

 con-

conclusiones vero proprietatum cum essentia; sed de primo tanquam de fundamento, quod necesse est esse, id est habere essentiam, nam de Hircoceruo vel chimera scientia non habetur: necesse est etiam quod quid est eius tanquam medium assumere ad demonstrandas passiones: abstrahit igitur ab existentia obiectum scientiæ (vt bene Caietanus) sed necesse est habeat essentiam, in qua prædicatorum connexio fundetur; & cum sit essentia creata, necesse est habeat esse possibile in potentia alicuius causæ, solus enim Deus Opt. independentem ab alio habet essentiam: itaque existentia possibilis conditio necessaria est obiecti, quanquam extra rationem formalem obiectiuam sit: causa autem, in cuius potentia necesse est obiectum existat, vna est proxima altera prima; proxima est creata, à qua proxime produci potest: prima est Deus Opt. à qua dependent omnes: non est autem necessarium obiectum in potentia causæ proxime existere; bene tamen in potentia primæ: quæ enim à Deo producibilia non sunt, neque vllam habent essentiam, neque essentialia prædicata, vel proprietates, de quibus scientia esse possit: moderamine ergo vtraque sententia indiget: prima quidem in quantum existentiam obiecti in potentia causæ proximæ exigit; postrema vero, in quantum nullam admittit tamquam necessariam: nam esto verum sit non esse necessariam ad rationem obiectiuam, quæ solam connexionem prædicatorum importat ab existentia abstrahentem; necessaria tamen absque dubio est, vt conditio, hoc est, vt vera censeatur essentia, vera item essentialia prædicata, veræ demum passiones, quæ in scientia demonstrantur.

Solus Deus est independes ab alio.

31.

Explicatur mens Philosophi.

32.

Ad sensum autem Aristotelis venientes dicimus; non esse absolutum, sed conditionalem, quasi dicere velit: cum scientia intrinsece pendeat ab obiecto, periret absque dubio eo deficiente, siue possibile sit, vel impossibile deficere: bene igitur in veritate stare vtrumque potest, videlicet incorruptibile esse, ac perpetuum scientiæ, & corrumpi scientiam ad corruptionem eius, si corrumpi posset; propter intrinsecam ab eo dependentiam,

Ad 2. de subiecto scientiæ.

De subiecto autem scientiæ videlicet anima rationali; an corrumpatur vel secus, non est certum, quid senserit Aristoteles, sed nec præsentis instituti id inuestigare, vel discutere: argumentum nihilominus procedit, supposito quod separabilem esse à corpore, atque adeò incorruptibilem, & immortalem (vt veritas habet) probabilius sit in doctrina eius; nam si ita se res habet, non erit corruptibilis scientia ex eius corruptione.

Prima solut. Veneti.

33.

Aristotel.

Cui respondet primo Paulus Venetus in huius causæ expositionem, quod & si Aristoteles senserit animam à corpore separari, simul tamen tenuit nihil intelligere posse, nisi per conuersionem ad phantasmata, vt 3. li. de anima tex. 39. his verbis docet: *Et cum speculetur necesse est simul phantasma aliquod speculari, &c.* Vnde valde probabile est eum credidisse habitus scientificos à nobis conquisitos, sic à phantasmatibus dependere, vt sine illis non conseruenter, quia sine his speciebus sensibilibus, à quibus abstrahimus obiecta, nullus esse potest scietię, vel demonstrationis vsus: cui si addideris post separationem animæ à corpore nullum esse tale phantasma, quo vti intelligendo possit: quia eiusmodi, cum corporeæ sint species, non nisi in potentiis organicis residere, vel conseruari possunt; colliges verò simile esse apud Aristotelem separata anima nullam acquisitam scientiam durare.

Approbas primæ solutionis.

Solutio quidem non contemnenda, cum in doctrina Aristotelis non constet animam separatam, alium modum intelligendi habere, quam per species à phantasmatibus acceptas, neque harum vsum esse possibilem sine actuali operatione phantasmatis.

Secunda solutio authoris.

Crediderim nihilominus in assignatione huius causæ eundem tenuisse Aristotelem sensum, ac in præcedenti; abstrahit enim à vera subiecti corruptione, idque solum intendit scientiam in sui conseruatione sic à subiecto dependere, vt si fortè corrumpi possit, necesse sit simul cum eo perire: quemadmodum vniuersaliter verum est primis substantiis destructis nihil earum posse saluari, vt in prædicamento substantiæ docuit: itaque sensus illius est, scientiam ex parte sua esse corruptibilem ad corruptionē subiecti, quod non tollitur, etiam si subiectum re ipsa sit incorruptibile: verissima est enim cōditionalis hæc, omnis scietia corrumperetur, si subiectum eius periret: quæ tamen nihil de vera eiusdem subiecti corruptio-

conuertunt Themistius cap. 14. suę paraphrasis, & omnes, qui cum ipso tenuerunt Aristotelem cap. præsenti probasse ex pro-
15. positionibus per se procedere demonstrationem, quia procedit ex necessariis: nisi enim verum hoc esset, vix posset efficaciter probari, siquidem assumptum non esset vniuersaliter verum, quæcunque sunt necessaria, sunt per se.

Ab aucto. Arist. part.

Hanc partem indubitanter sequitur Caietan. cap. præsenti dub. penul. & mihi non solum probabilis, sed vera videtur, nam si præsentem textum (vt patet) expendamus, videbimus hanc esse mentem Aristotelis, qui in ipso capitis principio, postquam docuit necessaria esse quæcunque per se dicuntur, subdit. *Omne enim, aut secundum accidens accidentia vero non sunt necessaria, &c.* Quibus verbis eiusmodi ratiocinationem constituit, quæ per se sunt necessaria etiam sunt, vt primus, ac secundus modus ostendunt, & quæ non sunt per se, sunt accidentia, ac proinde non necessario insunt, ergo cum ex necessariis demonstratio procedat, erit etiam ex propositionibus per se; quid clarius dici potuit? vt indicaretur hos terminos per se, & necessarium conuerti: eadē fere verba repetit in principio sequētis capitis.

Prima ratio.

Idque ratio efficaciter conuincit certum namque est, & à nemine vnquam negatum quæcunque sunt per se, esse necessaria, cuius ea est euidens ratio; quia quæ per se sunt, ex propria rei natura conueniunt, ita
16. vt vel essentialia sint, vel certe per naturalem sequellam ab essentia orta, vt propriæ passiones: sed de his constat non posse aliter se habere, ergo sunt necessaria: quod vero omnia necessaria sint per se non minus efficaciter probare possumus; nam quæ necessario alicui competunt, necessariam connexionem cum eo habent, non ergo ex causa accidentali, vel extrinseca insunt sed ex propria natura, quod est per se in esse.

Secunda ratio.

Secundo. Adæquata diuisio propositionis erit, atque immediata, si ea in per se, & per accidens diuidamus, non secus atque diuisio causæ, vel effectus: euidenter ergo sequitur, eiusmodi propositio non est per se, ergo est per accidens; sed quæ sunt per accidens, non insunt necessario, sed contingenter, ergo euidens erit etiam argumentum, non est propositio per se, ergo non est necessaria, quod absque horum modorum reciprocatione non teneret, vt ex solutione argumenti oppositæ sententiæ clarius constabit.

Absolut. a qu. nota.

Cui vt commodius fiat satis memoria repetendum erit illud, quod caput 4. explicantes circa primum & secundum modum per se adnotauimus, videlicet suam habere 17.
quemlibet latitudinem gradualem, ita vt quibusdā propositionibus principalius conueniant, quam aliis iuxta connexionem magis intrinsecam, quam habet prædicatum cum subiecto, vel subiectum cum prædicato, quam regulam si nunc sequamur, dicendum nobis erit nullam esse propositionem necessariam, quæ eodem pacto, quo necessaria est, non sit per se; & sub ea consideratione, quæ non potest esse per se, necessaria esse poterit; idcirco neganda est duplex illa necessitas, quam Albertus distinguit; neque enim vlla est, quæ ex natura subiecti, vel prędicati non proficiscatur, vt no- 18.
stram sententiam confirmantes ostēdimus, quod etiam in exemplis ab eodem Alberto productis cernere licet, & in primis propositio hæc, risibile est coloratum, tantundem valet ac ista, homo est coloratus, cum risibile à parte subiecti pro materiali, quod connotat, supponat, nempè pro homine; hæc autem homo est coloratus sub his terminis sicut non est per se sic non est necessaria, sed contingens simpliciter, abesse siquidem ab homine potest color absque eius detrimento, si non realiter, saltem per intellectum, quod satis est vt sit in quinto prædicabili, vt Porphyrius docuit, & tanquam vniuersalis regula habenda est, nullum accidens inseparabile constituere propositionem necessariam, sicut nec per se; quia eo ipso quod per intellectum separabile est, non intelligitur habere connexionem necessariam, sed accidentalem, aut contingentem cum subiecto; 19.
vnde fit, vt alia propositio cygnus est albus, non sit vllo modo necessaria; nam ex quo albedo aliis à cygno attribuitur, intelligimus non esse proprietatem eius ab essentia specifica prodeūtem, sed dispositionem quādam ad complexionem indiuiduorum huius speciei spectantem, tantundemque de coruorum nigredine cēsendum erit. Posset autem coloratum prædicari de risibili, vel homine per se, si sub corporis mixti reduplicatione accipiatur; nam corpus mixtum per modū passionis consequitur color, cum sit secun-

Nullus accidens inseparabile constituit propositionem per se.

ruptione affirmat, aut negat; non est ergo necessarium corrumpi posse animam rationalem ad consistentiam, aut veritatem huius causæ; quare ad examinandam tertiam, nempe rationem demonstratiuam properandam erit.

Ad tertium de ratione sciētiæ prima solutio. Circa quam Aegidius in eius expositione tenet, non esse nisi vnicam demonstrationem potissimam vnius conclusionis, licet plures esse contingat minus principales.

35. *Refutatio.* Cuius solutionem propterea non probamus: quia vt in argumento assumptum est, idque certissimum, & a nemine vnquam negatum, ex quattuor causarum generibus demonstrabilis est eadem conclusio. & de Philosopho naturali docet planè Aristoteles. 2. lib. physic. à text. 21. vsque ad 25. per omnia genera causarum demonstrare.

Secunda solutio. Dicendum igitur est (vt bene Paulus Venetus in eisdem expositionibus) vere corrūpi scientiam demonstratione cessante, aut omni ex parte, ita vt nullo modo conclusio scita in intellectu permaneat, si per vnam

36. dumtaxat rationem sciatur, vel si per plures, corrumpi saltem qualibet earum cessante, in quantum per eam sciebatur; licet scita per reliquas adhuc perseueret, quæ corruptio formalis est potius, quam realis.

Ad quartū de obliuione scientiæ. Vt obliuionem tandem, quam pro vltima causa posuit Aristoteles, intelligamus, modum, quo contingit explicare oportebit: non est enim vnica eius causa, sed multiplex, cum ex amentia, ex graui etiam infirmitate, atque item ex eiusdem sciētiæ desuetudine euenire soleat (vt superius de modo, quo ab errore contrario destruitur, agentes tetigimus: ex quacumque autem causa contingat, illud est certum, non esse amissionem specierum intelligibilium, quæ in memoria reseruantur, eiusmodi enim simplices quædam qualitates sunt contrario carentes, ideò nunquam corrumpuntur; sed nec eiusmodi species sunt scientia ipsa (vt nonnulli decepti putauerunt) sed hoc modo scientiis deseruiunt, vt cum obiecta repræ-

37. sentent, eis mediantibus, talique modo cōiunctis, vel ordinatis fiunt propositiones,

Ordinatio specierū ex duplici aparte potest. circa quas versantur: itaque ex ordinatione specierum dependent scientiæ; & talis ordinatio ex duplici parte perire solet: primo quidem ex eo, quòd phantasmata, à quibus abstractæ sunt, euanescunt, vel ita confundantur, vt absque vllo ordine intellectui sub ministrentur, a qua ordinata subministratione cum ordinata operatio intellectus dependeat, cessat ea cessante: & hinc fit amentes læsa phantasia non habere operationes intellectus ordinatas: hinc etiam contingere solet, vt cum ex diuturna, aut graui 38. infirmitate potentiæ sensitiuæ infirmiores reddantur, vim etiam ordinate operandi amittant: ex quo item ordinatus specierum intelligibilium vsus cessat, atque ex consequenti eiusdem scientiæ; nec solum vsus cessat, sed desuetudo efficit, vt quantumlibet species intelligibiles permaneant, aliarum tamen admixtione confundantur, & propositiones, ex quibus compositæ erant demonstrationes mentales, & quas eadem ordinatio specierum constituebat, modo simili euanescant; & hoc est, demonstrationes obliuione intercedente perire, quibus pereuntibus locus errori datur; ex cuius frequēti vsu habitum scientiæ à suo contrario paulatim excludi necesse est; ex quibus argumētum aduersus hanc causam præiactum constat esse solutum, nam permanentibus speciebus, his duabus viis perire potest scientia.

Si autem aduersus hanc doctrinam opponatur ex ea elici obliuionem coincidere cum corruptione rationis, vel demonstrationis; *Obiectio.* quas tamen tanquam distinctas causas corruptionis scientiæ enumerauit Aristoteles. 39.

Respondetur (vt bene Paulus Venetus in huius causæ expositione) distingui adhuc, secundum rationem: nam si vtrumque per obliuionem fiat, & corruptio rationis, & actualis scientiæ amissio, distincti sunt, effectus, *Solutio.* adeò vt primus etiam sine secundo sufficiens sit causa corruptionis scientiæ; si enim semel cesset demonstratiua ratio, solis principiis obliuioni traditis, quamquam conclusio permaneat, non habebit iam rationem scientiæ, sed appellatione quadam materiali conclusio scientifica vocabitur, cum eius euidentia, ac certitudo principiis innitceretur; ideo tanquam distinctas causas eiusdem corruptionis enumeratæ sunt, vna enim ad principia, altera ad conclusionem refertur.

DE-

DEMONSTRATIONEM EX *proprio constare oportere, quia est ex ijs, & de ijs, quæ sunt per se, neque licere ex alio genere transcendentem monstrare.*

CAPVT SEPTIMVM.

QVONIAM autem ex necessitate insunt circa vnumquodque genus quæcumque per se insunt. &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum CONCLVSIONE, *quam superiori capite probauerat, repitita, nempe demonstrationem ex his, quæ sunt per se constare, quia ex necessariis procedit, quatuor*
1. *alias in præsenti constituit ordine tantisper inuerso à nobis elucidandas; vt capiantur melius.*

Proprium duobus modis accipitur, vno,
Diuisio 4. membris constat. *vt ab extraneo alio, vt à communi separatur: ideò prima assertio est demonstrationē ex propriis principiis procedere. Secunda ex propriis, hoc est, non ex communibus, & vtranque ratione, & exemplis illustrat. Tertia demonstrationem propria tātum ostēdere, hoc est, quæ ex propria natura subiecto conueniunt, non quæ ei accidunt, aliisq; conueniunt. Postrema ex perpetuis, atque incorruptibilibus esse non ex his, quæ pereunt; & hæc est diuisio totius capitis, quatuor membris constans.*

Repetitio superioris conclus. *Repetitio autem præteritæ conclusionis simul cum ratione eam confirmante talis est: demonstratio procedit ex his quæ sunt per se: nam quæcumque sunt necessaria, in quoli-*
2. *bet rerum genere sunt per se; omnis demonstratio procedit ex necessariis (vt efficaciter probatum est) ergò procedit ex his, quæ sunt per se, nam accidentia sicut non sunt necessaria, pari ratione non sunt per se: vnde fit, vt etiamsi ex accidentibus semper inhærentibus conclusio ostendatur, quæ tamen non sint per se non censeatur propter quid demonstrata: vt contingere ait Aristoteles in syllogismis à signo procedentibus (gratia exēpli) omnis qui ridet, risibilis est, omnis homo ridet, ergò omnis homo risibilis est: aut etiā quidquid disgregat visum est album, omnis homo disgregat visum, ergò omnis homo est albus: eiusmodi namq; syllogismi nō procedūt ex his, quæ per se conueniunt subiecto, ac propterea non possunt reddere propter quid conclusionis: vnde nec demonstrationis nomen merentur: cum in demonstratione (præ-* 3.
sertim potissima) propter ipsum oporteat, & medium tertio, & primum medio inesse; quasi dicat, medium subiecto (quòd tertium appellat respectu eiusdem medii, ac maioris extremitatis) & primum, hoc est, extremitas maior (nam subiectum est minor extremitas) per se etiam medio conuenire debet: tunc enim si medium de minori extremitate per se enunciatur, & maior extremitas de eodem medio causam continente, propter quam eadem maior extremitas de minori per se in conclusione dicitur, aptissima erit demonstratio. Rem manifestam facit commune exemplum, omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale, ergò omnis homo est capax disciplinæ, in quo animal rationale, quod est mediū per se enunciatur de homine, qui est subiectū, aut tertium quid respectu eiusdem medii, & maioris extremitatis, nempe capacitatis disciplinæ, & hæc per se inest eidem medio causam continenti, propter quam per se eadē extremitas maior enunciatur de tertio in cōclusione.

Prima conclusio est; demonstratio procedit ex principiis propriis, hoc est, non ex extraneis: non enim licet de genere in genus descendere, vel transire in demonstrationibus. Primum memb. & conc. ca. 14.

Quid autem sit ab vno in aliud genus descendere, vel transire, declarat Aristoteles exemplo duarum scientiarum ex æquo diuersarum, videlicet Geometriæ, cuius obiectū est linea, & Arithmeticæ, cuius obiectum est numerus, non enim demonstrat Geometria aliquam passionem de numero, vel Arithmeticus de linea, transiret namque ab vno genere, nempe proprii subiecti ad aliud genus

genus subiecti diuersæ facultatis, vel scientiæ.

Ratio cō-munis. Probat conclusionem, tanquam certum præmittens tria esse in scientiis, vel demōstrationibus; passionem, quæ de subiecto demonstratur in conclusione, subiectum ipsum, ac dignitates: ex his autem tribus, dignitates quidem diuersis demonstrationibus, ac scientiis possunt esse communes: subiectum autem, & passio semper sunt diuersa, vt cōstat in eisdem scientiis: nam linea, & eius passiones diuersæ sunt à numero, & passionibus eiusdem.

Hoc supposito tale argumentum constituit: subiecta sunt diuersa, similiter & passiones; ergò vnius passio alteri conuenire repugnat, repugnabit igitur de eo demonstrari.

Secunda ratio. Cui secundam addere possumus in eisdem verbis Aristotelis virtualiter contentam. ex natura subiecti desumuntur principia, per quæ demonstrantur passiones, vt ex natura hominis, animal rationale esse capax disciplinæ & eundem hominem esse animal rationale, per quæ demonstratur esse risibilem:
6 si ergò subiecta diuersa sunt, diuersa erunt principia ex diuersis principiis repugnat demonstrari eandem conclusionem demonstratione potissima, ergò necesse est demonstrationem procedere ex propriis, hoc est, non extraneis principiis.

Illatum. Vnde infert iterum Aristoteles eodem exemplo vtens, non est ergò Arithmeticam demonstrationem conuenire in magnitudinibus, nisi magnitudines numeri sint; quasi dicat, nisi magnitudines ipsæ, vt plures acceptæ in discretam quantitatem referantur: tunc enim ad numerum pertinebunt, de eisq́; passiones numeri demonstrare poterit Arithmeticus; sed non procedet tunc ex principiis extraneis, sed ex propriis, & circam obiectū proprium. Excipit autem ab hac regula illud, quòd necessario excipiendum erat, videlicet scientias, quæ in eodem subiecto, ac genere conueniunt simpliciter, vel aliquo modo: Nota. dupliciter namq́; contingit scientias in subiecta conuenire: primo quando subiectum superioris contractum per differentiam essentialem constituit subiectum inferioris, & tūc non sunt diuersæ simpliciter, sed eadem, vt 7. patet in scientia de genere, & specie, vt de triangulo, & Isochele, de animali, & homine: alio modo quando contrahitur per differentiam accidentalem, vt ostendunt scientia subalternans, & subalternata. Geometria, & Perspectiua illius enim obiectum est linea, quæ contracta per conditionem accidētalem, visualis, efficit obiectum subalternatæ, videlicet Perspectiuæ, & eiusmodi obiecta quodam modo sunt vnum: simpliciter tamē diuersa: non enim constituit eandē essentiam linea cum visuali, quemadmodum animal cum rationali, vnde neque idem subiectum scientia, neque eandem scientiam, nisi certo quodammodo, in quātum inferior participat aliquam rationem superioris, vt distincta tamen ab ea simpliciter, & circa distinctum simpliciter genus subiecti in vtrisq́; tamen licere ait passionem vnius per principia alterius ostendere: & in prioribus quidem, vt si demonstrato de triangulo, quòd habeat tres angulos æquales duobus rectis, eadem principia, per quæ demonstratur, applicemus ad ostendendam eandem passionē de Isochele, vel gradato. In posterioribus verò fieri constat, dum per medium Geometricū demonstratur aliquid pertinens ad Perspectiuam, ad quam pertinet hæc propositio res à longè visa minor apparet, per hoc principium demōstrata, quia maiori angulo mouet potentiam. sicq́; in cæteris subalternis scientiis accipiendum est.

Huius autem rationem reddit Aristoteles Ratio. ex eodem principio: nam si nō licet per principia vnius scientiæ descendere ad demonstrandā conclusionem alterius, maximè quia cum diuersa sint subiecta, diuersa censentur principia, atque adeò extranea: vbi ergo idē est genus subiecti simpliciter, vel secundum quid, eadem erunt principia, secundum eandem proportionem, atque adeò non extranea, sed propter communicationem efficientur propria, descendereq́; licebit ad ostendendam passionem alterius per propria principia.

His autem duobus exceptis casibus, nullo Exceptis duob. cas. modo licet de genere in genus transire. sed

muni aliquo, non scietur conclusio per se, sed per accidens: exemplum nobis ait Aristoteles esse posse modum demonstrandi Brysonis, qui quadraturam circuli (à nemine adhuc scitam) ex communibus demonstrare contendebat: quo autem pacto ex communibus eam demonstraret, vel quam demonstrationem constitueret, non docet Aristoteles: eius tamen interpretes, & in primis D. Thom. quem sequuntur cæteri, talem constituisse demonstrationem aiunt. In quolibet genere datur æquale, si detur maius, & minus: sed in genere quadratorum, datur vnum aliquod circulo maius, & alterum eo minus (vt constare poterit, si descripto circulo vnum quadratum extra ipsum constituamus: & alterum intra latera eiusdem) ergo dabile erit quadratum æquale, nempe cuius costæ circulum non excedant, neque ab eo excedantur.

12. Exemplū.

Refutatio Brysonis. Ecce ineptam quandam demonstrationem, quia non procedit ex principiis desumptis ex propria natura quadrati, vel circuli, sed ex communibus multis generibus: & (vt verum fateamur) ex falsis, falsa est enim illa maior, vt euidenter probatur in numeris, in quibus datur numerus maior, & minor ternario, vel quinario, quibus tamen nullus datur æqualis, sed nec dabilis est: ratio autem, ob quam communia principia non vere demonstrant conclusionem particularem alicuius scientiæ, ea est, quia si scientiæ sint ex æquo diuersæ, vt supponitur, non possunt nisi in aliqua ratione accidentali conuenire: vnde si ex communibus procedat demonstratio, non potest procedere ex his, quæ sunt per se, sed ex principiis ab accidenti desumptis; ac propterea non poterit tradere propter quid conclusionis, quinimo cum ex accidentali sint ratione desumpta desumpta, contingētia ex se erunt, quibus non repugnabit subesse falsum.

13.

Illatio. Vnde infert Aristoteles, demonstrationem potissimam ex principiis propriis, ac proximis, hoc est, ex propria quidditate, & essentia subiecti, de quo passio demonstratur, acceptis procedere oportere, vt propter quid sciamus conclusionis: gratia exempli, si demonstrare volumus de triangulo, quod tres habeat angulos duobus rectis æquales, ex propriis principiis trianguli causam tradentes, propter quam talis passio ei inest, nobis erit procedendum: & si volumus de homine demonstrare, quod capax sit disciplinæ, ex proprio principio causam proximam, ob quam talis passio ei conuenit, nempè ex eo, quòd est animal rationale, non ex communibus, ne ratiocinationem quandam accidentalē, vel contingentem, hoc est, per medium accidentale, vel contingens procedentē pro vera demonstratione cōstituamus. & hoc est quod sibi voluit Aristoteles obscuris illis verbis: Quare si per se, & illud inest, cui inest, necesse est medium in eadem cognatione esse; vel, vt alia habet translatio, in eadem propinquitate. Quasi dicat, si passio quæ demonstratur inesse alicui subiecto, verè ac per se inest, demonstrabitur inesse per medium eiusdem cognationis, vel propinquitatis, hoc est, ex propria eiusdem subiecti essentia desumptum, vel ex alia passione, non minus propria, nec minus ei propinqua.

Verba obscura Aristot. illustrantur.

14.

Obiectio. Quod si quispiam opponat (ait Aristoteles) scientiam subalternatam, & subalternantem eisdem principiis vtentes, vt Perspectiuam & Geometriam, Musicam & Arithmeticam; etenim in Perspectiua probatur passio lineæ per principia Geometriæ ei applicata; & in Musica modo simili passio numeri per principia Arithmeticæ, quod videtur esse ex communibus, & non ex propriis procedere.

Solutio. Respondet, non mirum esse, si ex communibus principiis illæ scientiæ procedant, quæ in propriis subiectis communicant.

Eadem solutio approbatur. Et est egregia solutio argumenti; quia (vt nuper dicebamus) propria principia, & per se cuiuslibet scientiæ ex propria quidditate, & essentia subiecti, accepta esse debent; si ergo commune aliquo modo subiectum habent, necesse est quodam etiam modo communibus vtatur principiis: sed adhuc in his vniuersalis seruatur regula; nam licet communia sint principia, per quæ probatur

conclusio subalternata, accepta nihilominus per communicationē à subalternāte, vnde fit, vt quemadmodū passio, quæ probatur de visuali in perspectiua, ad lineā primo pertinet, & passio de sonoro in musica ad numerū parita tione principiū, per quod probatur eiusdē Geometriæ, eiusdē item Arithmeticæ propriū est; per applicationē tamen fit commune scientijs inferioribus. Itaque propter quid conclusionis inferioris scientiæ ad superiorē pertinet, quē admodum passio, quæ probatur ei est propria: inferior autem scientia solū cognoscit, quod vera sit, ac per se conclusio, non reddens causam, nisi in quantum à superiori ei cōmunicatur. Ex quibus habetur propriā subiecti passionem (adhuc in his scientijs) ex proprijs principijs eiusdem demonstrari, quanquā inferiori cōmunicatis, ex qua communicatione nō amittunt propriam, atque intrinsecam rationem, neque cōmmunia fiunt, quemadmodum cōmunia sunt principia diuersarū sciētiarum ex aliquo communi accidenti desumpta sed potius (si propriè loquendum est) cum propria sint, ac tāquam propria permaneant semper, quia ex proprijs, atque intrinsecis subiecti desumuntur, communicantur alteri.

Quomodo per vniuersalissimam sciētiam probentur prima principia. 17.

Eiusmodi autem principia propria, ex quibus qualibet scientia procedere debet, nō probantur ab ea, siquidem prima sunt, & intra latitudinem subiecti indemonstrabilia. vt prima principia Geometriæ non probātur à Geometra, nec prima Arithmeticæ ab Arithmetico, qui vt tales non cognouerunt priora nec in his particularibus materijs lineæ, & numeri dari possunt: probari nihilominus aliquomodo possibile est per communia, nō quidem ab his, scientijs, quia iam non ex proprijs procederent; sed ab aliqua vniuersalissima, cuius subiectum quemadmodum vniuersalissimum est obiecta particularium scientiarum comprehendens: sic principia habet vniuersalissima, quibus modo quodam principia earum innituntur; quam scientiam propterea vocat Aristoteles, quasi omnium dominam, & Reginam, probatq; talem esse appellandam tanquam omnium absolutissimam.

Ratio prædictorum. 18.

Cuius hæc est ratio, quia scire est rem per causam cognoscere; ergo quo scientia per nobiliores causas procedit, eo nobilior erit; vniuersalissima autem scientia procedit ex nobilissimis causis, nempè ex primis, quæ sic sunt causæ, vt non sint affectus, ergo est absolutissima.

Quæ sit scientia absolutissima.

Quænam sit scientia hæc non exprimit Aristoteles, sed communis interpretum consensus Metaphysicam docet denotatam esse ab eo, nec certè alium intelligere potuit; quia hæc sola est de vniuersalissimo agens subiecti genere, nempè de ente ab omni materia, abstrahente, comprehendenteq; sub se causam primam, Deum videlicet, atque etiam intelligentias; sub quo etiam militant cunctarum obiecta scientiarū, de quibus enūciatur; ad eandem pertinet aliarum scientiarum principijs firmitatem præstare: quo autem pacto id efficiat? & an scientiæ particulares ei subalternentur? an demum omnes certitudine vincat? suis locis relinquenda sunt.

3. Memb. seu con. cap. 19.

Tertia conclusio, non solùm scientia qualibet, vt demonstratio ex proprijs principijs procedere debet, sed nec demōstrare nisi proprias conclusiones; mutua est enim correspōdentia inter conclusiones, & principia, cum illæ ex his procedāt, vnde si verum est scientiam quanlibet non demonstrare cōclusionem, nisi ex proprijs, atque intrinsecis principijs; non minus erit certū non demōstrare nisi proprias conclusiones, eiusmodi enim, & nō aliæ ex talibus principijs deduci possunt; nam ex veris non nisi vera, ex necessarijs non nisi necessaria, ex his, quæ sunt per se, ac propria non nisi conclusiones per se ac propria procedunt: tales autē sunt, quæ conueniunt subiecto ex propria natura, & conditione, atque in quantū tale est: cōclusiones verò, quæ ex commu-

communibus insunt, alijs scientijs demonstrandas relinquit, gratia exempli, scientia de homine solùm demonstrat, quæ ei conueniunt ex eo, quod rationalis sit, nempè esse disciplinæ capacem, admiratiuũ, & risibilem; quod verò coloratus sit, quod localiter moueatur, & his similia alijs scientijs relinquũtur.

Exemplum producit Aristoteles in Geometria, quæ solùm de lineis ostendit, quæ eis ex propria conditione conueniunt, vt quod angulos efficiant, quod figuras componant; rectam verò lineam esse pulcherrimam, aut circulari cõtrariam alijs relinquit probandũ.

4. Mem. seu con. c. 20. Vltima conclusio est demonstrationem esse ex perpetuis, & incorruptibilibus, nõ solùm ex parte principiorũ, sed etiam conclusionũ.

1. Ratio. Probat primum, quia demonstratio procedit ex vniuersalibus principijs, hoc est, ex his, quæ sunt de omni, per se, & secundum quod ipsum: talia autem necessariam important connexionem prædicatorum cum subiectis; quia in eis non accipiuntur extrema secundum actualem existentiam, nec pro aliqua temporis differentia ea coniungit copula, sed prout eorum natura postulat, quæ cum inuariabilis sit, inuariabilis etiã harum propositionum est veritas, atque perpetua.

2. Raio cum notabili de corruptibili 21. Probat deinde ex parte conclusionum, & vt ratio eius percipiatur melius, distinguendũ est corruptibile in per se, & per accidens, corruptibile per se est, quod ex natura propria pendet ab actuali existentia, talia sunt accidentia, talia itẽ singularia illa etenim non dicuntur esse nisi subiectis inhæreãt, haud dubium quin actu existẽtibus, nã inhærentia existentiam præsupponit, sed nec singularia sunt, nisi quãdo actũ existunt. Adã enim modo non est, neque Antichristus; quia ille extitit iam hic verò nondum habet existentiam: corruptibile autem per accidens illud dicitur, quod ex propria natura non est corruptioni obnoxium, sed incorruptibile, atque perpetuũ quan quam aliqua eius ratio quasi accidẽtalis corrumpatur, ratione cuius, & illud per accidens corrumpi dicitur; & sic se habent vniuersalia prædicata, quæ per se conueniunt subiectis, vt hominem esse rationalem, disciplinæ capacem &c. nam ex propria conditione non subduntur corruptioni, sed semper eodem modo conueniunt subiectis; verũtamen, quia in singularibus existunt, & existentia quodammodo eis accidentaliter conuenit, hoc est ex modo se habendi: ideò extinctis singularibus perire dicuntur ex parte huius accidentis, atque adeò per accidens. 22.

Arist. ais scientiam non esse de corruptibilibus. Qua supposita distinctione affirmat Aristoteles scientiam, vel demonstrationem non esse de corruptibilibus per se, sed solùm per accidens, quasi dicat, nec de accidentibus nec de singularibus per se esse, sed solùm de vniuersalibus incorruptibilibus, & perpetuis, nec enim singulares conclusiones per se primo demonstrantur, sed mediatè, quatenus demonstrata conclusione vniuersali eis applicatur, vt si demonstrato de homine, quod sit disciplinæ capax sic applicetur Petro, vel Ioanni, omnis homo est capax disciplinæ Petrus est homo, ergo est capax disciplinæ; vnde talis applicatio non est demonstratio propriè, & simpliciter, sed aliquando, & sic, hoc est pro aliquo determinato tempore, vt dum Petrus est, conueniet ei esse disciplinæ capacem.

Sequela. Hoc autem postremum, nempè demonstrationem per se non esse nisi de vniuersalibus conclusionibus, sequitur euidenter ex prima, nam si principia demonstrationis vniuersalia esse oportet, ergò & conclusionem, vtpotè in virtute principiorum contentam: in virtute enim principiorum vniuersalium non cõtinetur per se, nisi vniuersalis conclusio: singularis verò quasi per accidens, vt si fortè existere in singularibus vniuersalia contingat æqualem ergò habet vtrumque certitudinem nempè demonstrationem non esse nisi ex vniuersalibus principijs, nec de cõclusionibus nisi vniuersalibus. 23.

Corollarium Arist.

Propterea bene intulit Aristoteles, quod si conclusio corruptibilis sit, hoc est, accidentalis, vel singularis, necesse est alteram præmissarum corruptibilem esse, hoc est, accidentalem, vel singularem; accidentalem quidem, vt si ita procedamus, quisquis disputat, loquitur, omnis homo disputat, ergo omnis homo loquitur, singularem verò, vt omne animal rationale est capax disciplinæ, Petrus est animal rationale, ergò est capax disciplinæ.

Ratio huius corollarii manifesta est, quia quemadmodum ex vtraque præmissa vera & necessaria, non nisi vera deducitur ac necessaria conclusio; pari ratione ex vtraque vniuersali incorruptibili, & perpetua, non nisi vniuersalis perpetua & incorruptibilis, vnde quemadmodum sequitur euidenter, si conclusio falsa est, vel non necessaria aliquã præmissarum similem esse; pari ratione conclusione existente singulari, & non perpetua talem esse oportere ex præmissis aliquam.

Definitio de vniuersalibus.

Subdit demum Aristoteles eodem modo rem se habere circa definitionem, ac circa demonstrationem, ita vt nec definitio per se sit de caducis rebus, aut singularibus, sed de
24 *vniuersalibus, atque perpetuis; nec enim Petrus, vel Ioannes per se definiuntur, sed homo, cuius definitio eis, dum existunt, applicatur, & huius rei gratia videns Plato singularia esse, quæcunque sunt in rerum natura, posuit ideas vniuersales, de quibus scientia, demonstratio, ac definitio per se dari possent; Aristoteles verò minimè necessariũ esse indicauit rem adeò impossibilem excogitare, sed vniuersalia in singularibus posuit pro scientiis, demonstrationibus, ac definitionibus tradendis: ita tamen vt his pereuntibus prædicatorum necessaria connexio permaneat semper obiectiuè in intellectu, circa quàm non minus, quàm antea versamur.*

Ratio.

Probat autem definitionem non esse per se nisi de vniuersalibus & perpetuis, quia definitio, vel est demonstrationis principium, vel conclusio, aut certè integra demonstratio positione differens: esse principiũ notũ est in communi demonstratione: esse conclusio-
25. *nem non solum in demonstratione, quia, sed etiam in demonstratione potissima, qua vnam definitionem per alteram in diuerso causæ genere priorem demonstramus: gratia exempli, omnis syllogismus faciens scire procedit ex veris, primis, notioribus, causisq; conclusionis; omnis demonstratio est syllogismus scire faciens, ergò ex prædictis procedit. Eccè conclusio est definitio demonstrationis cap. 2. designata.*

Quid sit definitionẽ esse demonstrationem positione differentem.

Quid autem sibi velit Aristoteles, dum ait definitionem esse demonstrationem positione differentem nõ est certum apud interpretes: sed duplex affertur ex positio non nihil diuersa, vtraque tamen satis probabilis. Priorem attulit Commentator .1. lib. de anima commento. 12. vbi distinguit triplicem definitionem, vnam subiecti, alteram passionis, & tertiam ex vtraque confectam, vt si de

1. Expositio Commentatoris, 26.

homine sit sermo: definitio eius est animal rationale: passionis verò esse capacem disciplinæ, & ex vtraque conficitur tertia; dicimus enim hominem esse animal rationale disciplinæ capax; & hanc vocat Aristoteles demonstrationem positione differentem, quia totum continet, quod integra demonstratio modo, & figura exceptis; sensus est ergò definitionem esse demonstrationem positione differentem, hoc est, non dispositam in modo, & figura.

2. Expositio D. Th.

Posterior expositio est D. Thom. quam tradiderunt etiam Philoponus in expositionibus huius loci, & Themistius capit. 13. suæ paraphrasis & videtur magis ad mentem Aristotelis; aiunt enim definitionem triplicem esse materialem, & formalem, quæ aliquando cum finali coincidit, vt exemplo iræ constat, quæ materiali definitione explicata est accensio sanguinis circa cor; formali verò,
vel finali, appetitus vindictæ: tertiam verò ex vtraque compositam, vt si dicamus iram esse sanguinis feruescentiam circa cor ob vindictæ appetitum; nunc ergo cum formalis, vel finalis definitio prior sit simpliciter materiali, hæc per illam à priori demonstratur, & conclusionis locum habet, illa principii, sed quam ex vtraque componimus, integram continet demonstrationem excepta dispositione in modo & figura; ac propte- 27.

propterea merito appellatur ab Aristotele demonstratio positione differens.

obiectio Si autem opponat quis defectum lunæ, quem eclipsis nomine solemus appellare, ad demonstrationem, ac definitionem pertinere; demonstramus enim nunc eclipsari, quia terra interponitur, & per eandem interpositionem definimus eclipsim singularem quidem effectum, & statim pereuntem.

Solutio. Respondet bene Aristoteles, non vt singularem huius lunæ, & nunc euenientis, sed 28. ad vniuersalem, & per se causam comparatum definiri, ac demonstrari; sicut demonstrabilis est interitus per iugulationem, & effectus quisq; procedens à causa per se, non quidem ab hac indiuiduali, vel nunc, sed à causa huius conditionis producente effectum, quotiescunque in tali reperitur dispositione.

Illatio. Infert tandem Aristoteles, quam sit difficile scire quamlibet conclusionem; nam si ex propriis principiis procedere necesse est, vt perfecte sciamus, cum propria principia non sit facile inuenire, nec facile erit talem scientiam comparare: rationem verò, ob quam difficile est propria inuenire principia, adhibuit Philoponus in huius loci expositionibus dicens, quia propriam cuiusque rei essentiam, à qua accipiuntur, difficile est cognoscere.

DEMONSTRATIVARVM scientiarum principia nonnulla esse communia, nonnulla propria: quæque ea sint, & quo pacto præcognoscuntur: pariter, & reliqua demonstrationem ingredientia.

CAPVT OCTAVVM.

DICO autem principia in vnoquoq; genere hæc, quæ quod sunt, non cõtingit monstrare, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum. IN calce præcedentis capitis indicare cœpit Aristoteles, quam sit difficile scientificam cuiuslibet conclusionis notitiam, comparare, propterea quod difficilè sit nosse, quando ex propriis principiis eam demonstrãtes procedamus: huic autem difficultati occurrere volens de variis demonstrationis principiis differit in præsenti capite, quod lõgissimum est, & ex parte difficile, & ideò maioris distinctionis gratia, in quinque mẽbra diuidendum: in primis enim explicata Diuisio. in 5. membra communium ratione principiorum diuiduntur in simplicia, atque complexa: deinceps vniuersis principiorum complexorum recensitis generibus, quonam pacto inter se se distinguantur ostenditur. Tertio aduersus Platonẽ statuitur vniuersalitatem principiorum, ac demonstrationis, non cogere separatas à singularibus formas, vel Ideas ponere vniuersales, circa quas versentur, sed sufficere vt vniuersalia prædicata in ipsismet singularibus, de quibus enuntiantur, existant. Quarto de principiis communissimis separatim indicatur, quando & quomodo ingrediantur demonstrationem: ac tandem in eis cõmunicare plures scientias, & demonstrationes, sed peculiare esse Dialecticæ, & Metaphysicæ ex communibus procedere, his designatis, in quibus conueniunt, & separantur.

Primum memb. Illud est principium in qualibet scientia (ait Aristoteles) quod in ea non demonstratur, sed præsupponitur, siue simplex illud sit, vel complexum; exempla in solis simplicibus producit; vt in Geometria principia sunt lineæ, & puncta, in Arithmetica vnitates, & numeri; eiusmodi enim non demonstrantur, sed præsupponuntur: sicq; in cæteris scientiis est accipiendum; nam subiectum esse, & quid sit, nulla demonstrat: de complexis etiam tantundem erit secundum proportionẽ censendũ ita vt quæ à nulla scientia demonstrantur, sed à cunctis tanquã per se nota præsupponuntur, cõmunia sint principia: & quæ scientia particularis in propria materia præsupponit particularia.

Singu-

Singularium denique demonstrationum præmissæ dicuntur principia, quia in eis non demonstrantur; quæ verò singulæ scientiæ demonstrant, principiata, vel demonstrata, vt si de simplicibus loquamur, passiones, seu quæsita: eiusmodi enim de subiectis demonstrantur: si verò de complexis, omnes conclusiones.

In quocõueniant, aut dirimãt principia, & principiata.

Conueniunt simplicia, & complexa principia, ex vna parte cum principiatis, in vno, & separantur in alio; in eo quidem conueniunt, quod de vtrisque præsupponere semper oportet quid significent: nam vocum significatione ignorata neutra cognoscere possumus: est autem discrimen, quod de principiis supponendum est, quod sint, hoc est, si
3 *simplicia, quod habent esse, si complexa, quod sint vera; de principiatis verò vtrunque demonstramus, passionem videlicet inesse subiecto, & veram esse conclusionem, vt lineam esse rectam, & triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis.*

Quot sint principia

Principia duplicia sunt, communia, & propria: communia, quæ nulli sunt scientiæ propria, sed particulares transcendunt, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanẽt sunt æqualia; commune est Geometriæ, & Aritmethicæ: propria verò, quæ vni scientiæ adæquantur: vt propria Geometriæ sunt, lineam esse magnitudinem indiuisibilem versus longitudinem; & lineam rectam cuius me-
4 *dium non exit ab extremis; exemplum etiã in simplicibus designat, sed propriis dumtaxat, non communibus; nam subiectum (quod simplex principium est) nullum datur commune, sed propria sunt vniuersa circa quæ versantur scientiæ, vt intelligamus eiusmodi principiorum diuisionem, quantum ad vtrumque membrum, solum in complexis locum habere: in simplicibus verò quantum ad vnum dumtaxat: vnde fit, vt complete de complexis sit tradita: simplicibus verò non nisi incomplete conueniat: est itaque exemplum de subiecto, de quo (ait) supponere scientiam esse, & esse hoc: quasi dicat, quid nomen significet, & rem significatam esse; quibus sufficienter explicata esse principia docet, cum in scientia non sit aliud præter hæc tria, subiectum (quod simplex principium est) dignitates, quæ sunt principia complexa, sub quibus non modo communia; sed particularia cuiuslibet scientiæ, ac demonstrationis principia comprahendit: & passionem, sub qua conclusionem quæ cum passione conuenit in eo, quod vtraque principiatũ est.*

Subdit tamen non semper eiusmodi præsupponere esse necessarium, videlicet de cunctis significationem; de principiis verò quod sint; quia aliquando cunctis patent exploratum est enim numerum esse, calidum item & frigidum; quia ille (ait D. Thom.) intellectus propinquior est: ista autem sensui: aliquando etiam quid significat passio, quid etiam dignitates quædam vniuersalissimæ, notum est: vnde fit, vt tradita doctrina sic accipienda sit, vt præsupponantur, quando non constant. Nota. 8. 5.

Secũdũ memb. diuisio principior. cõplexorũ.

Diuidit in secunda parte principia complexa relictis simplicibus, in dignitates, suppositiones, petitiones, quæstiones, & terminos, quibus illud commune est, vt sint per se nota, cum & hoc spectet ad rationem principii distinguitur autem in duobus dignitas à cæteris, quia hæc omnino indemonstrabilis; cætera verò in alia saltem scientia demõstrari non repugnat, vel certe in eadem per diuersum genus causæ: præterea dignitas est principium, non solum per se notum, sed quo- 6
ad omnes notum, ita vt nulla probatione indigeat, vt à cunctis recipiatur, tale est, quod libet est, vel non est: nam licet ab aliquo non statim recipiatur, quin potius aduersus veritatem eius insletur, id profecto (ait Aristoteles) voce dumtaxat continget, intellectu verò impossibile est: etenim cum vniuersalissima sit eius veritas, & quasi lux se ipsam manifestans, non potest ab intellectu negari, quanquam voce negare, quemadmodum voce negetur, quis poterit diem esse, dum sol lucet, minime tamen intellectu, cum iste non possit his veritatibus dissentire: alia autem tria genera principiorum nõ sunt re distincta, sed sola ratione, nẽpe suppositio, petitio, & quæstio, quibus illud cõmune est, vt ex se sint per se nota, hoc est, in particulari scientia indemõstrabilia, ac propterea,

vt à

vt à demonstratore, vt non demonstrata accipiantur: distinguuntur tamen ratione inter se se hoc ferè modo: nam si à discenti admittantur tanquam vera, dicuntur suppositiones, quia ex communi consensu vtriusque supponuntur, si verò discens non sit eiusdem opinionis nec contrariae, hoc est, nec vera esse credat, nec falsa, vt contingere potest, oportet demonstratorem ab eo petere, an sint vera? & vt talia admittere velit; & ex hoc dicuntur petitiones seu interrogationes: si vero contrariae opinionis sit, id est, falsa esse credat, tunc in quaestionem erunt vocanda: & idcirco quaestiones appellabuntur

D. Thom. *Vnde meritò D. Thom. hāc principiorum distinctionem relatiuam appellat: nam cum ex se à dignitatibus distinguatur principium non omnibus patens; eiusmodi autem triplicem denominationem, suppositionis, petiti-*
7. *onis & quaestionis per respectum ad respondentem, vel ad discentem suscipit, in quantum tribus modis se habere potest.*

Quid sint termini, & quomodo differant à suppositione. *Termini demum, id est, definitiones, postremum principiorū genus constituunt à reliquis in duobus distinctum nam suppositiones, ac proinde petitiones, & quaestiones in propositionibus sunt, id est, sunt propositiones, quae aliquid esse, vel non esse enunciant, verumque, vel falsum continent: definitiones verò nihil tale, sed solum intelligere oportet, quasi dicat, non pertinent ad intellectum componentem, vel diuidentem, sed ad simplicem: simplex autem intellectio, non est suppositio, nisi aliquis audire, vel gustare suppositio-*
Primum discrimē. *nem appellare velit: par enim ratio est de operatione sensus, & simplici intellectus, quantum ad hoc, quod neutra dicit esse, vel non esse, neutra vnum de alio enunciat, neutra demum veritatem, vel falsitatem continet, ideò neutra pertingit rationem suppositionis. Vnde infertur suppositiones tales esse, ex qui-*
8. *bus conclusio deducitur, cui intellectus propter eas assentitur: definitiones verò ex se id non habere, nisi ex ea, ac definito propositio fiat; tunc enim suppositio erit: caeterum, eiusmodi virtualis duntaxat est suppositionis ratio, non formalis, vt capit. 2. ex sententia D. Thomae ati ulimus.*

Si autem aliquis (ait Aristoteles) obiiciat suppositionem non semper esse veram, atque adeò non esse principium, quia aliquando demonstratores vtuntur falsis suppositionibus, vt constat de Geometra supponente lineam esse vnius pedis, cum tamen sit maior, & rectam esse, quam in puluere describit, cum tamen sit curua. Obiectio.

Respondetur. Geometram, & quemuis alium demonstratorem nihil de singularibus ostendere, sed vniuersales conclusiones ex vniuersalibus principiis, vel suppositionibus veris: vtitur autem quibusdam singularibus tanquam vniuersalium exemplis de quibus Solutio.
inter disputantes conuenit sic se habere, licet 9.
forsitan alio modo se habeant, quod omnino impertinens est ad veritatem suppositionum & demonstrationum consistentiam.

Secundum discrimen inter suppositionem & terminum ex primo oritur: nam suppositio vniuersalis est, vel particularis: definitio verò, cum non sit propositio, horum modorum incapax est: esse enim vniuersalem, vel particularem proprietas propositionis est, cuius subiectum aliquo signo vniuersali, vel particulari afficitur, ac de eo sic affecto enunciatur praedicatum: definitio autem subiecto caret, ac praedicato, ac propterea vniuersalis, vel particularis non appellatur. Secūdum discrimen inter suppositionē & terminum.

Ex his, quae cap. praesenti, ac praecedenti docuit Aristoteles, constat principia demonstrationis vniuersalia esse, ac perpetuae veritatis: demonstrationemq; ex eis procedentem, non nisi de vniuersalibus, ac perpetuis esse, atque adeò scientiam, quae assensus conclusionis est, vnde elicitur planè res esse vni- Tertium mēbr. aduersus Platonē.
uersales, quae praedictorum sunt obiecta cum 10.
circa singularia versari (vtpotè in continuo motu existentia) repugnet: cui si addideris in rerum natura nihil esse praeter singularia, inferre poteris ponendas esse vniuersales naturas extra singularia, quae sint principiorum demonstrationis, & scientiae obiecta.

Qua ratione ductus Plato formas posuit separatas, ex quarum impressione producerentur singularia quas proinde vniuersales appellandas censuit, ita vt vna pro cunctis daretur hominibus, pro leonibus altera, sicq;

pro cæteris indiuiduis cuiuslibet speciei.

Positio Platonis impugnatur.

Positionem hanc (siue de mente Platonis fuerit, vel ei ab Aristotele imposita) multis sua doctrina locis tanquã rationi aduersam efficaciter impugnat; & cap. præsenti argumento, ex quo deducitur, occurrere intendens, ait: res quidem vniuersales ponendas esse plane conuincere, non tamen à singularibus separatas, sed in eisdemmet existentes, etenim cum singularia cuiuslibet speciei, in ipsamet specifica ratione hominis, equi, vel leonis similia sint, abstrahibilis est ab eis communis ratio realis quidem) quam de cunctis enunciat intellectus in his propositionibus, & similibus, Petrus est homo, Ioãnes est homo, iste & ille equus designatus sunt equi, & cum repugnet prædicatum vere, & realiter dici de subiecto, quin in eodem vere, & realiter sit, pugnabit plane cum ratione naturas vniuersales à propriis singularibus, de quibus enunciantur, esse realiter separatas: neque id est vllo modo necessarium, vt demonstratio, eiusq; principia, vel etiam scientia conclusionis, circa vniuersalia, & perpetua versentur, sed sat est circa prædicata vniuersalia in singularibus existentia, ab eisque sola ratione separata, quibus extinctis prædicatorum connexio permanet obiectiue in intellectu, quam principia demonstrationis, eiusque conclusio important, sicq; demonstratio, & scientia sunt perpetua.

11.

Quartum membr. c. quomodo ars demõstratiua vtatur principiis.

Explicatis principiis, tam communibus, quæ appellantur dignitates, quam particularibus quæ appellantur suppositiones, petitiones, quæstiones, & termini, necesse est intelligere, quis sit eorum vsus in demonstrationibus & quidem de particularibus notum id est, cum demonstrationem componant, conclusionemq; proxime inferãt: de solis dignitatibus ignotum hucusque est, an eis sic demonstratoria ars vtatur, vt demonstrationem ingrediantur? vel solũ deseruiãt ad roborandá particularia principia, quorum veritas aliquo modo videtur eis inniti.

12.

Hoc igitur docere volens Aristoteles, in quarta capitis parte assumit vniuersalissima, de quibus diffusius est, quonam pacto demonstrationem ingredi valeãt, vt quòd de his constitutum fuerit, facile applicetur cæteris: eiusmodi autem sunt: Negatiuum; de nullo verũ est affirmare, & negare simul: affirmatiuum; de quolibet affirmare, vel negare verum est: *duo enim hæc vniuersalissima omnium, ac certissima esse principia docet plane idem Aristoteles, 4. Methaphysic. de negatiuo quidem cap. 2. tex. 9. hisce verbis:* Nos autem nunc accepimus, tanquam impossibile sit de eodem simul esse, & non esse & per hoc monstrauimus, quod certissimum hoc cunctorum principiorum est, &c. *De affirmatiuo verò cap. 5. tex. 26. sic loquens.* At verò neque inter contradictionem possibile est quidquam medium esse, sed necesse est dicere, aut negare vnũquodque de vno, &c. *Est autem non solum obscurissimus locus iste, cuius expositionem aggredimur, sed pene in intelligibilis, vt omnes ferè interpretes fatentur, quia verbis quasi intercisis continetur in cunctis translationibus, & quæ vix aut certe nullo modo intelligibilem sensum reddere possunt: & idcirco affirmant, non tam verba spectanda esse, quàm sensum, quem tenere voluit Aristoteles, & quem exhibuisset textus, si integer, vel ordinatus esset.* 13.

Ad explicationem illius 1. nota.

Vt igitur rem obscurissimã (quantũ possibile est) manifestam efficiamus, adnotare oportebit eiusmodi principia, & similia in propriis terminis non posse ingredi demõstrationem, de quo dubitauit nemo: nam cum vniuersalissima sint, non possunt conclusionem inferre scientificam (quæ circa particulare obiectum versatur semper) nisi determinentur ad aliquam materiam particularem; qua supposita determinatione procedit Aristoteles hos terminos assumens ad demonstrationem constituendam, nempe animal, hominem, & Calliam, pro medio quidem hominem, pro maiori extremitate animal, & pro minori Calliam. 14

Secunda nota.

Obseruandum est secundò, non posse ex his principiis adhuc ad peculiarem materiam accommodatis demonstrationem fieri, sub forma integra affirmationis, & negatio-

nis

nis, sed vtendum est terminis finitis, & infinitis, vicem affirmationis, & negationis tenentibus, vt propositiones demonstratiuæ constituantur.

Explicatur locus de princ. negatiuo.

Quibus præmissis de principio negatiuo statuit Aristoteles, non ingredi demonstrationē hisce verbis: Nulla autem demonstratio

15. sumit fieri non posse, vt simul idem affirmetur, atque negetur, nisi fuerit opus, vt hoc etiam pacto demonstretur conclusio.

Ratio Aristotel.

Idq; hac ratione probat, si esset ad constituendam demonstrationem assumptibile, vel assumeretur ex parte maioris extremitatis comparatione medij, vel ex parte medij comparatione minoris extremitatis, vel demum ex parte solius extremitatis minoris; sed quouis modo sumptum inutile est, ergo nullo modo assumendum: euidens est antecedens: nam cum solum sint tres termini in syllogismo demonstratiuo, tribus dumtaxat modis assumi poterit; minorem verò probat ex parte solius maioris extremi-

16. *tatis respectu medij, eandem esse rationem de alijs modis pro certo ducens in his tribus terminis, animali homine, & Callia, ex quibus sic erit constituenda demonstratio: omnis homo est animal & non est non animal, Callias est homo, ergò Callias est animal, & non est non animal. In qua licet vera sint maior, & conclusio, quibus negatio simul cum affirmatione adiungitur legitima item sit consecutio, exactaq; demonstratio; nihil tamen ad veritatem propositionum, vel demonstrationis vim operatur coniunctio negationis cum affirmatione. quia si semel verum est omnem hominem esse animal, impertinens est non esse non animal, vt subsumpta minori colligi possit euidenter conclusio: & si in conclusione semel verum est Calliam esse animal ex virtute præmissarum absque negatione in maiori addita, superuacanea erit eadem negatio, dum dicimus eum esse animal, & non esse nō animal.*

Ponitur etiam negatio ex parte medij.

Et modo simili se res habet, dum assumitur negatio cum affirmatione ex parte medii hoc pacto: omnis homo, & non homo est animal, Callias est homo & non homo, ergò Callias est animal; etenim si semel omnis homo sit animal & Callias sit homo: etiam si aliud ab homine sit animal, vel non sit animal, atque etiam si Callias non sit non homo, euidenter elicietur esse animal.

Cuius ea est ratio (inquit Aristoteles) quia cum maior extremitas possit esse superior medio, & re vera sit in producto exemplo, non solū de medio ipso, sed de alijs enūciabile est: ideò absque eiusdem medij præiudicio enunciari potest, vnde fit, impertinens esse de alijs enunciari, vt vere enuncietur de eo, quod solum ad demonstrationis veritatem exigitur;

& hoc est, quod sibi voluit Aristoteles illis 17.

verbis : Quare si neque medium, & idem & non idem esse ad conclusionem nihil differt, *quasi dicat, nihil refert, si sub sola affirmatione vel etiam sub negatione accipiatur ad inferendam conclusionem.*

Quod sit discrimen quādo negatio ponitur ex parte maioris extremitatis vel medij.

Vnum dumtaxat discrimen reperies inter modum assumendi negatiuum principium ex parte maioris extremitatis, & medij quod dum ex parte illius assumitur vera est vtraque præmissa: dum verò ex parte medij falsa, vnde falsam etiam infert conclusionem, id tamen nihil refert: nam vis demonstrationis in eo consistit, vt cum omnis homo sit animal, & Callias sit homo, necessario eliciatur esse animal; quemadmodum enim in maiori impertinens est aliud ab homine esse animal, vel non esse animal, dummodo omnis homo animal sit, cum non minus in vno, quam in alio casu colligeretur euidenter conclusio: pari ratione in minori impertinens est, Calliam esse non hominem, dummodo homo sit, cuius virtute colligitur esse animal: ideò enim additur hoc in minori, quia in maiori additum est non hominem esse animal: vnde sicut superuacanea est negationis additio in maiori, sic in minori.

Exemplum tandem accipiendi principium ex parte minoris extremitatis erit, si sic 18.

procedamus, omnis homo est animal, Callias, & non Callias est homo, ergò Callias, & non Callias est animal quod clarius ostendit

superfluitatem eius in usu demonstrandi, quandoquidem non minus elicietur euidenter Calliam esse animal, ex eo quòd solus ipse sit homo, quamuis aliud etiam ab eo homo sit, superuacanea igitur est talis additio negationis.

Dubium. *Id solum dubii superesse poterat, videlicet si Aristoteles omnino negat assumptibile esse in demonstratione negatiuum principium, de eadem re non contingit idem simul affirmari, & negari, quid sibi volunt illa verba statim subiuncta?* Nisi fuerit opus, vt hoc etiam pacto demonstretur conclusio: *videntur profectò significare in aliquo casu assumi posse quod absque contradictione non admittitur, cum vniuersaliter exclusum sit à demonstratione.*

Prima solutio. *Quidam omnino negant vsum aliquem eius in demonstrationibus esse, nihil de prædicto verbo Aristot. quod oppositum plane importare videtur) curantes; quam sententiam Magister Sotus, & alij D. Thom attribuunt; eamq́; sustineri posse idem Sotus affirmat, maximè iuxta Boetii translationem.*

Refutatio cum vera solutione. *Sed nescio profectò, quo pacto, cum nos ex Boetii translatione relata verba desumpserimus aliqualem acceptionem importantia, quare dicendum, id sine dubio voluisse Aristotelem, quod Philoponus in huius loci*

19. *expositione bene adnotauit, videlicet inutile esse principium hoc ad demonstrationem secundum se sumptam; inutile item esse in ordine ad bene dispositum intellectum: cæterum ex ignorantia procedere posset, vt quispiam in quibusdam casibus putaret possibile esse, vt opposita de eodem affirmentur, vt de elementis, quod corruptibilia simul, & incorruptibilia sint ex eo quòd secundum partem quodlibet corrumpitur non secundum totum: de corpore item cœlesti, quod simul in loco sit, & non sit in loco, quia secundum partes locum habet, non secundum totum: denique animam rationalem immortalem simul, & mortalem, perpetuam, & non perpetuam esse, quia secundum intellectiuam partem perpetua est, minimè secundum sensitiuam corpori communem.*

Quem certe conuincere possemus hoc principio in demonstratione sic assumpto, omnis forma habens operationem independentem à corpore, est perpetua, & non est perpetua, anima rationalis talem habet operationem, ergò est perpetua, & non est perpetua.

Huic solutioni aliam non contemnendam adiungere possumus, nẽpe in demonstratione ostensiua nullum esse huius principij vsum; bene tamen in ea, quam vocamus ad impossibile, quod pluribus verum videtur (vt in dubiis circa textum agitandis videbimus.) Quod si ita est, non erit à mente Aristotelis aliena expositio, si dicatur id solum negasse in demonstratione ostensiua, cuius frequentior est vsus, non in ea quam vocamus ad impossibile; ad quam aliud principium affirmatiuum pertinere arbitratur. Alia solutio.

Ac D. Thom. vsum eius negare dumtaxat voluit in demonstratione, iuxta propriam naturam considerata, ac respectu intellectus bene dispositi, cui notissimum est, non posse idem simul affirmari & negari de eodem, vel certe in demonstratione ostensiua, non in ea, quæ est ad impossibile. Ad D. Th. 20.

De vniuersalissimo principio affirmatiuo statuit deinde Aristoteles, quonam pacto demonstrationi deseruiat, iuxta D. Thom. expositionem, quam fere omnes sequuntur, vt magis literæ consentaneam, potius quam Philoponi contendentis idem negatiuum principium velle Aristotelem accommodare demõstrationi ad impossibile. Duplex demonstratio. 21.

Docet igitur vsum affirmatiui esse in demonstratione ad impossibile, non quidem in propriis terminis, sed ad peculiarem materiam contracti: contrahitur autem ad materiam particularem per negationem, & affirmationem, qua vtitur, vt ad Geometriam per commensurabile, & incommensurabile; ad Philosophiam per mobile, & immobile, sicq́; de cæteris.

Quo supposito demonstratio duplex est, ostensiua, & ad impossibile, quemadmodum de syllogismo 1. lib. priorum dicitur: ostensiua demonstratio est, per quam aliquam conclusionem positiue ex principiis ostendimus: vt si communi vtamur exemplo: omne animal rationale est risibile: omnis homo est animal ratio-

22. rationale ergò omnis homo est risibilis: demõstratio verò ad impossibile, quasi negatiua est, per quam probamus aliquam propositionem esse veram demonstrando falsitatem suæ contradictoriæ, vel falsam demonstrando veram; vt si neges hanc, homo est risibilis, probo esse verã ostendens contradictoriũ eius esse falsum, simul cum eo assumens aliam propositionem veram, & ex vtraque inferens falsam per necessariam consecutionem hoc modo: nullus homo est risibilis, omne rationale est risibile, ergò nullum rationale est homo: syllogismus constat, in cesare, cuius conclusio est falsa, ergò aliqua præmissarum, non minor, ergò maior, quæ cum sit contradictoria illius, quam dixisti esse falsam. necesse est veram esse fatearis.

Quintum memb. ca. In postrema tandem capitis parte docet Aristoteles, in communissimis principiis omnes scientias communicare: quod vt clarius explicetur, diuidenda sunt principia communia in tria genera quædam enim sunt cunctis scientiis communia, id est, quæ omnes possunt ex æquo participare, qualia sunt duo illa à nobis nuper explicata, quibus principia particularia omnium scientiarum, atque etiam omnes demonstrationes innituntur, & iuxta prædictos modos eis libere vti potest in suis demonstrationibus qualibet scientia ad propriam materiam determinatis: alia sunt communia non omnibus scientiis, sed quibusdam, vt sunt illa: totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia: quibus vtuntur Mathematicæ disciplinæ præsertim Geometria, & Arithmetica: alia denique non multis scientiis communia sunt, sed multis demonstrationibus eiusdem, & talia sunt subiectorum definitiones: Aristoteles ergò de communibus primo, & secundo modo non loquitur, sed solum de vniuersalissimis, constat id ex verbis eius sic enim ait: Communicant autem omnes scientiæ sibi inuicem, secundũ communia; communia autem dico, quibus vtuntur, tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant: hoc est, non in conclusionibus, nec in propriis principiis, sed in communissimis dumtaxat; nam in his, quæ quibusdam communia, quædam communicabunt, non omnes.

Diuisio principiorum communium.

23.

Aristot.

Duas tamen esse ait, quibus ex propria conditione conuenit ex communibus procedere, quia circa communissima versantur obiecta Methaphysicam videlicet & Dialecticam: illa etenim circa ens reale, hæc vero circa ens rationis: procedit autem ex communibus vtraque, quia Metaphysica multa probat de ente per communes causas: principia item aliarum scientiarum aliquando per communia probat, cuius exemplum designare possumus in illo vniuersali: omne totum est maius sua parte; quòd ita probat, omne continens est maius contento, omne totum continet quamlibet partem simul cum aliis, ergò quælibet maius erit: Dialecticus etiam multa ex communibus probat: gratia exempli, odium esse in parte concupiscibili tanquam in subiecto, vel principio, hoc modo: vbi est vnum contrarium ibi erit & alterum, sed amor est in parte concupiscibili; ergò & odium eius contrarium.

Quæ sciētiæ ex principiis communibus procedãt.

Diuerso autem modo vtraqu ex communibus procedit (ait D. Thom.) Metaphysica quidem per modum demonstrationis: Dialectica verò per modum probabilis argumentationis: munus enim proprium Dialecticæ est, de quolibet proposito probabiliter disputare; sed vniuersaliorem adhuc esse Dialecticam docet Aristoteles, tum aliis scientiis, tum etiam Metaphysica, aliis quidem, quia non est vnius generis definiti: quod discrimen duobus exponitur modis. Primò, quasi velit dicere Aristoteles, non habere peculiare genus obiecti, vti habent reliquæ scientiæ, sed circa vniuersalissimum versari, nempe circa modum sciendi, argumentationem, vel ens rationis, quæ per omnes materias particularium scientiarum suo modo diffunduntur: vel secundò, quia pars Topica, pro qua videtur Dialecticam modo sumere, non habet materiam determinatam, sed per omnes probabiliter disputando vagatur.

Diuerso modo Dialectica & Metaphysica procedunt à principiis communibus.

A Metaphysica etiam simul cum cæteris sepa-

24. *separatur quia qualibet earum alteram partem contradictionis determinat, quam demonstrare nititur; non enim vtraque pars demonstrabilis est, at Dialectica neutram determinat sed circa vtramque probabiliter disputando versatur, vtranque topice probare contendit: & hinc est, quod solus Dialecticus interrogatione vtriusque partis vtitur: demonstrantis namque officium, non est sic interrogare, cum ad vnam partem ostendendam determinetur, neque enim vtraque demonstrabilis est: ad Dialecticum verò, vtpote probabiliter disputantem, interrogare spectat, vt in his, ait Aristoteles, quæ de syllogismo sunt, admonitum est.*

QVAESTIO VNICA.

An principia vniuersalissima ingrediantur demonstrationem.

Quotuplicia sint eiusmodi principia. EIVSMODI principia duo sunt, affirmatiuum, & negatiuum: affirmatiuum est *de eadem re necesse est affirmare, vel negare*: negatiuum, *de eadem re non contingit simul affirmare, & negare*: quæ alijs verbis à Summulistis pro- 1. feruntur, primum quidem *duas contradictorias esse simul veras non contingere*: secundum, *nec etiam possibile esse, vt sint simul falsa*: eiusmodi autem principia vniuersalissima vocãtur ducta similitudine ex causis vniuersalibus, quæ per particulares, & proximas determinatæ varios producunt effectus: sic igitur vniuersalissima principia determinata per particularia generant diuersas conclusiones: vnde propter effectus diuersitatem merito dicuntur ab Aristotele communia secundum analogiam, de quibus aliqua ex parte docuit, quonam pacto ingrediantur demonstrationem: quæstio nihilominus sub vniuersali forma proposita nonnullam modicam difficultatem habet.

Nota. Quam vt aperire incipiamus, adnotandum est duplicem esse demonstrationẽ, ostensiuam vnam, quæ ex positiua principio- 2. rum virtute conclusionem ostendit. Alteram, quam vocant ad impossibile, per quam euidenter infertur conclusio, vel cogitur respondens, si eam adhuc negare velit, aliquod plane impossibile admittere: exemplum vtriusque in superioribus attulimus, & in ordine ad quamlibet harum demonstrationum specialem habet difficultatem controuersia.

Cui vt respondeat Caietanus cap. 12. dub. 1. & 2. Geminam præmittit distinctionem: prima principia vniuersalissima (ait) duobus accipiuntur modis, vel in propriis terminis (vt in principio quæstionis proposita sunt) vel contracta ad particularem materiam, vt si dicamus, moueri aliquid simul, & non moueri non contingere; moueri, vel nõ moueri necessarium esse: rursus siue in propriis terminis, vel contracta accipiantur, duobus aliis sumuntur modis, in actu signato, vel exercito: in actu quidem signato ea accipere non est aliud, quam secundum propriam rationẽ formalẽ, vel vt talia sunt, nõ vt sunt in vsu, vel exercitio: hoc modo accipiũtur, dum dicimus de eadem re simul affirmare, vel negare non contingit; moueri vel non moueri, idem corpus necessarium est: & in actu exercito, dum significantur officium principiorum exercere, vt si dicamus, omnis homo est animal, & non est non animal, vel quid simile. *Prima sententia Caiet.* 3.

His præmissis distinctionibus propriam sententiam his assertionibus explicat. Prima, vtrumque principium, tam in propriis terminis, quam contractum, si accipiatur in actu signato, ingreditur demonstrationem ostensiuam. *Prima assertio pro 1. sentẽtia.*

De negatiuo probat his duobus exemplis idem simul esse, & non esse repugnat, materiam esse sine forma est idem simul esse, & non esse; ergo materiam esse sine forma repugnat; idem simul esse, & non esse repugnat, idem corpus moueri simul, & non moueri, est simul esse, & non esse motum, ergo idem corpus moueri simul, & non moueri repugnat. *De negatiuo probatur. 1.* 4.

De affirmatiuo verò facile esse (ait) cuicumque perito exempla afferre: possumus autem eiusmodi designare; necesse est idem corpus esse, vel non esse album, sed corpus cœleste aliquod corpus est, ergo necesse erit esse, vel non esse album. Ecce quo pacto in his exemplis vtrumque principium in propriis terminis, atque etiam ad materiam particu- *De affirmatiuo. 2.*

ticularem contractum, ingreditur demonstrationem.

Secunda assertio. Secunda assertio: si accipiatur in actu exercito, neutrum ingreditur demonstrationem ostensiuam.

Ab authoritate Aristotel. probat. Hanc asserit esse expressam sententiam Aristotelis, qui de his principiis agens in ordine ad vsum demonstrationis, quod idem est, ac in actu exercito ea accipere, negauit
5. plane eorum vsum in demonstratione ostensiua vtilem esse, idque de negatiuo confirmauit exemplis, in textus elucidatione commemoratis; de affirmatiuo nec expresse asseruit, nec probauit, quia manifestum id efficiebat maxima vtriusque similitudo.

Tertia assertio. Tertia assertio; demonstratio ad impossibile vtroque principio in actu signato vtitur, siue in propriis terminis, vel etiam ad particularem materiam contracto.

Eius ratio. Probatur hæc, quia conclusionem vtroque modo probare possumus; nempe respondentem conuincendo, vt eam admittat, vel eandem rem, nec esse nec non esse, aut certe esse, & non esse simul.

Quarta assertio. Assertio vltima; ex his duobus principiis in actu exercito sumptis, affirmatiuo vtitur
6. demonstratio ad impossibile; negatiuo verò nullo modo.

Ab authoritate. 1. Probat vtramque partem: primo ex verbis Aristotelis, qui de negatiuo loquens ait: *Simul affirmare, & negare, neque vna demõstratio accipit*: loquens autẽ de affirmatiuo, *Omne autem affirmare, aut negare, quæ est ad impossibile demonstratio, accipit*: Vnde ex ipso sermonis stylo (ait Caietan.) plane insinuat aliquid conuenire vni, quod non quadrat alteri, scilicet assumi in demonstratione, quæ est ad impossibile.

Secundò ratione. Deinde ratione: quia vtraque demonstratio, tam ad impossibile, quam ostensiua abhorret superfluitatem; sed hac sola de
7. causa reiicit Aristoteles negatiuum ab vsu ostensiuæ demonstrationis; quia superuacanea est negatio, cum ex sola affirmatione non minus efficaciter conclusio inferatur: eandem ergò ob causam reiiciendum est à demonstratione ad impossibile: quæ tamen in affirmatiuo locum non habet, vt exemplis potest manifestum fieri.

Impugnatur sententia Caietani, & statuitur vera.

HÆC tamen sententia singularis est & Aristoteli plane contraria, quantum pertinet ad demonstrationem ostensiuam; singularis quidem quia antiqui omnes interpretes cum D. Thom. quem sequuntur moderni, absque vlla exceptione, vel distinctione, negant talem vsum principiorum in eiusmodi demonstratione, quod proculdubio magno est argumento, id negasse omnino Aristotelem. *Refutatio huius sententiæ.*

Nec satis facit solutio Caietani, quod tam Aristoteles, quam D. Thom. loquantur de his principiis in actu exercito, & non in actu signato; cum verba vtriusque expressissima sint de his in actu signato, nam Aristoteles sic loquitur: *Non contingere autem simul affirmare, & negare, neque vna recipit demonstratio, &c.* Verba autem D. Thom. hæc sunt. *Manifestum est, quod demonstrationes non vtuntur hoc principio, scilicet quod affirmatio, & negatio non sint simul veræ, neque ex parte prædicati, neque ex parte subiecti, &c.* *In solutionem Caiet.* 8. *Aristot. D. Thom.*

Et ratio ipsa omnem eorum vsum plane interdicit: nam hæc principia in actu exercito, & signato accepta eundem sensum, eandemque veritatem continent; & si qua ratione puriora sunt, formaliusque significantur, maxime dum accipiuntur in actu signato (vt Caietan. ipse fatetur) pugnat igitur cum eorum conditione, hoc modo apta esse ad demonstrationem ostensiuam, si in actu exercito inepta sunt. *Probatur. 1 ratione refutatio.* 9.

Et confirmatur; quia in actu exercito accipi supra vniuersalissimam eorum rationem nõ addit nisi ordinẽ ad vsum ex qua repugnat inepta ad eundem vsum demonstrationis fieri. *Confirmat.*

Secundo, in actu exercito ideò inepta dicuntur esse, quia nihil ad vim demonstrationis operatur negatio addita affirmationi, sed tiam additur, dum accipiuntur in actu signato; ergo non habebunt sic accepta minorem ineptitudinem. *Secunda ratio.*

Sensit igitur absque dubio Aristoteles, inutilem esse omnino eorum vsum, quamuis vt clarius id exempla ostenderent, in eisdem principiis sub exercitij forma designati producto ab eo fuerint: imò vt arbitror, quia demonstratio ostensiua ex his fieri non potest *Ad test. Arist.* 10.

siue

si in actu signato accipiantur: vnde nec superuacaneum esse eorum vsum ostendi nisi sub alia forma ea accipias.

Ad exemp. de negat o principio. Etenim licet exempla Caietan. primo aspectu appareant ostensiuę demonstrationes si tamen attentius considerentur, non sunt nisi ad impossibile; probatur enim ex eis materiam non posse sine forma existere; vel idem corpus simul moueri, & non moueri quia ex vtroque infertur illud impossibile,
11. quod est idem simul esse, & non esse. Patebit etiam id clarius, si consideremus tales conclusiones, nec extra naturam motus, vel materiæ demonstrari, aut ex principiis ex eis desumptis: sed neque ex aliis positiuis, per quæ vniuersalissima principia contrahantur (quod omnino necessarium esse ad ostensiuam demonstrationem superius vidimus) nisi ex sola impossibilitate, qua affirmatio, & negatio non possunt simul de eodem verificari, ad quam reuocaretur, qui eas negaret.

Ad illud de affirmat. Neque aliud exemplum de vsu principii affirmatiui ostensiua demonstratio est, sed quædam expositoria inductio, sub eodem principio facta, quā descensum solemus vocare: vt si dicamus, de eadem re necesse est affirmare, vel negare, ergò de Petro cum sit aliquid, atque etiam de Paulo, & sic de singulis entibus: & si eiusmodi argumentationes appellentur demonstrationes ostensiuæ, euidenter sequitur contra Caiet. vsum principij affirmatiui in actu exercito sumpti,
12. vtilem esse in ostensiua demonstratione, vt si sic procedamus, necesse est omne coloratum esse album, vel non esse album; sed corpus mixtum est coloratum, ergo necesse est esse album, vel non esse album: in tali enim genere argumentandi principio affirmatiuo in actu exercito vtimur, quemadmodum dum dicimus omnem hominem esse animal, & non esse non animal: quod Caiet. ipse nullo modo negare potest.

Refutatur etiam quātum ad vltim. assert. Quantum ad vsum etiam horum principiorum, in demonstratione ad impossibile nostra sentētia contraria est etiam Caietan. nempe vtriusque principii vsum siue in actu signato, vel exercito sumpti vtilem esse.

Prima ratio. Quod efficaciter probamus, quia non minus demonstrare conclusionem possumus ad hoc impossibile eam negantem deducentes vt admittat idem simul esse, & non esse, quod est duo contradictoria simul esse vera, tam vi huius principii negatiui, quam 13.
virtute affirmatiui, vt admittat idē nec esse, nec non esse, vel quod idē est, duo contradictoria simul falsa; cum ergo hoc sit demonstrationem ad impossibile reducere, sequitur vtrumque ad eam pertinere; antecedens probatur hoc exemplo, si quis affirmet hanc propositionem esse veram, omne animal est homo, hoc modo ducetur ad impossibile virtute negatiui principij, omnis homo est risibilis, aliquod animal nō est risibile, ergo aliquod animal non est homo. Constat syllogismus, in baroco, & antecedens pro vtraque parte verum est, ergo & consequens, quod est contradictorium alterius, quæ concedebatur vera; neganda igitur est, vel illud admittendum impossibile, quod de eodem simul verum sit affirmare, & negare, vel quod duo contradictoria simul stent in veritate, quod idem est.

Ecce quo pacto euidens est vsus negatiui principii in demonstratione ad impossibile; *Secunda ratio.* & certè euidens erat, quod cum vtrumque principium vniuersalem veritatem contineat, si virtute vnius probari potest conclusio per deductionem ad suum oppositum, 14.
tanquam ad manifestum impossibile, etiam virtute alterius tantundem fieri poterit: & si eiusmodi principia æqualia sunt apud Caietan. in actu signato, sumpta in ordine ad hoc genus demonstrandi æqualia esse oportebit in actu exercito; cum cōsideratio hæc solum addat supra alteram, ordinem ad vsum, vel exercitium.

Demum: si ob aliquam rationem excludere oporteret negatiuum à demonstratione *Tertia ratio.* ducente ad impossibile, maxime ob redundantiam (vt admittit Caietanus) & necessario admittendum est, cum non ob aliam excludatur ab ostensiua; sed in vsu demonstrationis ad impossibile nulla esse potest similis redundantia, cum non accipiatur in ea principium hoc tanquam præmissa, vel 15.
conclusio, sed propter impossibilitatem sui oppositi, ad quod respondens ducitur operetur, ergo non superest ratio illud excludendi, & certe si negatiuum ob redundantiam excludit Caietan. cur affirmatiuum admittit? cum similis sit de vtroque ratio, vt constat in demonstratione ostensiua, à qua æqualiter ob eam vtrumque excluditur, oporteret sine dubio ostendere vnum esse superfluum, & non alterum, quod impossibile,

ad. Arist. bile est, Aristoteles autem, quemadmodum de negatiuo solum expressit, atque probauit excludendum esse a demonstratione ostensiua, ex quo satis erat manifestum affirmatiuum etiam excludi, & ideò nihil de illo expressit: pari ratione admisso affirmatiuo ad demonstrationem ducentem ad impossibile notum satis erat negatiuum etiam admittendum esse; propterea non fuit necessarium id exprimere. Vel dicat nobis Caietanus, vbi & quando asseruerit Aristoteles idem principium negatiuum, in actu signato sumptum admittendum esse? Nullibi certe; non ergo potest iuxta mentem Aristotelis illud admittere, nisi forte propter similitudinem affirmati expresse admissi; ex hac igitur & nos illud in actu exercito sumptum admittendum censemus. Argumentum autem Caietan. propriam sententiam confirmantes soluimus.

QVAE INTERROGATIONES sint propriæ, & quænam sint scientiales. Mathematicarum scientiarum commendatio, & quo pacto syllogismus ampliari possit assumendo, & in directum, & in latus.

CAPVT NONVM.

SI vero idem est interrogatio syllogistica, & propositio contradictionis, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. *EXPEDITIS, quæ ad principia demonstrationis, tam propinqua, quam communia spectant supererat ostendere, sint ne propriæ in qualibet scientia interrogationes, responsiones, ac disputationes scientiales? Nam interrogationes, & responsiones sola forma à principiis, & conclusionibus demonstrationis distinguuntur, & hoc est, quod præstat Aristoteles cap. præsenti, vt absoluta sit tractatio propositionum, ex quibus demonstratio constituitur.*

Totius ca *Est autem totius capitis trimembris di-*

uisio: nam primo decernit Aristoteles, proprias habere singulas scientias interrogationes, responsiones, & disputationes ostendens simul quæ sint illæ, deinde docet esse etiam proprias interrogationes scientiarum, secundum ignorantiam. Postremo, esse proprias deceptiones, quanquam à Dialecticis diuersas, & quanam via eis occurrendum sit. pit. tri nebris diuisio.

Quælibet scientia (ait Aristoteles) proprias interrogationes habet. Probatur aperte: nam interrogatio idem est secundum substantiam cum propositione, sola forma ab ea differens; quia propositio aliquid affirmat, vel negat; interrogatio nihil affirmat, sed quasi sciscitatur, an affirmandum sit, vel negandum: vnde sine mendacio, aut veritate profertur, quod non habet propositio: gratia exempli, interrogatio est, an homo sit admiratiuus? Propositio, homo est admiratiuus; sed ita est (ait Aristoteles) quod quælibet scientia habet propositiones proprias, ex quibus demonstrationes in ea fiunt: eædem igitur erunt interrogationes propriæ sola forma variata: nam idem ipsum, quod ad interrogationem factam respondetur, tanquam præmissa accipitur in syllogismo, vel tanquam conclusio per eum probatur: vnde infert Aristoteles, quasi exemplum designans, non esse quamlibet interrogationem Geometricam, vel Medicinalem, sed Philosophicam esse posse, vel alterius scientiæ propriam. Primum mēb. cap.

Si autem quispiam scire velit, quænam sint eiusmodi interrogationes cuiuslibet scientiæ: Eas esse docet in Geometria, gratia exempli, quæ fiunt circa proprium eius obiectum, vel certe circa obiectum scientiæ ei subalternatæ, quæ vocatur Perspectiua: quemadmodum enim subalternans, & subalternata scientia in obiecto communicant, & eius ratione in principiis, pariter in interrogationibus, quæ sola forma affirmationis, & negationis à principiis distinguuntur: sic que de cæteris scientiis accipiendum est. Quæ sint interrogationes cuiuslibet scientiæ.

Est autem duplex interrogationis genus in qualibet scientia, vnum circa principia, alterum circa conclusiones, quæ in eo separantur, quod priorum non redditur ratio: Interrogationis genus duplex.

bene

bene tamen posteriorum, quasi dicat Aristoteles, conclusiones solum à priori ostendit, minimè principia; sed vniuersale praeceptum scientiarum esse, nullum scientem, vt talem, sua principia à priori probare; vt Geometra principia Geometriae non probat, nec Philosophus principia Philosophiae; vt talem verò addidit: quia in quantum vna scientia aliquo modo cum alia communicat, aliquod eius principium probare poterit; vt quia Geometria communicat cum prima Philosophia, possibile erit Geometram, non vt talem, sed vt primum Philosophum, aliquod principium Geometricum monstrare.

4.

Primum illatum.

Ex quibus infert non contingere quemlibet scientem de qualibet quaestione interrogare, neque cuiuslibet scientis esse de quolibet interrogato respondere sed Geometrae solum de his, quae Geometriae sunt interrogare licet, ad quē solū de quaestionibus Geometricis spectat respōdere: nam cum interrogatio, & responsio relatiue dicantur, ad eandē scientiā referūtur: & quia ex interrogatione, & respōsione constat disputatio, sequitur secūdò proprias esse singularum scientiarum disputationes, quemadmodū propria sunt interrogationes, & responsiones: vnde fit, vt si quispiam cum Geometra disputet de rebus Geometricis, bene procedat disputatio: si verò ad alia à Geometricis aliena diuertat, male: sequuntur enim duo incommoda: primum, quod sic inepte disputans non poterit quidpiam per se conuincere, sed ad summum per accidens, si forte contingat Geometram esse musicum, vel alterius scientiae peritum, ad quā disputatio dilabitur. Postremum quia non erit possibile ex principijs illius scientiae, an bene, vel male disputetur, discernere: vtrumque cernitur in eo, qui Geometram interrogat de rebus musicis, non enim poterit eum per se de aliquo conuincere, sed solum per accidens, si contingat esse musicae peritum nec ex principijs Geometriae iudicari poterit: an bene disputet vel male.

Secundum illatum.

5.

2 Membr. cap. Triplex quaest.

In secunda parte capitis decernit Philosophus proprias etiam ignorantias, ac deceptiones contingere in quacumque scientia: id autem praestat triplicem quaestiunculam proponens, sigillatimq; soluens.

1. quaestiuncula.

Prima, an quemadmodum proprias habet interrogationes Geometria, sic etiam alia sint non Geometricae, & quemadmodum propriae sunt Philosophiae, sic etiam sint alia non Philosophica,

2. quaestiuncula.

Secunda quaestio, an interrogationes, quae sunt secundum ignorantiam Geometriae, possint Geometriae per negationem saltem attribui? & sic vocari non Geometriae, sicq; de caeteris, quae fiunt secundum ignorantiam aliarum scientiarum, quod est quaerere, an quēadmodum quae sunt secundum notitiam scientiae eius dicuntur propriè positiuae modo simili quae sunt secundum ignorantiam propriè dicantur negatiuae; vocatur autem interrogatio secundum ignorantiam alicuius scientiae, quae fit contra eiusdem scientiae veritatē: vt si quispiam interroget, an moueri possint quae habent naturam? interrogatio erit secundum ignorantiam Philosophiae, quia contra veritatem Philosophicam est, cuius principium est naturam esse principium motus. 6.

3. quaestiuncula.

Tertia quaestio, an syllogismus ignorantiae, qui aliquando fit in scientijs, procedat ex oppositis illius scientiae: hoc est ex falsis? vel peccet in forma? & ideò paralogismus appellatur, idest, apparens syllogismus.

Quomodo intelligatur haec quaestio.

Quam quaestionem sic oportet intelligere: duobus modis decipi cōtingit per aliquem syllogismum: vno quando peccat in forma, alio in materia procedens quidem ex falsis, debitam nihilominus syllogismi formam retinēs & iste appellatur simpliciter syllogismus, quia talis dicitur, cui non deest forma: qui vero in forma peccat non nisi secundum quid & hic est paralogismus, id est, solum secundum apparentiam syllogismum vocari: nunc igitur interrogat, an in syllogismo, qui est secundū ignorantiam alicuius scientiae primus defectus, vel secūdus committatur: quis autem syllogismus secundum ignorantiam appelletur mox explicabitur. 7.

Solutio. 1 quaestion.

Soluit primam quaestionē dicens, esse quidem quemadmodum Geometricas, vel Philosophicas interrogationes, alias non Geometricas, vel nō Philosophicas, quales sunt, quae omnino fiunt de his, quae ad aliam artem, vel scien- 8.

scientiam pertinent, ut non Geometrica interrogatio dicetur, quæ fit in musica, nõ philosophica, quæ in Arithmetica.

Nota. Et ut vniuersalis præscribatur regula, quælibet intergatio propria vnius scientiæ aliena est respectu alterius, ut Philosophica est non Geometrica, & ediuerso Geometrica non Philosophica: exemplum producit D. Thom. in musica ut si quispiam interroget, an tonus posit diuidi in duos semitonos æquales? talis interrogatio est omnino non Geometrica.

Solutio. 2. quæst. Vt secundam quæstionem soluat adnotat ignorantiam duplicem esse; vna est puræ negationis, in eo solum consistens, quod est non habere talem scientiam, vel talem rei

Duplex ignorãtia. notitiam. Altera dicitur prauæ dispositionis non solam negationem, sed contrariam di-
9. spositionem importans similis scientiæ vel notitiæ.

Iuxta quam distinctionem distinguenda est interrogatio alicuius scientiæ ex ignorantia procedens: nam vna est puræ negationis: altera prauæ dispositionis; & ad rem venientes, interrogatio à Geometria, hoc est, non Geometrica, vel interrogatio non Philosophica ex ignorantia puræ negationis procedens dicetur ea, quæ nullo modo spectat ad Geometriam, sed est musicæ, vel alterius artis propria: ex ignorantia prauæ dispositionis, quæ ex his procedit, quæ sunt contra veritatem Geometriæ; quemadmodũ ait Arhithmon, vel irhithmicum, hoc est, sine rhithmo, vel tono dicitur duobus modis, vel quod omnino sono caret, vel quod prauum habet sonum, prioris exemplum est interrogatio Musicæ, quæ nihil habet Geometriæ: posterioris verò ea, quæ contra veritatem est Geometriæ, ut si quispiam interroget, an lineæ parallelæ subeant hoc est, concurrant, quod planè aduersatur

10. Geometricæ veritati; cum Geometricum principium sit lineas parallelas esse æque distantes, vel non concurrentes. Et ex hoc textu desumpsere morales Philosophi, ac Theologi distinctionẽ ignorantiæ in eam quæ est puræ negationis, & prauæ dispositionis.

Ex his autem duabus interrogationibus magis posterior ad Geometriam per ignorantiam pertinet, quàm prior, quæ nihil præter negationem Geometriæ habet, imò si propriè loquendum est, non est magis non Geometrica, quam non Philosophica, ut de interrogatione Musicæ patet: posterior verò, quamquã in forma deficiat, utpotè cõtra veritatẽ scientiæ facta; est tamen de materia Geometrica, ideò per modum priuationis ei propria dicitur: & hoc est, quod vult Aristoteles dicens esse non Geometricam per prauam dispositionem. Itaque solutio secunda quæstio- 11.
nis consistit in hoc, quòd quemadmodum sunt interrogationes positiuæ cuiuslibet scientiæ propriæ; sic etiam sunt propria ex ignorantia, quæ cuilibet scientiæ quasi negatiue attribuuntur; ex quibus magis sunt propria quæ ex ignorantia prauæ dispositionis, quam puræ negationis procedunt.

Solutio tertiæ quæstionis, & quæ se- 3. Quæst. solutio.
quuntur usque ad finem capitis obscurissima sunt, & pene intelligibilia apud Aristotelem propter expositionum varietatem, quæ adeò magna est, ut nullus ferè expositorum cum altero cõueniat dabimus tamen operam, ut aliquid ex singulis accipientes sensum Aristotelis intelligibilem reddamus.

Et inprimis vno verbo ostendere oportet quid directè respondeat Aristoteles huic tertiæ quæstioni; ut quonam pacto litera ordinanda sit, quamq; habeant consecutionem 12.
quæ in ea docentur, constare posit; in hoc enim præstando expositionis huius loci difficultas est posita.

Ad formam igitur quæstionis respondet Aristoteles, syllogismum ignorantiæ in demonstratiuis scientiis non posse peccare in forma, atque adeò nec paralogismum vocari; sed ex parte solius materiæ, quod ex falsis propositionibus procedat

Probat primum illud præsupponens, quod 1. Probat.
in libris elenchorum, imò in materia syllogismorum notum est, videlicet duobus modis Arist.
contingere syllogismum peccare in forma: Nota.
primo quidem per fallaciam in dictione, hoc est, in ipsis terminis gratia exempli, quãdo mediũ æquiuocè tenetur in præmissa, ut si sic 13.
procedamus, omnis canis est animal, sydus canis est, ergo est animal: alio modo cõtingit

 per

per fallaciam extra dictionem, gratia exempli, si in secunda figura ex præmissis affirmatiuis procedatur: tunc enim medio non distributo ex præmissis veris falsam conclusionem inferri contingit, vt si dicas, omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergò omnis equus est homo: his suppositis sic arguit Aristoteles: in processu demonstratiuo non contingit paralogismus ex fallacia in dictione nec extra dictionem, ergo nullo modo; quod non contingat per fallaciam in dictione probat in exemplo posito de medio æquiuoco (eadem est enim ratio de cæteris eiusmodi peccatis) processus demonstratiuus talis est, vt maior extremitas, quæ est prædica-
14. *tum maioris, dicatur de medio vniuersaliter sumpto; & hoc etiam de minori extremitate sumpta vniuersaliter, vniuersalitas namque directa, & demonstratiua propositionis non se tenet ex parte prædicati sed subiecti (vt regulæ summularum planè docent) vnde sequitur prædicatum in præmissis demonstrationis de omni subiecto dici, quod ex alio etiam præcepto constat, videlicet propositiones demonstratiuas esse de omni; sed dum medium tenetur æquiuocè, impossibile est ipsum de minori extremitate vniuersaliter enunciari, nec de ipsa maiorem extremitatem, cum ex eo æquiuocatio contingit, quod medium in maiori pro vno, in minori pro alio significato accipiatur, vt designatum super indicat exemplum: vnde prouenit, vt nec propositionem de omni constituat; ergò defectus iste in processu demonstratiuo locum non habet.*

a. Probat. *Probat secundo, vel certè prædictam rationem confirmat discrimine inter demonstratiuum, & Dialecticum processum apposito; etenim Dialectica ex probabilibus ex*
15. *vna parte procedens, quæ non sunt manifesta; & ex alia sermonem, atque orationem considerans, hoc est, nomina, & verba, circa quæ æquiuocationes contingunt, quibus mediantibus de vniuersis rebus disputationem instituit, magis æquiuocationibus subdita est, quàm demonstratiua ars, quæ ex euidentibus procedit., cuius exemplum esse potest in circulo (ait Aristoteles) æquiuocè significante figuram, & quoddam poematis genus: fiet igitur circa eum paralogismus, si ita procedamus, omnis circulus est figura, Homericum poema circulus vocatur, erit ergò figura: in processu autem demonstratiuo non habere locum probat Aristoteles tali similitudine: si circulus describeretur, vt à mathematico de eo disserente in aliqua materia describi solet, æquiuocationem nullam admitteret ob rei euidentiam; sed demonstratiua ars ex his procedit, quæ sic sunt euidentia respectu intellectus, quemadmodum descriptus circulus, vel cætera, quæ videntur, respectu sensus, ergò nullus in ea æquiuocationi datur locus, nec proinde accidere paralogismum ex tali defectu possibile erit.*

Cæterum, quamuis non contingat in pro-
cessu demonstratiuo paralogismus similis, ad 16.
artem nihilominus demonstratoriam spectare suo modo potest, aduersus eum instantiam afferre ideo modum præscribit, quo afferenda sit: instantia autem appellatur propositio, ex qua infertur opposita & quam probare falsam in paralogismo intendimus, vt si quispiam hunc paralogismum constituat; nulla virtus est qualitas, omnis iustitia virtus est, ergò nulla iustitia est qualitas; afferre instātiam possumus per hanc propositionem, omnis habitus est qualitas, ex qua hoc modo infertur opposita maiori: omnis habitus est qualitas, omnis virtus est habitus, ergò omnis virtus est qualitas.

Docet tamen Aristoteles, quod si per demonstratoriam artem instantiam afferre volumus, in vniuersali, & non in particulari afferenda est, hoc est enim, quod ait: Non oportet autem instātiam in ipsum ferre, si sit propositio inductiua, *idest, non propositionem, ex qua inductio procedere solet, singularem videlicet, vel particularem iuxta*
rationem diuersarum inductionum; sed per 17.
propositionem vniuersalem. Per quam propositionem fiat instantia.

Cuius ea est certa ratio, quia tàm in Dialecticis, quàm in demonstratiuis instantia accipitur tanquam propositio, vel præmissa syllogismi, per quam oppositam concludimus; sed syllogismus demonstratiuus procedit ex 3. Memb. seu cap.

dit ex

dit ex vniuersalibus cũ procedat ex propositionibus de omni: ergo non nisi per vniuersalem propositionem instantia in demonstratiuis afferenda est.

Excluditur paralogismus. *Excludit deinde paralogismum cõtingentem ex fallacia extra dictionem; & vtitur exẽplo cuiusdã syllogismi in secunda figura ex affirmatiuis constituti, qualẽ ait constituere solitũ Philosophũ quendã Caneum nomine in hisce terminis. Quod in multiplicata proportione, vel analogia fit, celeriter generatur,*
18. *ignis celeriter generatur, ergo ignis in multiplicata proportione fit: fieri autẽ in multiplicata proportione, vel analogia (quod idẽ est) non est aliud, quam in maiori quantitate generari, quam fit ea, in qua corpus, ex quo generatur, consistit, quod de igne certissimum est, cum sit corpus omnium subtilissimum proindeq; minorem molem, quam cætera ad sui consistentiam postulans, usque adeò, vt dum ex aqua gignitur, ex vno aquæ pugillo decem ignis generentur (vt benè Aristoteles* Aristot. *2. lib. de ortu. & interitu, text. 24).*

Ecce iam hoc explicato paralogismum designatum, quem Caneus construebat, manifestum, qui vtriusque inhærentiam accipie-
19. *bat (ait Aristoteles) idest, vtramque præmissam affirmantem in secunda figura, & pro medio id, quod in vtraque præmissa prædicatum est, hoc est enim quod subiecto inhæret, nempè celeriter ignem generari, ad probandum in multiplicata analogia fieri (vt vidimus). Huius autem paralogismi peccatum satis est in eisdem terminis manifestum; cum, instantiam statim de aqua afferre possimus: quæ ex aere nimium condensato celeriter gignitur, non tamen in multiplicata analogia, sed in minori, & eodem modo syllogizare dicentis, quod fit in multiplicata proportione, celeriter generatur, aqua celeriter generatur: ergo fit in multiplicata proportione, & dabitur antecedens verum pro vtraque præmissa, & consequens falsum, Constaret au-*
20. *tem syllogismus (ait Aristoteles) hoc est, debitam haberet formam si è diuerso assumeretur pro medio, fieri in multiplicata proportione, & fieret in prima figura hoc modo, omne quod celeriter generatur, fit in multiplicata proportione, ignis celeriter generatur: ergo fit in multiplicata proportione nam licet maior falsa sit, nihil ad formam syllogismi refert.*

Addit autem Aristoteles prædictum syllogismi defectum, qui fallacia consequentis vocari solet, contingere in terminis, qui non conuertuntur, si vero conuertantur, cessare. 1. Ratio.

Cuius ea est ratio, quia syllogismus ex puris affirmatiuis in secunda figura argumentum est à superiori ad inferius affirmatiue, vt si dicamus, omnis homo est animal, omnis equus est animal, ergo omnis equus est homo: cessabit autem inconueniens hoc si conuertantur termini, vt si dicat omne animal rationale est risibile, omnis homo est risibilis, ergò omnis homo est animal rationale. 21.

Vnde infert in potissimis demonstrationibus, non accidere similem defectum; quia in terminis conuertibilibus fiunt; nam vel demonstrantur passiones de subiecto, vel effectus de propria causa. vel vna ratio posterior, sed adæquata de priori: contingit autem in ratiocinationibus Dialecticis; quia cum ex probabilibus procedant quibuscumque, sæpe contingit, terminos non conuerti.

Addit autem duplicem aliam rationem differentiæ inter processum scientificum, & Dialecticum, ratione cuius similes syllogismorũ deceptiones contingunt in hoc, minime in illo, prior est. nam si necessarium esset veram conclusionem non nisi ex veris præmissis syllogizari, facile esset conclusionẽ cuiuslibet syllogismi in veras præmissas absque deceptione resoluere, esset enim reciproca consecutio à præmissis ad conclusionem secundùm veritatem, vt si veræ sint præmissæ, vera erit conclusio, & si vera conclusio, veræ præmissæ, sed cum ex falsis præmissis liceat syllogizare veram cõclusionem, difficilis est resolutio conclusionis in veras præmissas sine deceptione: at in processu scientifico difficultate caret talis resolutio & sine deceptione fit, quia nunquam ex falsis syllogizatur verum sed semper ex veris præmissis demõstratur vera conclusio, legitimaq; consecutio est à veritate præmissarum ad veritatem conclusionis, atque etiam è diuerso. 2. Ratio. 22.

Ratio. Posterior ratio, quia in processu Dialectico per varia media indeterminata, ac numero
23. pene infinita syllogizatur cõclusio, ac propterea nimis est difficilis resolutio, nec sine deceptione facile potest fieri: processus verò demõ-
Nota. strativus determinatus est ex medio determinato conclusionem ostendens, & eam facile resoluit: augentur quidem demonstrationes, cum non sit vnicum medium demonstrandi in scientiis, sed multiplex; nam vel probata vna conclusione ex principiis, ex ea aliã demonstramus, & ex ista aliam, quem modum vocat Aristoteles in post sumendo, vt in Mathematicis cernimus, & in scientia de homine non obscurè intelligimus, cum ex hoc principio, animal rationale, ostendimus hanc conclusionem, quod sit capax disciplinæ, & ex hac quod sit admiratiuus, & ex ista, quod sit risibilis: eiusmodi tamen incrementa non solum limitata sunt, sed per se ordinata, quapropter facile est vsque ad vltimum peruenire.

Nota. Alio modo (ait Aristoteles) augentur quasi ad latus, cum aliquam rationem superiorem de inferioribus per varia media demonstra-
24. mus, vt numerum infinitum, id est abstractũ ab inferioribus, & non limitatum ad aliquã speciem de ternario per imparem rationem, de quaternario per parem; hoc modo, omnis impar est numerus, ternarius est impar, ergò est numerus, & rursus, omnis par est numerus, quaternarius est par, ergò est numerus; & aliquam etiam superiorem passionem de speciebus inferioribus, vt sensibile de homine per rationale, de equo per hinnibile.

Vtraque autem incrementa limitata sunt, quemadmodum media ipsa, per quæ fiunt; nã determinatæ sunt passiones, determinatæ causæ, vel rationes, per quas demonstrationes augentur, ideò facilè est ad vltimam deuenire, in quam resolutio conclusionis terminatur.

Plena solutio quæstionis. Et ex his habetur plena solutio propositæ quæstionis, nempe syllogismum ignorantiæ in processu demonstratiuo non posse peccare in
25. forma, quod est, non posse paralogismum accidere, quem tamen sæpè contingere in Dialectico notum est; solùm ergò peccare potest ex parte materiæ ex falsis propositionibus procedens, & aliquando falsam conclusionem inferens, quam sub forma interrogationis prolatam vocamus interrogationem Ageometricam, vel Aphilosophicam, id est, harum scientiarum, vel alteri propriam per negationem, vt si quis circa materiã Geometriæ hoc modo procedat, omnes lineæ paralellæ concurrunt. A, & B. sunt lineæ paralellæ, ergò concurrunt. hanc conclusionem si ita proferas, an lineæ paralellæ concurrant? efficies interrogationem Geometriæ propriam per ignorantiã prauæ dispositionis, vt respondens secunda quæstione docuit Aristoteles.

DE DEMONSTRATIONVM quod, & propter quid speciebus ac differentiis.

CAPVT DECIMVM.

Qvod verò differt, & propter quid scire, primum quidem in eadem scientia, & in hac dupliciter, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Potissimæ demonstrationis hucusque explicata natura quam propter quid vo- (Intentum cap. 1.) camus) illum alium sciendi modum, de quo se dicturum postea promiserat Aristoteles cap. 2. explicat in præsenti, nempe demonstrationem quod est, vel quia est propriam eius conditionem duplici discrimine inter vtramque designato aperiens.

Continetur autem duplici parte vniuersum caput: in prima docet, quo pacto distinguantur, dum eas in eadem scientia considerámus, in secunda, si considerentur in diuersis. (Diuisio eius in duas partes.)

Separantur igitur scire, quia, & propter (1. pars cap.) quid, atque adeò demonstrationes ipsæ in eadem scientia ex duobus, ex primo quidem; nam demonstratio propter quid procedit per causam proximam, at demonstratio quia, & si aliquando per causam, non tamen proximam, sed remotam: præterea

reà demonstratio propter quid semper causā conclusionis affert. quia, verò sæpè ab effectu procedit: etenim cum ex notioribus ad ignota semper scientes procedamus, non semper causa nobis per se ipsam innotescit, sed aliquando per effectum, experientia, vel inductione euidenter notum: processus igitur ab effectu ad causam modus sciendi à posteriori, vel quia, seu quod est vocatur ab Aristotele; propterea quod rem esse talem nobis manifestat, non propter quid talis sit.

1. exemp. de demonstratione. quia. Cuius duo affert exempla, primum, quo cognoscimus astra quædam non longè distare, quia experientia nouimus non micare, vel non scintillare; scintillare enim effectus est longioris distātia. vnde negatio talis effectus eiusdem corporis propinquitatem indicat; talis itaque ex hoc effectu demonstratio constitui potest: stellæ non scintillantes sunt propè nos, planetæ non scintillant, ergò sunt propè nos; eiusmodi vocatur demonstratio quia, cum non causam rei tradat, sed ex effectu potius causam ostendat.

Exemplum etiam in elementis designat, vt si maius extremum, quod est esse prope, sit. A. medium. B. minus extremum. C. sic dicimus, omne A. est. B. omne. C est. B. ergò omne. C. est. A.

2. Exemp. Aliud etiam exemplum erit in terminis significātibus. si lunam esse rotundam ostendamus per incrementa, hoc est, quia incrementum luminis circulariter suscipit, dum à sole illuminatur, sic procedentes, quidquid circulariter illuminatur necesse est corpus rotūdum esse, luna circulariter suscipit incremētum lucis, dum illuminatur à sole: ergò corpus rotundum est.

Duplex effectus. Distinguit autem duplicem effectum, alius est enim cum causa conuertibilis, quem ideò adæquatum appellare possumus. quia ab omni & sola tali causa procedit, vt risibilitas respectu rationalitatis: alter cum causa non conuertitur, sed inferior est, vt motu progressiuo moueri respectu animalis; nonnulla enim sunt animalia, quibus talis motus minimè conuenit: & ab vtroque effectu (ait Aristoteles) potest procedere demonstratio quia, ab effectu adæquato, vt ostendunt exempla de astris, ac luna incrementis, ab inadæquato; vt si dicamus, quidquid mouetur motu progressiuo est animal, leo tali motu mouetur, ergò est animal.

Doctrina inter adæquatum, & inadæquatum effectum. Est tamen discrimen maximum, quod in effectis adæquatis vtrumque genus demō strandi locum habet nempè quia, & propter quid ita vt, postquam causas ex eis ostendimus; possimus rursus ab eisdem causis procedentes eosdem effectus demonstrare, quod fiet maiori extremitate in medium conuersa: vt si in eisdem exemplis dicamus, stellæ quæ sunt propè nos, non scintillant, planetæ sunt propè nos, ergò non scintillant; etenim non scintillare effectus est propè existendi, & quidem adæquatus, quia cum tali causa conuertitur: & modo simili, quidquid rotundum est, incrementa suscipit in modum circuli, luna est corpus rotundum, ergò ita crescit, dum illuminatur à sole. In effectis verò inadæquatis solum habet locum alter modus demonstrandi; nam cum causa non conuertatur cum effectu, nec demonstratio, quia, ex eo procedens conuerti potest in demonstrationem propter quid; cum non liceat maius extremum in medium conuertere, non enim dicemus, quidquid est animal motu progressiuo mouetur, & hoc sibi volunt Aristoteles illis verbis: In quibus autem media non conuertuntur, & est notius, quod non est causa, ipsum quidem, quod monstratur; ipsum autem propter quid non; media namq; causam, & effectum vocat; nam illa est medium in demonstratione propter quid, iste in demonstratione quia.

Exēp. de dēmōstratione, quia, à causa remota. Producit deindè exemplum de demonstratione quia, à causa remota procedente, inverso quidem ordine, nam cum prius de hac locutus fuerit, exemplum posteriori loco apposuit (ait ergò, In quibus medium extra ponitur, etenim in his ipsius quod, & non ipsius, propter quid, est demonstratio, quæ verba diuersis exponuntur modis à diuersis interpretibus, quos ideò non refero: quia propria eorū expositio ex subiectis statim verbis plane colligitur subdit namq; Aristoteles, Non enim dicatur causa, vt propter quid non re-

non respirat paries, quoniam non animal &c. *Quasi dicat, eiusmodi non esse causam simpliciter: nam cum effectum positiue non inferat, nec positiuè in eum influit; sed modo quodam improprio causa dicitur; quia negatio eius negationem effectus remota quadam consecutione inferre probatur, cum dicimus, quidquid respirat est animal paries non est animal, ergò non respirat. si enim non esse animal vera esset causa non respirandi, oporteret, vt esse animal esset etiam causa respirationis, quod tamen falsum esse ostendunt multa, quæ, cum vera animalia sint, respiratione carent, vt exploratum est de piscibus in veris namq; causis (ait Aristoteles) si affirmatio est causa affirmationis, negatio, quoque causa negationis erit, vt si humorum incommensuratio causa est non sanitatis, eorundem commensuratio vera causa sanitatis erit. Ex his satis liquet germanus sensus illorum verborum:* In quibus medium extra ponitur, *est enim talis, in quibus causa (hæc namq; medium est in his demonstrationibus) extra rationem effectus posita est, cum non sit vera causa in effectum directe influens demonstratur* quia. non propter quid: *vera etenim causa, vt potè in effectum directè influens intra poni dicitur, quia intra ambitum virtutis eius continetur effectus, vnde quasi per intrinsecum medium ex ea demonstratur: in eiusmodi autem remotis causis non ita contingit, sed quasi ab extrinseco respiciuntur ab effectis, quasi ab extrinseco eos inferunt, ideò quasi media extra posita merito ab Aristotele vocantur.*

Expositio Aristotel.

6.

Fieri autem similes demonstrationes non in prima, sed in secunda figura deinde docet; cuius eam videtur rationem reddere; quia eiusmodi causæ remotæ comparantur his, quæ secundum excellentiam dicuntur, hoc est, superioribus prædicatis, quæ subiecta superant, quale est animal respectu equi, vel leonis: si autem medium superius sit extremitatibus, non potest syllogismus effici in prima figura, in qua medium oportet esse subiectum maioris, quo pacto si disponatur, falsam propositionem cõstituet, vt si dicas, quid quid est animal respirat, vel quidpiam simile: & longè minus fieri potest in tertia, in qua sic medium disponitur, vt sit vtriusque præmissæ subiectum: vnde fit, vt in sola secunda figura similis demonstratio fieri possit.

Quare in 2. figura fiant simi les demõstrationes

7.

Exemplum in elementis apponit Aristoteles dicens, vt si A. sit medium loco animalis, B. maius extremum loco respirationis & C. minus vicem parietis gerens, dicemus omne A est. B. nullum C. est. B ergò nullum C. est A. & in eisdem terminis significantibus; quidquid respirat est animal, paries non est animal, ergò paries non respirat. Excemp.

Aliam rationem non contemnendam addidit D. Thom. ad probandum in prima figura non posse similes demonstrationes fieri; quia necesse est medium, quod est causa ipsa remota, coniungi maiori extremo in vna præmissarum, & remoueri à minori in altera, vt sic possit maius extremum separari à minori in conclusione, vt in eodem exemplo Aristotelis necesse est animal coniungi cum respiratione, & separari à pariete, vt possit in conclusione eadem respiratio de eodem pariete negari; necesse est ergo maiorem præmissam esse affirmantem, negantem verò minorem, at in prima figura minori existente negatiua nõ constat syllogismus. ergò nec demonstratio. Ratio D. Thom.

Concludit Aristoteles hanc partem priorem dicens, eiusmodi causas, vel media nimis distare, hoc est, remotissima esse ab effectis, & affert exemplum ex dicto quodam Anacharsidis antiquissimi philosophi, qui cum Scytha esset, & Athenis degeret, occurrentibus fœminis, ac præ nimio vino saltantibus, vel canentibus, sciscitatus à quibusdam, essent ne similes saltatrices, vel modulatrices in Scythia? respondisse fertur, non esse vites, remotissimam causam reddens; nam proximior esset vinum, & immediata prorsus ebrietas ex vino proueniens. Cõclusio. 1. partis. 9.

In secunda parte prædictas demonstrationes differre docet in diuersis scientiis: scientias autem diuersas esse duobus modis contingere; nam vel talem ordinem inter sese Duobus modis di-

stinguũtur scĩetiæ. 1. *se se habent, vt vna colloceturſub altera; & eiuſmodi vocantur ſubalternæ non ſecus ac propoſitio vniuerſalis, & particularis ex eiſdem terminis compoſitæ, vniuerſalis namq; ſubalternans vocatur, particularis ſubalternata: pariter in his ſcientiis intelligendum eſt; nam illa, quæ ſub altera collocatur, ſubalternata dicitur, hæc verò, ſub qua poſita eſt ſubalternans: multa harum ſcientiarum exempla deſignat Ariſtoteles, vt perſpectiua (ait) ſubalternatur Geometriæ & perſpectiuæ illa pars naturalis Philoſophiæ, quæ vocatur ſcientia de Iride, quam 3. lib. metheororum collocat Ariſtoteles: Muſica, ſiue Harmonica ſubalternatur Geometriæ. Scientia machinarum extruendarum ſubditur ſtereometriæ, quæ agit de menſuris ſolidorum corporum: ſcientia demum de his, quæ apperent, hoc eſt, Nautica, vel naualis conſiderãs apparẽtia ſigna ſerenitatis, vel tempeſtatis ſubalternatur Aſtrologiæ aſtrorum ſitus, ac motus ſpectanti.*

10. Ariſtot.

Nota. *Cæterum, vt harum ſcientiarum conditionem, vtcumque percipiamus, varias appellationes, quas eis tribuit Ariſtoteles, conſiderare oportet ſic deferre inferiorem à ſuperiori, quaſi hæc rem à materia abſtrahentem conſideret, abſtrahentem quidem non omnino; quia non poteſt eam extra omnem materiam contemplari, ſed verè in materia exiſtentem, non tamen prout in materia eſt quod aliis verbis dicitur, abſtrahere à materia ſingulari, vel ſenſibili, non tamen ab vniuerſali ratione materiæ, ſeu à materia intelligibili: illa verò eandem rem prout in materia; gratia exempli, Geometria agit de linea, quam non poteſt niſi in materia conſiderare, cum accidens ſit corporeum, non ſpirituale; non tamẽ contemplatur materialem rationem eius, nempè quod ſit lignea vel argentea, aut alio modo ſenſibilis: Perſpectiua verò eandem cõtemplatur lineam ad ſenſibilem materiam contractam, nempè in quantum pertinet ad viſum, eius namq; obiectum eſt viſualis linea. Itaque ſubalternans ſcientia quaſi de forma à materia abſtrahente agit; ſubalternata eandem formam applicat ad materiam, ſenſibilemq; in ſua conſideratione reddit.*

11.

Et quia principia ſcientiarum (vt ſuperius vidimus) accipiuntur ex natura obiecti principia ſubalternantis ſcientiæ vocantur formalia, ſubalternatæ verò ſenſibilia; quia eadem principia ſcientiæ ſubalternantis ad materiam ſenſibilem applicat. 12.

Proptereà etiam ſubalternantes ſcientias vocat Ariſtoteles Mathematicas, ſeu formales; ſubalternatas verò ſenſibiles, quas dicit formis vti, hoc eſt, formalibus principiis à ſubalternantibus acceptis, atque ad ſenſibilem materiam applicatis.

Ex quibus procedit, vt à ſubalternantibus differant ſubalternatæ ſecundum ſubſtantiam, id eſt, ſecundum applicationem ad materiam; nomine enim ſubſtantiæ materiam ſæpe intelligit Ariſtoteles, non ſolum præſenti loco, ſed multis aliis.

Ferè vniuocas demum eſſe docet eiuſmodi ſcientias; quod diuerſis modis à diuerſis interpretibus exponitur; ſed ſi verba Ariſtotelis expendamus, ipſe ſe ſic exponit loquens. Ariſtot.

Ferè autem vniuocæ ſunt nonnullæ iſtarum ſcientiarum, vt Aſtrologia, & quæ Mathematica, & quæ Nautica, & quæ Harmonica, & Mathematica, & quæ ſecundum auditum, &c. *Quaſi dicat, ſub eodem nomine ſæpè vtramque comprehendis, nam vtramque Aſtrologiam appellare conſueuimus, & ſuperiorem, quæ de aſtrorum ſitu, & motu eſt, & inferiorem, quæ ſerenitatis, & tempeſtatis ſigna conſiderat. Harmonica item ſeu Muſica vocatur non ſolum ſubalternata ſed etiam ſubalternans, hæc quidem quaſi Muſica ſpeculatiua: illa verò quaſi practica. Nec tamen in omnibus ita contingit, ſed quædam ſunt non vniuocæ, hoc eſt, non eadem nomine nuncupatæ, ſed diuerſis.* 13.

Hanc expoſitionem vt literæ valdè conſonam attulit D. Tho. quam & amplectitur Doctor Toletus. D. Thom. Toletus.

Nunc igitur in eiuſmodi ſubalternis ſcientiis differre oſtendit ſcire quia & propter quid, *atque adeò demonſtrationes, nam ad inferiorem, ſeu ſenſibilem pertinet ſcire* quia; *ad ſuperiorem, vel Mathematicam ſcire* propter quid, *cuius exemplum ponit in Geometria.* 14.

metria, & Perspectiua: hæc enim demonstrat rem à longe visam minorem apparere, quàm si propè videatur propterea quod sub minori angulo monit potentia; sub maiori vero ad minorem distantiam. sed quare angulus magis distans acutior sit, atque adeò minor, nescit quidem Perspectiuus, ostendit tamen Geometra, ac proptereà ille dicitur scire quia, cum sciat ita esse, quod res à longè sub minori angulo videatur Geometra verò propter quid, eo quod eiusdem conclusionis causam ostendat.

1. Obiect. 15. Si autem aliquis opponat, non posse ita distingui quia:& propter quid in his scientiis, nam qui scit propter quid necesse est etiam scire quia; quemadmodum qui scit causam, necesse est scire effectum. vnde inferre licebit vtrumque pertinere ad eandem scientiam.

Solutio. Respondet non esse id necessarium, sed sæpè contingere, vt quispiam causam cognoscēs ignoret effectum; quia nescit causam applicare ad eius illationem, quemadmodum ait contingere solet, aliquem cognoscere propositionem vniuersalem multis eius singularibus ignoratis, vt omnem mulam esse sterilem, nõ tamen hanc, vel illam quia cum non occurrant cognitioni, non applicat vniuersalem cognitionem ad eiusmodi singularia; cum ergò ita contingat in sciētiis superioribus, quas necesse est ad materiam sensibile applicare, vt per causas cognoscātur sensibiles effectus, fit per se loquendo scire, quia, non ad superiorem, sed ad solam inferiorem spectare. quemadmodum scire propter quid ad solam superiorem spectat.

2. Obiect. 16. Et si rursus ex opposito obiiciatur, ad subalternatam aliquando pertinere propter quid; nam perspectiua Geometriæ subalternatur, & tamē reddit causam eius, quod scitur, in scientia de Iride. hæc enim scit solares radios in nube sic disposita refractos esse causam Iridis, cuius rationem à priori reddit Perspectiuus. ergò non solum scire; quia, munus est subalternatæ scientiæ, sed etiam scire propter quid; quare non separabuntur semper in diuersis scientiis subalternis.

Solutio. Respondet Aristoteles semper separari; nam si aliquando contingit subalternatam tradere propter quid, non in quantum talis id præstat, sed in quantum ad aliam scientiam inferiorem; atque adeò sibi subalternatam comparari, vt in eodem exemplo perspectiua notum est. quemadmodum enim subalternatur Geometriæ, sic etiam habet scientiã de Iride sibi subalternatam: vt inferior igitur solum tradit, quia, propter quid verò, vt superior: addit tamen Aristoteles, Perspectiuum eius, quod scitur in sciētia de Iride, propter quid tradere simpliciter, aut secundum Mathematicam; quia aliquando ex principiis Geometriæ, quæ ad scientiam de Iride spectant, probantur. 17.

Docet tandem etiam in diuersis scientiis, & non subalternis distingui, quia, & propter quid. cum contingat in vna aliqua ex his scientiis euidentem esse aliquam propositionem, cuius causam non reddit ipsa, sed altera; ad illam igitur pertinebit scire, quia ad hãc propter quid, gratia exempli, Medicina, & Geometria diuersæ sunt scientiæ, & non subalternæ, & tamen huius propositionis, vulnera rotunda, seu circularia difficilius curantur. quam ob longa, euidenter nota in Medicina, causam à priori tradit Geometria quia latera circuli, vtpotè magis distantia, difficilius coniunguntur; ad illam igitur spectabit, quia, ad hanc propter quid eiusdem propositionis; ideò in his etiam distingui, quia, & propter quid necessarium est. 18.

CIRCA EXPLICATVM textum notabilia.

NOTABILE I.

De nomine demonstrationis. quia.

Circa demonstrationem quia, adnotandum est, non appellari talem iuxta vocabuli proprietatem; nam, vox, quia, veram causam denotat, à qua similem demonstrationem non procedere certum est; talis ergo dicitur voce, quia, non Nota vnde dicatur demonstratio quia.

nō desumpta pro particula causali: sed prout id tantum significat, quod est rem ita se habe-
19. re, vel talem esse; ac si dicatur demonstrationem ab effectu procedētem id solum inferre, quod talis sit res, videlicet, quod homo sit rationalis, vel quid simile non designata vera causa. vnde licet antiqua translatio Boetii (quam sequimur) demonstrationē ab effectu, vel causa remota procedētem, quia appellet; Argyropilus protinus trāsferēs eam vocauit demonstrationem, quod hoc est, quā licet Aristoteles non definierit; ex differentiis tamen ab eo designatis inter ipsam, ac demonstrationem propter quid, non erit difficile sic eam
Definitio demõstrationis quia. describere. Demonstratio, quia, est euidēs syllogismus procedens ex præmissis necessariis causam remotam, vel effectum per se conclusionis continentibus.

NOTABILE II.

Circa exemplum de stellis non micantibus.

Statuens Aristoteles discrimen inter demonstrationem, quia & propter quid in eadem scientia, quod illa ab effectu, hæc à causa procedat, exemplum protulit de pla-
20. netis, quos idcircò propè nos existere à posteriori probat, quia non micant, vel non scin-
Cur planetæ stellæ errantes dicantur. tillant, quod vt intelligamus melius, obseruādum est secundo, planetas stellas in primis errantes vocari; quia cum propriis motibus ab Occidenti in Oriens moueantur, vti propria corpora, quorum partes sunt à motu primi mobilis, qui est ab Oriente in Occidēs aberrant: dicuntur etiam vaga, vt ab eis distinguantur, quæ firmamento adhærent, ac propterea fixa vocantur: & regulares etiam dici possunt, quia vnico illo, ac regularissimo motu mouentur, cum tamen duplicem, ac diuersum, imò & oppositum habeant planetæ, naturalem quidem ab occidenti in oriens, & præter naturam ab Orienti in Occidens (quem raptus vocant) quia à primo mobili rapiuntur.

Quid sit non scintillare. Sed quid sit eos non micāre, vel non scintillare, explicare oportet, & quidem per positiuum effectum, cuius negatio est scintillare. Scintillare igitur, vel micare non est aliquis motus astrorum sed sola eius apparentia nec enim censendum est motum aliquem trepidationis habere, sed propterea micare, vel scintillare dicuntur: quia cum procul sint a nobis non potest debilis noster visus firmiter ea aspicere; vnde non habens fixum aspectū, 21.
quasi trepidare, vel micare lucidum corpus iudicat, ac propterea talis motus, nec verus est, nec ex parte obiecti se tenet, sed ex imperfectione potentiæ apparet, & ex eius apparentia iudicamus procul à nobis esse stellas fixas, ex negatione verò eiusdem propè esse planetas, quos cum firmiter visus aspiciat nō iudicat similem motum habere, & eiusmodi negatione similitudinem positiui effectus habente vsus est Aristoteles, vt exemplum demonstrationis, quia, ab effectu procedentis afferret.

QVAESTIO I.

An demonstratio, quod est, procedat à causa remota?

Pro parte negatiua ex Aristotele primũ argumentum. MANIFESTA est in hac re sententia Aristotelis, sed quæ statuis ab eodem alio loco, & rationi videtur contraria; ostendo primum ex cap. 2 vbi docuit demonstrationem *propter quid* ex primis procedere, vel certe ex his, quæ per prima fidem habent; quasi dicat ex proximis causis, atq; immediatis, vel ex remotis, quæ ad proximas reduci possunt, quod vt exemplo confirmemus, à causa remota procedit hæc de- 1.
monstratio Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis; proximior namq; causa risibilitatis est admiratio, & post eam capacitas disciplinæ, & nihilominus similes demonstrationes sunt *propter quid*, quamuis à causa remota procedant, quia ad proximā reducibili, ergo quæcumque alia demonstratio causam continens, licet remotam, *propter quid* censenda erit non *quia*.

Secunda ratio probatur. Quod secūdo probari potest, nā causa remota vera causa est, ergo demōstratio ab ea procedens verā causā conclusionis reddit, sed demōstratio reddes causā est *propter quid* vt facile ex eius definitiōe ostēditur, in qua ex causis de- 2.
bere procedere ostēditur nō explicata propria,

vel remota; ergo satis erit ex quacunque procedat, vt *propter quid* censeatur. Postremo, demonstratio *propter quid* differt a demonstratione *quia*, eo quòd illa procedit è priori, à posteriori hæc, sed omnis demonstratio procedens à quacumque causa procedit à priori, ergo est *propter quid*, sicut omnis demonstratio procedens à posteriori est demōstratio *quia*, pugnat igitur cum natura demonstrationis à causa quacunque procedenti esse demonstrationem *quia*.

Quotuplex sit ens, tam proximum, quam remotum. Pro huius dubii solutione diuersas causas proximas, & remotas explicare oportebit, vt de quanam illarum intelligat Aristoteles, dum docet demonstrationem, quod hoc est, procedere à causa remota. *Duplex causa proxima & remota.* Duplex est causa proxima, a qua effectus absque vllo medio procedit, quemadmodum ignis est causa caloris: & remota, quæ non attingit effectum nisi mediante alia, quemadmodum in exemplo eiusdem Aristotelis vites sunt causa saltandi, vel canendi vino mediante: & ex proxima causa

3. certum est nunquam procedere demonstrationem *quia*; sed semper *propter quid*, si ergo ex causa procedit, remota illa erit: sed vtraque causa, tam proxima, quam remota, *Alia causarum diuisio* duplex est, vna adæquata, à qua sola, semperque effectus procedit: vnde fit, vt cum eo conuertatur, vt idem rationale causa remota est risibilis, adæquata tamen; quia neque ab alia procedit, neque ab ea vnquam procedere desinit, ideò ad conuertentiam dicuntur: ignis verò causa caloris est inadæquata, cum non solum ab eo, sed etiam à *Alia.* sole procedat; inadæquata etiam (siue proxima sit illa, vel remota) vna est superior, inferior altera: superior est, à qua procedit

4. effectus, non tamen ab omni ea, sed ab aliqua, vt esse animal est causa superior progressiui motus, qui non conuenit cunctis animalibus, sed quibusdam: inferior est, à qua procedit effectus, non tamen solum ab ea, sed etiam ab alia, vt calor ab igne, & etiam à sole: vnde commune est inadæquatis causis non conuerti cum suis effectibus, & quod de causis dicimus, de effectis secundum proportionem intelligendum est, nam cum sint relatiua, quot modis vnum dicitur, tot etiam aliud.

Quod sit discrimen in Illud autem est discriminis inter tria hæc causarum, & effectuum genera ad demonstrationem comparata; quod in causis, & effectis adæquatis, vtraque demonstratio locum habet *quia*, & *propter quid* & quælibet in aliam conuertibilis est, videlicet *propter quid* in demonstrationem *quia*, & rursus *quia* in demonstrationem *propter quid*. Itaque si à tali causa proxima, vel remota demonstratio procedat *propter quid*, erit cōuertibilis in demonstrationē *quia*: talis autē mutua cōuersio 5.
fit per solā conuersionē maioris extremitatis in medium, vel medii in maiorem extremitatem, vt hoc exemplo ostenditur; omne animal rationale est risibile; omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis. Ecce demonstrationem *propter quid*, quam in demonstrationem *quia*, vertere possumus maiori extremitate sic in medium conuersa. Omne risibile est animal rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est animal rationale; & rursus ex hac eadem demonstratione *quia* fit *propter quid* medio in maiorem extremitatem mutato, vt prima demonstratio ostendit. *(bis causis prima assertio.)*

In causis verò, & effectis inadæquatis atque proximis sola demonstratio *propter quid*, vel sola demōstratio *quia* locum habet: nam si causa sit inferior, demonstratio *propter quid* constituitur, non *quia*; & si sit superior, solum *quia*, non *propter quid*: exemplum prioris esse potest, quidquid est animal, viuit, omnis homo est animal, ergo omnis homo viuit; non enim conuerti potest in demonstrationem *quia*, cum neque effectus cum causa conuertatur; falsum est enim dicere, 6.
quidquid viuit est animal; exemplum posterioris, quidquid mouetur motu progressiuo est animal, omnis homo mouetur motu progressiuo, ergo omnis homo est animal; quam demonstrationem non licebit in *propter quid* vertere; nec enim dicere possumus, quidquid est animal mouetur motu progressiuo. *Secunda assertio cum ratione.*

Causæ verò remotæ, & in adæquatæ, si inferiores sint, hoc est, ex quibus effectus sequitur, quamquam non ex eis solis, nec ex eis proximè, sed etiam ex aliis, si necessariam cum suis effectis connexionem habeant, demonstrationem *propter quid* constituere possunt, atque etiam demonstrationem *quia*, quamquam non per conuersionem vnius in alteram, quemadmodum in causis adæquatis ostensum est, quod in exemplo ab Aristotele allato probare possumus. *Causæ inadæquatæ quā demonstrationem conficiant si sint inferiores.* Vites nāque remota causa lætitiæ sunt, quam *Exemplū.*

me-

7. medio vino ex eis procedente operantur, & cum lætitia sit causa saltandi, ex consequenti eiusdem effectus causa sunt remota, sed inadæquata inferior; quia lætitia, & saltandi exercitiũ ex aliis etiam causis euenire potest: sic igitur demonstrationem *propter quid*, in eadem causa constituere possumus. Vbi sunt vites lætitia est, & aliquando exercitium saltandi, sed in Hispania sunt vites, ergo & lætitia erit, & quandoque saltandi exercitium.

Demõstratio quedã.

Hæc tamen demonstratio nequit in demonstrationem *quia* conuerti: non enim dicimus vbi letitia est: atque saltandi exercitium viget sunt vites. Cum vterq; iste effectus ex aliis possit causis euenire: atque adeò etiam vbi non sunt vites, adesse. Quod vsque adeò verũ est, vt nunquam in his causis demonstratio *quia* constitui possit ab effectu positiuo ad causam, quia cum ea non conuertitur, ac propterea nulla propositio vniuersalis, in qua causa enuncietur de effectu, vera esse potest, sed constat demonstrationem ex vtraque præ-
8. missa vera, & vniuersali aliqua procedere, ergo nequit positiua demonstratio ab effectu in hisce causis constitui, sed bene potest ab effectu per negationem procedere. Vt si dicamus: vbi non est lætitia non est vinum, nec sunt saltatrices, sed ab hac, vel illa prouincia lætitia abest, ergo nec vites, nec vinum erũt. Sed nec demonstratio hęc negatiua in demõstrationem *propter quid* negatiuam verti potest; quia cum inferior sit causa, ab alia potest effectus procedere; vnde ex eius negatione non bene infertur negatio effectus. Si verò causa remota, & inadæquata superior sit, ex qua nimirum effectus sequatur, non quidem ex omni ea, sed ex aliqua, tunc demonstratio *quia* constitui potest procedens ab effectu ad talem causam: affirmatiue quidem, non negatiue, vt in animali, & respiratione osten-
9. dere possumus. Est enim illud causa huius effectus indæquata in primis, & superior, quia ex animali respiratio sequitur, non tamen ex omni, sed ex aliquo, videlicet ex habẽte pulmonem, & ex hoc quidem tanquam ex proxima, & adæquata causa, bene ergo cõstituitur demonstratio, quia, à respiratione, ad animal, affirmatiue quidem, vt si dicamus quidquid respirat est animal, omnis homo respirat, ergo omnis homo est animal. Negatiue autem nullo modo, quia cum inferior sit effectus comparatione causæ, & ab inferiori ad superius negatiue non sit bona conse-

Quid si causæ sint superiores.

cutio, non infertur bene talis causa ex tali effectu per processum negatiuũ, non est enim verum: quidquid non respirat, non esse animal, quare nequit demonstratio ex aliqua vniuersali præmissa, vera procedere per viam negationis, nec proinde demõstratio extrui, quæ ex aliqua præmissa vniuersali, vera, ac necessaria procedere debet.

A tali vero causa remota superiori ad effectum non potest demonstratio affirmatiua procedere: vnde per viam affirmationis nec potest procedere demonstratio *propter quid*, cuius ratio conuincens desumitur ex natura eiusdem causæ, quæ cum sit inadæquata, & superior, non infert secundum se effectum: non enim sequitur est animal, ergo respirat, quare nec demonstratio extrui potest, in qua effectus de ea concludatur. Et si dixeris habere saltem necessariam connexionem cum effectu, non per se solam, sed cum causa proxima coniunctam; vnde quia à priori infertur, omne animal habens pulmonem respirat, omnis homo est animal habens pulmonem, ergo omnis homo respirat. Respondeo verum esse, sed ex hoc non sequi, quod remota causa secundum se inferat effectum, sed ratione proximæ, & adæquatæ, cui coniungitur: ex qua, & cuius virtute necessario infertur, si vero per viam negationis procedatur, bene infertur ex negatione causæ remotæ superioris nega[illegible]ctus, ex præcisa ratione superioris prædicati, ex cuius negatione sequitur negatio inferioris: vt ex negatione animalis negatio hominis, ex quo intelligitur, non tãquam causam inferre effectum, cum eodem modo inferatur ex negatione cuiusque alterius superioris, quod non est causa, vt his exemplis fit manifestum: quidquid respirat est animal, paries non est animal, ergo paries non respirat, & rursus, quidquid est rationale, est animal, paries non est animal, ergo paries non est rationalis. Ecce vbi animal, licet nõ sit causa rationalis, per viam tamen negationis infert negationem eius in lapide, non secus atque animal infert negationem respirationis in eodem lapide, nõ ergo tanquam causa concurrit, sed tanquam superius prædicatum, ex cuius negatione sequitur necessario negatio inferioris: probatur planè consecutio: quia eodem modo id præstaret, licet non esset causa, cum id præstent alia prædicata superiora, quæ causæ nõ sunt.

Causa inadæquata non infert per se effectũ.

Occurritur obiectioni. 10.

Ad negationem causæ superioris negatur effectus.

Probatur exemplis.

Corollaria superioris doctrinæ, quibus controuersia dirimitur.

Primum illatum. EX tota hac causarum doctrina infertur primo, demonstrationem procedentem à quacunque vera causa, vt tali concurrente, siue sit proxima, vel remota, adæquata, vel in adæquata, esse *propter quid*, & non *quia*, corollarium hoc probant efficaciter argumenta in principio posita, quorum vis hoc solo verbo ostenditur, omnis causa vt causa concurrēs est prior effectu, rationemque emanationis eius ostendit, ergo omnis demonstratio procedens à causa, vt tali, procedit à priori, & verè est demonstratio *propter quid*.

10.

Probatur.

Secundum illatum. Secundo sequitur. Remotam causam, inadæquatam, ac superiorem effectu, nō posse constituere demonstrationem *propter quid* quod sic probo. Demonstratio *propter quid* debet procedere à causa, vt causa, alioqui non erit à priori, sed eiusmodi causa per viam affirmationis non necessario infert effectum, vt vidimus, ergo nequit effectus per eam à priori demonstrari; sed nec per viam negationis infertur ex eius negatione, tanquam ex causa negatio effectus, propter duo primum, quia negatio non nisi impropriissima ratione potest esse causa alterius negationis, nam causa, & effectus positiuas rationes important, per quas illa habet influxum in effectum, & ab ea procedit iste: secundum quia negatio huius causæ, vt negatio causæ est, non necessario infert negationem effectus, vt effectus est, sed solum, vt est negatio superioris prædicati, quod aperte probatum est in aliis prædicatis superioribus, in quibus non interuenit ratio causæ, vel causalitas: ex quo intulimus, quod etiam si causa non esset, inferret eodem modo effectum nihil ergo in demonstratione operatur tanquā causa, nec vllo modo à priori infert effectum, quare nec ex ea potest extrui demonstratio *propter quid*. Sed in ordine ad demonstrationem materiali dumtaxat modo vocari potest causa in hoc sensu, quia id, quod causa remota, & inadæquata est per modum negationis, infert negationem effectus, non quidem secundum formalem rationem causæ, sed in quantum superius

Ratio.

12.

13.

est prædicatum, ex cuius negatione quibuscunque terminis sequitur negatio inferioris, & ex consequenti negatio effectus ex eo tanquam ex causa illati.

Tertium illatum. Tertio sequitur. Aristotelem, dum demōstrationem à causa remota non *propter quid*, sed, *quia* esse docuit, nō de cæteris causis proximis, vel remotis adæquatis, vel inadæquatis: loqui, sed de sola remota, superiori, & inadæquata; quod in primis ostendo ex verbis ipsius, quæ ita habent c. præsenti. *Assimilantur autem tales causa his, quæ secundum excessum dicuntur, &c.* hoc est, superioribus prædicatis, nam dici vnum de altero secundum excessum solis prædicatis superioribus conuenit, quæ inferiora propterea excedūt, quod de illis, & aliis enūciantur, vt animal de homine, atque etiam de equo, & leone, ac propterea de singulis secundum excessum; ita exponit D. Thom. lectio. 9 horum commentariorum, non procul a fine. Deinde ratione, nam cæteræ causæ (vt vidimus) etiam per viam affirmationis à priori demonstrant suos effectus, ergo demonstrationibus *propter quid*, non *quia*; quare de illis vera esse nequit doctrina Aristotelis, sed sola causa remota inadæquata, & superior non infert necessario effectum per viam affirmationis, nec per viam negationis negationem eiusdem effectus tanquam causa, sed secundum communem rationem superioris prædicati: quare de hac sola asserere potuit, quod non constituat demonstrationem, *propter quid*; sed solum, *quia*, nam si ita se res habet (vt ostendi) quòd non infert necessario effectum, etiam per viam negationis tanquam causa, sequitur talem demonstrationem non tradere *propter quid* eius, sed solum ostendere, *quod hoc est* (vt verbis eiusdem Aristotelis vtar) quod proprium est demonstrationis, *quia*, quam idcirco Aristoteles vocauit demonstrationem, *quia hoc est*, eo quod non exhibet propter quid conclusionis: sed solum ita esse ostendit, nullam causam eius reddens.

14.

Aristotel.

D. Thom.

Ratio.

Fit satis argumentis oppositis.

Respond. ad Aristot. NEC Aristoteles sibi contrarius est, vt contendit allatum à nobis testimonium, non enim remotam causam quācun-

16. cunque exclusit à demonstratione *Propter quid* constituenda, sed solam inadæquatam, & superiorem, quæ ad demonstrationem comparata, sic à ratione causæ degenerat, vt nec per viam affirmationis, nec negationis effectum necessario inferat, vel negationem eius, sed solum vt superius prædicatum, ex cuius negatione infertur negatio inferioris, atque effectus eius, solum ergo de causa habet materialem rationem, & propterea negatio eius non exhibet *propter quid* inferioris effectus, sed solum *quia hoc est*, iure ergo demonstrationem ab ea procedentem à demonstrationibus *propter quid* depulit Aristoteles, & inter demonstrationes *quia* enumerauit. Argumenta etiam præiacta, probant quidem de cæteris causis, tam proximis, quã remotis, atque etiam in adæquatis demonstrationem *propter quid*, constituere; nequaquam de hac, cum non tanquam causa ad demonstrationem concurrat.

Ad alia argum.

QVAESTIO II.

De quibusnam intelligatur causis Aristotelicum theorema, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis.

Prima ratio dubitandi.

FALSA in primis videtur in litera Aristotelis propositio, de quibuscunq; causis intelligatur, vt ex verbis ipsius colligitur, sic enim loquitur: *Vt propter quid non respirat paries, quoniam non animal; si enim hoc non respirandi causa est, oporteret animal esse*
17. *causam respirandi, vt si negatio causa est ipsius non esse, affirmatio causa est ipsius esse, &c.* Non est enim bona similis consecutio, ne gatio animalis infert negationem respirationis; ergo affirmatio, nempe esse animal, inferre debet positiuum effectum respirandi; nec enim incunctanter sequitur aliquid respirare, eo ipso, quod animal sit, cum multa sint animalia, quæ tali carent operatione: vnde etiam inferre licebit, non esse vniuersaliter verum, quòd si negatio vnius infert negationem alterius, affirmatio eiusdem inferat affirmationem. Quod multis exemplis probari potest; bona est enim consecutio, non mouetur, ergo non currit; mala verò mouetur, ergo currit.

Et si dicatur de adæquatis causis id intelligere Aristotelem, statim probo oppositum; nam negatio animalis (de qua loquitur) non est adæquata causa non respirandi, sed superior; ergo non de solis adæquatis talem protulit propositionem. *Ad solutionem.* 18.

Quod si ita est, falsitas eius secundò ostenditur: negatio animalis est causa negationis progressiui motus: nam si aliquid non sit animal, nec motu progressiuo mouebitur; & tamen affirmatio, non est causa affirmationis; nec enim necessarium est tali motu moueri, si sit animal. *Secunda ratio dub.*

Caietanus cap præsenti, dum in explicationem huius propositionis incurreret, illud esse apprime obseruandum docuit circa sensum illius, nempe aliud esse longè diuersum dicere, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis; & si affirmatio infert affirmationem, negatio quoque negationem inferre debet: primum namque verum esse affirmat, postremum planè falsum, & multorum paralogismorum à positione antecedentis ad positionem consequentis, & à destructione consequentis ad destructionem antecedentis fundamentum: vnde neque hoc secundum ab Aristotele vnquam fuisse prolatum, sed primum dumtaxat quod de causis proprijs intelligendum esse docet. *Prima solutio Caiet.*

Præcedens quæstio diuersa causarum genera, ex quibus demonstratio procedere potest, distinxit: propositio autem Aristotelis, cuius sensum inuestigamus, non potest de vniuersis intelligi, sed solum de adæquatis proximis, vel remotis, vt ex verbis eiusdem plane colligitur, quæ ita habent. *Si ergo negatio est causa ipsius non esse, affirmatio causa est ipsius esse, quemadmodum si hoc quod est incommensurabilia esse calida, & frigida eius, quod est non sanum esse; hoc quod est commensurabilia esse eius, quod est sanum esse, &c.* Causa enim adæquata sanitatis est commensuratio humorum, & infirmitatis eorundem disproportio; & de his solum *Prima conclusio.* 20. *Aristotel.* *Albertus Magnus.*

Paulus Venetus. Sotus. P. Toletus Caietanus. solum intelligi docent Albertus Magnus. 1. poste. tract. 1. cap. 6 Paulus Venetus in expositionibus huius capitis, ibidem Magister Sotus, D. Toletus, & Caiet. vbi supra, quos ceteri sequuntur expositores.

Probatur ratione. Et probatur euidenti ratione; nam si inadæquata sit causa superior, vel inferior, cum effectu non reciprocatur, ergo non erit necessaria consecutio ab vno ad alterum affirmatiue, & negatiue; ignis enim causa caloris est, sed inadæquata; quia potest à sole etiam procedere, ideò non bene infertur, si esse ignem est causa, vt sit calor, nō esse ignem causam esse, vt calor non sit; potest namque esse calor etiam non existente igne: pariterq; de cæteris causis inadæquatis censendum est.

21.

Secūda conclus. contra Caietan. Dicimus secundò aduersus Caietanum, de eisdem causis, & in eodem sensu verum esse, si affirmatio infert affirmationem, negationem quoque negationem inferre.

Probatur. Etenim cum causa adæquata conuertatur cum proprio effectu, mutuo se se ponunt, & auferunt; sequitur quidem euidenter, si rationale est, esse risibile, & si non est rationale, risibile quoque non esse, è conuerso etiam

22. sequitur, si risibile est, rationale esse, & si non est risibile, nec esse rationale: nec veritas hęc paralogismorum fundamentum esse potest, (quod Caiet. timuit) nisi promiscuè in quibuscumque causis, vel terminis accipiatur. quemadmodum enim propositio Aristotelis, si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis, non est vera, si de causis quibuslibet accipiatur vera semper est, & necessaria si de solis adæquatis: pari ratione secunda de mutua illatione in eodē sensu, & cū eadē limitatione, vera absq; dubio erit.

Nota. Sed vtrumque sic oportet accipere (vt bene adnotauit Paulus Venetus vbi supra) vt seruetur idem genus contradictoriæ oppositionis: nam si contradictio mutetur in

23. contrarietatem, minus bona erit consecutio; sequitur enim, si esse albedinem est causa disgregandi visum, non esse eiusdem esse causam non disgregandi; non tamen quod causa congregandi sit.

Ad 1. arg. Ad primum argumentum dicimus, non de aliis, quam de adæquatis causis acceptam esse ab Aristotele, etiam in eodem exemplo animalis, & respirationis: nam etsi animal non sit adæquata causa talis effectus, & propterea positio eius nō inferat respirationem; sed si verum esset negationem animalis esse veram causam negationis eiusdem effectus, pariter verum esse affirmationem esse causam affirmationis; & vere animal esset adæquata causa respirationis; sed quoad modum de vera causa negatiua, consecutio non est bona; quia negatio animalis nō est vera causa non respirandi; pari ratione affirmatiua vitiosa erit: & hinc deducitur Aristotelem in solis adæquatis causis fuisse locutum; exemplum autem de animali, & respiratione non absolute, sed conditionaliter acceptum, vel ex suppositione, quod negatio esset vera causa negationis.

Ex quibus etiam soluitur secundum argumentum de inadæquata procedens; animal namque non est adæquata causa progressionis, cum non pauca sint animalia, tali motu carentia; & vt regulam vniuersalem arguendi à positione antecedentis ad positionem consequentis, & à destructione consequentis ad destructionem antecedētis prescribamus, dicimus in terminis conuertibilibus, quales sunt causa adæquata, & eius effectus, vtrumque arguendi modum legitimum esse; in superioribus verò, atque inferioribus, vel certe in causis, & effectis inadæquatis non bene infertur, si positio antecedentis infert positionem consequentis, consequentis destructionem antecedentis eiusdem destructionem inferre, neque vnquam licebit tali modo arguendi vti. *Ad 2. arg.*

QVAESTIO III.

Sit ne sufficiens diuisio demonstrationis in propter quid, & quod hoc est?

Prima sententia Auerrois. Tria genera demōstrationum. COmmentator Auerroes in prologo Physicorum, & lib. 2. comment 22. tria genera demōstrationum posuit, videlicet, quia, & propter quid, & demōstrationem (quam vocat) simpliciter: quæ sit autem eiusmodi demonstratio simpliciter, ex alio loco eiusdem commentatoris lib 2. de cœlo, comment. 35 exponit Caiet. c. præsenti hoc idem dubium agitans: dupliceṁ ait esse demonstrationem à causa procedētem, vnam, qua demonstramus solam causam rei præsupposita euidenti notitia, quod talis sit; gratia exempli, per experientiam nouimus *Caiet. expositio.* 24.

lunam,

lunam eclipsari, & hæc notitia præsupposita causam per demonstrationem ostendimus, videlicet interpositionem terræ inter solem, & lunam; itaque eiusmodi demonstratio non conuincit rem ita esse, vel subiecto inesse cum notum iam sit, sed propter quid sit, vel insit: & hæc demonstratio vocatur propter quid, ex vnico fine, cuius gratia affertur, qua (inquit) Philosophia vtitur semper, tanquam notius præsupponens rem esse, vel inesse subiecto ex demonstratione, quia, ab effectu per experientiam noto procedente. Alia est demonstratio à priori ostendens vtrunque, nempe rem esse, vel subiecto inesse & 26. propter quid sit, vel insit; vt quamuis audierim triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nescio tamen ita esse, quia similis effectus, vel proprietas non cognoscitur esse, vel triangulo inesse per experientiam: dum ergo illud à priori demonstro, vtramque cognitionem per demonstrationem comparo, videlicet, talem proprietatem inesse, & propter quid insit; & hæc est perfectissima demonstratio à priori, qua vtuntur Mathematici à sensibilibus abstrahentes, & quam merito vocamus demonstrationem simpliciter.

Approbatio Caieta.

Nec ergo superfluus fuit Commentator, tria genera demonstrationum enumerans (ait Caiet.) neque Aristoteles duo tantum, sed quod iste implicite docuit, explicatius il- 27. le tradidit, sub vno namque membro demōstrationis, propter quid, vtramque à causa procedentem comprehendit Arist. quas maioris distinctionis gratia Commentator separauit.

Secūda sententia.

Sed adhuc præter hæc tria demonstrationum genera videntur esse alia, nempe demōstrationem à signo, cum per signum nobis euidenter notum ostendimus rem ita se habere, vt lunam eclipsari, quia videmus lumē amittere; demonstrationem item ad impossibile, de qua paulò inferius loquitur Aristo- 28. teles, vt dum sic demonstramus, ignem esse attractiuum, si ignis non esset attractiuus nō esset calidus: consequens est falsum, ergo & antecedens: demonstrationem demum, quæ fit inter prædicata quidditatiua superiora, & inferiora, vt si dicamus omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia: his igitur insufficientiæ arguitur bimembris diuisio demonstrationis ab Aristotele tradita.

Tertia sententia authoris.

Eam nihilominus sufficientem esse arbitramur (vt bene Doctor Toletus in expositionibus huius cap. circa tex. 9.) ita vt nec addenda sit demonstratio simpliciter, vt voluerunt Auerroes. & Caiet. nec pro cæteris demonstrationibus alia membra sint multiplicanda; sed demonstrationem, propter quid, sufficere pro cunctis à causa adæquata procedentibus; & demonstrationem, quia, pro his quæ procedunt à signo, ab effectu vel à causa remota, seu inadæquata.

Impugnantur aliæ sententiæ.

Prima sententia refutatur.

ET vt probare incipiamus id à demonstratione simpliciter, quam primi addiderunt, falsum est fundamentū Caiet. ex quo eas conatur distinguere, videlicet demōstrationē propter quid, non tradere euidentē notitiam eius, quod est rem esse, vel subiecto inesse, sed solū propter quid; etenim licet ta- 29. lis notitia per experientiam, vel ab effectu comparata aliquādo præsupponatur; nihilominus demonstratio propter quid eandem sub nouo modo tradit; vt dum experientia nouimus lunam eclipsari, & rursus per interpositionem terræ idem ostendimus, non solum cognitionem causæ de nouo acquirimus; sed eius quod est rem ita se habere; & quidem longè perfectiorem experimentali, quò perfectius est id à priori, quàm à posteriori cognoscere.

Prima ratio.

Probatur euidenter; nam si talis demonstratio, propter quid, si talem notitiam experimentalem non præsupponeret, vel ei traderetur, qui eclipsim lunæ nondum per experientiam cognouit; certissimum est vtrāq; notitiam generare, & eius quod est rem ita se habere, & propter quid ita se habeat (vt 30. Caiet. ipse fatetur in Mathematicis, vbi non præsupponitur experimentalis notitia conclusionis) vtramque igitur notitiam absque dubio tradit semper demonstratio propter quid, quam experimentalis, vel ab effectu præsupposita non impedit; sed duplex habetur diuersa formaliter per diuersam viam, & medium, vt non minus efficaciter probat secunda ratio.

Secunda ratio.

Si quispiam per demonstrationem propter quid compararet notitiam euidentem huius conclusionis, homo est admiratiuus, priusquā experiētia fiat ei manifesta; certum est vtrumq; cognoscere, videlicet talem pro-

prietatem inesse homini, & propter quid ei insit, nempè quia disciplinæ capax est, & si rursus experimentalem eiusdem notitiam assequatur, necesse erit in casu fateri duplicē notitiam secundum rationem habere distinctam, eius quod est rem ita esse, vel inesse sub-
31. iecto in quantum per diuersam viam, & medium eam comparauit, pari ergo ratione censendum erit, quando experimentalis præsupponitur, nam cum diuersæ sint secundum rationem, vna alterā nō impedit: vnde sequitur quamlibet demonstrationem, propter quid, esse demonstrationem simpliciter, atque etiam è conuerso; ac propterea nunquam eas separauit Aristoteles, nec separandæ sunt, cū penitus coincidant.

In secundā sententiā. Cæteræ autem demonstrationes sufficienter comprehenduntur sub eisdem membris, *quia, & propter quid*; nam demonstratio à signo eadem prorsus est cum demonstratione ab effectu; cum signum, vel effectus sit eiusdem rei, de qua aliquid demonstramus, vel ratio posterior effectus locum tenens.

Circa demonstrationem ad impossibile sententia Soti vera. Circa demonstrationem verò ad impossibile Magister Sotus q. vnica huius cap. quæ est 5 in ordine, docet reduci ad alterum membrum diuisionis; nam vel à causa virtualiter procedit, & tunc refertur ad demonstrationem propter quid, vel ab effectu, & reducitur ad demonstrationem, quia.

32. *Male refutatur ab Onna.* Cuius tamen sententiam refutare videtur M. Onna. q. 1. cap. 11 art. 3. non longe à principio, ea quidem ratione; quia semper talis modus demonstrandi pro antecedenti accipit aliquod absurdum, quod si quæreretur, si propositio, quam probare intendimus, non admittatur tanquam necessaria; vnde fit ab effectu procedere semper; & propterea ad solam demonstrationem, quod hoc est, referendam esse.

Improbata ratio [illegible] Friuola tamen est hæc ratio, ideo nihil probat aduersus Sotum, cuius sententia vera est, & sequenda: negari enim non potest talem demonstrationem causam aliquando
33 continere, ex eaque effectum probare, vt docet hæc demonstratio, si homo non esset capax disciplinæ, non esset rationalis, sed consequens est falsum, ergo antecedens; cuius talis est sensus, si homo non esset capax disciplinæ, non esset rationalis; sed verum est esse rationalem, ergo & esse disciplinæ capacem; ergo aliquando referenda est ad demonstrationem propter quid; quod si aliquando nec effectum, neque causam virtualiter contineat; vt contingit, quando solum inferuntur duæ contradictoriæ simul veræ, vel quid simile: tunc certè ad demon- 34.
strationem, quia, ex modo procedendi reducitur; quia illarum inconueniens modum effectus habet; cum causam rei non exhibeat, sed solum ostendat rem ita esse, quod proprium est demonstrationis, quia: sæpe tamen simile absurdum non infertur, sed falsitas antecedentis, ex falsitate consequentis; si ergo hoc causam contineat, effectum vero illud, non potest ad demonstrationem propter quid, non reduci.

Quæ autem inter prædicata superiora, & inferiora quidditatiua fit ad demonstrationem, quia, ex causa inadæquata procedentem reducitur; quia cum non tradat veram causam, non potest esse propter quid & cum superiora prædicata respectu inferiorum inadæquatam rationem, & remotam contineant, merito demonstrationem, quia, vel ei saltem valde similem constituere censentur (vt bene D. Toletus vbi supra) ex quibus satis liquet, bimembrem diuisionem ab Aristotele traditam sufficientem esse. *De tertia demonstratione inter quidditatiua prædicata.*

QVAESTIO IIII.

An demonstratio sit genus ad demonstrationem, propter quid, & quod hoc est, comparata, vel quid analogum?

APPROBATA diuisione demonstrationis tanquam sufficienti, merito instituitur controuersia secunda, de qualitate diuisionis, an videlicet tanquam *Expositio tituli.*
genus quoddam in duas sit species diuisum, 35.
vel certe, vt analogum in diuersa membra analogata.

De solo autem nomine quæstionem non esse, vt voluit M. Sotus q. 1. huius cap. quem nonnulli ex modernis sequuntur, sed de re, & quidem non facilem, eiusdem quæstionis discursus docebit. *Sotus*

Prima

Prima sententia, eiusque argumenta referuntur.

Prima sententia. PRO ea parte, quæ tenet solam demonstrationem, propter quid, talem esse simpliciter, demonstrationem verò, quod hoc est, non nisi secundum quid, ideoque analogam esse diuisionem, referuntur
Onna. multi à M. Onna, ex antiquioribus interpretibus, Niphus, Philoponus, Themistius, & Alexander, sed confuse admodum, & absque locorum designatione; vnde statim eosdem
36. ferme pro opposita parte, quod tanquam genus diuisum sit in diuersas species retulit, quos ego consulens, vnum dumtaxat, vel alterum inuenio sic loquentem, videlicet
Themistius. Themistium in sua paraphrasi super. 1. lib. poster. cap. 7. vbi ita ait: *Quod si ex prioribus secundum nos demonstratio aliqua nectitur, vt demonstratio appellari possit; non tamen simpliciter, sed secundum nos demonstratio fuerit, &c.*
Paulus Venetus. Et Paulus Venetus in commentariis huius capitis: *Sicut demonstratio, quia, est demonstratio secundum quid, & non demonstratio simpliciter, ita facit scire secundum quid, & non simpliciter &c.*

Ab authoritate Aristot. probatur. Et videntur id ex sententia Philosophi tenere: nam cap. 2. huius libri talem definitionem demonstrationis designauit, quæ soli demonstrationi, propter quid, accommodari potest iuxta cōmunē expositorū consensum; at si demonstratio in communi vniuoca esset, & genus ad vtramque comparata, in genere
37. absque dubio eam explicaret, vt sic vnica definitione vtriusque naturam aperiret; sentit ergo analogum quidpiam esse, cuius principale analogatum definire voluit, ex quo non esse difficile minus principale cognoscere: vnde distinguens ibidem priora, & notiora, ex quibus demonstratio vtraque procedit; docuit, priora secundum naturam cuiusmodi sunt causæ, ex quibus demonstratio propter quid procedit, esse priora simpliciter: priora vero, & notiora quo ad nos: cuiusmodi sunt sensui propinqua, seu effectus ex quibus est demonstratio, quia, hoc est, priora & notiora esse tantum quo ad nos: & ex hoc discrimine euidenter infertur sensisse, ita se habere demonstrationes ipsas, vt propter quid sit talis simpliciter; *quia* vero secundum quid, ideo non genus, sed analogam esse communem demonstrationem.

Sed rationibus confirmari potest: nam res non scitur simpliciter ignorata eius natura, & essentia, sed habita demonstratione, *1. Argum.*
quia ignoramus adhuc naturam, & essentiam rei; ergo non facit scire simpliciter: nec 38.
proinde simpliciter appellanda est demonstratio: probatur minor, quia demonstratio quia, solum ostendit rem esse, non quid, vel qualis sit, & idcirco vocatur demonstratio quia hoc est.

Et confirmari potest, quia de primis principiis non datur scientia, sed ex sola terminorum expositione cognoscuntur; sed per demonstrationem, quia, probantur prima principia, vt dum hominem esse rationalem ex admiratione, aut risibilitate à posteriori ostendimus; ergo non generat scientiam, sed aliquam notitiam probabilem valde à scientia degenerantem. *Confirm.*

Secundo; demonstratio, quia, innititur experientiæ, cui facile potest subesse falsum, cum per notitiam sensuum (qui falluntur sæpe) comparanda sit, innititur etiam inductioni, quæ non est argumentum necessariū, sed probabile, quod ideo decipere potest: ergo non procedit ex principiis simpliciter necessariis; nec proinde argumentum necessarium ex parte præmissarum esse potest, quod vtique ad rationem demonstrationis simpliciter necessarium est. *2. Argum.* 39.

Postremo; demonstratio, quia, & propter quid ita se habent, quod vna in aliam conuerti potest, quando ex causis, atque effectis adæquatis procedunt (vt cap. præsenti, non solum docet Aristot. sed exemplis confirmat) sed vna species non potest in alteram conuerti, ergo non distinguuntur specie eiusmodi demonstrationes. *Vlt. arg.*

Nec satis facit communis solutio distinguens materialem, & formalem conuersionem, affirmansque materialem esse possibilem inter species diuersas, & talem esse, quæ inter has demonstrationes contingit: vnde ea solum ratione, qua vnus numerus fit ex altero, vna demonstratio ex altera fieri potest: quæ tamen conuersio formaliter est impossibilis. *Solutio communis.* 40.

Hæc (inquam) solutio non satisfacit argumento: nam conuersio vnius in alteram contingit ex parte principiorum per conuersionē, videlicet, maioris extremitatis in mediū (vt textū elucidantes ostendimus, sed principia pertinēt ad rationē formalem demōstra- *Info. solutionem communem.*

tionis, cum sint formalis ratio assentiendi conclusioni; ergò formalis est conuersio vnius in alteram, atque adeò impossibilis inter species diuersas.

Secunda, & verior sententia proponitur.

Secunda et vera sententia. OPPOSITA sententia tenet se habere quasi species eiusdem generis; pro qua moderni referunt D. Thom. in commentariis huius cap. sed nec verbum apud eum inuenies in fauorem vnius, vel alterius sententiæ: nam controuersia hæc, & sequentes solum à modernis interpretibus excitantur: *Ammonius.* Ammonius tamen in expositionibus. 1. lib. de anima. tex. 21. & 34 hanc *Flandria.* partem tenere videtur, & cum eo Flandria *Sotus.* ibidem. q. 29 art 3. sed expressius M. Sotus vbi. *Toletus.* supra P. Toletus in commentariis huius cap. *Oña.* M. Onna 1 post. cap. 31 q. 1 art. 1. & cum his omnes fere, qui Aristotelem viua voce interpretantur, cui vt probabiliori subscribimus, eam in primis ex doctrina Aristo. capite præsenti colligentes.

Ab authoritate Aristot. probatur. Nam si verum est has demonstrationes in eadem, atque diuersis scientiis differre, & quidem ex parte principiorum: quia principia vnius continet causam conclusionis, alterius verò non nisi effectum, vel causam remotam, atque inadæquatam; sequitur pla-
42. ne sentire Aristotelem talem differentiam esse specificam, cum principia sint rationes formales assentiendi conclusioni, & ex quibus debito modo ordinatis demonstratio constituitur.

Prima ratio. Et ratione probatur, definitio essentialis demonstrationis propter quid, in 2. c. tradita videlicet, quod ex primis, veris causisq; conclusionis procedat, non potest accommodari demonstrationi, quod hoc est, ergo alia erit diuersa definitione explicanda, diuersa principia, ex quibus procedit, continente (vt in adnotationibus huius capitis indicabimus) sed quæ diuersas habent definitiones distinguuntur specie; ergo sic se habebunt eiusmodi demonstrationes.

Secunda ratio. Secundo; demonstratio, quod hoc est generat assensum certū, atque euidenter simpliciter; estque syllogismus euidens a probabili & sophistico specie diuersus, ergo constituit
43. speciem syllogismi demonstratiui, cum non sit altera species sub genere syllogismi præter has tres; erit ergo demonstratio simpliciter quanquam longe imperfectior, quam demonstratio, propter quid: eiusmodi autem maior, vel minor perfectio essentialis ex parte differentiarum se tenet, ideo non tollit specificam distinctionem, cum notum sit, & ex doctrina Aristot. acceptum, species esse numeris similes, qui ex additione vnitatis variantur, & pariter species cuiuslibet generis ex additione perfectioris differentiæ.

Probatur tandem, quia principia demonstrationis propter quid, innituntur lumini naturali, cum ad habitum principiorum spectent: principia verò demonstrationis quia, innituntur experientiæ, continent igitur veritatem specie distinctam, non secus ac principia, & conclusiones ad diuersos habitus pertinentes. *Tertia ratio.*

Satis fit oppositis argumentis.

ARgumenta autem opposita parum probant, solam namque demonstrationem, propter quid, tanquam speciem huius generis præcipuam definire voluit Aristot. cap. 2. cuius etiam principia ac partes hucusque explicuit, quia hæc sola est potissimum instrumentum sciendi: demonstratio autem, quod hoc est minus principale. Quod non probat communem demonstrationem esse analogam, sed genus in species diuersæ perfectionis diuisum: priora autem ex natura rei, ex quibus demōstratio propter quid procedit, talia dicuntur simpliciter hoc est perfecte, priora verò quo ad nos imperfecte, & in hoc sensu non simpliciter, sed secundum quid, nihilominus speciem quandam prioritatis, licet imperfectam, continent, & quidem sufficientem, vt demonstratio, quia, species sit imperfecta sui generis; cum ad communem ac genericam rationem demonstrationis satis sit ex prioribus, & notioribus quomodocunque procedere, ex hoc enim scire facit simpliciter. *Ad testim. Ad Aristotel.* 44.

Ad primam rationem dicimus essentiam rei non esse cognoscibilem per demonstrationem, propter quid, sed per se cognosci per habitum principiorum, quæ ab ea accipiuntur: vt hominem esse animal rationale expositis terminis per habitum principiorum cognoscimus: per demonstrationem autem, quod hoc est cognoscimus à posteriori essentiam ex aliqua eius proprietate, vt rationali- *Ad primum argument.* 45.

tionalitatem ex admiratione, vel risibilitate: & per demonstrationem, propter quid, aliquam proprietatem ex eiusdem rei essentia, tanquam ex causa; sed vtrunque est scire simpliciter, licet hoc perfectius. Quod autem dicitur principia non posse per sciẽtiam cognosci, distinctionem petit, nam per scientiam perfectam, vel à priori, verum est; negandum tamen de imperfecta, qualis habetur per demonstrationem, quia.

Ad secundum argu. Secũda ratio soluitur hac distinctione: experientia duplex est (vt colligitur ex doctrina Aristot. 1. lib. post. cap. vlt.) singularis vna, quæ habetur per notitiam alicuius sen-
46. sus; vniuersalis altera, quam ex multis experientiis colligimus, cui innituntur principia demonstrationis, quia: eiusmodi autem ad intellectum pertinet; certa, atque euidens notitia est rei necessariæ, & vniuersalis, cui non potest subesse falsum, licet alicui notitiæ sensitiuæ, (quam vocamus singularem experientiam) possit aliquando falsum subesse: & licet vniuersale experimentum per inductionem habeatur: inductio tamen circa materiam necessariam nec fallit, nec fallere potest; quanquam ex propria conditione à materia necessaria, & contingenti abstrahens non sit argumentum necessarium.

Ad vltim. argum. Postremum argumentum sufficienter soluit communis solutio, si probe intelligatur: admittimus namque ex parte principiorum contingere reciprocam conuersionem vnius demonstrationis in alteram; sed adhuc esse
47. materialem; quia principia vtriusque demõstrationis duobus modis cõsiderari possunt, vno in quantum ex eisdem terminis conuertibilibus constant; alio in quantum sic disposita, vt medium sit causa, vel effectus; & prima consideratio absque dubio est materialis, secunda formalis; cum medium esse causam, vel effectum, diuersam rationem essentiendi formalem operetur: quod verò termini conuertibiles sint, & non diuersi, non excedit rationem propositionum materialem:
48. vnde cum ex hac parte conuersio vnius in alteram contingat, merito censetur materialis: res fit manifesta in numeris: nam tres vnitates materia ternarij sunt, sed tres itarum, ita vt tertia sit vltima, primam, & secundam præsupponens, formaliter eum constituunt: & cum tribus primo modo consideratis possit addi quarta, quæ sit vltima, ternarius materialiter in quaternarium conuertitur: at tribus sic se habentibus, vt tertia sit vltima, non potest quidquam addi, cum eo ipso, quod alia additur, sic se habere desinant: & hoc est, ex ternario formaliter considerato non posse quaternarium fieri: modo simili principia vnius demonstrationis materialiter accipiuntur, in quantum ex his terminis conuertibilibus componuntur: formaliter in quantum sic dispositis, vt causa, vel effectus sit medium: & sub priori consideratione locum habet conuersio, quia vtroque modo disponi possunt; minimè sub posteriori, cum notum sit vnam dispositionem, cum altera pugnare, & ideò cum ea permanere non posse.

Resolutio quaestionis. Est itaque resolutio huius quæstionis demonstrationem, quia, & propter quid, non solum circa diuersas conclusiones, vt obiecta specie distingui, sed etiam circa idem obiectum, eandemque conclusionem.

An sint atoma, vel subalternæ species hæ demonstrationes. Et si quispiam dubitet, an quælibet harum demonstrationum sit species atoma? dicendum est circa idem obiectum, vel in eadem scientia, quamlibet esse atomam speciem: siquidem omnes demonstrationes, propter quid, eiusdem scientiæ innituntur eisdem principiis, à quibus species demonstrationis desumitur; & modo simili omnes demonstrationes, quia: si verò accipiantur 49.
circa obiecta diuersa, vel in diuersis scientiis, specie absque dubio distinguuntur demonstrationes, propter quid, vnius scientiæ à demonstrationibus, propter quid, alterius; & suo etiam modo demonstrationes, quia: estque aperta ratio diuersitas principiorum vtriusque scientiæ; vnde fit, vt sub hac consideratione quælibet sit species subalterna.

QVAESTIO V.

Sint ne assensus demonstrationis, quia, & propter quid, specie distincti circa eandem conclusionem.

Explicatio tituli. ASSENSVS conclusionis actus quidã intellectus est, quo iudicat veram esse propter præmissas, quæ si adæquatam eius causam contineant, assensus erit propter quid; si inadæquatam, vel effectum, erit quia: id igitur petit titulus quæstionis, 50.

 an iu-

an iudicium, vel assensus, quem habemus per demonstrationem propter quid, specie distinguatur ab eo, qui habetur per demonstrationem, quia; & quidem circa eandem conclusionem materialem, vel obiectum: nam circa diuersam exploratum est esse diuersos secundum speciem. Itaque hoc est, quod petitur, an assensus huius conclusionis, homo est admiratiuus, per propriam causam rationalitatis habitus, specie distinguatur ab assensu eiusdem genito ex effectu risibilitatis? non secus ac de demonstrationibus superiori controuersia definitum est.

Prima sententia Sot. Magister Sotus eadem. q. 1. huius capitis; etiam si inter demonstrationes specificam admittat differentiam, assensus tamen eiusdem speciei esse docet, & solum differre penes maiorem, vel minorem claritatem: nã

51. assensus (inquit) quem experientia gignit, clarior est genito per demonstrationem propter quid.

1. Argum. Probat primo quia principia demonstrationis specie distinguuntur à conclusione; ergo sunt causa eius æquiuoca: non secus ac sol causa est æquiuoca caloris; sed idem effectus potest à causis æquiuocis specie diuersis procedere, vt constat de caloribus eiusdem speciei à sole, & igne procedentibus, ergo pari ratione ab his demonstrationibus, quantumlibet specie diuersis, procedere poterunt assẽsus eiusdem speciei: vnde non erit necessarium eos specie distinguere.

2. Argum. Probat secundo, nam assensus, quem habemus de eclipsi lunæ ipsam aspicientes, non videtur specie differre ab eodem per propriam causam interpositionis terræ habito: ea-

52. dẽ igitur erit ratio de quibusuis aliis: antecedens probatur: nam vterque assensus euidens est: si ergo differunt specie, sequitur in eodẽ intellectu simul esse posse duos assensus euidentes, speciéque diuersos eiusdem conclusionis, quod valde absurdum est, ac superfluũ, cum vnus sufficiat.

Confirm. Et confirmari potest hæc sententia; quia distinctio assensus specifica, quemadmodũ cæterorum actuum intellectus ab obiecto sumenda est; ergò circa idem obiectum repugnat differre specie assensus, non minus, quam circa idem coloratum, aut visibile duos actus videndi.

Vera sententia proponitur, & satisfit opposita.

OPPOSITAM nihilominus sententiam, quod eiusmodi assensus diuersæ sint speciei, supposita demonstrationum, à quibus gignuntur specifica distinctione, efficaciter elicio ex doctrina D. Th. 1. 2. q. 3. art. 4. vbi virtutes infusas ab adquisitis etiam circa eadem obiecta specie distingui docet; quia ex propria conditione à diuersis causis prodeunt, infusæ quidem à Deo Optim. supernaturaliter infundente, adquisitæ à naturali lumine humanæ rationis: *Secũda sententia opposita vera.* *Ab authoritate D. Thom. probatur.*

53. vnde diuersum modum operandi habent, nã illæ iuxta præscriptum Diuinæ regulæ operantur, istæ verò iuxta præscriptum rationis humanæ. vt de temperantia infusa, & adquisita manifestum est; sed eodem modo se habent assensus demõstrationis, quia, & propter quid, circa idem obiectum, vtpote à diuersis causis geniti, diuersas namque secundum speciẽ esse demonstrationes, à quibus gignũtur, probatum à nobis est, & à M. Soto admissum.

Probatur deinde ratione: nam assensus intellectus etiam circa idem materiale obiectũ distinguuntur specie per diuersam rationem obiectiuam assentiendi: probatur euidenter in assensu scientifico, & opinatiuo huius conclusionis, homo est risibilis, specie plane diuersis; atque etiam in assensu huius conclusionis, terra est rotunda, per medium, Physicũ & Mathematicum adquisito. *1. Ratio.* 54.

Cuius rationis illud est pulchrum fundamentum: quia ratio assentiendi est quasi formale obiectum assensus, non secus ac ratio videndi obiectiua, est formale obiectum visionis; sed rationes formales assentiendi horum assensuum, nempe demonstrationes, & earum principia distinguũtur specie, ergo etiam ipsi. *Confirmat.*

Secundò, claritas, & euidentia horum assensuum diuersissima est: nam assensus demonstrationis propter quid, habet claritatem ex habitu principiorum, qui altioris longè ordinis est ab euidentia experimentali, à qua deriuatur assensus demonstrationis, quia, cuius principia non sunt ex terminis nota, sed soli experientiæ innituntur. *2. Ratio.* 55.

Tandem assensus isti non minus diuersas definitiones sortiuntur, quam demonstrationes *Vltim. ratio.*

ones, ex quibus generantur; nam vnus est ex propria, atque intima causa rei habitus, alius verò non nisi ab effectu per experientiam noto, qui est quasi extrinseca causa; ergo non minus quam demonstrationes essentialiter separandi sunt.

Ad fund. & 1. argu. Soti. Nec fundamentum M. Soti, solidum esse potest, cum valde diuersa sit ratio de calore respectu solis, & ignis, ac de hisce assensibus; calor enim non procedit ex aliqua ex his causis adæquata, sed indifferenter ab vna, vel altera: cum tamen quisque horum assensuū à sua demonstratione, tanquam à causa ad-
56. æquata dependeat, nec enim ab vna, vel altera produci potest, sed assensus propter quid, à tali demonstratione, & nullo penitus modo à demonstratione, quia, pariter etiam assensus demonstrationis, quia; ab eadem sola producitur: est autem vniuersalis regula, ac certissima, non posse eundem effectum à multis adæquatis causis secundum speciem diuersis prodire, cum causa quælibet cum suo effectu adæquato ad conuertentiam dicatur, vtpote ab omni, & sola procedens: vnde non bene intulit M. Sotus in 1. argument. ex eo quod demonstratio est causa æquiuoca conclusionis, assensus eiusdem speciei posse ex demonstrationibus secundum speciem diuersis generari; nam, & si æquiuoca sit causa demonstratio, adæquata tamen, ac propterea cum ratione pugnat demonstrationes
Ad 2. arg. diuersas non generare assensus diuersos.

Eius etiam argumentum secundum satis
57. friuolum est, cum nihil penitus repugnet duos assensus euidentes circa eandem conclusionem materialem simul esse posse in eodem intellectu si ita diuersi sint, vt nullam oppositionem habeant, vt probat euidenter exemplum nuper à nobis productum illius conclusionis, terra est rotunda, cuius assensum habere vnus, & idem intellectus simul potest, per diuersa media, Physicum, & Mathematicum; in quo casu non poterit negare Sotus assensum duplicem secundum speciem distinctum simul reperiri, nec enim opponuntur, quia ambo sunt euidentes, nec rursus, quia à causa, & effectu procedunt: vnde fit diuersos quidem esse, minime oppositos: sola autem diuersitas nunquam intulit incompossibilitatem.

Ad confir. Sed nec confirmatio à nobis addita intentum Soti probat, duplex siquidem obiectum à cunctis distinguitur, materiale, & formale: materiale in assensibus est propositio ipsa, cui intellectus assentitur iudicans esse veram: 58.
formale vero ratio propter quam ei assentitur; qua distinctione supposita dicimus, non ab obiecto materiali sumendā esse specificā distinctionem horum assensuum, sed à formali, quod est ratio assentiendi, quæ cum diuersa sit secundum speciem (vt iam ostendimus) eorundem etiam assensuum specificam differentiam conuincit.

QVAESTIO VI.

An eiusmodi assensus generent habitus scientiæ specie distinctos.

TALIS est ordo inter hæc tria, videlicet demonstrationem, assensum scientificum, & habitum scientiæ: vt per demonstrationem producatur assensus, & iste inducat habitum scientificum eiusdem conclusionis, vel obiecti: quærimus igitur, an quemadmodum demonstratio, quia, & propter quid, circa idem obiectum, nempe hominem, generant assensum scientificum specie diuersum: pari ratione generentur ex ipsis demonstrationibus, atque assensibus habitus scientiæ diuersi, fiatque, vt is, qui prius cognouit hominem esse rationalem ex effectibus risibilitatis, & admirationis: post vero cognoscit esse admiratiuum, & risibilem ex propria causa rationalitatis, diuersum scientiæ habitum assequatur: vel quem prius comparauit per demonstrationem, quia, perficiat demonstratio, propter quid aut quod idē est, an qui prius experientia cognouit hominem esse risibilem, & postea per rationalitatem diuersum scientiæ habitum, quia, & propter quid, assecutus sit, vel vnum duntaxat magis perfectum.

Explicatio tituli. (margin, beside the opening lines)

59. (margin, beside "hominem")

Prima sententia negatiua. *Primum argumentum.* Vtraque pars pro se habet efficacissima argumenta: negatiuam quidem tenens eundem habitum verumque assensum gignere: nam plus requiritur ad specificam distinctionem potentiarum, quam habituum: cuius ea est ratio, quia maiorem ex cultiue sit, maiorēque ambitum habet potentia, quam habitus, vt maior extensio proprij obiecti testatur:
60. vniuersalius siquidem est obiectum potentiæ quā habitus, obiectum intellectus, quam habitus Dialecticæ, seu Philosophiæ: Vnde in

eadem potentia intellectiua multi resident habitus, quorum obiecta sub proprio illius continentur; ergo plus erit requisitum ad specificam distinctionem habituum, quam actuum; quia longè maior est extensio habitus, cum plures sint actus eliciti ab eodem, maioremque ambitum habeat eius obiectũ, quam obiectum actus: minus igitur efficax argumentum erit distinctio assensuum ac demonstrationum ad distinctionem habituum conuincendam; & quanquam illam admittamus, non erit necessarium hanc ponere præsertim circa idem materiale obiectum.

2. Argum. 61. Secundo, quia si ponatur, incunctanter, sequitur cuiuslibet scientiæ per causam & effectum, à priori, & à posteriori comparabilis duplicem esse ponendum habitum, & re ipsa vera duplicem assequi, qui vtroque modo eam assequitur: duplicem itaque Philosophiam naturalem, & moralem duplicẽ, quod nouum est, & inauditum; idque absurdi præseferens, vt nulla harum scientiarum sit simplex, sed multiplex qualitas.

Vltim. arg. 62. Postremo; si tales multiplicentur habitus pro diuersitate assensuum, ac demonstrationum circa idem obiectum, sequitur plane nunquam differre has demonstrationes, hos assensus in eadem scientia, sed semper in diuersis: nam si diuersos habitus constituunt, ergo diuersas scientias, ad quas pertinebunt semper: ad eandem vero nunquam: consequens autem doctrinæ Aristot. expresse aduersatur, cuius primum Theorema fuit, demonstrationem, quia, & propter quid, scire quia, & propter quid, in eadem scientia esse diuersa; quia vnum procedit à causa, ab effectu, vel causa remota alterum.

Patroni. Ideò hanc partem amplectuntur ex modernis non pauci ponentes, eiusmodi assensus licet diuersos non multiplicare habitus, sed esse inadæquatos respectu eiusdem scientiæ, vel intra latitudinem eiusdem obiecti, circa quod versantur; non secus ac multi actus, & habitus eiusdem potentiæ inadæquati sunt, ac propterea ab ea elici, & haberi possunt: multi etiam sunt actus ab eadem virtute eliciti, qui propterea inadæquati cẽsentur, vt dilectio Dei, & proximi diuersi actus sunt charitatis Theologicæ virtutis, quæ tamen non est multiplex, sed vnus habitus, atque

D. Thom. vna virtus (vt docet D. Tho. 2.2. q 23 art 5.) pariter ergo de assensibus, quia, & propter quid, iudicandum est, neutrum versari circa 63. rationem adæquatam eiusdem obiecti, sed intra latitudinem eius contineri: ac propterea non diuersos, sed eundem gignere habitum, in quibuslibet scientiis vtraque via comparatis.

Secũdæ sententiæ affirmatiuæ. 1. Ratio. Rationes, quibus affirmatiua pars (quam alij magis probant) fulcitur, non sunt minus efficaces: nam assensus, quia, & propter quid, distinguuntur specie propter diuersitatem demonstrationum, ex quibus generantur; sed ab eisdem assensibus generantur habitus, ergo non minus erunt diuersi secundum speciem circa idem materiale obiectum.

Insolutionem. Nec satis fit argumento, dum dicitur esse actus, vel causas inadæquatas: nam multi actus sub quocunque habitu, aut etiam potentia, idcirco inadæquati dicuntur, quia 64. sub eadem ratione formali obiectiua eidem habitui, vel potentiæ adæquata versantur, solum ex materiali obiecto quasi partiali, & inadæquato distincti, vt testantur visio albi, & nigri respectu potentiæ visiuæ, dilectio Dei, & proximi respectu habitus charitatis: eadem est enim obiectiua ratio visibilis, sub qua vterque color videtur, eadem diuina bonitas, sub qua Deus diligitur, & proximus: vnde neque actus videndi, nec intelligendi specie distinguuntur etiam inadæquata, sed eiusdem prorsus speciei sunt: at assensus demonstrationis, quia, & propter quid, circa idem materiale obiectum specie distinguuntur ex diuersa ratione formali assentiendi obiectiua (vt vidimus) ergò non possunt esse inadæquati eiusdem habitus, sed vnusquisque suum per se habitum specie distinctum producet; nec oppositũ reperietur vnquam, vt idem habitus diuersos habeat actus secundum speciem ex diuersa ratione formali obiectiua.

2 Ratio. Secundò, distinctio scientiarum specifica ex diuersitate principiorum accipienda est (vt suo loco ostendemus) sed assensus quia, & propter quid, generantur ex diuersis prin- 65. cipiis, à quibus constituuntur demonstrationes ipsæ: diuersa enim principia sunt causam, & effectum continentia; ergò necesse est scientias, vel habitus distingui specie.

Confirmat. Et confirmatur, quia assensus scientificus, & opinatiuus circa idem materiale obiectum distinguuntur specie, propter diuersam rationem assentiendi obiectiuam, nempe demon-

monſtrationem, & topicum ſyllogiſmum, & hæc diſtinctio cogit habitus ſcientiæ, & opinionis, ab eiſdem genitos eſſentialiter ſeparare, ergo ſeparandi erunt neceſſario habitus ſcientiæ, quia, & propter quid, ex eadem diſtinctione ſpecifica aſſenſuum, ac demonſtrationum.

Vera ſententia proponitur, & argumentis oppoſitis reſpondetur.

Secũda ſententia authori placet.

NOSTRA ſententia eſt, hos aſſenſus generare habitus ſcientiæ ſpecie diſtinctos circa idem obiectum materiale (vt ponit ſecunda ſententia) ita vt cuiuslibet ſcientiæ vtraque via adquiſitæ du-
66. plex ſit ponendus habitus.

Potiſſima ratio differentia obiecti materialis, & formalis.

Cuius hæc eſt potiſſima ratio, & cui innituntur omnes, quæ pro ſecunda opinione afferuntur. Id eſt diſcriminis inter materiale, & formale obiectum cuiuslibet ſcientiæ, quod materiale plures continet partes; quibus vnitatem præſtat formale, ſub quo vniuntur, vt in Dialectica, & Philoſophia notum eſt: nam multa entia rationis, valdeque diuerſa ad illa pertinent, multam entia naturalia, vel mobilia ad iſtam: at obiectum formale, vel ratio, ſub qua conſiderantur, non ſolum eſt vna, ſed ſimpliciſſima; cum ab ea vltima differentia ſcientiæ accipiatur; ab ea enim habet ſcientia, quod ſit vna, non vnitate generica, ſed ſpecifica, & atoma, ab ea quod ſit vnus habitus, & vna ſimplex qualitas: vnde fit, vt quemadmodum atoma differentia, ſic eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, vt non ſit ex multis partialibus compoſita: ſimili modo ratio formalis obiectiua habitus, vel ſcientiæ, à qua ſpecifica eius differentia accipitur, ſimpliciſſima eſſe debet, ita vt nullam compoſitionem vel diuiſionem partium admittat.

Cui ſi addideris aſſenſus *quia*, & *propter quid* diuerſam rationem formalem obiectiuam habere à qua ſpecificantur; inuenies diuerſam fore etiam in habitibus genitis, non partialem, & inadæquatam; quia tunc efficeretur ex vtraque vna totalis cõpoſita, quod non patitur vltimum ſpecificans; ergo totalem, & adæquatã, à qua ſpecificam diſtinctionem habere neceſſe eſt. Huius doctrinæ appoſitiſſimum exemplum afferre poſſumus in potentia viſiua, cuius materiale obiectum

eſt color, plures abſque dubio, ac diuerſas habens partes, nempe plures colores ſub ſe 68.
contentos, qui vnitatem obiectiuam accipiunt à ratione formali, ſub qua videntur; hæc eſt viſibilitas adeò ſimplex, vt non patiatur vllam diuiſionem in alias rationes partiales diuerſas: nam ſi hoc admittatur, ſtatim ſequitur tales rationes non eſſe formales ſed materiales, cum ab alia capiant vnitatem: præter quam, quod talis ratio ſuperior non eſt vllo modo poſſibilis, nec excogitabilis: eodem igitur modo de ratione obiectiua ſcientifici habitus ſentiendum eſt, vnde pari ratione inferre licebit, cõtradictionẽ implicare, eundem habitum ſcientiæ plures habere actus, vel aſſenſus inadæquata ſpecie diſtinctos.

Ad primũ argumentũ

Primum argumentum ex ſimilitudine potentiæ, & habitus procedens, in eadem ſimilitudine deficit: habet quidem potentia maiorem ambitum, vel extenſionem, non 69.
ſolum materialem, ſed formalem: nam cum plurium habituum ſubiectum ſit, per quos circa diuerſa obiecta operatur, neceſſe eſt habeat rationem formalem obiectiuam vniuerſaliſſimam, & comprehendentem ſpeciales eorundem habituum: at actus, & habitus ab eadem ratione formali obiectiua ſpecificantur, quam diuerſo modo reſpiciunt, & ex tali modo reſpiciendi ſortiuntur genericam, vel ſpecificam diſtinctionem: maior ergo extenſio habitus ſolum eſt conſiderabilis circa materialia obiecta, ex quorum diuerſitate multiplicantur actus: nam formalis eadem eſt: cum extra eandem rationem formalem obiectiuam neuter extendatur.

Reſponſ.

Negandum eſt igitur ad formam argumenti, plus exigi ad multiplicationem habitus, quam actus, ſi de multiplicatione ſpecifica (de qua nunc loquimur) ſermo eſt, etſi quantum ad materialem, vel numericam plus exigatur, quæ ad præſentem con- 70.
ſiderationem impertinens eſt: nec eſt par ratio de potentia, & habitu (vt dicebam) nam cum potentia ex propria conditione ſit virtus operandi per plures habitus, vniuerſalius obiectum, non ſolum materiale, ſed formale ſortitur: vnde non multiplicatur multiplicatis habitibus, qui circa peculiaria obiecta ſub proprio contenta verſantur. Ex quibus intelligitur, quam efficax ſit argumentum ex diſtinctione actuum ſpecifica deſum-

ptum ad multiplicationem habituum conuincendam.

Ad secundũ argumẽtum. Quod vero multiplex sit ponendus habitus in his scientiis, quæ à priori, & à posteriori sunt adquisibiles, nec nouum videri debet, nec simplicitati scientiæ aduersum (vt intendiit secundum argumentum) etenim cum de scientiis specialibus loquimur, Dialectica, vel Philosophia, (gratia exempli) non dicimus esse plures, quia de perfectis, vel propter quid sermo intelligitur; vel certè sub eodem nomine vtraque comprehenditur, & singulari voce designatur, quemadmodum in communi vsu loquendi

71. non ponimus nisi quatuor virtutes Cardinales: cum tamen duplex sub qualibet earum sit specie distincta, duplex temperantia infusa, & adquisita, duplex fortitudo, &c. Nec nouum hoc videtur Theologiæ peritis: ergo nec nouum videri debet duplicem esse Philosophiam in eo, qui vtraque via eam assecutus est, à causa, & effectu. Quod verò simplicitati non repugnet, notius est: nam dum dicitur quamlibet scientiam esse simplicem qualitatem, de singulis his habitibus accipitur, videlicet de Philosophiæ habitu à priori comparato, vel de eo, quem à posteriori assequimur; neuter enim composita qualitas est.

Ad vltimũ argumentũ. Postremum argumentum primo aspectu difficilius apparet; si tamen intentum Aristot. diligentius consideremus, videbimus profectò non esse doctrinæ eius contrarium

72. ponere distinctos habitus scientiæ, quia, & propter quid, circa idem materiale obiectum; nam dum scire, quia & propter quid, differre in eadem scientia docet, atque ex consequenti demonstrationes, non accipit eandem scientiam pro vnico habitu per causam, vel ab effectu adquisito circa idem obiectum, sed pro tota latitudine scientificæ cognitionis eiusdẽ rei, quam nomine vnius scientiæ communis modus loquendi intelligere consueuit: quem sensum tenuisse Aristot. confirmat discrimen aliud, statim designatum inter easdem demonstrationes in diuersis scientiis, tam subalternis, quam disparatis: siue enim subalternæ, vel disparatæ sint, pro notitia diuersarum rerum accipiuntur; ergo eandem scientiam pro notitia integra eiusdem rei accipit discrimen prius, sub qua vterque modus sciendi à priori, &

73. posteriori, vterque habitus ab eis genitus comprehenditur ab Aristotel.

QVAESTIO VII.

In ordine, & prima de scientiarum subalternatione, quidnam sit vnam scientiam, esse alteri subalternatam, & an talis subalternatio sit possibilis?

Prior quæstionis pars tractatur.

NON omnino consentiunt interpretes Aristot. in designandis conditionibus ad subalternationem scientiarum requisitis, sed ab his plures, pauciores ab illis enumerantur, & quam hi necessariam arbitrantur, illi vt minus necessariam reiiciunt, nos verò eas dumtaxat recensentes, quas & plures probant, & harum scientiarum conditio postulat, ad vnam, vel alteram claritatis gratia reduci posse ostendimus, ab hac distinctione exordium sumentes. Scientias esse subalternas, vel subordinatas non est aliud, quam vnam sub altera collocari: quot modis ergo contingit, vnam collocari sub altera, tot modis contingit esse ei subalternatam: est autem duplex modus, communis, & particularis, communi modo, atque improprio vna scientia dicitur esse sub altera, ex quacunque parte ei inferior sit, siue ex parte finis in quantum finis vnius sub fine alterius collocatur, & hoc dupliciter, practice, vel speculatiue solum: practice quidem, quando ea, quæ agit de superiori fine habet imperium in inferiorem, eique præcipit, vt in agendo ad superiorem finem se accommodet, quo pacto frænefactiua ars subalternatur equestri, equestris militari, & hæc politicæ: speculatiue verò, quando vna superiorem finem contemplatur, nullum habens imperium in eam, quæ agit de inferiori, quo pacto moralis Philosophia subalternatur naturali: agit enim hæc de suprema hominis operatione, nempe intellectiua, in qua beatitudo consistit: illa verò de his, quæ cuique agenda sunt, vt bene, beateque viuat. *Expositio tituli.* *Quot modis subalternatio scientiarum.* 74.

Alio modo contingit vnam esse alteri inferiorem ex parte principiorum; quando principia eius, vel saltem aliquod ab ea demõstratur aliquo modo, videlicet, ostensiue, aut

saltem

saltē per impossibile; sic subalternatur Medicina Geometriæ, à qua illud eius principium demonstratur, circulare vulnus difficilius curatur quā longum; ostensiue quidem: quia latera circuli, vtpote plus distantia, difficilius coniunguntur: Geometria item subalternatur Arithmeticæ, à qua illud eius principium demonstratur ad impossibile; diametrum non esse commensurabilem costæ, quia sequeretur vnitatem esse commensurabilem numero, quemadmodum enim excedit numerus vnitatem, sic secundum proportionem diameter costam.

75.

Tertio accipitur communis modus subalternationis ex parte subiecti, quo pacto illa scientia dicitur alteri subalternata, cuius subiectum vno, vel alio modo inferius est subiecto illius, hoc est, quidditatiue, aut accidentaliter; hoc modo quælibet pars Philosophię vel Dialecticæ, toti scientię subalternata dicitur, quia eius subiectum, sub totali collocatur quidditatiue, vt syllogismus, vel demonstratio sub ente rationis.

Conditiones ad subalternationē à variis authoribus assignatæ.

Cæterum, isti tres modi, vtpote communes, nimis improprii censentur, quibus proinde omissis ad propriam subalternationem explicandam properandum est.

76. Cuius plures designātur conditiones à diuersis interpretibus, videlicet, Alberto Magno, tract. 2. de vsu principiorum cap. 7. Paulo Veneto, & Louamensibus in expositionibus huius capitis, quas Caietanus tract. de scientiarum subalternatione ad quinque retulit, primam esse ait, vt subiectum vnius subalterius subiectum contentum sit; secundam; quòd differentiam accidentalem supra illud addat, talem quidem, vt extra eius naturam sit: tertiam, quod non sit eius passio: quartam, quòd inferior scientia per se à superiori dependeat: postremum, quod illius principia ab ista probentur à priori: quibus conditionibus concurrentibus, vera, ac propria subalternatio inter scientias intercedet.

Omnes conditiones referuntur ad pauciores.

Cæterum, vt vno verbo rem absoluamus ad vnicam conditionem ex parte obiecti omnes referre possumus. Quatuor sunt in qualibet scientia, obiectum, principia, passiones, & conclusiones, & ab obiecto, tanquam à capite totius scientiæ, à quo species

77. eius desumitur, emanant cætera, de passionibus notum est; atque etiam de principiis, quæ ex eius natura desumuntur, ac demum de conclusionibus in virtute principiorum contentis.

Ab obiecto & principiis species scientiæ sumitur.

Duo sunt in qualibet scientia, à quibus ratio eius intrinseca, vel species sumitur, videlicet obiectum, & principia: nam conclusiones, & passiones, quæ in eis probantur, ad hæc reducuntur, conclusiones quidem ad principia, in quorum virtute continentur, & à quibus per demonstrationem deriuantur; passiones ad subiectum, à quo emanant, ac de quo probantur. Subalternatio igitur scientiarum propria solum ex his duobus accipienda est, quemadmodum intrinseca earum conditio: nam cætera extrinseca sunt, ideò extrinsecæ sunt cæteræ conditiones. Cæterum, cum principia accipiantur ex natura subiecti, vt sæpe à nobis ostensum est, tota subalternatio scientiarum ad subiecta refertur, ex quibus planè deducitur subalternatio ex parte principiorum, vt euidenter ostendetur.

Duobus modis potest subiectum vnius scientiæ esse inferius subiecto alterius. Primus nō sufficit ad propriam subalternationē propter duo. Primum.

Subiectum autem scientiæ duobus modis potest esse alteri inferius, aut quidditatiue, addens essentialem differentiam supra ipsum, quemadmodum species se habet respectu generis, vt homo respectu animalis, & hoc non sufficit ad propriam subalternationem propter duo.

Primum, quia subiecta scientiæ subalternantis, & subalternatæ debent esse distincta, quemadmodum scientiæ ipsæ ex propria conditione distinguūtur, sed species non est aliud simpliciter à genere, sed ex eo per differentiam contracto constituitur; ergo non satis est sic esse inferius ad propriam subalternationem.

Secūdum.

Secundum, quia genus suo ambitu comprehendit species, quæ ab eo nequaquam abstrahi possunt, si complete considerentur; 78. ergo ratio obiectiua, sub qua considerabile est genus, comprehendet rationes particulares specierum: principia item ex natura generis desumpta comprehendent particularia specierum, in quibus intrinsece claudi necesse est; & ob defectum distinctionis non possunt probari particularia principia specierum ex principiis genericis, sed dicuntur hæc ad illa necessario præsupponi; ergo nec sciētia de speciebus scientiæ de genere propriè subalternatur.

Secundus modus quo vnius sciētiæ subiectum est inferius subiecto alterius.

Secundo modo subiectum vnius scientiæ inferius altero esse contingit, quasi illud per differentiam, vel rationem accidentalem determinans, quo pacto albedo determinat corpus.

Cæterum talis determinatio accidentalis duplex est, communis vna, particularis altera, communem determinationē facit quodlibet particulare accidens additum subiecto, 87.
cum illud accidentaliter trahat ad propriam speciem; & hæc non satis est ad subalternationem scientiarum; si enim sufficeret, tot essent scientiæ distinctæ; ac subalternatæ, quot sunt accidentia diuersa subiectis inhærentia; quod planè absurdum est.

Quid specialis determinatio accidentalis. Specialis determinatio accidentalis est ea, quæ subiectum determinat ad particularem materiam scibilem; hoc est, cognoscibilem per determinatam scientiam distinctam ab ea, per quam secundum se sumptum cognoscitur subiectum. Exemplum rem ostendit; numerus secundum se est obiectum Arithmeticæ, contrahitur autem per sonorum, tanquam per accidentalem differentiam (nā re vera eius accidens est) sic autem contrahitur, vt ad specialem materiam determinetur, specialem rationem scibilis habentem & distinctam à ratione scibilis, quam habet numerus secundum se consideratus, vnde fit, 80.
vt specialia ei correspondeant principia ab eadem ratione desumpta, subordinata tamē principiis superioris scientiæ, non secus ac obiectum, à quo accipiuntur, subordinatum est: esse autem subordinata, non est aliud, quam per eadem esse demonstrabilia; nam si omnino essent per se nota, nullam ab eis dependentiam haberent; & hoc est, quod passim dicitur, principia scientiæ subalternatæ esse quasi conclusiones scientiæ subalternantis; & ex opposito conclusiones huius esse principia inferioris, & se habere ad illam, sicut habitus principiorum se habet ad scientiam.

Ratio. Ratio autem, ob quam determinatio ad talem materiam propriam habeat, ac distinctam rationem scibilis ab obiecto, cui conditio determinans additur, ea est, quia scientiæ (vt suo dicetur loco) per diuersam rationem abstrahendi à materia distinguuntur: determinatio autem ad materiam minorem importat abstractionem, ac propterea distinctum obiectum scientiæ, scientiamque distinctam constituit, alteri tamen subordinatam. Et eadem ratio ostendit perfectiorem esse subalternantem, quam subalternatam scientiam, vtpote magis abstrahentem à materia. 81.
Ostendit præterea iure Aristotel. subalternatas scientias vocari sensibiles, & materiales, subalternantes verò formales, vt textū elucidantes attingere cœpimus.

Itaque obiectum scientiæ subalternatæ debet esse inferius obiecto subalternantis, per accidentalem differentiam tali modo illud determinantem; & hoc est, quod voluit Albertus Magn. 1. lib. post. tract. 2. de vsu principiorum cap. 7. quem sequuntur alii, dum oportere ait, vt illud, quod scientia subalternata addit supra obiectum subalternantis, contrahat illud ad rem alterius naturæ, & generis, hoc est, ad aliam rationem scibilis distinctam: nam si talem distinctionem non habeat: nec valebit distinctam scientiam constituere; & rursus quod idem additum nō sit procedens à natura obiecti superioris scientiæ, sed prorsus extra rationem eius: nam si esset passio ab eo emanās, non efficeret distinctam scientiam, cum exploratum sit, subiectum, & passiones ad eandem scientiam spectare. *Albertus Magnus.* 82.

A subiecto autem accipiuntur principia: vnde fit, vt si subiectum inferioris scientiæ contentum sit sub subiecto superioris, principia etiam sub principiis contineantur, ab eis intrinsece dependeant, & à priori demōstrentur. 83.

Conditio igitur vnica de differentia accidentali contrahente subiectum superioris ad specialem materiam scibilem, vtpote vniuersas claudens, sufficiens est pro cunctis à Caietan. & cæteris multiplicatis.

Si autem quispiam dubitet, an necesse sit vniuersa principia subalternatæ scientiæ sub ordinari principiis subalternantis, esseque per eadem demonstrabilia? *Dubium.* 84.

Respondet Cardin. Toletus cap. 7. q. 1. non procul à fine, non esse necessarium, sed sufficere aliqua. *Responsio Cardin. Toleti.*

Cuius sententiam propterea non probamus; quia licet ad communem, impropriamque subalternationem sufficiat vnum vel alterum principium demonstrari: ad specialem tamen, ac propriam vniuersa probari debent; cuius ea est (nisi ego fallor) euidens ratio; quia principia omnia cuiuslibet scientiæ fundantur in natura subiecti, ab eaque accipiuntur; sed subiectum scientiæ subalternatæ ex propria natura, atque adeò omni ex parte subditur subiecto subalternantis, quod contrahit; ergo principia eius omni ex parte erunt subdita principiis eiusdem: vel si aliquod non subderetur, profecto tale non esset ex natu- *Refutatio cum vera responsione.* 85.

ex natura obiecti inferioris desumptum, nec proinde eidem scientiæ proprium, sed extraneum: omnia igitur nullo excepto à principiis superioris dependent, à quibus à priori probantur, quod in decursu huius tractatus clarius ostendetur.

Ex quibus intelligitur, quid sit vnam scientiam esse alteri subalternatam, quod primo postulabat titulus quæstionis.

Posterior pars examinatur.

An sit possibilis subalternatio. Pro parte negatiua primũ argumentum.

SVPEREST tamen secundum, an eiusmodi subalternatio sit possibilis? facit autem rem dubiam hoc argumentum. Obiectum inferioris scientiæ addit accidentalem quandam conditionem supra obiectũ superioris, ergo est ens per accidens, sed de ente per accidens non datur scientia, ergo non erit scientia ea, quæ inferior vocatur, nec proinde subalternata, nec subalternatio

86. possibilis. Probatur prima consecutio, cui innituntur cæteræ, accidentalis conditio, quam addit inferior, est ens in actu, est etiam accidentalis forma, quæ cum subiecto superioris, cui adiungitur, constituit obiectum inferioris; sed ex duplici ente in actu, ex subiecto & accidentali forma resultat vnum per accidens, ergo huiusmodi est illud, quod ex subiecto superioris, & adiuncta conditione resultat, vt numerus sonorus resultans ex numero, qui est ens in actu, & sonoritate, quæ est actualis forma ei coniuncta, ens per accidens erit, circa quod nulla versabitur scientia.

2. Argum. Secundo; ex rebus diuersorum generum non potest vnum per se coalescere, vt ex substantia, & qualitate, vel quantitate; quia vnũ genus non coniungitur per se, sed per accidens alteri; sed subiectum inferioris scientiæ cõstat ex rebus diuersorũ generũ, vt numerus sonorus ex numero spectante ad quantitatẽ & sonoro ad qualitatem; ergo erit absque dubio vnum per accidens.

3. Argum. Sed iam quod esset vnum per se non posset constituere subalternatam scientiam: nam

87. numerus sonorus constat duplici parte per se spectante ad diuersam scientiam, numerus namque per se consideratur ab Arithmetico sonorus à naturali cum sit obiectum auditus, de quo ex professo differit Aristot. 2. lib. de anima: ergo Musica duabus subalternabitur scientiis, si vere subalternata censetur Arithmeticæ, & Philosophiæ: nam cum non sit maior ratio, quare potius vni, quam alteri, vtrique profecto, vel neutri: primum est impossibile, quemadmodum impossibile est vnum ex æquo duobus subiici, ergo non erit subalternata: & cum simile argumentum fieri de qualibet ex his inferioribus scientiis possit, impossibilis erit subalternatio scientiarum.

Pro affirmatiua parte vera sent. Quibus tamen non obstantibus res est certa, quod vna scientia subalternatur alteri seruata conditione à nobis posita: nam & Aristoteles expresse docuit demonstrationẽ quia, & propter quid, differre in diuersis scientiis subalternis, tanquam certum igitur præsupponit subalternationem scientiarum esse possibilem. 88.

Ratione probatur. Quam veritatem communis omnium interpretum consensus recipit, & confirmat euidens ratio: nam inferior scientia illa dicitur, quæ magis est determinata, superior, quæ vniuersalior est, à qua, si prior suorum principiorum euidentiam mendicat, profecto ei subdita dicetur, atque adeo vere subalternata: hoc autem reperiri in Musica, & Arithmetica, in Geometria, & Perspectiua, aliisq; simili modo se habentibus, certissimum est, ergo vera reperietur inter eas subalternatio.

Prædicta obiecta diluuntur.

Circa solutionẽ argumentorum tres sententiæ. TOTA huius rei difficultas posita est in soluendis obiectionibus propositis, prima præsertim, & secunda. circa quarum solutionem tres inuenio diuersas sententias.

Prima sententia. Primam retulit Paulus Sonzinas. 4. metap. q. 9. eorum, qui contendunt minime pugnare cum natura scientiæ circa obiectũ, quod sit ens per accidens, versari, sed in eis subalternatis scientiis necessario admittendum esse: nam cum sint quasi mediæ inter duas extremas, vt Musica inter Arithmeticã, & Naturalem, necesse est vtriusque conditionem participent, necesse rursus ex duplici ratione diuersa, & actuali earum obiecta coalescere, atque adeo esse entia per accidẽs. 89.

Refutatio primæ sententiæ. Ex Arist. Hanc tamen merito expellit idem Sonzinas, vtpote doctrinæ Aristot. & scientiarũ naturæ aduersum Aristot. namque 6. meth. tex. 4. hisce verbis docet de ente per accidens non esse scientiã: *Cum itaque ens multipliciter dicatur, primo de eo, quod secundũ accidens est, dicendum*

cendum, quod nulla circa illud speculatio est, &c.

Ratio prima. Ad quamlibet etiam scientiam per se pertinet demonstrare passiones de subiecto per definitionem, tanquam per proprium medium, sed ens per accidens non habet vnam de-
90 finitionem: quemadmodum neque vnam essentiam; ergo nec demonstrabilis est aliqua passio de eo.

Confirm. Et confirmatur; quia cum passiões prodeant ab essentia, & essentia non sit per se vna, neque vnam aliquam passionem habere poterit demonstrabilem.

Secunda ratio. Secundò; passio, quæ demõstratur de subiecto est vna per se, ergo causa per quam subiecto inest, de eoque demonstratur, debet esse per se vna; sed talis causa est ipsiusmet subiecti essentia, quæ non est vna per se, ergo nec medium demonstrationis erit.

Secūda sententia Sonzinatis. Hac exclusa sententia propriam statuit Sonzinas, tanquam certum fundamentum præsupponens accidentalem differentiam, quam inferior scientia addit supra subiectū superioris, non esse commune accidens, vel,
91 vt verbis eius vtamur, non esse accidens per accidens, sed accidens per se, quod propria passio vocatur, accidentalis autem differētia dicitur respectu eius, cui additur, quia extra rationem eius est; sed cum sit propria passio, vnum per se cum eo constituit.

Eius fund. Esse autem propriam passionem probat in Geometria, & Perspectiua, illius enim obiectum est, quantum absolutè consideratum, huius quantum visibile: visibilitas autem propria passio quantitatis est; tum quia inter cō- *Aristotel.* munia sensibilia enumeratur ab Aristotele, magnitudo. 2. lib. de anima. tex. 63 tum etiā quia in quantum consideratur colori coniūcta, per se est visibilis: & par est ratio de numero sonoro in musica. Itaque cum subiectum
92 scientiæ subalternatæ compositum sit ex subiecto subalternantis, & propria passione ei superaddita, non est per accidens, sed per se vnum.

Refutatio secundæ sententiæ. Hanc sentententiam reiicit Caietanus cap. præsenti, tract. de scientiarum subalternatione propter duo.

Primum; quia falsum est differentiam additam subiecto subalternantis esse propriā eius passionem: nam vel comparatur talis differentia ad illud, vt subiectum subalternātis est, vel vt iam contractum; & hoc secundo modo non comparari luce clarius est, cum
93 sit differentia determinatiua eius ad materiā sensibilem; sed dum iam contractum accipitur determinabile non est, sed determinatū ergo comparatio respectu illius est, in quantum in sua vniuersalitate consideratur: & certe respectu illius, vt iam determinati, nec propria passio esse potest, nec commune accidens, sed de intrinseco conceptu: gratia exēpli, visuale est differentia addita lineæ, per quam determinatur ad materiam sensibilem determinatur autem secundum se sumpta, & vt obiectum Geometriæ est, non certè, vt iā cum eodem visuali coniuncta accipitur; iam est enim determinata, si ita accipiatur; & si visuale comparetur ad lineam vt visualem, apertè falsum est dicere, quod sit accidēs eius, vel propria passio, sed absq; dubio ad intrinsecā rationē eius pertinet: quid enim magis intrinsecū esse potest lineæ visuali, quam visuale ipsum? superest igitur comparari ad lineam secundum se sumptam, & vt est obiectū Geometriæ (vt sic enim ei additum dicitur) sed lineæ, vt linea est, non potest esse propria passio dimanans ab eius essentia, nam linea in quantum à Geometra consideratur, quantitas Mathematica est, abstrahēs à ratione sensibilis, sentitur autem, vt est in corpore naturali, ab ea ergo sub priori consideratione non potest emanare visibilitas.

Et in hoc deprehenditur falsum aliud Sonzinatis fundamentum, videlicet lineam, cum sit magnitudo, esse inter communia sensibilia numerandam ex mente Aristotelis, dum *Ad fund.*
enim Aristoteles quantitatem, vel magnitudinem inter communia sensibilia recenset, 94
non accipit eam sub consideratione Mathematica (sub qua certe à ratione sensibilitatis abstrahit) sed sub consideratione naturali, in quantum naturalem substantiam, eiusque accidentia extendit: est autem certissimum Arithmeticæ subiectum esse sub illa abstractione, cum Arithmetica ex Mathematicis disciplinis vna sit, vanum est igitur credere per visuale hoc modo determinari tanquam per propriam passionem vt obiectum Perspectiuæ esse possit.

Accedit illud, quod in cunctis scientiis *Confirm.* necessarium est, videlicet subiectum, & pro-
priam passionem, ad eandem scientiam per- 95
tinere: si ergo conditio addito obiecto subalternantis propria passio eius est, vt visuale respectu lineæ, ad eandem Geometriam referenda erit, & non ad Perspectiuam.

Sed iam quod Sonzinati daremus visuale

esse

esse propriam passionem lineæ, solutio eius falsitatis, atque insufficientiæ euidenter arguitur; falsum est enim ex subiecto, & accidēti proprio fieri vnum per se, cum non minus sint duo entia in actu, quam subiectum, & commune accidens; gratia exempli, ex coniunctione risibilitatis cum homine concretū
96. accidentale resultat, non secus, atque ex cōiunctione albedinis cum eodem; ergo vnum per accidens ex forma accidentali, & subiecto, cum vtrumque sit ens actu, quod enim à subiecto emanet forma, non tollit accidentalem coniunctionem duorum entium in actu, ex qua repugnat vnum per se coalescere: vnde fit, vt cum tota vis argumenti in eo posita sit, quod ex differentia addita subiecto superioris scientiæ, atque ex subiecto ipso fiat vnū per accidens, de quo non datur scientia, non soluatur sufficienter ex eo, quod talis differentia sit propria passio eiusdem subiecti, cui additur; sed excogitare oportet modum aliquem sic considerandi vtrumque, vt per se vniantur, & per se vnum ex tali coniunctione resultet, quod obiectum scientiæ subalternatæ esse possit. Quem attigisse videtur Caietanus in eodem tractatu, sed obscurè adeò, vt difficile sit eum percipere.

Tertia sententia Caiet. vera.

97. *Nota pro eius intelligentia.*

Pro eius igitur clariori notitia obseruandum est, non semel contingere, quæ in vno genere, vel ordine vniuntur per accidens, & per accidens vnum efficiunt, in altero vniri per se, & vnum per se efficere; exēplo nobis esse possunt artificialia, ad quorum cōstitutionem multa entia naturalia in actu cōcurrunt, vt lignum, ac ferrum, quæ si in hoc genere spectentur, non possunt nisi per accidēs vniri, & vnum per accidens constituere: considerata tamen sub eadem artificiali forma constituunt vnum per se, videlicet vnam cathedram, vel scamnum: ita ergò res se habet in his, quæ concurrunt ad obiectum scientię subalternatæ: nam si in esse naturæ ea con-
98. sideres, dices absque dubio per accidens conuenire, ideò non nisi vnū per accidens ex vtroque fieri; si verò in esse scibili, vnum per se: numerus, & sonorus visuale, & linea per accidens vniuntur in esse naturæ, non secus ac subiectum, & accidens in quacunque alia materia; per accidens etiam vnum constituunt, ac propterea accidentalis conditio vocatur vnum respectu alterius: at in esse scibili, videlicet vt à Musica, & Perspectiua per se cōsiderantur, efficiunt vnum quid per se: per accidens contingit numero secundum se cōsiderato esse in sonis, vel sonoro vniri: cæterum ad efficiendam debitam consonantiam in ordine ad auditum per se concurrunt, per se vniuntur, vnum per se ex vtroque coalescit; recta enim consonantia talem causam per se petit, nempè numerum in sonis, vel sonum in numeris: lineæ etiam per accidens contingit esse visualem, quemadmodum esse coloratam: cęterum ad talem proportionem constituendam in ordine ad visum per se cōiūgitur cum tali proprietate, & proprietas
ipsa per se coniungitur tali subiecto: constat 99.
autem sub his rationibus considerari à Perspectiua & Musica: nam hæc non considerat numerum secundum se ad Arithmeticam spectantem, nec sonorum ad Philosophiam, sed vtrunque in quantum simul cum altero concurrit ad debitam harmoniam, vel consonantiam efficiēdam in ordine ad auditum: pariter etiam Perspectiua nec lineam per se (quæ proprium est obiectū Geometriæ) nec visuale (quod Philosophiæ considerationis est) per se contemplatur; sed vtrumque in quantum simul cum altero talem proportionem causat in ordine ad visum: vnde fit, vt quæ per accidens conuenirent, per accidensque vnum efficerent sub priori considera-
tione spectata, per se conueniant, & per se vnum efficiant sub posteriori, & vna, eademque definitione explicari possint. 100.

Ad argumentum propositū.

Et hæc distinctio sic explicata plenè satisfacit argumēto proposito: admittimus enim ad formam illius respondētes, accidentalem conditionem, quam addit subiectum scientię subalternatæ, vnum per accidens efficere cum subiecto scientię subalternantis, si vtrūque secundum se accipiatur: at in quantum considerantur ab eadem scientia subalternata vnum per se, idemque vnum eius per se obiectum efficiunt, inferius quidem obiecto scientiæ subalternantis, à quo vnitatem accipit ipsa scientia, vereque subordinata, ac subalternata est superiori. Eadem etiam solutione satisfactum est argumento secundo.

Ad secundum.

Tertia obiectio soluitur.

Ad tertiū argum. primæ sentēt.

TERTIVM argumentum quosdam, quos Sonzinas ibidem retulit, in eam compulit sententiam, vt posuerint quam-

quamlibet inferiorem scientiam, non vni dumtaxat, sed duabus subalternari: nam cum duplici constet parte earum subiectum ad scientias diuersas spectante: vt obiectum Perspectiuæ linea ad Geometriam: & visuali ad Philophiam, ratione vnius partis subalternatur vni, & ratione alterius alteri.

Alia ratio

Idque probant ex eius principiis: principium est enim Perspectiuæ visionem secundum lineam rectam esse perfectissimã, quod ab vtroque, nempe Geometra, & naturali, à priori probatur: à Geometra quidem, quia linea recta est breuissima, atq; perfecta; à naturali verò; quia agens naturale, quanto magis est passo approximatum, tanto agit perfectius; ex quibus euidenter elicitur, obiectum visibile mouens visum secundum lineam rectam perfectissimam causare visionem; ab vtraque igitur scientia probato principio, ad vtramque etiam obiecto secundum diuersam partem spectante, vtrique subalternata erit scientia sub diuersa consideratione, quasi partiali subalternatione.

Refutatio illius.

Hunc modum dicendi nullus, quem viderim, admittit, ideò tanquam singularis, & conditioni subalternatæ scientiæ minus consentaneus repellendus est (vt bene Son-
102. zinas vbi supra.)

Ratio.

Potissima autem ratio falsitatem eius ostendens, hæc est: accidentalis conditio, quam addit subiectum scientiæ inferioris, duobus modis considerabilis est; vno quidem secundum se: alio vt coniuncta subiecto superioris: & sub consideratione priori non pertinet ad scientiam subalternatam sed ad Philosophiam, sub posteriori verò subiectum subalternantis contrahens, subalternatam scientiam constituit: gratia exempli; sonorus ex se Philosophicæ considerationis est, pertinens ad obiectum auditus, non Musicæ, nisi vt coniunctus numero, quo

1. Illatum.

pacto debitam consonantiam, vel harmoniam efficit; vnde fit eiusmodi accidentales differentias, videlicet visualitatem, & sonoritatem, materiali dumtaxat conside-
103. ratione ad Philosophiam spectare, non certe in quantum clauduntur sub obiecto subalternatarum scientiarum; quo tamen pacto coniunguntur lineæ, & numero, videlicet, vt debitam consonantiam efficiunt in ordine ad auditum, vel talem proportionem in ordine ad visum: ideoque eiusmodi scientiæ per se, & formaliter subduntur Mathematicis, cum Philosophia verò materialem dumtaxat cognationem habent.

2. Illatum & solutio argumenti.

Ex quo etiam infertur aliud summopere in hac re considerandum, videlicet earum principia à Mathematicis quidem à priori demonstrari, minimè à Philosophia; sed id solum cognationis habere cum naturalibus principiis, vt aliquando vnũ, vel alterũ necessario præsupponant; & ita se res habet in ex-
emplo argumenti: nam illud principium, vi- 104.
sio facta secundum lineam rectam est perfectissima, præsupponit quidem id, quod per se notum est in Philosophia, nempe agens naturale fortius agere in proximum quam in distans; sed à priori probatur à Geometria, quia linea recta est perfectissima.

Accedit; principalius atque formalius esse in obiecto inferioris scientiæ obiectum superioris, cum magis sit à materia abstractum, superadditam vero conditionem, vtpote materialem, atque sensibilem, minus principalem, ex parte cuius magnam contrahit imperfectionem scientia. Et hinc etiam fit, ad Mathematicam, vtpote formalem, potius pertinere principia harum scientiarum à priori demonstrare, quam ad
Philosophiam, quæ cum materialis sit, non 105.
tam causam rei, quam effectum ostendit. Ex quibus solutum est argumentum.

QVAESTIO VIII.

An subalternata scientia sine subalternante existens sit vera scientia, vel solum opinio?

Explicatio tituli.

PRæsupponit titulus quæstionis subalternatam scientiam posse sine subalternante existere, quod citra controuersiam est, cum Experientia doceamur, plures esse Musicæ peritos ignorantes Arithmeticam: alios etiam Geometriæ ignaros, quos non latet Perspectiua: quærit autem an in his, qui superiori carent, veram habeat rationem scientiæ inferior, vel opinio, solum censenda sit?

Prima sententia. Sonzinatis

Negatiuam partem, tenet Paulus Sonzinas. 4. meta. eadem q. 9. quẽ moderni sequuntur non pauci in scriptis huius capitis.

1. Argum.

Quorum omnium ratio hæc est, vt scientiam alicuius conclusionis habeamus, neces-

se est

se est principia, per quæ demonstratur, euidenter nosse, ex terminis quidem si sint penitus indemonstrabilia, vel si demonstrari adhuc possunt, per reductionem ad prima: qui enim talem reductionem ignorat, non habebit scientificam notitiam conclusionis: vt
106. docuit plane Aristot. cap. 2. dicens, non scire qui horum, hoc est, mediatorum principiorum demonstrationem non habet; sed ille, qui habet subalternatam sine subalternante, nescit principia reducere vsque ad prima indemonstrabilia, cum talis reductio fiat à superiori scientia; ergo neque habebit scientiã conclusionum, sed probabilem dumtaxat notitiam.

2. Argum. Secundo, notitia conclusionis habetur ex præmissis, tanquam ex causis; sed causa non operatur vltra suam perfectionem, ergo impossibile est conclusionem esse certiorem præmissis; sed qui solam habet subalternatã scientiam non habet certum assensum principiorum, sed creditum fide humana, propter authoritatem docentis, vel habentis scientiam subalternantem; ergo nec maiorem certitudinem conclusionis habebit ea, quæ ex fide humana deduci potest; sed ex fide hu-
107. mana; etiam per euidentem consequentiam, non deducitur nisi opinio; ergo non habebit certum assensum conclusionum, sed opinatiuum, cui non repugnat subesse falsum.

2. Sentent. Oppositam nihilominus partem tuentur nonnulli, tenentes adhuc subalternatam sine subalternante esse veram scientiam licet imperfectam; idque probare nituntur.

1. Ratio. Primo, Theologia adquisita ex principiis fidei est certa notitia, atque adeò scientifica, quamquam imperfecta propter euidentiæ defectum: talis est, quam habemus huius conclusionis, Christus est risibilis, per hanc demonstrationem: omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis, sed eiusmodi Theologia imperfecta subalternatur scientiæ Beatorum, quibus euidenter sunt nota principia fidei· & tamen sine tali scientia superiori existens non est opinio, sed sciẽtia; ergo talis erit quæcunque subalternata etiam, à subalternante præcisa

2. Ratio. Secundo, si à vera scientia deficeret, maxime quia non habet certitudinem principiorum, sed assensum fidei humanæ: hæc autẽ
108 ratio est insufficiens, ergo ea non obstante vera scientia censenda erit: probatur minor: plura sunt, quæ sola authoritate dicentium habentur, & nihilominus certa, vt quod Roma sit, quod Philippus sit Rex: nullus enim similes propositiones in dubium reuocauit: cuius ea est ratio, quia multorum, & euidentium testimonio roborantur: satis est ergo à vidente aliquid esse testificatum, vt pro certo habeatur, sed principia scientiæ subalternatæ, etiam si non reducantur ad prima, accipiuntur ab eo, qui nouit ea per certam demonstrationem reducere, atque adeò à vidẽte in suis principiis: id ergo satis erit, vt certa de eis notitia habeatur: conclusiones igitur ex tali notitia principiorum deductæ per euidentem syllogismum certam, atque scientificam notitiam generabunt.

Vnicum notabil. Pro huius quæstionis solutione obseruandum est subalternatam scientiã duobus modis posse à subalternante præscindi, primo 109.
quidem, ita vt principia eius sola authoritate superioris scientis habeantur: altero ita, vt per experientiam nota sint; & iuxta hanc distinctionem duabus assertionibus explicatur nostra sententia.

Prior est; subalternata scientia sine subalternante existens; iuxta primum modum nõ est vera scientia, sed solum opinio; hanc efficaciter probãt argumenta prioris sententiæ. *1. Assertio.*

2. Assertio. Secunda: si principia eius per experientiam sint nota, vera erit sciẽtia, quanquã imperfecta. Imperfectam autem dicimus non solum ab intrinseco, quia ex se materiam sensibilem respicit, quam proinde imperfectionem habet, etiam si cum subalternante sit continuata, sed etiam ex ea parte, qua principia eius non nisi a posteriori cognoscuntur.

Ratio. Quod autem vera sit scientia, euidenter probatur: nam experientia, certa atque euidentia facit principia; ex principiis autem 110.
euidentibus per euidentem syllogismum eliciũtur euidentes cõclusiones; tales igitur erũt similes scientiæ subalternatæ, etiam sine subalternante existentis.

Ad argumẽta 1. sententiæ. Argumenta prioris sententiæ intentum quidem probant iuxta sensum primæ nostræ assertionis: nihil tamen contra secundam; nã dum principia scientiæ subalternatæ per experientiam cognoscũtur, certa sunt, nec pendẽt ex fide humana; ideoq; certam conclusionem, ac scientificam generare possunt.

Secunda autem sententia intendens scientiam adhuc esse, dum eius principia soli humanæ fidei innituntur, plane falsa est, cuius argumenta parum probant.

Argumēta 2. sententia. Damus enim primo, Theologiam modo adquisitam ex principijs fidei esse scientiam imperfectam: an vero subalternata sit scientiæ Beatorum, præsentem considerationem excedit: sed eo etiā admisso longè diuersam habet rationem, à quacunque alia subalternata scientia, à subalternante præcisa: nā principia Theologiæ, quæ sunt articuli fidei, accipiuntur quidem per authoritatem, non tamen humanam, sed diuinam ipsiusmet Dei
111. reuelantis, quæ certissimam cognitionem operatur in intellectu credentis: & eiusmodi certa cognitio principiorum licet obscura, per euidentem consecutionem generat certā conclusionem, quanquam ineuidentem: talis igitur cognitio scientifica erit, vt ostendit conclusio illa, Christus est risibilis: principia autem cuiuslibet alterius subalternatæ scientiæ per solam authoritatem humanam accepta certitudine carent, ideò non valent certum assensum conclusionis generare, sed opinionem.

Nec refert ab eo esse accepta, qui ea euidēter cognoscit; cum authoritas videntis, si humana sit, non possit nisi humanam fidem generare; cuius ea est certa ratio; quia, & si euidens sit notitia principiorum in superiori sciente, ad inferiorem tamen, cum videlicet, qui scientiam habet subalternatam à subalternante præcisam, per medium fallibile peruenit
112. humanæ authoritatis, medium autē fallibile, ex qualibet etiam euidenti notitia procedens, non potest certam notitiam conclusionis generare.

Probatur manifestè in conclusiōe, ex principiis euidenter notis per argumentum probabile deducta, quæ non potest esse certa, sed fallibilis; quia ex medio assentiendi, vel cognoscendi sortitur conditionem: assensus autem illius propositionis, Roma est, in eo, qui Romam non vidit; etiam est ex intrinseca conditione incertus: multiplex autem testimonium, & longa assentiendi consuetudo dubium abstulit; quod tamen per accidēs contingit: vnde fit, per se loquendo nunquam posse authoritatem humanam certum generare assensum, nec proinde talem, ex quo certa, aut scientifica notitia conclusionis deduci possit.

QVAESTIO IX.

An scientia subalternata intra proprios limites demonstret propter quid, vel solum quod hoc est.

DVplicem statum, vel conditionem habere contingit subalternatam scientiā; *Explicatio tituli.* nam vel est cum subalternante continuata, quam continuationem propria eius natura postulat; vel ab ea præcisa, vt contro- 113.
uersia præterita dicebamus: & quidem si præcisa sit, citra dubium est, non demonstrare propter quid; vel enim principia eius per solā dicentis authoritatem accipiuntur, & tunc non est scientia; vel per experientiam sunt nota, & cum experimentalis notitia sit ex effectu, non potest generare scientiam, propter quid: si vero cum superiori continuata sit, quo pacto naturalem, ac sibi debitum habet statum, atque adeò perfectionem possibilem: tunc procedit quæstio, an reddat propter quid suarum conclusionem, & quidem intra proprios limites accepta, nam auxilio superioris scientiæ vere demonstrat propter quid, quod non est aliud; quam subalternantem id præstare: accipitur autem intra proprios limites, in quantum vsque ad principia propria se extendit, & non amplius: gratia exempli; perspectiuus dicit, res ad maiorem distantiam minores apparere, quia sub minori videntur angulo, cuius causam non amplius reddere nouit: nam quod minor sit, vel acutior angulus quo magis protrahitur (hæc est enim illius causa) ad Geometriam pertinet: hoc est igitur, quod titulus quæstionis petit; an Perspectiua; & quælibet alia subalternata scientia, intra suorum principiorum ambitum demonstret, propter quid, vel solum quod hoc est?

Sententia affirmans proponitur, & suadetur.

AFfirmatiuam partem tenuisse videtur Albertus Mag. tract. 2. de vsu prin- *Albert. sententia affirmans.* cip. cap. 7. vbi sic distinguit modum 114.
demonstrandi subalternantis, & subalternatæ scien

scientiæ, vt Geometriæ, & Perspectiuæ, Arithmeticæ, & Musicæ quendam (ait) sunt passiones conuenientes quantitati secundũ se, lineæ videlicet, aut numero, & eiusmodi demonstrat à priori Geometra, vel Arithmeticus ex propriis principiis: aliæ sunt conuenientes lineæ, vt visuali, vel numero; vt sonoro quas non possunt prædicti demonstrare; quia passiones istæ concernunt materiam sensibilem, à qua Geometra, & Arithmeticus abstrahunt, ac propterea extra ambitum talium scientiarum, ad quas demonstrandas non possunt se extendere, sed à propriis scientiis subalternatis à priori demonstrantur: hæc igitur videtur esse sententia huius Doctoris; quod quælibet harum scientiarum demonstret, propter quid, ita vt subalternãs scientia non reddat causam alicuius conclusionis subalternatæ.

M. Sonc. Eandem tuetur M. Sõc. us. q. 1. huius cap. in solut. ad 6. secundum hanc limitationem, videlicet subalternatam scientiam intra latitudinem suorum principiorum demonstrare, propter quid, non quidem primam causam suarum conclusionum tradens, cum hoc sit subalternantis officium; sed bene proximam, ad quam principia eius se se extendunt; hoc namque sat est, vt simpliciter dicatur demõstrare propter quid: quem sensum desumpsisse, videlicet ex Paulo Veneto in expositionibus huius capitis.

115.

6. Argum. Eamque probat; quia subalternata scientia, vt Musica, duobus modis consideratur, in quã tum speculatiua, vel practica; appellatur practica in quantum adquiritur canendi exercitio; & hoc modo sumpta ab experientia probat suas conclusiones, vt quod Diapente est bona consonantia, quia bene consonat auribus, &c. Speculatiua vero dicitur, in quantũ cum superiori continuata causam conclusionum reddit vsque ad certum limitem, à quo incipit subalternans deferens eius principia vsque ad prima omnino indemonstrabilia: & sic perficitur totus processus vtriusque scientiæ. vnde infertur, subalternatam non demonstrare propter quid, vsque ad primam causam simpliciter: bene tamen vsque ad primam causam sui ordinis, vt exemplum à nobis nuper productum ostendit: nam hæc demonstratio, propter quid est: res quæ videtur sub minori angulo apparet minor, quæ à longe videtur sub minori angulo videtur, ergo

116.

minor apparet; & tamen pertinet ad solam Perspectiuam, cum nihil in ea Geometricum audiatur; ergo intra proprium ambitum habet demonstrationes propter quid.

Et confirmat; quia si solus Geomatra demonstraret à priori conclusiones Perspectiuæ, & solus Arithmeticus conclusiones Musicæ solus ille perspectiuus, & solus iste Musicus appellaretur, cum à conclusionibus demonstratis denominationem accipiant, sciens, & scientia: quæ plane absurda sunt; ergo necessario dicendum est. quamlibet subalternatam scientiam cum subalternante continuatam demonstrare propter quid, intra proprios limites. Confirmat. 117.

Huic argumento duo alia adiungimus, in cõfirmationem eiusdẽ sententiæ. Primum est, ac in ordine secundũ; si subalternata scientia non demõstraret propter quid, maxime quia materiam sensibilem respicit, ex quo videtur ab effectu, & non à causa procedere (nam ex ea parte, qua obiectum subalternantis participat, non potest deficere à perfectione scientię reddentis, propter quid, suarum conclusionũ) sed hæc est ratio insufficiens: nam quæ scientia magis sensibilis esse potest, quam Philosophia naturalis; sed hæc demonstrat, propter quid, vt ostendit hæc demonstratio; quidquid habet naturam, est ens mobile, sed cęlum habet naturam, ergo est ens mobile; ergò non minus subalternata scientia intra proprium ambitum demonstrabit propter quid; & certe si solum demonstraret, quod hoc est, imperfectissima esset. 2. Argum.

Postremum; quia si scientia subalternata, non demonstraret propter quid, ideò esset quia non demonstrat vsque ad primam causam, sed tradens proximam relinquit primã à subalternante tradendam: at subalternans non potest reddere primam; ergo ad solam subalternatam omnino pertinebit suarum conclusionum causam reddere. Probatur minor: nam si subalternans reddit causam principiorum subalternatæ, erunt eiusmodi principia conclusiones illius, hoc est impossibile, ergo & illud. Probatur iterum minor, subalternata scientia concernit materiam sensibilem; ergo eius principia in eadem erunt materia constituta: at subalternans abstrahit; à tali materia, atque ex consequenti eius principia, impossibile est, ergo medium superioris scientiæ, vel princi- 3. Argum. 118.

 cipi-

cipium proportionatum esse ad probandum principium inferioris: gratia exempli, dicit Medicus, circulare vulnus difficilius sanatur, quod non videtur posse à Geometria probari vt voluit Aristotel. siquidem: Geometria ab-
119. strahit à corpore naturali, atque adeò ab humano, quod in quantum sanabile proprium est Medicinæ obiectum: quo igitur pacto principia Geometriæ eodem modo abstracta descendere poterunt ad probandum simile principium in materia sensibili contentum, & similis erit repugnantia in subalternantibus scientiis respectu inferiorum, ad quas proinde spectare necesse est, propter quid, suarum conclusionum tradere.

Alberti sentent. authori non placet. Hæc tamen sententia in eo sensu, in quo eam videtur defendere Albertus, plane aduersatur doctrinæ Aristot. & veritati, cum limitatione vero, quam Paulus Venetus, & M. Sotus adiiciunt, non est ita certum vtrunque habere, valde tamen probabile.

Vera sententia ponitur, & probatur.

IDEO nostra sententia est, subalternatam scientiam, vt talem, neque absolute, neque intra proprios limites demonstrare,
120. propter quid, suarum conclusionum, sed id præstare à subalternante, à qua omnino accipit propter quid.

Ita sentiunt cæteri interpretes Aristotel.
D. Thom D. Thom. in his commentariis lect. 25. *Sonzinas.* Sonzinas. 4. meth. q 9. *Caietan.* Caiet. c. præsenti tract. de scientiarum subalternatione circa finem. *Copulata Louan.* Copulata Louaniensis inter explicandas conditiones, ad subalternationem scientiarum requisitas, *D. Toletus* D. Toletus in expositione tex. Aristot. in eãdemque videtur inclinare Sco- *Scotus.* tus. 3. q. prologi circa finem, vbi vniuersaliter docet sic se habere subalternantem, & subalternatam scientiam, vt vbi hæc incipit, illa desinat, quod est dicere, vltimas illius conclusiones esse prima huius principia, Du- *Durandus.* rand item 1. q. prologi num. 52. vbi solum tribuit subalternatis scientiis demonstrationem quia.

Ex Aristot probatur. Et in primis; quod ad subalternantem scientiam spectet propter quid, ad subalternatam, quia, docet expresse Aristot. in principio huius capitis differentiam statuens inter demonstrationem, propter quid,
121 & quod hoc est, in diuersis scientiis subalternis, ita vt ad subalternantem spectet demonstrationem propter quid, ad subalternatam vero, quia, quod discrimen stare non potest cum sententia Alberti affirmantis, æqualiter vtramque demonstrare propter quid suarum conclusionum.

Et rursus, ad particularem modum, & conditionem harum scientiarum descendens Aristot. testatur subalternatam scientiam (quam vocat sensibilem) non tradere propter quid, suarum conclusionum, sed solum, quia; subalternantem vero (quam vocat Mathematicam) demonstrare propter quid, hisce verbis: ***Hic enim ipsum quidem quod sensitiuorum est scire, ipsum verò propter quid Mathematicorum: hi namque habent causarum demonstrationem, &c.***

Et probatur euidenti exemplo perspectiuæ, & Geometriæ; principium est enim Perspe- *Exempl.* ctiuæ res ad maiorem distantiam sub minori angulo videri, ac propterea apparere minores, cuius propter quid reddit Geometra dicens, angulum, quo plus protrahitur, acutiorem esse, hoc est enim esse minorem. 122.

Ex quibus etiam sequitur aduersus Paulum Venetum, & Sotum, adhuc intra proprios limites, non demonstrare propter quid subalternatam scientiam, nam si eo distinguuntur demonstratio, quia, & propter quid in his scientiis, quod illa pertinet ad subalternatam: hæc vero ad subalternantem, cum istæ scientiæ intra proprios limites considerata distinguantur: fiet absque dubio inferiorem intra proprios limites non demonstrare propter quid: si enim semel id admittatur, cessauit prædictum discrimen inter demonstrationes designatum, quemadmodum cessabit, si admittamus subalternantem demonstrare, quia. 123.

Sic igitur loquendum nobis est, si mentem Aristot. teneamus, vt non solum vnius, vel alterius principii subalternatæ scientiæ, propter quid, tradat subalternans, sed omnium: nàm vnum, vel alterum etiam disparata scientia à priori demonstrat: vt in fine capitis docet Aristot. de Geometria à priori demonstrante illud principium Medicinæ, circulare vulnus difficilius sanatur, quia circulus latera habet maximè distantia.

Idque efficaciter probatur ratione: nam *Prima ratio.* ex natura, & conditione obiecti cuiuslibet scientiæ accipiuntur omnia eius principia (vt superius ostendimus) sed obiectum scien-

scientiæ subalternatæ continetur sub obiecto subalternantis, illudque intrinsece claudit; ergo principia principiis sunt inferiora, ab eisque dependentia; sed superior scientia, vtpote abstractior, continet causam inferioris, ergo ex propria conditione subalternatæ scientiæ est, non reddere primam causam suarum conclusionum, sed proximam dumtaxat, quam continet propria eius principia quia probanda à priori relinquit, vel vsque ad prima indemonstrabilia reducenda scientiæ superiori.

Secunda ratio. Quod autem hoc non sufficiat, vt subalternata intra proprios limites dicatur proprias conclusiones scire, vel demonstrare
124. a priori, probat vltima ratio: vt aliquis scire dicatur à priori aliquam conclusionem, necesse est eam demonstret, non solum ex principiis proximis, sed vt eiusmodi principia proxima nouerit vsque ad prima omnino indemonstrabilia reducere, vt docuit expres-
Aristotel. se Aristot. c. 2. illis verbis. *Ex primis autem indemonstrabilibus quoniam non sciet, non habens demonstrationem ipsorum, &c.* Sed scientia subalternata nescit reducere propria principia, per quæ demonstrat proprias conclusiones, vsque ad prima omnino indemonstrabilia, imo nec scire intra proprios limites potest; quod tamen præstat subalternans, ergo non scit eas à priori; sed talem notitiam accipit à subalternante.

Opposita argumenta, & quædam obiectiones soluuntur.

Notabil. 1. ad solutione argument. QVO autem pacto id fiat, vel possibile sit, explicare oportebit. vt ab vltimo, magisque difficili argumenta soluere incipiamus: est igitur obseruandum necessariū esse ad demonstrādam quamlibet conclusionem medium coniungi, cum ex-
125. tremitatibus in præmissis, vt extremitates coniugantur inter sese in conclusione: præmissæ enim constantur ex medio, & extremitatibus: ex solis autem extremitatibus conclusio, vt communis demonstratio testatur: omne animal rationale est capax disciplinæ, omnis homo est animal rationale; ecce medium cum extremitatibus coniunctum; & ex vi talis coniunctionis coniunguntur extremitates inter se se, dum in conclusione infertur, ergo omnis homo est capax disciplinæ.

Secundò, tanquam certum præmitten- *2. Notab.*
dum est, medium in demonstratione propter quid (de qua loquimur) causam conclusionis continere, non quamcumque, sed ad- 126.
æquatam, atque adeò cum extremitatibus conuertibilem, vt eadem demonstratio ostendit: vnde fit, vt si subalternans scientia debet reddere propter quid principiorum inferioris, non possit id præstare per medium proprium nude acceptum, vel (vt proprius loquamur) in propria abstractione consideratum: nam quo pacto medium abstrahens à materia poterit esse causa adæquata & conuertibilis respectu passionis, vel proprietatis materiam sensibilem concernentis? Cōcernit autem materiam sensibilem quodlibet principium subalternatæ, ergo non potest demonstrari à priori per medium subalternantis; vt à materia abstrahentis; sed opor 127.
tet, vt accipiatur tanquam determinatum ad materiam sensibilem, oportet vt accipiatur coniunctum cum extremitatibus principium subalternatę componentibus: & iste est modus, quo continuatur scientia subalternans cum subalternata, dum ad probanda eius principia descendit; continuari enim nō est aliud, quam multa in vno aliquo communi termino vniri, media igitur, superioris scientiæ cum extremitatibus, ex quibus principium inferioris conflatur coniuncto, fit continuatio, & talis continuatio limitatio quædam est eiusdem medii: ex tali autem limitatione, vel terminatione æqualē redditur medium cum extremitatibus conuertibile; ex eadem etiam resultant principia quasi mixta ex materia vtriusque scientiæ, ex medio quidem superioris, & extremitatibus inferioris; & ex his principijs tanquam ex causa adæquata infertur à priori conclusio, quæ est principium scientiæ subalternatæ: & quoniam medium in principiis contentum est causa, ideo vere, & proprie attribuitur propter quid superiori scientiæ, cuius est proprium, non inferiori, licet ab ea determinetur.

Rem manifestam efficiet hoc exemplum quo demonstratur à priori principium, sub
alternatæ scientiæ per medium subalternan- 128.
tis; principium est hoc; res à longe videtur sub minori angulo: demonstratur autem sic, res quæ videtur sub angulo magis protra-

protracto, videtur sub angulo, minori (nam angulus magis protractus acutior est, atque adeò minor) sed res à longe videtur sub angulo magis protracto, ergo sub angulo minori: ecce tibi medium Geometricum, nempè angulum magis protractum esse minorem, quod non posset principium illud demonstrare, nisi coniungeretur cum extremitatibus Perspectiuæ, nempe cum visione rei à longe: ecce rursus medium cum eisdem extremitatibus coniunctum fit adæquatum atque conuertibile, vt possit per ipsum demonstrari tale principium inferioris scientiæ, tanquam per causam adæquatam. Idem
129. ostendit exemplum in argumento desumptum illius conclusionis Medicæ: circulare vulnus tardius sanatur, per medium Geometricum hoc modo demonstrabilis: vulnus, cuius latera difficilius coniunguntur difficilius sanatur, sed circularis vulneris latera coniunguntur difficilius, ergo difficilius sanatur; & rursus hoc principium sic potest demonstrari, vt plenius res intelligatur: latera maximè distantia difficilius coniunguntur; sed latera circularis vulneris maximè distant ergo difficilius coniunguntur.

Ad 1. arg. Ad primum autem argumentum dicimus, processum subalternatæ scientiæ in demonstrandis suis conclusionibus vsque ad prima principia sui ordinis non habere vim demonstratiuam nisi virtute, aut ope subalternantis inde incipientis, vbi illa desinit
130. quæ si cessaret, nulla conclusio scita esset à subalternata nesciente propria principia verè demonstrabilia vsque ad indemonstrabilia referre: nec enim scit, qui horum demonstrationem non habet (vt docuit Aristoteles) vnde negandum est demonstrationem in argumento desumptam veram esse, si ex sola virtute subalternatæ scientiæ consideretur; sed probabile dumtaxat argumentum; cum notum sit nec ex primis procedere, nec ex his, quæ per prima fidem habent; etenim fidem habere per prima, non est ex eius virtute, sed subalternantis, ideò hæc sola reddit eorum propter quid.

2. obiecto. Vltimum argumentum deficit non afferens veram causam, sed apparentem, nec enim negamus subalternatam scientiam demonstrare propter quid, eo quod sensibi-
131. lis sit, vel sensibilem respiciat materiam; sed quia inferior est alteriqu subdita à qua principia eius essentialiter dependent, & à priori demonstrantur; ex hac enim intrinseca imperfectione habet, non posse proprias conclusiones deferre vsque ad principia indemonstrabilia, quod apprime necessarium est, vt eas dicatur à priori demonstrare.

Posset tamen quispiam opponere aduersus nostram sententiam, subalternatam scientiam ex propria virtute demõstrare proprias conclusiones, si non vsque ad prima simpliciter; benè tamen vsque ad prima principia intra suum obiectum, & ambitum indemonstrabilia; quod profectò sufficere videtur, vt dicatur habere veras demonstrationes propterquid, licet non adeò perfectas, vt superior scientia vsque ad prima omnino, indemonstrabilia easdem referens. Ad ult. arg.

Respondetur minimè id sufficere, nam principia subalternatæ scientiæ non sunt ex terminis nota, sed verè conclusiones demonstrabiles, quas demonstrare nec scit ipsa, nec scire intra proprios limites valet; vnde infertur, non esse sibi euidentia, nec certa quæ enim euidenter cognoscimus (seclusa experientia) vel ex terminis per habitum principiorum, vel demonstrationem ex eis accipimus præfata autem principia non sunt ex terminis nota, sed verè demonstrabilia, cuius demonstratio non habetur, ergo non sunt ab eadem scientia euidenter intra proprios limites cognoscibilia, nec refert esse in suo ordine indemonstrabilia: duobus namque contingit modis indemonstrabilem esse aliquam propositionẽ, vel ex propria cõditione, vel respectu alicuius nesciẽtis eã demonstrare; & si primo modo demonstrabilis sit, erit etiam ex propriis terminis per habitum principiorum cognoscibilis; si secundo sola fides vel opinio de ea habebitur, atque adeò de conclusionibus ex ea deductis, & iuxta hunc modum indemonstrabilia sunt principia subalternatæ scientiæ intra proprios limites considerata, non iuxta primum, quapropter non erit aliqua conclusio ex eis demonstrabilis. 132.
Negandum igitur est ad formam argumenti sufficere sic esse indemonstrabilia, vt per se nota vel certa dicantur adhuc secundum quid vel in tali ordine; nam cum verè sint demonstrabilia, quæ demonstrare nescit subalternata scientia præcisè considerata, nullam possunt certitudinem habere, nec certas proinde conclusiones reddere ex eis elicitas. 133.

Si autem vrgeas adhuc ex his fieri, vt subalterna-

alternata scientia intra proprium ambitum considerata ad hue in quantum cum subalternante continuatur, non sit vera scientia; vnde etiam vniuersaliter inferre licebit nullam subalternatam esse veram scientiam sed fidem humanam, vel opinionem; siquidem ex propria virtute non valet proprias conclusiones reducere vsque ad principia simpliciter indemonstrabilia; quod profecto intollerabile absurdum est, cum ab Aristotele & omnibus subalternans & subalternata ponantur duæ scientiæ distinctæ, & si distinctæ sunt, erit quælibet vt distincta ab alia, vera scientia: atque adeò intra proprium ambitum considerata, nam ex proprijs distinguuntur.

Solutio. Respondetur subalternãtem & subalternatam scientiam non tam distingui eo modo, quo distinguuntur duæ scientiæ, quam vt

134. distinguuntur habitus principiorum & scientia intra eamdem materiam; nam subalternata similitudinem scientiæ tenet, principiorum subalternãs, conclusiones illius à priori probans: inter scientiam autem, eiusque principia hæc inuiolabiliter obseruantur, primum, vt conclusio non sit verè scientifica, nisi cum principiis, ex quibus deriuatur copulata vel continuata; nam cum propter principia ei assentiatur intellectus, si

135. ab eis eam separaueris vel certè sicut eum, eis conuinctam non acceperis, non habebit euidentiam nec certitudinem scientiæ. Itaque si habitum scientiæ intra proprios limites consideramus, hoc est sine ordine ad habitum principiorum, non erit vera scientia, cum ex eo certitudinem, atque euidentiam mendicet, imò nec propter quid suarum conclusionum reddere potest, nisi simul cum habitu principiorum recipiatur ratione cuius id præstat, quod potius est, eumdem principiorum habitum præstare, quam scientiam, cum principia ipsa causam conclusionis contineant, ac reddant.

Quid sentiendum de subalternante & subalternata scient. Iuxta hanc igitur similititudinem sentiendum est de subalternante, & subalternata scientia; hanc imprimi sabilla præcisam non esse veram scientiam, vt quæst. præcedenti statutum est, sed nec intra proprios limites consideratam, hoc est, sine ordine ad subalternantem, cum ex ea certitudinem & euidentiam propria principia mendicent & longè minus propter quid suarum conclusionum reddere, aut veras demonstrationes propter quid habere censendum est, nisi ope, aut virtute subalternantis, à qua principia eius vsque ad prima indemonstrabilia referuntur, quod luce clarius ostendit ad solam subalternantem pertinere propter quid conclusionum subalternatæ tradere; quemadmodum ad habitum principiorum tradere propter quid scietificarum conclusionum.

Hisque plenè satisfactum est obiectioni propositæ, satisque subalternarum scientiarum natura, ac conditio, & modus se habendi explicatus. 136.

PRIMAM FIGVRAM MAXIME scientiæ esse accommodatam.

CAP. VNDECIMVM.

FIgurarum autem maximè scientialis est prima, Mathematicæ namque scientiæ per has demonstuationes ferunt, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

CAput hoc quasi appendix est præcedentis, in quo, cum docuisset Aristoteles demõstrationẽ, quia, à causa remota procedentem non posse fieri nisi in secunda figura, ratio ipsa postulabat, vt formam syllogisticam præsciberet demonstrationibus cæteris statuens, in qua figura sint cõstituenda, & hoc est primum, quod præstat triplici ratione confirmãs, deinde rationem propositionis negatiuæ immediatæ affert; nam licet cap. 2. vniuersalem definitionem immediatæ propositionis tradidisset, solũ immediatis affirmatiuis eam hucusque accommodauit, vt igitur completa esset præceptiua pars posterioristicæ artis, oportebat principia negatiuæ demonstrationis tradere, quæ sunt propositiones immediatæ negatiuæ; & hac duplici parte continetur totum caput.

Intentum cap. 1.

Diuisio capit. in duo membr.

Statuit ergo primo, maximè accõmodatam esse demonstrationibus primam figuram syllogismorum quod probat triplici ratione. 1. Pars cap.

Qua-

Prima ratio. *Quarum prima est quasi inductiua ex singularum scientiarum propter quid* a. *demonstratiuis in discursu collecta: scientiæ propter quid demonstrantes sunt cæteris perfectiores, sed eiusmodi vtuntur in suis demonstrationibus prima figura, par ergò de cæteris ratio erit: exempla in Mathematicis disciplinis perfectum demonstrandi modum habentibus producit, Geometria videlicet, & Arithmetica, vt parem esse de cunctis alijs rationem intelligamus: vt plurimum autem docet, has omnes scientias in prima figura proprias demonstrationes constituere, quia aliquando iuxta causarum, & effectuum conditionem contingit non esse id possibile: sed secunda figura necessario vtendum; id tamen per quam rarum esse.*

Secunda ratio. *Secunda ratio talis est; quod quid est rei, quod definitionem eius vocamus, principem locum in demonstrationibus tenet sed scientiã eius non nisi prima figura mediante assequimur ergo hac est nobis potissimè vtẽdum in demonstrationibus: minorem probat; definitio enunciatur de definito affirmatiue, cum* 5. *eius naturã positiuam explicet, & vniuersaliter, cum nec de vno aliquo singulari tradatur, sed communem omniũ essentiã cõtineat: secunda autem figura non est apta ad affirmatiuum syllogismum construendum, cum nihil in ea ex vtraque affirmatiua præmissa eliciatur quemadmodum nec tertia ad syllogismũ vniuersalem, ergo sola prima scientia de quid ditate rei assequenda deseruit.*

Tertia ratio. *Postrema, in demonstrationibus construendis secunda, & tertia figura ope indigent prima: hac autem sibi sufficiens est; ergò eius est præcipuus vsus in demonstratoria arte: maiorem probat, quia per primam figurã densantur, & augentur alia, quousq; ad immediata perueniatur.*

Quid intelligat per densatione, & augmẽtũ. *Quid autem per densationem & augmentum intelligat, non est inter expositores certum. Philoponus enim ad modum, quo secunda, & tertia figura reducuntur ad primam, quantum ad formam concludendi vt euidentior sit, vtrumque refert dicens, densationem rei, proprietatem materialem esse, vt constat* Prima expositio Philoponi. *in congelatione aquæ vel lactis coagulatione, quæ per materiæ constipationem fiunt: at augmentum formam potius respicit, vt* 4. *plane docet Aristoteles. 1. lib. de ortu & interitu cap. 5. statuens secundum partes rei formales fieri, nunc ergo cum prædicatum in propositione sit quasi forma, subiectum quasi materia* Aristot. *& secunda figura reducatur ad primã prædicato vnius præmissæ mutato in subiectũ (erat enim medium in vtraque prædicatum) consequens est, talem reductionem condensationem quandam esse: tertia autem figura, cuius medium in vtraque præmissa subiectum est, ad primam reducitur permutationem subiecti in prædicatum, atque adeò per augmentum: & hanc expositionem sequitur Aegidius in commentariis huius loci.* Aegidius

P. Toletus ad reductionem etiam earundem figurarum ad primam secundum formã densationem, & augmentum retulit, licet alio modo, ait enim, dum secunda, & tertia reducuntur ad primam, quasi densationem contingere, siquidem plures earum modi ad eundem primæ referuntur; coarctantur igitur ex hac parte, sed ex altera augentur, in quantum plures sunt modi harum figurarum si eos cum modis primæ figuræ, ad quos referuntur, coniunxeris, quam si solos acceperis. Prima expositio Cardinalis Toleti 5.

Cæterum, cum Aristoteles de eiusmodi figuris syllogisticis non loquatur sub ea consideratione, qua posteriores referuntur ad primam, secũdum formam concludendi (eiusmodi enim consideratio prioristica est) sed in quãtum demõstrationibus, ac scientiis deseruiunt (vt verba eius statim subijcienda planè testantur) placet profectò expositio D. Thom. in his commentarijs lectione vigesimasexta, & Themistij in sua paraphrasi super 1. lib. poster. ca. 31. vbi sic exponunt: Secundam & tertiam figurã prima indigere (ait Aristoteles) quia per eam densantur, & augentur quousque ad imme- 3. D. Tho. & Them.

immediata veniant (hæc enim sunt verba Aristotelis) quasi dicat, ad perfectam scientiam rei habendam necesse est mediatas præmissas demonstrationis ad immediatas reducere sed secunda & tertia figura nō possunt id vsquequaque præstare absque primæ adminiculo; ergo minus sunt sciētiis accōmodatæ: probatur minor, secunda figura non valet affirmatiuam propositionem concludere. ergò nec valebit affirmatiuas præmissas mediatas ad immediatas referre: tertia verò non concludit vniuersalem. ergò nec præmissas vniuersales reducere poterit: ad affirmatiuas igitur, & vniuersales præmissas (quæ potissimæ sunt in his demonstrationibus) reducendas indigēt prima figura vniuersas referente, qua proinde nullo modo eis indiget. ergò eius erit præcipuus vsus in arte demonstratoria.

Secunda pars cap. explicatur. In secunda parte capitis explicare contendit, quæ sint propositiones immediatæ negatiuæ; quod vt præstet, negatiuas mediatas exponit prius, ex quibus facilius cognoscitur immediatarum ratio.

Quatuor modi propositionum negatiuarum. Quatuor modis possunt se habere negatiuæ propositiones; nam vel prædicatum continetur sub aliquo toto, hoc est sub aliquo vniuersali prædicato quidditatiuo, subiectum verò sub nullo: aut ex opposito subiectum continetur minime prædicatum: vel tertio, tam

8. subiectum, quàm prædicatum; aut demum nec prædicatum, nec subiectum; vno enim ex his modis se habere necesse est propositiones negatiuas demonstrationi deseruientes: & quidem si duobus primis modis se habeant tales propositiones, non sunt immediatæ, sed demonstrabiles per idemmet superius prædicatum, sub quo subiectum, vel prædicatū continetur affirmatum de contento, negatum de altero, gratia exempli, hæc propositio, qualitas non est homo, talis est cuius prædicatum continetur sub animali, subiectum vero sub nullo, & demonstratur per idem animal, affirmatum de homine negatum de qualitate, in secunda figura hoc modo: omnis homo est animal, nulla qualitas est animal, ergo nulla qualitas est homo: rursus, homo non est qualitas,

9. cuius subiectum est sub eodem animali, & prædicatum sub nullo per idemmet animal in eodem modo, & figura sic demonstratur, nulla qualitas est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est qualitas: propositio verò tertio modo se habens eiusmodi esse potest, nullus homo est albedo, cuius prædicatum sub colore, subiectum vero sub animali continetur quæ mediata probatur cum demonstrari vtroque modo possit, videlicet per illud superius, sub quo continetur prædicatum, affirmatum de eo, negatum de subiecto; vel per aliud, sub quo continetur subiectum negatum de prædicato affirmatum de eodem subiecto, primo modo demonstratur sic; omnis albedo est color, nullus homo est color, ergo nullus homo est albedo; secundo vero, nulla albedo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est albedo.

Ostendit vera esse quæ dicta sunt circa hos tres modos, videlicet possibile esse, dum subiectum sub aliquo toto continetur, prædicatum non esse sub eodem, atque ex opposito, subiectum non contineri sub eo toto, sub quo continetur prædicatum, idq; exemplo duorum prædicamentorum, quæ coordinationes diuersas vocat. vt si vna coordinatio sit A. c. d. & sit prædicamentum substantiæ: & altera B. E. F. & sic prædicamentum qualitatis, tunc sic arguit prædicamenta sunt impermixta, ita vt quod est in vno prædicamento non enunciatur de eo quod est alio; cuius est ratio: quia sunt primo diuersa; bene ergò sequitur, prædicatum huius propositionis continetur sub aliquo genere vnius coordinationis, ergò subiectum eiusdem non est sub eodem genere, idemque de eo genere sub quo continetur subiectum censendum est, nam sub eo non erit prædicatum. Exemplū. 10.

Superest illa propositio, cuius neutrum extremum sub aliquo toto, vel superiori prædicato continetur, & talis est, in qua vnum supremum genus negatur de altero, vt substantia non est quantitas, qualitas non est relatio, & similes, nam suprema genera sub nullo altero continentur genere: nec sub aliquo prædicato superiori vniuoco, ens enim, quod de vniuersis prædicatur, analogum est, & transcendens, tales igitur propositio- Quæ propositiones negatiuæ sint immediatæ. 11.

positiones immediatas esse statuit Aristoteles, quia cum extrema nihil commune habeant, nec vllum aliud prædicatum se superius; nec dabile est medium, per quod demõstretur vnum ab altero remoueri: medium namq; de altero saltem extremorum debet enunciari in syllogismo, nam negari de vtroq; repugnat, cum ex negatiuis præmissis inutilis fiat syllogismus. sed nullum est prædicatum, quod de hisce supremis generibus enuncietur, ergò nullum erit mediu m remouendi vnum ab altero, sed quodlibet se ipso ab alio remotum est ergo negatiuam propositionem immediatam constituent.

Arist. *Probat Aristoteles illud antecedens, quod necesse sit medium de altero extremo affirmari in præmissis; nam vel syllogismus sit in*
12. *prima figura, & tunc minor saltem affirmatiua debet esse, in qua medium de minori extremo affirmabitur, vel in secũda quæ nec ex puris affirmatiuis, nec ex puris negatiuis constare potest, quapropter vnam saltem affirmatiuam præmissam habere necesse est, in qua medium, quod vtriusque præmissæ est prædicatum, affirmabitur de altero extremorum; si ergo tale prædicatum dabile non est, quod de aliquo extremorum enuncietur, sequitur planè, nec medium esse possibile, per quod similes propositiones demonstrentur, quod idem est, ac esse immediatas.*

De tertia autem figura mentionem non fecit Aristoteles, quia ad demonstrationem vniuersalem (de qua loquitur) minimè apta est.

QVOT, QVIBVSVE MODIS Syllogisticis tum in immediatis, tum in mediatis propositionibus ignorantia dispositionis, & quomodo ignorantia negationis exoriatur.

CAP. DVODECIMVM.

IGnorantia verò, quæ non secundum negationem, sed secundum dispositionem dicitur, est quidem deceptio, quæ per syllogismum fit, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

AD eandem scientiam, vel discipli nam opposita pertinere docuit plane Intentum cap. *Aristoteles sectione problematum. 30.* Arist. *problemate. 7. & 1. opponitur autem scientiæ ignorantia & idcirco his, quæ ad scien* 1. *tiam, & modos, quibus eã comparamus, traditis, de ignorantia & modis, quibus eam incurrimus, merito agit. Est autem ignorantia duplex, negationis, & dispositionis negationis dicitur pura negatio scientiæ in eo consistens, quod est, numquam habuisse alicuius rei notitiam; quo pacto pueri nondum rationis vsum attingentes dicuntur ignorantiam rerum habere, quas numquam didicerunt: ignorantia vero dispositionis oppositam dispositionem scientiæ importat, hoc est, cognitionem veritati contrariam, quam appelamus errorem & hæc est duplex, vna simplex, quæ sine discursu incurritur; ex falsa quidem authoritate, vel experientia, exemplo, vel consuetudine, quibus deceptus quispiam oppositum veritati opinatur, vt si fallaci sensus experimento deceptus aliquis opinetur solem minorem esse terra: altera est* 2. *ignorantia dispositionis per discursum contracta, tunc eueniens, quando syllogismo aliquo decepti opinamur oppositum veritatis. Sed hæc adhuc est duplex quemadmodum duo sunt in syllogismo consideranda, forma & materia, forma dispositionem in modo, & figura importat, materia veritatem propositionum: si ergò quispiam syllogismo peccante in forma deceptus opinetur aliquid oppositum veritati, incurrit ignorantiam dispositionis veritati in commun oppositam; eiusmodi non est præsentis considerationis sed pertinet ad lib. Elenchorum, vbi de apparenti syllogismo agitur: alia est ignorantia opposita veritati necessariæ per demonstrationem conquisita, & hæc pertinet ad propositum quam adhuc partitur Aristoteles in eam, quæ opponitur veritati principiorũ & conclusionũ; nam vtramque contingit per syllogismum incurri.*

Ignorãtia duplex negationis, & dispositionis.

Ignorãtia dispositionis duplex simplex & composita

Composita & per discursum.

Exclusa igitur ignorantia simplici, vtpotè veritati demonstratiuæ non opposita, & De qua ignorantia ideò agat Arist.

ideò non pertinente ad præsens institutum,
3. exclusa etiam ignorantia contracta per apparentem syllogismum tanquam aliena ab hoc tractatu, de triplici alia agit Aristoteles tribus capitibus, de opposita veritati principiorum in præsenti, de opposita conclusionibus in sequenti & de ignorantia negationis cap. 14.

Trimembris diuisio cap. & 1. memb. explicatũ.

His igitur diuisionibus distincta ignorantia aggreditur Aristoteles explicationem eius quæ licet per syllogismum incurratur principiorum veritati opponitur, ac tandem eam exponit, quæ opponitur veritati conclusionum, & sic trimembris est totius capitis diuisio, & prima pars iam explicata.

2. Memb.

Sed cum ex principiis quædam sint negatiua alia affirmatiua, prius agit de ignorantia
4. opposita negatiuis; deinde de ea, quæ affirmatiuis opponitur. Ignorantiam oppositam negatiuis incurrimus, quando fallaci syllogismo decepti opinamur oppositas affirmatiuas veras, quod solum in prima figura potest contingere, & solum in primo eius modo; nam in tertia figura non concluditur propositio vniuersalis neque in secunda affirmatiua, neque in tribus reliquis modis primus vniuersalis affirmatiua, sed solum in Barbara; vt si aliquis circa hoc negatiuum principium erraret, substantia non est quantitas, putans per talem syllogismum vniuersalem affirmatiuam oppositam sic inferri, omnis linea est quantitas, omnis substantia est linea, ergò omnis substantia est quantitas. Exempla producit Aristoteles in elementis, quibus obscurissima redditur doctrina, ideò in terminis significantibus proferenda à nobis deinceps erunt, vt facilius capi possint.

Duobus modis cõtingit ignorantia negatiui principij 1 Modo.

Duobus autem modis docet id posse fieri; vno quidem, ita vt vtraque præmissa sit falsa, & ideo in vtraque contingat deceptio; quod fit si pro medio accipiatur terminus, de quo non dicatur prædicatum, & qui non dicatur de subiecto; si enim tale sit, cum in ma-
5. iori dicatur de medio extremitas maior, quæ est prædicatum conclusionis, & in minori idem medium enuncietur de minori extremitate, fiet necessario, vt ambæ præmissæ sint falsæ, vt in eodem exemplo ostendi potest: si deceptus quispiam putet hanc falsam esse, substantia non est quantitas, putans se eam deducere albedine pro medio accepta, de qua nec dicitur quantitas, nec albedo ipsa de substantia, tunc in vtraque decipietur præmissa falsa sic procedens, omnis albedo est quantitas, omnis substantia est albedo, ergò omnis substantia est quantitas: contrariè autem sumendo ait Aristoteles id 6.
fieri; quia prædicatum affirmatur de tali medio vniuersaliter, de quo verè negari debuisset, & medium ipsum affirmatur de subiecto, de quo negari deberet vniuersaliter.

Ratio.

Quod autem sic se habere possit medium ad subiectum, & prædicatum talis principii negatiui: de quo est ignorantia probat planè Aristoteles; quia cum vtrumque sit supremum genus sui prædicamenti, nec de subiecto poterit affirmari medium, cum nullum superius prædicatum habere possit de se vniuocè enunciatum; nec prædicatum necesse est enunciari de eodem medio, cum non sit transcendens, sed determinata quædam ratio de suis duntaxat inferioribus enũciabilis; de substantia namque nullum potest prædicatum enunciari; nec necesse est quantitatem enunciari de quocumque, sed multa sunt, de quibus minimè prædicatur, tale ergò medium possibile est, quod cum nulla extremitate cohæreat, sed cum vtraque falsam propositionem constituat.

2 Modo.

Alio modo similem ignorantiam contingere posse docet ex vna duntaxat præmissarum falsa, altera autem vera, non tamen 7.
minori, nam hanc esse falsam necessarium est, quia necesse est affirmatiuam esse, & talem, in qua de minori extremitate prædicetur vniuersaliter medium, sed minor extremitas prædicta conclusionis est genus supremum, de quo nihil vniuersaliter prædicatur, ergò talis minor non potest non esse falsa exemplum idem est; nam si quispiam erret circa illam vniuersalem negatiuam immediatã, nulla substantia est quãtitas, eo deceptus syllogismo; quo putat se tanquã veram inferre vniuersalem affirmatiuã ei oppositã, videlicet, omnem substantiam esse quantitatẽ, quod

cumque medium assumat, necesse est illud in minori prædicet de minori extremitate nempè substantia, de qua nihil vniuersaliter prædicatur, cum sit supremum genus; vnde falsa semper propositio erit.

Quomodo maior sit vera & non minor præmissa.

8. Sed maiorem veram esse probat hac ratione obscura quidem, sed hoc modo intelligenda, atque formanda in propositione negatiua immediata prædicatum indiuiduè, hoc est, immediatè negatiua de subiecto, vt in hac, nulla quantitas est substantia si ergò accipiamus sub prædicato eodem, nempè sub substantia, medium aliquod de quo immediatè prædicetur, videlicet corpus, de eo quidem enunciabitur verè substantia, non tamen quantitas, cum vniuersaliter verũ sit quoties vnũ aliquod de duobus immediatè dicitur repugnare, vt duo illa inter sese affirmentur, siue de vtroque immediatè dicatur affirmatiuè, vel de vtroque negatiue, vel affirmatiue de vno, negatiue de altero: tùnc ergo maior vera esse poterit minori existente falsa vt si negatiua immediata, circa quam deceptio contingit (quia contraria eius vniuersalis affirmatiua existimatur illata per syllogismum vt vera) sit, nulla quantitas est substantia & accipiatur pro medio incorporeum, de quo immediatè affirmatur substantia, & constituatur talis syllogismus, quem demonstratiuum reputat deceptus homo: omne incorporeum est substantia, omnis qualitas est incorporea, ergò omnis quantitas est substantia; & tunc apparet substantiam de quantitate, & incorporeo immediatè prædicari, de illa quidem negatiuè, de hoc affirmatiuè vnde infertur bene non affirmari inter sese; atque adeò non posse minorem non esse falsam, & posse maiorem esse veram.

9.

Nota.

Docet deinceps Aristoteles, possibilem etiam esse minori existente falsa veram esse maiorem, etiamsi accipiamus medium, de quo dicatur prædicatum negatiue, sed non immediate, vt si assumpto homine sic procedamus Omnis homo est substantia, omnis qualitas est homo, ergò omnis quantitas est substantia; intelligendum tamen est, non esse hoc verum ex vi illius regulæ immediatæ prædicationis eiusdem prædicati de

10.

duobus subiectis, sed ex eo, quod in maiori affirmatur superius de suo inferiori licet immediato quod pro medio assumitur; in minori idem medium affirmatur de subiecto, nempè quantitate, quæ cum sit supremum genus, non potest veram propositionem constituere.

Et his concludit se sufficienter dixisse de ignorantia negatiua immediata, quæ contingit, quando per syllogismum infertur tanquã vera, ac necessaria vniuersalis affirmatiua ei opposita: nunc autem dicendum superesse ait de ignorantia affirmatiua tunc eueniente quando negatiuam ei oppositam tanquã veram se inferre arbitratur quispiam, quod cũ non solum in prima, sed etiam in secunda figura possit fieri, prius agendum esse ait de modo, quo in prima, deinde de modo, quo in secunda contingit.

De ignorãtia circa principia affirmatiua.

11. Fit in 1. & 2 figura.

Tunc contingit ignorãtia dispositionis circa immediatam propositionem affirmantem in prima figura, quando deceptus aliquis per syllogismum infert negantem ei contrariam tanquam veram, quod duobus modis euenire potest: primò ita, vt ex vtraque præmissa falsa procedat, idque fiet, si pro medio acceperit aliquid, de quo prædicatum eisdem negatiuæ, quam infert, dicatur, vt si affirmatiua, circa quam decipitur, sit omnis homo est animal, & negatiua, quam infert, nullus homo est animal assumpto leone, vel equo pro medio, ex vtraque falsa sic procedet, nullus leo est animal, omnis homo est leo, ergò nullus homo est animal maior etenim falsa est, quia superius de inferiori negat, minor verò ex vniuersali illa regula nuper ab Aristotele tradita, quod si vnum prædicatum immediatè dicitur de duobus, duo illa inter sese non contingit affirmari: dicitur autem animal de homine, & leone, ergò neuter de altero affirmabitur.

Quomodo fiat in prima figura.

12.

Probat deinde non esse necessarium vtrãque præmissam esse falsam, sed posse vnam esse veram, & primò id de maiori ostendit, quia prædicatum eius, cum non sit transcendens, sed determinatum non enunciatur de omnibus, ergò aliquid accipere possumus eo medio, de quo non dicatur, atque adeò de quo il-

13.

quo illud negare sit verum, sed ad inferendã conclusionem negantem in prima figura necesse est maiorem syllogismi esse etiam negantem, in qua prædicatum negetur de medio, vera igitur maior esse poterit, quod constabit si lapidem pro medio accipiamus sic dicẽtes, nullus lapis est animal, omnis homo est lapis, ergò nullus homo est animal.

Maiori vera, falsam esse minorẽ necesse. Maiori autem vera existente necesse est minorem esse falsam ait Aristoteles, probatque dupliciter, primò quia repugnat planè, dum vnum aliquod prædicatum affirmatur de vno, & negatur de altero, duo illa inter se se prædicari, sed in casu prædicatum conclusionis inferendæ negatur de medio, nempè lapide, & affirmatur de minori extremitate scilicet, homine ergò repugnãt duo hæc in minori cohærere, alioquin stare simul in veritate poterunt duo contradictoria, si enim vera sit minor illius syllogismi omnis homo est lapis, sic inferre licebit in Darij, contradictorium maioris negatiuæ, omnis homo est animal, lapis est homo, ergò lapis est animal.

Prima ratio.

14\.

Secunda ratio. Probat secundo. quia si maiori vera existente minor etiam vera sit, pugnabit plane cum ratione conclusionem esse falsam, vbi necessitas illationis præsupponitur.

Econtra minori vera falsam maiorem necesse est. Quod verò ex opposito nõ repugnet maiorem esse falsam & minorem, veram, constabit inquit Aristoteles, si tale medium accipiatur, sub quo sit prædicatum negatiuæ propositionis inferendæ, & quod sit superius subiecto eiusdem, tunc enim negatiua maior falsa erit, in qua negabitur idem prædicatum de medio assumpto. & minor affirmans vera, in qua idem assumptum medium affirmabitur de subiecto, quod sub se continet; constat vtrumque si corpus pro medio accipiatur ad inferendam hanc negatiuam immediatã, nullum viuens est animal, etenim corpus superius est animali, & sub eodem viuens continetur tanquam pars sub toto sic igitur dicemus, nullum corpus est viuens, omne animal est corpus, ergò nullum animal est viuens.

15\.

Transit deinde Aristoteles ad secundam figuram docens, tantundem in ea posse contingere, sed duabus modis, videlicet, ex vtraq; præmissa falsa procedendo, vel ex altera tãtùm, sed adhuc prior modus duplicem habet sensum, in quantum præmissas esse falsas duobus modis potest intelligi, nam vel in totum falsæ sunt, vel tantùm ex aliqua parte: & quidem omni ex parte esse falsas impossibile esse vult, idque obscura quadam ratione probat. Nota quid de secunda figura. 16.

Quam vt capiamus, obseruandum in primis est sermonem esse de propositionibus vniuersalibus affirmatiuis, & negatiuis, ex quibus vniuersalis item propositio immediata cõcludi potest, negatiua quidem opposita affirmatiuæ immediatæ, circa quam est ignorantia dispositionis. Nota.

Secundo obseruare oportet syllogismum in secundà figura (de quo nunc loquitur Aristoteles) nec vtraque præmissa negatiua, nec vtraque affirmatiua constare, sed affirmatiua, & negatiua sic dispositis, vt medius terminus vtriusque prædicatum sit. 2. Nota.

Postremò, quanquam vna singularis falsa sufficiat falsam simpliciter reddere vniuersalem propositionem, eam nihilominus in totum falsam vocamus, si omnes eius singulares tales sint, & eiusmodi est hæc, omnis homo est lapis: ex parte verò falsa dicitur, si non omnes falsas habeat, sed vnam, vel plures, vt nullum animal est brutum. 3. Nota. 17.

Nunc igitur impossibile reputat Aristoteles deceptionem contingere circa vniuersalem affirmatiuam veram, atque immediatam, ex eo quod deceptus quispiam negatiuã ei oppositam, ac verè falsam veram infert in secunda figura ex vtraque præmissa omni ex parte falsa & probat hac ratione, quia si vtraque præmissa omni ex parte falsa sit sequitur euidenter contrarias præmissas esse in totum veras, ex quibus in alio syllogismo infertur eadem negatiua conclusio falsa tanquam vera, exemplum in terminis significãtibus non datur, quia res est impossibilis ideò in elementis erit producendum, in quibus effi acia Aristotelicæ rationis cerni potest, sit igitur vniuersalis affirmatiua vera, & immediata, circa quam deceptio contingit, omne A. est B. & negatiua ei opposita, quæ infertur in Ratio Aristot. 18.

atur in primo modo secundæ figuræ tanquam vera, cum tamen vere sit falsa, nulla A est B. ex præmissis in totum falsis, videlicet nullũ B. est C. omne A. est C. accipio nunc præmissas contrarias in totum veras, omne B. est C. & nullum A. est C. ex quibus infero in Camestres, nullum A. est B. veram quidem ex suppositione; nam ex veris præmissis non nisi vera conclusio infertur in necessaria consecutione; erit igitur eadem conclusio vera & falsa, quod repugnat; & modo similisi præmissæ sint in totum falsæ in Camestres, ex contrariis in totum veris deduci potest in Cesare vera conclusio, quæ falsa præsupponitur.

Fundamẽtum rationis. Fundamentum huius Aristotelicæ rationis ducentis ad impossibile, est alia ratio positiua ex ipsa rei natura desũpta, quæ talis est:

19. propositio affirmatiua immediata, circa quã est deceptio, conficitur ex prædicato sine medio inhærente subiecto tãquam superiori, vel æquali, cuius cõtraria negatiua falsa tanquã vera deducta per syllogismum debet eisdem terminis cõstare, vt omnis homo est animal, nullus homo est animal; ad inferendam igitur hanc negatiuã ex præmissis in totũ falsis in Cesare, vel Camestres, qui sunt modi inferentes vniuersalem propositionem, oportet tale medium accipere, quod in totum remoueatur à prædicato & in totũ conueniat subiecto, vel ex opposito in totũ conueniat prædicato, & remoueatur à subiecto, primam namq; conditionem habere necesse est ad inferendum eam in Camestres, & postremam in Cesare sed tale medium est impossibile, nam id, quod à superiori, vel æquali prædicato immediatæ propositionis affirmantes remouetur, non potest in totum conuenire subiecto, imo neq; in parte, vt quod remouetur ab animali, vel rationali repugnat conuenire homini; & rursus; quod omnino remouetur ab in

20. feriori, vel æquali non potest omni ex parte cõuenire superiori, vel alteri æquali, brutum nãq; quod in totum ab homine remouetur, non potest omni animali conuenire, cum homini (qui est quoddam animal) non conueniat; verè igitur est impossibile propositionem vniuersalem negantem affirmatiuæ oppositam inferri in secunda figura ex præmissis in totum falsis; & hinc procedunt absurda ab Aristotele illata, si quispiam contenderit eam inferre.

Sed ex præmissis falsis quidem, sed non in totum bene potest deduci negatiua immediatæ affirmatiuæ opposita, fietq; si accipiamus medium, quod tam à subiecto, quàm à prædicato eius remoueatur, licet non in totum exempli causa. si negatiua sit eiusmodi nullum animal est viuens; accipiendum est pro medio brutum & sic inferenda in Cesare, nullũ viuens est brutum, omne animal est brutum, ergò nullum animal est viuens: ecce vtrãq; præmissam habentem non nullas singulares veras, & quasdam alias falsas, quod est non esse in totum, sed ex parte falsas. 21.

Cum probasset Aristoteles ex vtraq; præmissa non in totum, sed in parte falsa posse deceptionem contingere; probat demum possibile etiam id esse ex altera tantum falsa, & quidem indifferenter, maiori videlicet, aut minori, & cum duo sint modi duntaxat secũdæ figuræ inferentes vniuersalem conclusionem negantem, Cesare, & Camestres, probat primo de secundo; deinde de primo; sed prius ostendit fieri posse ex maiori vera, & minori falsa, si accipiamus medium superius prædicato eius, vt si propositio inferenda sit hæc, nullum animal est viuens; assumendum erit corpus, ac dicendum, omne viuens est corpus, nullũ animal est corpus, ergò nullum animal est viuens. Ex maiori verò falsa, & minori vera fiet, si accipiamus medium inferius quidem respectu prædicati, sed quod nulli insit subiecto, eiusmodi esse poterit plãta, dicemusq; omne viuens est planta, nullum animal est planta, ergò nullum animal est viuens. 22.

In Cæsare quomodo fiat demõstratio. In Cesare verò fiet quidem ex maiori vera, & minori falsa, si medium accipiamus à prædicato, atq; subiecto extraneum, eritq; in eodem exemplo lapis, nullum viuens est lapis, omne animal est lapis, ergò nullum animal est viuens: si vero accipiatur medium conueniens omni subiecto, & alicui duntaxat prædicato, tunc fiet syllogismus ex maiori falsa, & minori vera, vt si medium sit sensibile dicemus, nullum viuens est sensibile, õne animal est sensibile, ergò nullum animal est viuens. 23.

viuens. Ex quibus constat (ait Aristoteles) similem deceptionem contingere posse ex vtraque præmissa falsa, & ex altera tantum.

DE IGNORANTIA IN PROpositionibus mediatis

CAP. DECIMVM TERT.

IN his vero, quæ insunt non indiuiduè, aut non insunt, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum. POST Explicationem ignorantiæ circa immediatas propositiones tanquam priores, conueniente ordine sequitur explicatio eiusdem circa mediatas tanquam
1. posteriores; quam præstat Aristoteles capite præsenti in tria membra diuiso, nam primò
Diuisio tri membris. exponit ignorantiam affirmatiuarum propositionum per negatiuas falsas syllogismo primæ figuræ pro veris inductas, secundo per syllogismum secundæ figuræ, ac tandem de ignorantia negatiuarum differit, quæ falsæ reputantur negatiuis oppositis per syllogismũ primæ figuræ illatis.

Nota. Vt autem mentem Aristotelis facilius assequamur, declarare oportebit, quid intelligat per medium proprium, quid per medium alterius coordinationis, & quid per medium extraneum, quid demum per syllogismum deceptionis & contradictionis, horum enim terminorum significatio non parum iuuabit ad capienda theoremata ab Aristotele proposita.

Quid sit medium proprium 2. Medium igitur proprium vocat Aristoteles illud, per quod vniuersalis propositio affirmatiua vera (circa quam decipimur reputantes eam falsam) demonstratur, vt si quis decipitur circa hanc propositionem, omnis homo est risibilis, putans se tanquam veram inferre oppositam, nempe nullus homo est risibilis, medium proprium erit rationale, per quod affirmatiua demonstratur medio syllogismo veritatis, & negatiua per syllogismũ deceptionis, sic infertur, nullum animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergò nullus homo est risibilis.

Quid extraneum. Medium extraneum dicitur, de quo vel non enunciatur prædicatum eiusdem affirmatiuæ propositionis, vel de subiecto non enunciatur ipsum; qualia erunt respectu eiusdem propositionis, omnis homo est risibilis; lapis, vel lignum, aut quid simile.

Quid alterius coordinationis. 3. Per medium autem alterius coordinationis non intelligit Aristoteles alterius prædicamenti, cum notum sit rem vnius prædicamẽti non prædicari per se de re alterius, si formaliter, vel in abstracto accipiantur: ac proptereà non esse medium per se demonstrãdi aliquid de ea; sed alterius coordinationis vocat (iuxta D. Tho. cæterorumq; interpretum sensum) illud: quod nec proprium est, nec extraneum, sed proprio simile, & idcirco quasi medium inter vtrumq; extremum tenens, & tale erit, per quod à posteriori saltem demonstrabilis esset eadem propositio, quod alterius coordinationis iure vocatur, quia non tanquam propria causa, nec à priori eam demonstrat: eiusmodi erit risibile ad demonstrandã hanc propositionem, homo est admiratiuus, atq; etiam ad concludendũ oppositam, nullus homo est admiratiuus, per syllogismum ignorantiæ; quem deceptionis vocat Aristoteles quia contrariam propositionem ei, circa quã decipimur, concludit, in quo ignorantia deceptionis, vel prauæ dispositionis consistit exempli gratia, si deceptio contingat circa
4. hanc propositionem, omnis homo est admiratiuus, quam propterea falsam quis credit quia deceptus putat negatiuam contrariam se inferre tanquam veram per talem syllogismum, nullum risibile est admiratiuum, omnis homo est risibilis, ergò nullus homo est admiratiuus; deceptionis appellabitur, quia vera causa deceptionis est, quem etiam contradictionis vocat Aristoteles; quia conclusio per eum opposita ei, circa quam decipiatur, concluditur; vel probatur.

Theore. 5. Quibus prælibatis primum Theorema Aristotelicum, est deceptio circa propositiones mediatas affirmatiuas per negatiuarum oppositarum illationem in prima figura tribus modis contingere potest, quemad modum triplex est medium inferendi negatiuas oppositas, proprium videlicet alterius coordinationis, & extraneum & quidem si proprium est medium, non possunt

ex vtraque præmissa falsa inferri, sed necessario ex maiori falsa, & minori vera, eodemque modo contingit, dum medium nec proprium est, nec extraneum sed alterius coordinationis: at si extraneum sit & ex vtraque falsa, & ex altera indifferenter, maiori videlicet, aut minori.

Probatur primũ in Theoremate propositum. Probat Aristoteles primum, quia medium proprium idem est in vtroque syllogismo veritatis, quo probatur affirmatiua vera, & deceptionis, quo probatur negatiua opposita, & falsa; rursus syllogismus primæ figuræ non potest habere minorem negatiuam, erit igitur affirmatiua semper, sed in minori prædicatur medium de minori extremitate, ergò talem semper oportebit minorem esse, in qua medium proprium enuncietur de minori extremitate, quam necesse erit esse veram, vt exemplum nuper designatum ostendit, nam
6. medium proprium demonstrandi risibilitatem de homine est rationalitas, & eodem vtitur, qui deceptus probari contendit negatiuam ei oppositam, nullus homo est risibilis: minor ergò talis syllogismi eadem erit, ac in syllogismo veritatis, videlicet, omnis homo est rationalis; maior vero non potest esse eadem, sed conuersa, hoc est, mutata in contrariam negatiuam, quemadmodum contraria negatiua probanda est; constat enim in vno duntaxat modo concludi posse vniuersalem negatiuam affirmat. vniuersali contrariam, nempe in Celarent hoc modo: nullum rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergò nullus homo est risibilis ex quibus plane deducitur non posse vtramque præmissam esse falsam.

Secundũ probatur. Probat secundum, tantundem videlicet contingere si per medium alterius coordinationis eadem negatiua vniuersalis probetur
7 nam quamuis non sit proprium, aptum tamen ad illam concludendam, vnde eadem erit minor, ac in syllogismo veritatis, vt si eiusmodi sit syllogismus veritatis ad concludendam hanc vniuersalem affirmatiuam: omnis homo est admiratiuus, omne risibile est admiratiuum, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est admiratiuus, erit syllogismus deceptionis, nullum risibile est ad miratiuum, omnis homo est risibilis, ergo nullus homo est admiratiuus: ecce quo pacto, cum idem sit medium, necesse est in prima figura eandem esse minorem affirmatiuam nequidem, & ideò veram: maiorem verò falsam, quia contrariam maiori ex syllogismo veritatis, quemadmodum conclusio, conclusioni contraria inferenda est.

Tertium probatur. Tertium denique probat, quod si mediũ sit extraneum ex vtraque in primis falsa præmissa inferri posset negatiua vniuersalis, atque ex altera etiam indifferenter maiori,
8. vel minori: ex vtraque quidem si medium tale sit, de quo vniuersaliter dicatur prædicatum, ipsum verò de nullo dicatur subiecto, tunc enim maior negatiua erit falsa, atque etiam affirmatiua minor, vt si conclusio inferenda sit, nullus homo est sensibilis, assumendum erit pro medio irrationale, & dicendum, nullum irrationale est sensibile, omnis homo est irrationalis, ergò nullus homo est sensibilis: ex maiori autem vera, & minori falsa infertur, si accipiatur medium, de quo non dicatur prædicatum negatiua enim maior in Celarent, vera erit, minor verò falsa; nam si de tali medio non dicitur prædicatum, extraneum etiam à subiecto erit, cum quo falsam minorem constituet, tale medium erit planta ad eandem propositionem inferendam nulla planta est sensibilis, omnis homo est planta, ergo nullus homo est sensibilis.

9. Consulto prætermisisse videtur Aristoteles alium modum inferendi eandem propositionem ex maiori falsa, & minori vera, quia notissimus erat, dum medium proprium accipitur, de quo prædicatur vniuersaliter subiectũ, atque etiã de subiecto ipsum, quare necesse erit maiorem negatiuam esse falsam, & affirmatiuam veram, ita fiet si animal accipientes dicamus, nullum animal est sensibile, omnis homo est animal, ergò nullus homo est sensibilis.

2. Theorema. continent duo. Theorema secundum statuit modum deceptionis circa easdem propositiones mediatas affirmatiuas per illationem negatiuam contrariarũ in secunda figura: & est eiusmodi; propositio negatiua mediata affirmatiuæ contra

contraria inferri potest in secunda figura ex vtraque falsa præmissa non in totum, sed in parte potest etiam ex altera præmissa falsa indifferenter maiori, vel minori.

Primum probatur. 10. *Ostendit primum; eodem pacto, quo superius de propositionibus immediatis; nam cum propositio affirmatiua media talis sit, in qua prædicatum vniuersaliter de subiecto enunciatur, vt præmissæ inferentes negatiuam in secunda figura in totum sint falsæ, necesse erit tale esse futurum medium, quod de vno extremorum vniuersaliter dicatur, de altero verò negetur etiã vniuersaliter (vtriusque enim præmissæ prædicatum esse debet) quod planè repugnat; nam cum prædicatum vniuersaliter contineatur in subiecto veræ propositionis circa quam decipimur, si medium de eodem prædicato negatur prorsus, non poterit de subiecto prorsus affirmari, vt quod à sensibili in totum remouetur, non enunciabitur vniuersaliter de homine.*

Ex vtraque autem in parte falsa exploratum est posse inferri, si tale accipiatur medium, quod ex parte competat vtrique extremo eiusdem propositionis, & ex parte etiam ab vtroque remoueatur, vt si propositio sit, nullum animal est corpus, accipiendum erit brutum dicendumquè nullum corpus est brutum, omne animal est brutum, ergò nullum 11. *animal est corpus, in Cæsare: in Camestres verò sit; omne corpus est brutum, nullum animal est brutum, ergò nullum animal est corpus. constat enim in his dũtaxat mõdis secũda figura posse negatiuã vniuersalem inferri.*

Secundũ probatur. *Ex altera autem falsa, maiori, vel minori deduci poterit, si accipiatur medium vtrique extremo conueniens: tunc enim negatiua erit falsa, quæ maior est in Cæsare, & minor affirmatiua vera & in Camestres maior affirmatiua vera, & minor negatiua falsa: sume tibi ad inferendam hanc propositionem, nullum animal est corpus, pro medio substantiam, & vtrumque præstabis, primum quidem dicens, nullum corpus est substantia, omne animal est substantia, ergò nullum animal est corpus, postremum vero sic omne corpus est substantia, nullum animal est substantia, ergò nullum animal est corpus.* 12.

3. Theorema duo continēs *Theorema postremum de ignorantia circa negatiuas, quarum affirmatiuæ contraria per syllogismum inferuntur, legem constituit non dissimilem ab ea quæ de negatiuis lata est, videlicet, si medium sit proprium, vel alterius coordinationis, minimè ex vtraque falsa inferri, sed neque indifferenter ex alterutra: quia necesse est minorem esse veram, idcirco solum ex maiori falsa: at si sit extraneum, ex vtraque falsa, & ex alterutra indifferenter.*

Vt autem facilius vtrumque intelligatur illud est tanquam certum præmittendum, affirmatiuam vniuersalem nec in secunda figura, neque in tertia inferri posse, sed solum in prima; nec tamen in quolibet eiusmodi, sed in primo duntaxat Nota.

Primum probatur. *Nunc igitur probat primum Aristoteles; nam cum medium proprium idem sit in syllogismo veritatis, per quem demonstratur negatiua mediata, circa quam contingit deceptio. atque etiam in syllogismo deceptionis, per quem deceptus putat se tanquam veram inferre affirmatiuam falsam sequitur euidenter minorem vtriusque syllogismi eandem esse, in qua medium de minori extremo vniuersaliter prædicatur, atque adeò non minus veram in vno, quam in altero syllogismo (affirmatiuam nanquè minorem, & vniuersalem petit primus modus huius figuræ, affirmatiuam quidem ex ipsius figuræ conditione vniuersalem propter conditionem modi: idemquè iudicium ferẽdum est de medio alterius coordinationis, cum similem habeat conditionem; vnd sequitur, neque vtramque præmissam falsam esse posse, neque minorem sed solam maiorem* 13.

Secũdum probatur. *Quod verò, dum medium est extraneum & vtramque falsam, & alteram indifferenter esse cõtingat, probat: nam si medium assumatur,*

matur, cui nullo modo prædicatū est insit, & quod nulli insit subiecto, cum oporteat ambas esse affirmantes falsa erunt, vt si inferenda sit hæc propositio, omnis homo est brutum, & assumatur lapis dicemus, omnis lapis est brutum, omnis homo est lapis, ergò omnis homo est brutum maior erit vera, & minor falsa si accipiatur medium, de quo enuncietur prædicatum, vt quod de nullo dicitur subiecto, vt si in eodem exemplo accipias pro medio equū dices: omnis equus est brutum, omnis homo est equus, ergò omnis homo est brutum: ex opposito demum maior erit falsa, minor vera, si medium non sit sub prædicato, & dicatur de omni subiecto. vt si ad inferendam eandem propositionem, omnis homo est brutum, accipiatur corpus, sic dicetur, omne corpus est brutum, omnis homo est corpus ergò omnis homo est brutum.

Quibus absolutis caput quoque absoluens Aristoteles ait ignorantiam dispositionis per syllogismum contractam circa immediatas propositiones, atque etiam circa demonstrabiles sufficienter esse explicatam.

DE IGNORANTIA PVRAE negationis.

CAPVT DECIMVM QVART.

Planum autem est, & quod si quis sensus defecerit, necesse & scientiam aliquam deficere, quam impossibile est accipere, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

Inventum cap.

CAPVT Hoc breuissimū est nulla egens diuisione, in quo de ignorantia puræ negationis differens Aristoteles, causam illius tradit, quemadmodum superioribus capitibus causas ignorantiæ prauæ dispositionis attulit, idque vnica præstat conclusione, vnica item ratione eam confirmans

Cōclu̅ō. Conclusio talis est, deficiente sensu aliquo necesse est deficere scientiam obiecti illius: vt si alicui deest sensus visus, necesse est colorum scientiam ei deesse; atque adeò ignorantiam negationis habere talis obiecti. vnica.

Probatur ab Aristotele hac ratione. vna è duabus vijs comparamus nobis scientiam, demonstratione, vel inductione sed neutra harum habetur circa obiectum sensibile, cuius sensus deficit; ergo eo ipso necesse est scientiam deficere, Probat minorem, primo de demonstratione, deinde de inductione demōstratio versatur circa vniuersalia (vt sapè in superioribus ostensum est) sed vniuersalia non cognoscuntur à nobis per intellectum nisi medijs sensibus; ergo his deficientibus scientia deficiet, & deficiente quolibet particularis scientia obiecti eiusdem, minorem huius secundi syllogismi iterum probat argumento à maiori; si scientiæ aliquæ à sensu non penderent, maximè Mathematicæ disciplinæ, de quibus proferre solemus, quod à materia sensibili abstrahant, sed adhuc istæ pendent à sensibus, nam & si lineam, vel numerum in vniuersali contemplentur, non possunt eiusmodi obiecta manifesta facere, nisi in quibusdam singularibus sensibilibus ostenderint; accipe hæc principia Geometriæ, à quolibet puncto in quodlibet punctum possumus lineam ducere & dato quolibet puncto possumus supra illud, ac super centrum circulum constituere, & intelliges nota esse nobis in vniuersali, ex eo videmus in multis singularibus sic rem se habere, pendet igitur horum principiorum cognitio ex notitia sensus, atque adeò conclusionum harum scientiarum, quæ ex eis deducuntur, ergò multo magis dependebunt aliæ scientiæ minus à materia abstrahentes: quapropter necesse est deficiente sensu proprio deficere.

Vnica ratio.

Probat de inductione, cuius propria ratio est vniuersale ex singularib. sensu perceptis colligere, cessante igitur sensu cessabit singulariū illius obiecti perceptio, cessabit inductio cessabit notitia talis obiecti per inductionē cōparabilis.

QVAESTIO VNICA

An deficiente aliquo sensu possibile sit de obiecto eius scientiam adquirere?

Quomodo intelligendus titulus quaestionis. NON est adeò patens veritas Aristotelicæ conclusionis, quin nouo indigeat examine; ideoque sub eadem forma à nobis examinanda proponitur: & quæstionis titulus duplici parte continetur;
1. prior defectum sensus præsupponit, posterior eo præsupposito possibilitatem quærit comparandi scientiam talis obiecti; gratia exempli, si alicui desit sensus visus, cōparare nihilominus possit scientiam de coloribus aut luce.

Nota ex D.Thom. Et quantum ad partem priorem, duobus modis potest deficere alicui sensus (vt bene adnotat D. Thom. lect. 20. horum commentariorum) primò ita, vt postquam eo vsus est, amittat: secundò, vt à natura eo careat: & si primo modo contingat defectus, citra
2. dubium est possibilem esse scientiam talis obiecti, vt si quis visum, quem habuit, amitteret, posset iam scientiam colorum habere vsu illius comparatam, quam absque dubio non amitteret: solum ergo procedit controuersia, si secundo modo defectus accidat, an tali defectu præsupposito scientia sit possibilis? & quidem circa sensibile proprium eiusdem sensus deficientis, vt circa colores, si visus deficiat, circa odores, si olfactus, sicque de cæteris; nam de sensibilibus communibus, vt de magnitudine, & motu, citra dubium est non deficere scientiam deficiente quolibet sensu particulari: nam cum percipiantur à cunctis sensibus, non pendet eorum scientia ab aliquo particulari.

Merito demum titulus quæstionis inquirit, an de tali obiecto proprio possimus scientiam acquirere, vt intelligamus sermonem non esse de scientia infusa à Deo, cuius species, cum a rebus ipsis, vel obiectis, non accipiantur, nec à sensibus dependent sed à solo Deo Optim. immediate eas simul cum habitu scientiæ infundente: talis ergo scientia non deficeret cunctis etiam sensibus deficien-
3. tibus, quin potius vsus illius adhuc permanere posset: talis fuit scientia, quam Deus Opt. primis parentibus infudit; talis etiam, quam Salomoni dedit: nec solum talis, sed longè perfectior, quam à primo instanti conceptionis Christi Sanctissima eius anima habuit: bene ergo inquiritur, an possit is, cui aliquis sensus deficit, scientiam de propriis sensibilibus talis sensus naturali modo adquirere, quia non apparet qua via possibile hoc sit.

Duæ sententiæ in hac re traduntur.

DVPLICEM nihilominus sententiam in fauorem affirmatiuæ partis retulit D. Tho. loco nuper indicato, Prima sententia affirmatiua. quas affirmat excludere voluisse Aristotelem vnam Platonis ponentis species intelligibiles in intellectu nostro fieri posse per Idæarum impressionem, quibus mediis rerum essentias cognoscere possimus; & si modus 4. iste opinandi esset possibilis, cessaret profecto necessitas sensus ad comparandam scientiam, eoque proinde deficiente possemus eas adquirere.

Huius positionis Platonicæ meminit Aristot. 1. lib. metaph. tex 49. vbi cum sententiā Refutatio ab Arist. eius de Idæis retulisset à tex. 25. inter alias rationes, quibus eam sequentibus textibus refutauit, hanc demum attulit de impossibilitate comparandi scientiam deficiente sensu hisce verbis. *Item quorum sensus est, ea quomodo quis nosset sensum non habens, at qui oporteret, siquidem eadem cunctarum elementa sunt, ex quibus sicuti compositæ voces ex propriis sunt elemētis.*

Secundam positionem aliorum fuisse testatur D. Tho. possibile esse substantiarum Secūda sententia. separatarum nos scientiam adquirere absque sensuum adminiculo: nam cum materia careant, non subditur sensibus earum notitia; 5. vnde possibile erit talium quidditates cognoscere sensu deficiente.

Et vere inesse videtur, quia notitiam, quā de his habemus, nunquam per sensus adquisiuimus.

Ecce quo pacto duo istæ sententiæ diuersis viis necessitatem sensus videntur tollere, quod & nos hisce argumentis cōfirmare possumus.

Vniuersalissima scientiarum principia, vt 1. Argum. quodlibet est, vel non est, totum est maius sua parte, cognoscuntur expositis terminis, absque aliqua demonstratione, vel inductione

ne singularium per lumen naturale intelle-
6. ctas; par igitur ratio erit de cæteris, nullum siquidem per scientiã cognoscibile est ex propria conditione; & inductione opus non est ad cognoscenda eiusmodi principia Mathematicarum scientiarum; à quolibet puncto, in quodlibet punctum possumus lineam ducere, & super quodlibet punctum possumus circulum constituere, imo nec ad cognoscendum hoc principium Philosophiæ, natura est principium motus, & quietis: his autem cognitis possumus etiam absque alicuius singularis sẽsibilis notitia conclusiones in eis contentas demonstrare, cum demonstratio circa rerum quidditates versetur, ad singularia minimè descendens; scientia igitur à notitia sensuum non pendet: vnde sensu adhuc deficiente possibilis erit.

2. Argum. Secundò, visu adhuc deficiente duæ supersunt viæ, quibus colorum scientiam comparare possit cæcus, vna est per propriam eorũ
7. causam; videlicet per primas qualitates, ex quarum commixtione procedunt, videlicet calorem, frigiditatem, humorem, ac siccitatem, quas per sensum tactus valebit percipere demonstrationes, & inductiones ex eisdem constituere, scireque ex tali earum commixtione generari; talemque naturam habere. Alia est via auditus, quem proprium etiam sensum scientiæ posuerunt omnes, quo percipere potest, quæ à Magistro de natura colorum docentur, videlicet quod sit qualitas passibilis talis naturæ, de albedine quod color perfectissimus maximam participationem lucis habens, qualitas passibilis, ac eius sensus quem visum appellamus, disgregatiua.

Confirmat. Et confirmatur; quia etiam si alicui desit olfactus, poterit per alios sensus odorabilium scientiam hoc discursu comparare: video vul
8. tures à longe moueri ad mortuam carnem, quam nunquam viderunt, nec tetigerunt, nec gustu, vel auditu perceperunt, deuorandam, alio igitur sensu quinto, quem olfactum vocant, & cuius proprium obiectum sunt odores.

3. Argum. Postremo de Deo Opt. cognoscimus esse vnum, esse infinitum: de Angelis quod sint substantiæ spirituales incorruptibiles, & perpetuæ, circa quas discurrere per inductionem
9. possumus ostendentes Michaelem esse spiritum, & Gabrielem, colligentesque vniuersalem propositionem, quod omnis Angelus sit spiritus, idque absque alicuius sensus operatione, cũ singularia hæc sensibus minimè subiiciantur: scientificam item notitiam habemus de materia; quod sit potentia, de forma quod sit actus, quas non sentimus; ex quibus planè infertur, adhuc deficiente sensu possibilem esse scientiam de eius obiecto, ac propterea talem defectum non necessario inferre defectum scientię (vt voluit Aristot.) cuius sententia non videtur hac in parte probanda.

Vera sententia refertur, & explicatur: soluuntur argumenta.

QVIBVS tamen non obstãtibus probandam existimamus, sed oportebit prius quibusdam adnotatis eam explicare, vt veritas (quam absque dubio continet) elucescat magis. *Vera sententia.*

Adnotandum est primò Aristot. hac in parte sermonem instituere de scientia rerum pro statu præsenti intellectus in corpore existentis, cuius obiectum proprium est ens materiale, vel sensibile mediis sensibilibus speciebus præceptum, de quo loquitur plane idem Aristot. 3 lib. de anima tex. 38. vbi statuit nihil esse à nobis intelligibile, nisi mediis sensibilibus formis, hisce verbis: *Quoniam autẽ neq; res vlla præter magnitudines, vt videntur sensibilia separata, in formis sensibilibus intelligibilia sunt, & quæ in abstractione dicuntur, & quæcũque sensibilium habitus, & passiones sunt, & ob hoc qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, nec intelliget.* Vnde fit, vt quæcumque intellectus pro hoc statu de spiritualibus intelligit, mediis sensibilibus, & non aliter percipiat, & hanc doctrinam tanquam veram, & necessariam recipiunt Peripatetici omnes: vnde fit vt eo modo cuncta ab intellectu cognoscantur, quo sub sensum cadere possũt, & iuxta diuersum modum sensitiuæ cognitionis esse etiam modum intellectiuæ. Cadunt autem primò sub sensum aliqua directe, & per se, quædam sunt accidentia corporea, & horum ratione substantiæ, quæ eis subiacent, ex quibus quædam solum secundum partes, vt mons aureus, quem monte, & auro perceptis fingimus, alia per sibi similia, vt dum, vrbem vnam, quam non vidimus ex aliis similibus, à nobis exploratis cognoscimus: alia demum secundum se non cadunt sub sensum, sed à natura rerum sensibilium eleuantur, qualia sunt

Primo nota de qua scientia loquatur Aristo. 10.

Arist.

11.

Quotupliciter res cadant sub sensum.

sunt Deus Opt. & Angeli, habent nihilominus quosdam effectus extrinsecos sensibus subiectos, per quos ab intellectu percipiuntur, vt motum, & alios similes; per se igitur quemadmodū non subijciuntur sensibus sic non percipiuntur ab intellectu nostro, sed quasi per accidens, vno quidem è duobus modis, per excessum, vel negationem rerum sensibilium, quo pacto intelligimus, Deum non esse quid corporeum sicut ea, quæ sentimus, sed quid aliud corporum perspectionē excedens; nec finitum, sed illuminatum habens esse; vel etiam per positiuos effectus, quod in creaturis producit, vt per motum corporeū, quem sensu percipimus, per nouū esse, quod creaturis communicat, intelligimus esse primum motorem, à quo omnes motus pendet, & primam causam, vel fontem totius esse: eisdemque modis negationis, & motus pauca quędam de substantiarum separatarum natura cognoscimus.

12. Adnotandum est secundò, duobus modis esse scientiam à nobis comparabilem, via inuentionis, aut doctrinæ, primo modo scientias comparârunt primi, qui eas inuenere: secundo, qui aliorum magisterio eas acceperūt; *Quibus modis comparetur scientia nota. 2.*

13. & siue hoc, vel illo modo adquirantur, dupliciter eas habere contingit, distinctè quidem, vel per proprios rerum conceptus; quo pacto sub scientiam nostram cadere possunt omnes res sensibiles, vt dum de homine cognoscimus esse, quid sit, quas habeat passiones, & quibus medijs de essentia per demonstrationem probantur; alio modo per conceptus communes, non pertingentes propriam naturam, vel proprietates rerum, sed confuse dumtaxat repræsentantes & hoc modo Deū & Angelos, cæterasque res spirituales in statu præsenti cognoscimus, de Deo enim Opt. assequimur quod sit, quod sit vnus, quod infinitus, atque æternus, quod actus purus corpore, vel materia carēs sed quid Deus sit, quid etiam horum attributorum, vel proprietatū

14. quælibet, non attingimus, quod necessarium esset, vt scientiam de eo, per proprios conceptus haberemus, per communes ergo dumtaxat eum cognoscimus, & quasi confusa quadam, atque imperfecta scientia. *Assertio. 1.*

His prælibatis quęstioni satisfaciūt sequētes assertiones, quarum prima est: cunctis sensibus deficientibus impossibile est aliquē scientiam de nouo comparare, nec per viam inuentionis, vel doctrinæ nec per proprios, vel communes conceptus.

De hac nullus vnquam dubitauit: nam si verum est obiectum nostri intellectus, pro hoc statu esse quidditatem rei sensibilis, nec quidquam percipere posse, nisi per sensuum ministerium, his penitus deficientibus, cessabit quoque intellectus ab operatione, vsque adeo, vt non solum non possit nouam alicuius rei cognitionem acquirere, sed neque iam acquisita vti: vnde si alicui postquam scientiam, sibi comparauit, omnes sensus externi, atque interni deficerent, non posset aliquem eius vsum habere, siquidem vsus scientiæ à phantasmatibus dependet (vt Aristot. docuit loco superius memorato) & experientia ipsa testatur; sed doctrina huius capitis non est adeo vniuersalis, idcirco ad eam per secūdam assertionem descendamus oportet. *Eius ratio.* 15.

Assertio secunda est, deficiēte aliquo sensu, bene potest quispiam per viam doctrinæ scientiam comparare de proprijs sensibilibus illius, non solum per communes, sed per proprios conceptus. *2. Assertio*

Probatur plane; quia edoctus à magistro, nosse poterit colorem esse qualitatem passibilem talis speciei ex tali mixtione primarū procedentem: albedinem esse colorem disgregatiuum visus; visumque esse sensum horum colorum perceptiuum: lucem quandam simplicem qualitatem, ratione cuius percipi colores possunt, esseque caloris causatiuam; & his similia, quorum certe notitia per talē viam habita ab operatione visus minimè pēdet *Eius ratio.* 16.

Assertio postrema; sensu deficiente, non est possibile scientiam acquirere, de eius obiecto proprta inuentione, ac per conceptus proprios, seu distinctos; sed solum per communes, vel confusos. *3. Assertio*

Prima pars huius assertionis est expressa sententia Aristotelis cap. præsenti, quæ vt minimum intelligenda est de impossibilitate acquirendi scientiam distinctam talis obiecti, per viam inuentionis, vt bene Paul Venetus in comment. huius cap. vbi vtramque assertionem nostram, secundam, & tertiam, valde probat: nam cæteri interpretes nullum ferme verbum de controuersia hac fecerunt. *Ratio primæ part. assertionis ex Aristot.*

Et probatur efficaci ratione: nam de deficiente visu (gratia exempli) impossibile est percipere naturam coloris, nisi per similitudinem, vel dissimilitudinem aliarum rerum, *Eius arg.*

quas per alios sensus percipimus vel certe per effectus communes, quo pacto Deum Opt. & Angelos cognoscimus, talis autem notitia non attingit propriam rei naturam, nec proprietates, sed communia quædam: possetque
17. namque per negationem aliorum sensuum elicere cœcus quintum alium esse ponendū, qui circa obiecta aliorum sensuum non versetur: vnde aliud etiam esse proprium sensibile ponendum præter quatuor; sed quidnā illud sit, quamve naturam, & proprietates habeat, haud quaquam posse poterit: vnde nec distinctam eius habere notitiam, & in hoc sensu accipiendum est vulgatum illud passim vsurpatum, cœcus non iudicat de coloribus, quasi propria inuentione distinctam eius notitiam comparare minimè possit.

Secunda pars assertionis probatur ratione. Et hoc est, quod secunda pars eiusdem assertionis affirmat, quam efficaciter probat secundum argumentum, eiusque confirmatio, cui doctrina Aristot. nullo modo contradicit: satis est enim eum, cui aliquis sensus à natiuitate deficeret, non posse propria inuentione scientiam de obiecto illius distin-
18. ctam comparare, vt absoluta locutione vetū sit deficere scientiam alicuius obiecti sensu, per quem percipitur, deficiente. Et certe, de distincti obiecti notitia loqui Aristot. dum impossibilem docet, ostendit plane eius ratio, nempe scientiam comparandam esse per demonstrationem, vel per inductionem, cuius principia ostenduntur: talis namque demonstratio, & talia principia distinctam rei notitiam præbent. Ostendit etiam proprium eius institutum, quod non est aliud (vt superius adnotauimus) quam naturam, & proprietates potissimæ demonstrationis, ac perfe-
19. ctæ scientiæ tradere, quod si ita est euidenter sequitur de ignorantia opposita tali demonstrationi, talique scientiæ nunc agere: ac propterea merito docet defectu alicuius sensus necessario inferre ignorantiam puræ negationis perfectæ, ac distinctæ scientiæ propria inuentione comparabilis de obiecto talis sensus, non negans confusam quandam eius notitiam esse adquisibilem cæterorum sensuum adminiculo.

Ad primum argument. Ad primum argumentum de vniuersalissimis principiis dicendum est, illa adhuc a sensibus dependere; tum quia terminorum notitiam, non nisi hac via capere possumus: tū etiam quia aliquando explicatione, vel ostensione indigent, vt eorum veritas capiatur; ostenduntur autem, vel explicantur exemplis, & inductionibus; vnde fit, horum etiā notitiam deficere sensibus omnino deficien- 20.
tibus, & quāquam circa rerum quidditates demonstratio versetur, materialium tamen, & sensibiliū, quæ non percipiuntur nisi mediis singularibus per sensum perceptis, quare negandum est demōstrationes nostras a sensuum notitia, vel operatione non dependere.

Secundum argumentum aliqualem colorum notitiam comparare posse cœcum per primas qualitates tanquam per causam conuincit, non tamen distinctam, sed per communes, atque confusos conceptus, quemadmodum primæ ipsæ qualitates in quantum colorum sunt causæ, cōfusè tantum possent cognosci, vt postrema nostra assertio ostendit; pendet namque distincta ex propriis sensibilibus speciebus, quibus mediantibus natura coloris, quemadmodum aliorum sensibilium percipitur, sensu igitur visus deficiente solum per similitudinem, vel negationem, vel certe per communem causæ conditionē perciperentur, vnde confusa esset eorum *Ad conf.* notitia, quam solum probat cōfirmatio eiusdem argumenti, posse per aliorum sensuum discursum acquiri, & id quidem de propria 21.
inuentione intelligimus, de qua accipienda est doctrina Aristotelis; nam per viam doctrinæ posset absque dubio distinctā comparare scientiam (vt secūda assertio nostra docuit) quanquam non ita perfectā, ac per proprium sensum.

Vltimum argumentum aliqualem etiam *Ad vlt. argum.* scientiam de Deo, & Angelis comparari à nobis probat, non tamen distinctam, sed confusam per communes conceptus propriam eorum naturam minimè attingentes; & hanc adhuc imperfectam non acquirimus absque sensuum adminiculo; nam cum eiusmodi substantiæ corpore careant, non subduntur directè, & per se intellectiuæ cognitioni nostræ, cuius proprium obiectum pro statu præsenti est quidditas rei corporeæ, vel materialis; sed per extrinsecos, atque corporeos effectus, per motum videlicet, & si- 22.
miles: vnde si sensus omnino deficerent nullam penitus notitiam harum rerum possemus comparare, sed nec iam comparata vti (vt primam nostram assertionem confirmantes ostendimus) & ex discursu per inductionem facto circa easdem substantias non

non possumus maiorem notitiam, quam per eosdem effectus acquirere, quin potius inductio qualibet notitiæ per effectus acquisitæ innititur? vnde non potest esse distinctior, aut perfectior.

SYLLOGISMVM OMNEM EX tribus constare terminis, maiori, minori, ac medio, & hos in infinitum, tam in propositionibus affirmatiuis, quam negatiuis abire non posse.

CAP. DECIMVMQVINTVM.

Est autem omnis syllogismus per tres terminos, & qui quidem monstrare potest, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. 1. *His, quæ pertinent ad naturam demonstrationis, tam ex parte propositionum, ex quibus conficitur, quam ex parte formæ syllogisticæ, modi videlicet, atque figuræ in quibus disponuntur, expeditis; docendum superest, quonam pacto mediatas præmissas reducere ad immediatas oporteat; hæc est enim resolutio posterior, à qua opus hoc denominationem accepit. Notumque est ex definitione demonstrationis, præmissas eius futuras esse propositiones immediatas, aut principia indemonstrabilia, vel certè talia, quæ ad hæc reduci à demonstratore valeant, non enim scire potest, qui mediatarum propositionum demonstrationem non habuerit, per quam vsque ad indemonstrabilia easdem referat: hanc igitur resolutionem, huncve modum reducendi præmissas in infinitum non procedere ostendit Aristoteles in his quatuor capitibus vsque ad 18. quæ non tam multa capita censeri debēt, quam multæ partes eiusdem, cap. autem 19. qualis sit.*

Diuisio eiusdem. 2. *Hoc igitur decimo quinto duo præmittit ad intentum finem valde necessaria scilicet tres suppositiones, quibus expositis proponit tres quæstiones tribus sequētibus capitibus soluendas.*

Prima suppositio. *Prima suppositio pertinet ad vniuersalem formam syllogisticam in libris priorum traditam, & est talis; omnis syllogismus conficitur ex tribus terminis, nam si in quatuor constituatur, manifestum patitur defectum, vt ibidē ostenditur: ex duobus vero nequaquam constitui potest, nam vt vnus probetur de altero in conclusione medium designare oportet, ratione cuius de eo enuncietur, medium autem aliud est ab extremis: vnde infertur necessario ex tribus syllogismum confici, ita vt neque ex pluribus, neque ex paucioribus.*

Exemplum. 3. *In vtroque syllogismo rem facit manifestā, affirmatiuo videlicet, & negatiuo, in affirmatiuo namque vnum extremum alteri inhærere in conclusione probamus per medium vtrique extremo conueniens, quod substantia homini medio animali: in negatiuo vero vnum remoueri ab altero per medium conueniens quidem positiue vni extremo, & repugnans alteri (ex puris enim negatiuis non constat vllus syllogismus) vt si probare velimus hominem non esse lapidem, oportebit mediū terminum talem accipere, qui homini conueniens lapidi repugnet, & eiusmodi erit animal, dicimusque, nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergò nullus homo est lapis.*

Ex his autem tribus terminis præmissas effici, pro quibus syllogismus supponit, ostēdit qui si demonstratiuus fuerit, præmissæ eius appellabuntur suppositiones, vel principia per se nota, vel certè talia, quæ ad per se nota reduci per demonstrationes valent, in quorum reductione non contingit in infinitum abire.

Secunda suppositio. *Secunda suppositio est, duplicem esse resolutionem dialecticam videlicet, & demonstrationum, quemadmodum duplex est syllogismus, dialecticus & demonstratiuus, omnis eamque resolutio per syllogismos fit, quibus præmissæ vsque ad immediata deferuntur principia; quam delationem merito vocamus: dialectica resolutio est delatio*

præmiss-

præmissarum syllogismi probabilis vsque ad maxime probabilia: demonstratiua vsque ad verè immediata, in eo enim distinguũtur processus dialecticus, & demonstratiuus, quod ille ex probabilibus, iste ex veris est, vnde fit, dialecticum ad ea, quæ immediata videntur duntaxat, præmissas syllogismi referre, licet vere medium habeant: demonstratiuum vero ad verè immediata: stare enim potest præmissas re ipsa medium admittere, videri autem pluribus, vel sapientibus medio vacare; & tunc intra ordinem probabilium immediata censebuntur, ideoque dialecticũ processum terminabunt: satque erit ad eas referri conclusionem, vt eius assensus probabilis habeatur: vt autem verè scientificus, necessario requiritur ad præmissas vsque re ipsa immediatas conclusionem deferri.

3. Suppositio. Vnde infertur suppositio tertia demonstratoriam artem non ex quibuscumque propositionibus veris procedere, sed ex his, quæ veritatem per se habent, quibus duo genera propositionem per accidens opponuntur; vnum 6. est earum, in quibus prædicatum non solum re ipsa, sed ex modo se habendi accidentaliter conuenit subiecto, quod semper euenit, dum subiectum de accidenti enunciatur, vt si dicamus album esse lignum, vel hominem & has vocat Aristoteles prædicationes secundum accidens, vel non secundum se quia prædicatum non secundum se, sed secundum alterum conuenit subiecto, nimirum lignum albo ratione eius, cui albedo accidit: contingit namque, aliquid, cui accidit albedo, esse lignum: aliud est accidentalium propositionum genus, in quibus licet prædicatum re ipsa sit accidens subiecti, non tamen habet modum accidentalem respectu illius, quia non ratione alterius, sed ratione sui conuenit, vt hominem esse album, quas vocat propositiones secundum se, quia prædicatum non conuenit subiecto secundũ alterum se, sed proximè, atque formaliter ei inhæret: itaque propositiones primi generis duplici de causa sunt accidentales, & ideò vocari possunt quasi accidentales per accidens: propositiones vero secundi generis non nisi vnica 7. ratione, & idcirco non accidentales per accidens, sed accidentales secundum se, quas huius rei gratia attulit, atque distinxit Aristoteles, vt intelligamus processum demonstratiuum ab vtrisque abstinere, & ex his propositionibus procedere, quæ nec sunt accidẽtales secundum se, nec per accidens: sed omnino per se (vt bene D. Thom. in his comment. lect. 31.

Expeditis suppositionibus tres alias quæstiones excitat Aristoteles in secũda parte capitis iuxta numerum terminorum, medij videlicet, & extremitatum: & versatur prima circa extremitatem minorem, an videlicet dato aliquo subiecto vltimo, quod de nullo alio enunciabile sit, dentur infinita prædicata eo superiora, debito ordine de eo enunciabilia; primum, videcet immediate, de quo immediate etiam dicatur aliud, & de hoc aliud in infinitum? vel certè talis prædicatorum ascensus ad vltimum aliquod terminetur, de quo non dicatur aliud? vt si homo sit vltimum subiectum, de quo proximè enunciatur animal, & de animali viuens, de viuento corpus de corpore substãtia, in qua talis ascensus terminatur, cum substantia sit vltimum prædicatum, de quo nullũ iam vniuoce enũciabile est. 1 quæst. 2. p. cap. 8.

Secunda quæstio est ex parte maioris extremi: an supremo aliquo prædicato admisso, de quo non dicatur aliud; dentur sub eo infinita subiecta tali ordine disposita, vt de primo proximè dicatur hoc autem, de quo proximè dicitur, in alio sit, & hoc etiam in alio vsque in infinitum? vel certè talis descensus à primo prædicato in inferiora subiecta ad vltimum terminetur, quod de alio subiecto minimè dicatur, vt in eodem exemplo cõstat: nam descensus à substantia per corpus, viuens, & animal in hominem terminatur tanquam in vltimum subiectum, sub quo non est aliud vniuersale subiectum: Itaque inter hanc secundam quæstionem, & primam illud est discriminis, quod 2. quæst.

nis, quod prima quærit, an à primo subiecto numerus prædicatorum sursum in infinitum ascendat? secunda vero, an à supremo prædicato numerus subiectorum deorsum in infinitum descendat?

3.Quæstio *Tertia, ac postrema quæstio circa mediũ versatur, quærẽs, an determinatis extremis,*
10. *hoc est, an dato vltimo subiecto, & supremo prædicato, infinita media assumi possint inter illa? quod idem est, ac si quispiam sciscitaretur, an demonstrationes sursum, & deorsum in infinitum procedant, vel certe versus vtrãque differentiam positiones suum terminum habeant? constat enim extremitates per medium coniungi in demonstratione, reuocatur autem in dubium, an vltimum subiectum, &*
11. *supremum prædicatum per infinita media, vel determinata coniungantur? siue à primo subiecto processus incipiat, & in vltimum terminetur prædicatum, seu ex opposito, à supremo prædicato incipiens in vltimum subiectum, si enim termino careat vtramque partem versus omnium erit demonstratio, & si ex vtraq; terminetur non demonstrabuntur omnia, sed in aliquo erit sistendum, cuius non sit demonstratio, sed per se notum principium iudicatum sit.*

Eiusmodi autem quæstiones locum habere docet non solum in affirmatiuis, sed in negatiuis demonstrationibus, cuius aperta est ratio nam quemadmodum extremitates in affirmatiua coniunguntur per medium positiuum vtrique extremo conueniens, pari ratione in negatiua vnum remouetur ab altero per medium positiue vni conueniens, ab altero vero remotum, vt hominem non esse lapidem demonstramus per animal cum homine coniunctum à lapide verò remotum, ab affirmatiua vero, & negatiua demonstratione solum ea
12. *est excipienda, quæ in reciprocis, vel conuertibilibus terminis constituitur, quales sunt propriæ differentiæ, & passiones, quæ de subiectis enunciantur, ac de eisdem subiecta, vt respectu hominis rationale, capax disciplinæ admiratiuum, & risibile, quæ esto infinita essent, nullum datur supremum prædicatum, nec vltimum subiectum, sed promiscuè prædicantur, & subijciuntur, ita vt quocumque accepto de reliquis prædicetur, & de ipso reliqua eo duntaxat excepto, quod passiones prædicẽtur de subiecto tanquam accidentia, hoc verò de passionibus, vt substantia, quasi dicat, illæ quidem tanquam accidentales formæ, ac propterea prædicatione directa, subiectum verò tanquam prædicamentum, hoc est, tanquam* 13. *substantia, à qua oriuntur, & cui inhærent: nisi velimus tale discrimẽ non inter passiones & subiectum constitui ab Aristotele, sed inter passiones ex vna parte, & definitionẽ ex altera vtriusq; tamen cũ subiecto cõparatis, ita vt discrimẽ non sit in modo prædicãdi directè, sed accidentali, vel substãtiali sensusq; sit, inter passiones, ac definitionem, quæ reciprocantur cũ subiecto discrimẽ esse, quod illæ prædicãtur de subiecto accidentaliter, non quidem vt cõmunia sed vt propria accidentia; definitio verò tanquam prædicamentum, id est, substantialiter: nam cum præcipuum sit prædicamẽtum substantia, pro eo duntaxat nomen prædicamentum (tanquam analogũ) per se sumptum supponit*

QVOD EXTREMIS FINITIS *existentibus media non possint esse infinita.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM

QVod igitur inter media non contingit infinita esse, si deorsum stent prædicamenta, manifestum, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

Intentum 1. *INchoatum cap. præcedenti discursum prosequitur Aristoteles in præsenti quod nos continuata ferè expositione interpretãtes in duas partes diuidimus: in priori ni[illegible] statuit*

Diuisio bimembris. tuit conclusionem Aristoteles, quæ ostendit tertiam quæstionem propositam esse impossibilem; eamq; vnica ratione confirmat; in posterior, cuidam tacitæ obiectioni respondet.

1. Memb. Conclusio talis est, extremis finitis existētibus, nempè vltimo subiecto, ac supremo prædicato, repugnat media esse infinita, atque adeò demonstrationes in infinitum procedere, sed necesse erit media sicut extrema esse finita, & ex cōsequenti demonstrationes statum habere in aliquo indemonstrabili.

2. Confirmationi huius conclusionis præmittit Aristoteles explicationem vtriusque processus sursum & deorsum, hoc est, à primo subiecto vsque ad vltimum prædicatum, & ab hoc rursus vsque ad illud, dicens processum sursum vocari à particularibus ad vniuersalia, quod satis notū est: nam cum superius ascēdimus, à minus vniuersalibus ad magis vniuersalia tendimus, quo vsque ad vniuersalissimū perueniamus prædicatum, quod appellamus supremum, quo enim superiora sunt prædicata eo sunt vniuersaliora: processus deorsum vocatur, cum è diuerso ab vniuersalibus ad

3. particularia proceditur, quo enim inferiora sunt prædicata eo sunt contractiora, minusvè vniuersalia: ideò particularis iste processus, & quasi motus deorsum appellatur.

Probatio. Quibus expositis tali ratione probat intētam conclusionē; si inter supremum prædicatum, & vltimum subiectum infinita intercedunt media, siue ab illo incipias vt ad hoc peruenias, vel ab isto in illud tendas, ad neutrum peruenire poteris. Probatur euidenter, quia infinitū non est pertransibile, sed à quocumq; processus incipiat, oportet infinita pertrāsire, vt perueniamus ad alterū, repugnabit igitur ad illud accedere, atque adeò coniunctionē vnius extremi cū altero per talia media ostēdere quod cū sit scopus totius demōstratoriæ ar-

4. tis, imò vnicum ipsius demonstrationis officiū, sequitur plane demonstrationem ac demonstratoriam artem esse impossibilem: relinquitur ergò inter extrema finita nequaquā esse posse infinita media, siue sursum, siue deorsum procedatur, sed media sicut extrema finita esse.

Respondet Aristoteles cuidam obiectioni in extrema parte capitis quæ talis esse posset, inter extrema finita, vltimum videlicet subiectum, & supremum prædicatum, esse quidem infinita media, non tamen omnia contigua, hoc est immediata, sed inter quæ medium reperiatur, ex quo videri posset alicui non esse impossibile transitum, sed posse quempiam ab vno ad aliud extremum peruenire, probareque vnum alteri coniungi, fieretq; demonstrationes in infinitum non procedere. 2. Memb. 5.

Fit autem satis huic obiectioni (ait Aristoteles) si cōsideremus nihil referre, quod media sint, vel contigua, si modo infinita sint, nam vt ab vno in aliud extremum quis transeat, necesse est per singula media quomodo libet se habentia transire, sed infinita non contingit pertransire, ergò nec possibile est ab vno in aliud peruenire extremum, idemq; incōueniens reddit, vt in infinitum procedant demonstrationes nec demonstrabilem esse vllā coniunctionem extremorum. Obiectionis solutio.

QVOD SI PRAEDICATIONES affirmatiuæ sint finitæ sursum & deorsum, impossibile sit demonstrationes negatiuas in infinitum procedere.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM

PLanum autem, & in priuatiua demonstratione, quòd statur, siquidē in prædicatiua statur ad vtraque, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

POstquam Philosophus ostendit inter extrema finita nō dari infinita media, ideoque demonstrandi viam statum in extremis habere, ad quæ per media finita peruenitur Intentum.

siue

siue motu sursum à primo subiecto ad supremum vsque prædicatum procedamus, vel motu deorsum à supremo prædicato ad vltimũ vsque subiectum: ad particularia descendens negatiuarum, atque affirmatiuarum demonstrationem, probare nunc intẽdit negatiuas demõstrationes in infinitum non procedere, si ita est quod affirmatiua prædicata vel propositiões sint finita, tam in motu sursum, quam deorsũ. Affirmatiua autem prædicata sunt, quæ à primo subiecto accipiuntur vsque ad supremum prædicatum de eodem primo subiecto, atque intermedijs, affirmata in motu sursum, at-
2. que deorsum, quæ sub prædicato supremo accipiuntur vsque ad vltimum subiectum, eiusmodi enim subiecta sunt respectu superiorum & respectu inferiorum prædicata, quæ de eisdem affirmantur, habemus exemplum vtriusque in homine, & substantia, nam prædicata, quæ de homine tanquam de primo subiecto, ac de intermedijs vsque ad substantiam affirmantur, finita sunt, videlicet anima, viuens & corpus, & rursus subiecta, quæ à substãtia vsque ad hominem accipi possunt, & vicissim sunt prædicata, quæ de subiectis affirmantur, etiam sunt finita, cum sint eadem diuerso modo accepta: supposito ergo quod eiusmodi prædicata, & subiecta ex quibus affirmatiuæ constituuntur demonstrationes, finita sunt, docet Aristoteles finitas esse negatiuas demonstrationes inter eadem extrema, & hoc est primum quod cap. præsen ti præstat illud in omnibus figuris, prima, videlicet
3. secunda, & tertia, exemplari quadam inductione probans: tandem in calce capitis facilem quandam obiectionem proponit, ac diluit.

Diuisio cap. bimẽbus.

4. Memb. Conclusio igitur talis est, supposito quod affirmatiua prædicata finita sint, tam in motu sursum, quam deorsum, repugnat negatiuas demonstrationes in infinitum tendere, sed necesse est non secus, ac affirmatiuas statum habere in extremis.

Ratio tribus figuris accõmodata. Quam in omni figura veram esse ostendit hac vnica ratione negatiua propositio in quacumq; figura potest demonstrari: sed in nulla ex vtraq; præmissa negatiua, nam talis syllogismorum dispositio prorsus negatiua inutilis
4. est, necesse est ergò ex altera affirmatiua demonstretur, in prima quidem figura ex minori, cum in ea non admittatur minor negans, in secunda ex maiori, vel minori indifferenter, vt ex minori in Cesare, ex maiori in Camestres, in tertia verò ex sola minori in Felaptõ & Bocardo, & Ferison, quanuis vniuersalis nunquam in hac figura demonstretur: sed affirmatiua prædicata, & prædicationes ex suppositione sunt finita, ergò necesse est negatiuas etiam demonstrationes certum terminũ habere, ita vt vltra illum non procedant. Hãc rationem vnicam esse dicimus, licet eam Aristoteles singulis figuris accõmodans quasi triplicem videatur efficere.

5. Sic igitur accommodatur primæ figuræ, si enim in ea sit demonstranda propositio negatiua, per tale vtiq; medium, de quo in maiori negetur extremum maius, & quod in minori, affirmetur de extremo etiam minori, sed media, siue prædicata affirmatiua sunt ex suppositione determinata, ergò negatiuas demonstrationes in hac figura (quæ sine affirmatiua præmissa non constant) statum habere
6. in eisdem extremis necesse est, res fit manifesta si demonstranda propositio sit, nullus homo est qualitas medio quidẽ animali, de quo qualitas vniuersaliter negatur in maiori, & quod de homine affirmatur vniuersaliter in minori, dicemusq; nullum animal est qualitas, omnis homo est animal, ergò nullus homo est qualitas ex quibus præmissis minor per se nota est maior verò demonstrabilis, erit autem demõstranda per medium superius animali, quod proinde affirmetur vniuersaliter, & immediatè de animali eodem in minori, & de quo qualitas in maiori vniuersaliter negetur, & tale erit viuens, sicq; procedemus, nullum viuens est qualitas, omne animal est viuens,

ergò nullum animal est qualitas: & si rursus demonstranda maior sit (nam minor indemōstrabilis est) fiet quidem per aliud medium viuente superius, quale est corpus vniuersaliter
7. de viuente in minori enunciabile, ac de quo qualitas vniuersaliter in maiori negatur, talisque demonstratio fiet nullum corpus est qualitas, omne viuens est corpus, ergò nullum viuēs est qualitas: & adhuc maior quæ sola demonstrari potest sic per substantiam ostendetur, nulla substantia est qualitas, omne corpus est substantia ergo nullum corpus est qualitas; & eccè tibi demonstrationē negatiuam vtraque præmissa per se nota constantem, statumque proinde habentem in supremo prædicato proximè affirmato de subiecto, constituentēque propositionem affirmatiuam immediatā, atque indemonstrabilem, ratione cuius non potest vltra procedere.

In media etiam figura nō omnino dissimile exemplum designare possumus, in quasi demonstranda est negatiua propositio, per medium certè, quod de altera affirmetur extremitate, maiori, vel minori. nam de vtraque
8. negari impossibile est: sit igitur negatiua demonstranda, nulla qualitas est homo, medio animali vniuersaliter negato de qualitate, & affirmato vniuersaliter de homine demōstrabitur aute hoc modo in Camestres, omnis homo est animal, nulla qualitas est animal, ergò nulla qualitas est homo cuius demonstrationis sola minor demonstrari potest, cum per se sit nota maior erit autem demonstranda per medium superius animali quod etiam à qualitate vniuersaliter remoueatur, animali verò vniuersaliter conueniat hac ratione: omne animal est viuens, nulla qualitas est viuens, ergò nulla qualitas est animal, cuius minorem sic poteris per corpus ostendere omne viuens est corpus, nulla qualitas est corpus, ergò nulla qualitas est viuens, & huius demum minor per substantiam sic erit demonstrabilis, omne corpus est substātia, nulla qualitas est substantia ergò nulla qualitas est corpus: quam demonstrationem omni ex parte esse immediatam constat, statumque habere supposito quod cum habent affirmatiua propositiones.

In tertia tandem figura eandem rationē Nota, 9.
conuincere ostendit Philosophus, peculiarem huius figuræ conditionem præmittens, nempè medium tale esse accipiendum, non quod sit prædicatum in præmissis sed in vtraque subiectum, vnde fit demonstrationes in ea procedere, quasi per motum deorsum, nimirum à supremo prædicato vsq; ad vltimum subiectū, nam in prima, & secunda, cum medium sit in vtraque, vel in altera saltem prædicatum, quasi motu sursum tendimus ab vltimo subiecto ad supremum vsq; prædicatum, tunc ergò si propositio negatiua in tertia sit figura demōstranda erit quidem per medium, quod vtriq; subijciatur extremo vni quidem affirmatiuo negatiuo alteri, si ergò processus affirmatiuarum in propositionum à supremo prædicato vsque ad vltimum subiectum non procedit in infinitum, sed statum in eodem vltimo subiecto habet, sequitur euidēter demonstrationes negatiuas in tertia figura in eodem vltimo subiecto statum habere: etenim si absque altera affirmatiua præmissa fieri repugnat, non minus repugnabit vltra statum illius procedere, sed demonstrationem pertingentem vltimum subiectum vtraque præmissa indemonstrabili motu deorsum constare necesse est.

Demonstrabitur autem negatiua propositio in hac figura assumpto medio, quod sub vtraque sit extremitate, ita vt vna earum de eo affirmetur, & negetur altera. gratia exempli, si propositio negatiua demonstranda 10.
sit corpus non est qualitas, medium tale erit accipiendum, quod sit sub corpore quidditatiuè contentum, de quo vniuersaliter idem corpus enūciabitur, negabitur qualitas eiusmodi erit viuens, per quod sic demonstrabitur in Felapton, nullum viuens est qualitas, omne viuens est corpus, ergo corpus non est qualitas; & huius quidem demonstrationis sola maior demon-

demonstrabilis est, ostendetur autem per medium inferius subiecto, de quo vniuersaliter prædicatum negabitur hoc modo, nullum animal est qualitas, omne animal est viuens, ergo viuens nō est qualitas: & si rursus demonstrare velis maiorem huius demonstrationis, accipies hominem, de quo vniuersaliter enunciatur animal, & à quo vniuersaliter qualitas remouetur, dicesque nullus homo est qualitas omnis homo est animal, ergò animal non est
11 qualitas: & hæc erit vltima demonstratio, vltra quam descensus procedere nequaquam potest, cum vltimum subiectum vniuersale de quo prædicatum enunciatur, sit homo; vltimū item medium in motu deorsum ad demonstrādam propositionem assumptibile, vnde fit, hūc esse statum negatiuæ demonstrationis, supposito, quod affirmatiua non potest vlterius progredi. Ex qua suppositione euidenter probatur negatiuam demonstrationem non procedere deorsum in infinitum: & cum superius ostensum sit, non procedere in infinitum motu sursum, sed in supremum prædicatum sistere, inferre licebit, nec motu sursum, nec deorsum in infinitum abire.

Ad 2. Mēbr. cap. Notab. 1. Proponit tandem Aristoteles dubium quoddam ex doctrina huius capitis ortum; quod (vt intelligamus, adnotare oportet, negati-
12. uas propositiones mediatas esse in triplici differentia, quædam sunt tales ex parte prædicati, quædam ex parte subiecti, aliæ ex parte vtriusque: mediata propositio ex parte prædicati ea est, quæ medium ex parte illius habet, per quod ad immediatam refertur, talis est hæc, qualitas non est homo, ad immediatam reducibilis per animal, viuens, corpus, & substantiam: mediata ex parte solius subiecti cēsetur illa, quæ medium habet ex parte illius, per quod ad immediatam reuocatur, qualis est hæc, nullus homo est quantitas: ea demum, quæ tam ex parte subiecti quam prædicati, demonstrabilis est, mediata vocatur ex parte vtriusque, vt homo non est color: & quidem mediata ex parte prædicati reducibilis est per primam figuram, mediata ex parte subiecti per secundam (vt superius mentem Aristotelis explicantes adnotauimus) mediata demum ex parte vtriusque per vtramque figurā reducitur, primo namque in immediatas ex parte vnius extremi, deinde ex parte alterius resoluitur, vt sic omni ex parte reducta censeatur.

Secundo. adnotandum est quasdem esse mediatas ex parte superiorum prædicatorum, quæ referuntur vsque ad supremum prædicatum per inter media: aliæ sunt mediatæ ex parte inferiorum: & quidē priores referuntur vsque ad supremum prædicatum per primam, & secundam figuram, posteriores vsque ad vltimum subiectum per tertiam, vt exemplis ostedimus: aliqua etiam proposito potest esse mediata, tam versus prædicata superiora vsque ad supremum, quam versus inferiora subiecta vsque ad vltimum, & talis erit reducibilis per omnes figuras, in ordine ad supremum prædicatum per primam, & secūdam, in ordine ad vltimum subiectum per tertiam, nota sunt hæc ex doctrina huius capitis. 2. Notab. 13.

Quibus suppositis dubium eiusmodi est: licet demonstrationes negatiuæ, quibus mediatæ propositiones ad immediatas referuntur, vnius vel alterius figuræ in infinitum non procedant, sed cum possint reduci per omnes, & per motum sursum, & deorsum, poterūt omnes simul quemlibet terminū excedere, quod si ita sit, corruet profecto vniuersa doctrina huius capitis, definiens statu habere negatiuas demonstrationes supposito quod affirmatiua eum habeant. Dubium.

Diluit Aristoteles obiectionem admittēs in omnibus figuris posse negatiuas demonstrationes cōstitui, quibus mediatæ propositiones ad immediatas referantur; sed adhuc hoc admisso consequi docet processum infinitum in demōstrationib. vllo modo, cuius ea est ratio. quia demonstrationes cuiuslibet figuræ finitæ sunt, demonstrationes etiam cuiuslibet motus, sursum videlicet, & deorsum: fi- Solutio. 14. Ratio.

nitum autem non infinities sumptum non potest in infinitum multiplicari; vnde fit omnes demonstrationes hisce vijs, vel modis constructas finitum numerum minime excedere.

QVOD PRAEDICATIONES affirmatiuæ non possunt in infinitum procedere.

CAP. DECIMVM OCTAVVM.

QVod autem in illis, logice quidem speculantibus, ita manifestum, &c.

EXPOSITIO. TEXTVS

Intentum Aristot in hoc cap. NEgatiuas demonstrationes non abire in infinitum, sed statum habere tam sursum, quam deorsum in extremis, videlicet in supremo prædicato, vltimoq; subie- 1. cto, probauit Arist. cap. præcedenti, non quidem absolutè sed facta suppositione, quòd affirmatiua prædicata, propositiones sic terminentur: id autem stabile, seu firmum non esset, nisi suppositio ipsa probaretur; eam igitur probare intendit capite præsenti in quatuor partes diuiso; nam primo in particulari probat prædicata substantialia non esse infinita; secundo vt vniuersalius ostendat non solum propositiones essentiales, aut per se, sed etiam accidentales, & per accidens finitas esse, tres suppositiones præmittit, ac tertio id probat duplici ratione logica, & vnica demonstratiua, ex quibus duo tandem corolaria infert.

Diuisio eiusdē in 4. memb

1. Memb. prædicata substātialia nō esse infinita. Prædicata substantialia cuiuslibet rei (hæc namque affirmatiuas propositiones constituunt) non esse infinita sic probat: qualibet res definitur per substantialia prædicata generis, ac differentiæ: si igitur eiusmodi prædi- 2. cata sint infinita, sequitur planè nullam esse possibilem definitionem, cum non sit possibile ad vltimum prædicatum essentiale peruenire; nam neque infinitum comprehendi omnino potest, nec pertransiri, vel certe si adhuc velis definitionem infinitorum prædicatorum dare, non erit vllo modo cognoscibilis, nec per eam ipsamet rei essentia: quæ cum planè absurda sint, sequitur essentialia rerum prædicata (ex quibus affirmatiuæ conflantur propositiones) minimè in infinitum abire.

Vt autem vniuersalius ostendat cunctas propositiones affirmatiuas, siue sint accidentales, vel essentiales, siue sint per accidens, vel per se statum habere, præmittit primo prædicationem accidentalem veram triplicem esse; nam vel prædicatur accidens de accidenti, dum dicimus album esse musicum: vel subiectum de accidenti, si dicamus album esse lignum: vel accidens de subiecto, vt album de ligno, vel homine: eiusmodi autem prædicationes valde diuersas esse ostendit diuersus modus se habendi prædicatorum ad subiecta, nam dum subiectum prædicatur de accidenti, non significatur prædicatum secundum se conuenire subiecto, vt dum dicimus album esse lignum, non significamus album secundum se esse subiectum ligno, vel ei substare; nam tunc sensus esset, album factum esse lignum, quemadmodum dum dicimus lignum esse album quia lignum secundū se substat albo, verum est lignum fieri, vel factum esse album: & vniuersaliter, quodlibet subiectum quod secundum se suscipit prædicationem accidentis, verè dicitur tale factum, nimirum album, vel nigrum, sed non est verum dicere quod album factum sit lignum, ergò non est verum dicere, quod ratione sui sit lignum; quod rursus probatur, nam si non est verū dicere albū factū esse lignum, ergò nō est lignū, nisi dicatur semper fuisse lignū nō est enim tale aliquid ab accidenti aliquo, nisi tale sit factum vel semper fuerit: constat autē album non semper fuisse lignum, cum aliquando non fuerit simul albedo, & lignum; ergo album non est secūdum se lignū, sed ratione alterius, nempè

2. Memb. prædicatio accidētalis triplex: prima suppositio.

3.

4.

nempè ratione communis concreti ab albedine denominati, cui accidit lignum esse: tantundemq; de ea prædicatione iudicandum est, in qua accidens prædicatur de accidenti,
5. *vt musicum est album: nec enim musico secundum se albedo conuenit, sed ratione illius subiecti materialis à musica denominati, cui contingit inesse musicam: vnde non solum accidentaliter conuenit musico albedo, sed per accidens; quia casu euenit, quod in eo subiecto secundum se denominato à musica albedo concurreret. Ab his autem duobus generibus accidentalis prædicationis differt tertium, in quo accidens prædicatur de subiecto, quia prædicatum secundum se inhæret subiecto, ac proinde de eo dicitur, & non ratione alterius, cui accidit: vt dum dicimus lignum esse album, ligno secundum se, hoc est, non ratione alterius sed sui albedo inhæret, & si sic loqui liceret, possemus dicere, intra latitudinem accidētalium prædicationum hanc solam esse per se accidentalem; duas vero priores esse accidentales per accidens.*

Illatum Aristot. *Vnde meritò infert Aristoteles, eam duntaxat esse prædicationem accidentalem simpliciter, reliquas vero non nisi secundum quid.*

Meritò etiam infert secundo, quòd si iux-
6. *tæ rerum naturas nomina sunt imponenda, illæ in quibus subiectum de accidenti, vel de vno accidenti aliud prædicatur, non sunt appellandæ prædicationes, vel si appellantur solum secundum quid: sola autem postrema dicenda est prædicatio, in qua prædicatum non ratione alterius, sed sui conuenit subiecto; ars enim demonstratoria (cuius rationem nunc explicare contendimus) talem improprietatem prædicationum non admittit, sed solum vocat prædicationem, in qua vnum secundum se conuenit alteri, per se, vel accidentaliter. Et hæc est prima suppositio.*

2. Suppositio de prædicationibus proprijs. *Secunda loquitur de prædicationibus proprijs; quas solum esse docet secundum decem prædicamenta; quia quidquid de altero secundum se prædicatur, aut in quod quid est, hoc est, per modum prædicati substantialis de eo*
dicitur, vel certè per modum qualis, aut 7.
quanti, seu alicuius alterius prædicamenti: & quidem vnius de vno addit Aristoteles: nam si prædicatum non sit vnum, sed multa, nec dicitur simpliciter quid, quale, vel quantum, vnius vè prædicamenti: sed plurium; reijciendaq; erit talis prædicatio à demonstratoria arte, vtpote non vnius per se, sed per accidens: quemadmodum entia per accidens, quia non vnius, sed plurium prædicamentorum sunt, à scientia, & arte exclusa censentur.

Inter prædicata autem decem prædicamentorum discrimen statuit Aristoteles; quia dum substantia prædicatur de substātia, essentialis est prædicatio, cum significet, quòd verè illud est vel certè, quòd verè illud aliquid; quasi dicat (vt exponit D. Thom.) vel prædicatum importat integram subiecti essentiam quale est definitio, vel solum alteram essentiæ partem, qualia sunt genus, vel differentia: aut secundum aliam expositionem, quam idem D. Tho. magis esse ad mentem Aristotelis iudicat, ita vt diuersitas se teneat non D.Thom.
tam ex parte prædicatorum, quam ipsiusmet 8.
subiecti quod quandoque est conuertibile cum prædicato essentiali, sicut definitum cum definitione, & hoc significatur dum dicitur, quòd verè illud est: quandoque verò est pars subiectiua prædicati, sicut homo animalis, idq; designatur dum dicitur, aut quod verè illud aliquid; quasi velit dicere subiectum esse aliquando vnum aliquod ex multis sub prædicato contentis. Cum verò prædicantur reliqua prædicamenta de substantia nulla talis prædicatio substantialis est, sed omnes sunt accidentales, cum nec subiectum sit ipsum prædicatum, aut aliquid eius substantialiter; aut prædicatum sit subiectū, vel aliquid substantiale eiusdem; sed quid extra totam substantiā, vel essentiam, quod eidem substan-

tiæ in-

tia inhæret, vel adiacet; quam differentiam exemplis facit manifestam, nam cum dicimus (ait) hominem esse album, accidentale est prædicatum respectu subiecti, cum nec album sit ipse homo substantialiter, neque aliquid substantiæ eius: quēadmodum dum dicimus eundē hominē esse animal, verè .n. homo est id, quod verè est animal, aut quia animal ad eius essentiā pertinet, aut quia pars subiecta eiusdem animalis homo est, sed esto nouem prædicamento non prædicentur essentialiter de substantia, sed accidentaliter, non tamen accidentaliter per accidens, quemadmodum subiectum de accidenti, vel vnum accidens de alio, sed secundum se; quia non ratione alterius ei inhærent, vel adiacent, sed ratione sui; vnde similes prædicationes simpliciter vocantur tales in ordine accidentalium. Et hæc est secunda suppositio.

Obiectio. Aduersus quam obijcere aliquis posset (inquit Aristoteles) dum substantiam de substantia prædicamus, vel de substantia accidentia

10. reliquorum prædicamentorum nec prædicatum esse ipsummet subiectū, nec accidens aliquid subiecto inhærens, sed formas quasdam separatas à subiectis, & singularibus, quas Plato Ideas appellabat, vt dum animal de homine prædicatur, non aliqua natura, quæ realiter sit ipse homo, vel aliquid ei essentiale, sed separata quædam forma, ex cuius participatione habet esse viuentis, sensibilis, enuncietur & modo simili in prædicationibus accidentalibus.

Solutio. Respondet Aristoteles tales Ideas monstra quædam esse, aut portenta, vel certè irrisionis gratia (vt translatio Argyropoli habet (fidium attrectationes, quasi impossibile sit, & absurdum satis ponere prædicata esse formas separatas à subiectis, cum euidens sit nihil de altero prædicari, nisi in eo sit, nam vera prædicatio id importas, quod est subiectum esse

11. illud, quod per prædicatum importatur, nēpè animal, vel substantiam, album, vel nigrum, & id quidē formaliter nō participatiuè. quod si ita est pugnat, planè cum natura vera prædicationis formas separatas prædicari, præter quā quod impoßibiles sunt, vt alibi ostēditur.

Tertia suppositio est, quòd quamquam subiectum & accidens de se inuicem prædicentur vera prædicatione, non tamen æquali, hoc est, non propria & naturali, sed accidens de subiecto, directa ac naturali prædicatione; subiectum verò de accidenti indirecta, & quasi præter naturam. 3. Suppositio.

Constat primum veras esse vtrasque prædicationes, siue album de homine enūcies, vel de albo hominem; nam si semel albedo inest homini, non solum erit verum esse album, sed ex consequenti aliquid ab albedine denominatum esse hominem. 1 Pars suppositionis probatur. 12.

Quod verò non sit vtraque propositio propria & naturalis, sed solùm prior ostendit Aristoteles tali ratione, iuxta naturam prædicationis habet se prædicatum tanquam forma, vel qualitas subiecti; hoc verò tanquam illius materia sed repugnat duo sic se habere, vt sibi inuicem sint formæ, vel qualitates ergò repugnabit ex consequenti, vtcumque de altero naturaliter, ac directè prædicari. Probatur minor, nam ex quo vnum est qualitas respectu alterius, hoc alterum se habet respectu illius tanquam subiectum recipiens, & ex consequenti per modum materia ab eo determinabilis, repugnabit igitur se habere vt formam, vel qualitatem respectu eiusdem, ac propterea, vt naturaliter de eo enuncietur, sed quamuis verè, non nisi præter naturam enunciabitur: & hoc est quod Aristot. voluit illo verbo, qualitatis non esse qualitatem quasi dicat, illud, respectu cuius aliud est qualitas non se habere respectu eiusdem per modū qualitatis. 2. probat Aristot. 13.

Nomine autem qualitatis (vt bene Paulus Venetus in commentarijs huius loci) non significat Aristoteles quartū prædicamentum, sed vniuersalior est acceptio pro qualibet forma accidentali modum, qualitatis habenti respectu subiecti, quod afficit, ac de quo prædicatur:

catur: vel si de qualitate propriè loquitur,
exemplum in quarto prædicamento producit
quod propriissimam habet conditionem acci-
dentalis formæ (vt intelligamus sic rem se ha-
bere in cæteris accidentibus.

Et quod de prædicationibus accidentalibus
statuitur, de essentialibus est accipiendum se-
cundum proportionem, ita vt mutua sit præ-
dicatio vnius substantiæ de altera, non tamen
æqualis, hoc est, non naturalis, sed si vna præ-
dicatur de altera directè, & naturaliter, al-
tera non prædicetur de eadem nisi prædicatio-
ne indirecta, & præternaturam. Itaque de-
finitio integra genus, & differentia per se præ-
dicantur naturaliter de specie, vt animal ra-
tionale, & vtraque pars per se enuncian-
tur de homine; homo verò de his non nisi in-
14. directè, & præter naturam, vtraque igitur
prædicatio vera est, sed sola prior naturalis,
sola prior directa, cuius eadem est ratio, quia
integra definitio, & qualibet eius pars mo-
dum formæ habet comparatione speciei, spe-
cies verò habet similitudinem materiæ. præ-
dicabuntur ergò illæ naturali prædicatione,
hæc verò non nisi præter naturam cum non pos-
sit modum formæ habere, vt oportet ad natu-
ralem prædicationem constituendam.

3 Memb. cap. prima ratio. His suppositionibus præmissis probat iam
Aristoteles intentum, nempè in affirmatiuis
propositionibus non esse procedendum in infi-
nitum, & primò quidem rationibus (vt ait)
logicis id de prædicatis substantialibus osten-
dit, in quibus processus infinitus tribus modis
posset considerari, iuxta triplicem motum,
15. sursum, deorsum, & circularem, & de his
omnibus probat certum terminum habere,
de motu quidem sursum; nam substantia sci-
tur per genus, & differentiam, quæ sunt par-
tes eius essentiales si ergò in infinitum procedi-
tur sursum, erunt infinita genera eiusdem
substantiæ, infinitaq; differentiæ, quas im-
possibile comprahendere, cum infinitum non
sit pertransibile; & hinc fiet nullam substan-
tiam esse per scientiam cognoscibilem nisi po-
namus determinata habere prædicata, quæ
comprahendi valeant.

Eademque ratione conuincitur non esse
procedendum in infinitum deorsum, nam si
prædicata sint finita, erunt etiam finita sub-
iecta, quæ vicissim etiam sunt prædicata: qua-
re si datur prædicatum supremum in ascensu,
dabitur etiam vltimum subiectum in descensu.

Sed esto motus isti recti sursum, & deor-
sum in infinitum non procedant, posset ali-
quis credere circularem esse infinitum etiam
inter subiecta, & prædicata finita per mutu- 16.
am conuersionem propositionum, quemad-
modum motus circularis infinitus est, etiam
si super finitam lineam fiat per continuam cor-
poris deuolutionem, idcirco Aristoteles ta-
lem processum circularem infinitum esse non
posse sic ostendit, vt infinitus sit processus cir-
cularis inter prædicata substantialia, neces-
se est reciproca esse, ita vt ad conuertentiam
dicantur superiora cum inferioribus, genera
cum speciebus subalternis, & atomis, quod
planè est impossibile; esse autem reciproca-
tionem necessariam, vt in infinitum proceda-
tur, euidenter potest sic probari: quia neces-
se est inferiora prædicata per superiora de-
monstrari posse, quemadmodum per hæc de-
monstrantur illa; sed hoc est impossibile; quia
superiora prædicata per se prædicantur de in-
ferioribus, hæc verò de illis non nisi per acci-
dens, indirectè, & præternaturam; tales
enim sunt prædicationes istæ, animal est ho- 17.
mo, viuens est animal, & similes; nam ex
modo se habendi prædicatorum ad subiecta,
planè sunt per accidens (vt docuit Aristote-
les) ex propositionibus autem per accidens
non constat demonstratio; ergò non potest
circulariter procedere inter superiora & in-
feriora prædicata.

De prædicatis etiam accidentalibus tan-
tundem probat, quod nec circularis prædica-
tio in eis tendere possit in infinitum, neque
etiam sursum, vel deorsum, sed omnibus mo-
dis finita sit, & quidem de circulari eodem
modo ac

modo, ac de substantialibus prædicatis probat, nec enim ad conuertentiam dicuntur accidens, & subiectum, cum hoc non prædicetur de illo nisi prædicatione per accidens (vt superius ostensum est) & hic modus prædicandi remotissimus sit à demonstratoria arte. Quod vero neque sursum nec deorsum ostendit; quia accidentia quæ possunt prædicari de substantia vel de quibus eadem substantia prædicari potest, finita sunt nouem prædicamentis comprehensa, quorum quodlibet finita genera, species, ac differentias habet; ergò finita erunt tales prædicationes; nam ex finitis prædicatis, atque subiectis non possunt nisi finitæ prædicationes fieri.

Obiectio. Et si forte quis diceret verum id esse in prædicationibus simplicibus, in quibus vnum de vno prædicatur, secus tamen in alijs, in quibus multa de vno quorum additio in infinitum procedere potest; vt si de homine prædicemus primò album, deinde album, & musicum post verò medicum, sicq; in infinitum alia accidentia hisce adiungantur eadem ratio conuincit oppositum, nam ex finitis subiectis, atque accidentibus non possunt nisi finitæ additiones, vel combinationes fieri; quemadmodum ex finitis vnitatibus quomodocumque variatis, vel dispositis, repugnat numeros infinitos cõponi Et hucusq; prima ratio logica

19.

Solutio.

Secunda præsupponit tria primum, propositionem mediatam esse demonstrabilem secundum, non posse cognosci scientificè, quousque demonstretur. Tertium nunquam esse per demonstrationem scitam nisi præmissæ demonstrationis sciantur per demonstrationem, vel certè per nobiliorem aliam cognitionem scientificam, qualis erit notitia principiorum non per demonstrationem, sed ex sola cognitione terminorum habita. Hæc autem tria ex superioribus sunt manifesta.

Ratio. Arist. 20 Quibus præmissis talem rationem constituit Aristoteles: mediata conclusio scitur per demonstrationem, tunc ergò, vel præmissæ demonstrationis, per quam scitur, sunt demonstrabiles, vel ex terminis cognoscuntur si detur secundum, status demonstrationis, erit in principijs nec vlterius procedendum; si verò demonstrabiles sunt, vel in eadem demonstratione peruenitur ad præmissas indemonstrabiles, in quibus eadem ratione statum habebit demonstratiuus processus; vel proceditur in infinitum, & sic nunquam præmissæ scientur, quia infinitum impertransibile est, conclusiò autem non scitur nisi sciantur præmisse, vel nobiliori alia notitia teneantur; ergò nec possibilis erit scientia conclusionis: constat autem oppositum cum multæ sint scientiæ; ergò non proceditur in infinitum in prædicatis, vel subiectis, non in propositionibus, non in demonstrationibus, sed in quibusdam standum est prædicatis, principijs, ac demonstrationibus, nec vlterius procedendũ.

Addit autem Aristoteles ad sciendum simpliciter conclusione, & non ex aliquibus aut ex suppositione, necessarium esse statum in prædicatis ponere: quid autem his duobus verbis, ex aliquibus, aut ex suppositione significet? explicat bene D. Tho. primum verbum positum esse docens ad excludendas demonstrationes ad impossibile, in quibus procedi solet non ex his, quæ rerum natura habet simpliciter, sed aduersus falsa positiones ex aliquibus datis, ex quibus ad impossibilia admittenda ducuntur authores earum ex suppositione vero additur pro demonstrationibus subalternatarum scientiarum, quæ non sunt tales simpliciter, nisi in quantum principia scientiæ subalternantis præsupponũt 21. D Thom.

Confirmata propria sententia rationibus logicis eam tandem corroborare nititur ratione analytica, hoc est demonstratiua quam breuius efficaciusque præstare docet quam rationes logicas, cuius pulchram certè rationem attulit D. Tho. in commentarijs huius loci dicens, logicam integram designare scientiam, sub qua analytica, ac topica comprehenduntur, ad quam proinde spectat vniuersalẽ naturam prædicationis considerare, non D.Thom. 22.

solum

solum prædicationes per se continentem, sed accidentales etiam, atque per accidens; vnde logicis vtens rationibus Aristoteles probauit in nullo generi prædicationis admittēdum esse processum infinitum analytica autem pars non ex quibuscūque propositionibus procedit, sed ex his tantū, quæ sunt per se, & ideò expeditior via est analytica ad cōuincendum; quàm logica, & longè breuior, cum ex paucioribus procedat, atque etiam efficacior, quia solum ex necessarijs.

Ratio igitur demonstratiua talis est, demonstrationes procedūt ex solis propositionibus per se sed in his, quæ sunt per se non est abire in infinitū ergò neque in demonstrationibus probatur minor, propositiones per se, aut sunt in primo, aut in secundo modo; in primo sunt, quarum prædicata pertinent ad definitionem subiectorum, qualis est hæc, numerus est quantitas, aut multitudo: in secundo, quarum subiecta pertinent ad definitiones prædicatorum, vt si dicamus numerum esse imparem: sed vterque modus per se statum habet, tam sursum, quàm deorsum; ergo necesse est statum habere demōstrationē: ostendit minorem prius in secundo modo, deinde in primo hæc propositio numerus est impar est in secundo modo si igitur vlterius sursum tendamus, ita vt aliquid aliud prædicetur per se in secundo modo de impari, sequitur ipsummet impar pertinere ad definitionē eius, atque adeò numerum, qui est de ratione eiusdem, imparis, sed in prædicatis pertinentibus ad definitionem non est abire in infinitum (vt in principio capitis probatum est) quia non posset definitio rem definitam manifestare, siquidem infinitum nec potest comprehendi, nec pertransiri ergò in propositionibus secundi modi non est admittendus processus infinitus, & etiam si admitteretur non esset ad propositum, quia quæcunque alia prædicata essent de ratione imparis consequenter prædicarentur de numero, non secus, ac impar de eo prædicatur; clauderentur ergò in numero & numerus ipse ad eorum definitionem pertineret, quemadmodum ad definitionem imparis; vnde necesse erit mutuo se claudere, atque adeò ad conuertentiam cum eodem numero dici tanquam proprias passiones eius; ideo licet in infinitum in eis procederetur, non tamen sursum, vel deorsum, quod modo negare intendimus; sursum namq;, & deor- 15.
sum, solum inter superiora, atque inferiora prædicata inueniuntur. Probat deinde Aristoteles propositiones primi modi per se non procedere in infinitum; nam quæ hoc modo prædicantur pertinent ad definitionem; sed prædicata, quæ definiunt, necesse est esse finita, nam si infinita essent, nec definitio nec essentia rei cognoscibilis esset.

Ex quibus primo infert Aristoteles, quod
si prædicationes vtriusque modi per se statum 4. Memb.
habent sursum tendendo, cum etiam habebunt tendendo deorsum, cum eadem prædicata vicissim etiam subiecta sint; vnde sicut datur supremum prædicatum, in quo sursum standum est ita etiam dabitur vltimum sub-
iectum, in quo standum sit deorsum; & si ita 16.
se res habet necesse erit etiam demonstrationes statum habere sursum, & deorsum, neque vllo modo in infinitum abire.

Infert secundo: necessarium esse ponere quædam principia demonstrationis prorsus indemonstrabilia, in quibus processus ipse demonstrationum sistat, & non omnium sit demonstratio, vt falso quidam posuere, quorum mentio facta est cap. 9. huius lib. probat euidenter colligi primum ex tradita doctrina: nā si aliqua sunt principia demonstrationis, necesse est esse indemonstrabilia; quia cum demonstratio procedat ex prioribus, si principia demōstrantur, aliquid erit prius principijs, illud nempè, per quod demonstrantur; quod proculdubio cum natura principiorum pugnat quæ talis est, vt sint propositiones medio vacantes, quibus non sint aliæ priores (vt cap. 2. ostensum est.

Probat demum euidenter colligi secundū

nempè non omnium esse demonstrationem: nam cum demonstremus, non id assumendo efficimus, sed intus mittendo, hoc est, non per medium extraneum, sed extremitatibus cognatum, vt hominem esse risibilem demonstramus per animal rationale, medium inter hominem & risibile, si igitur omnia sunt demonstrabilia, omnia erunt mediata, nihilq; proinde immediatum erit? vnde fiet tandem inter duo extrema praedicatum, videlicet, & subiectum demonstrandae propositionis esse infinita media, quòd planè impossibile est, cum euidenter sit probatum, propositiones, tam sursum, quam deorsum terminari.

27.

QVO PACTO MEDIATAE PROpositiones ad immediatas deduci possint.

CAPVT DECIMVM NONVM.

MOnstratis autem his, manifestum, quod si aliquid idem duobus insit, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum & diuisio cap. in 5. documēta 1. PRæsupposito ex capitibus praecedentibus resolutionem conclusionis scientificae in prima principia non esse infinitam, sed certum terminum habere, descendit Aristoteles cap praesenti ad particularem modum, quo fit quem vt manifestum efficiat, quinque adhibet documenta, quorum explanatio totius capitis materia, & institutum est, non indigens alia diuisione.

1. documentum. Primum documentum ostendit, quo nam pacto propositiones mediatae secundi modi per se reducantur ad immediatas, estq; tale, quando aliquod praedicatū commune duobus vel pluribus conuenit, quorū alterum de altero minime praedicatur, vel certè non vniuersaliter, & conuenit propter aliquod aliud commune praedicatum, non proceditur in infinitum, ita vt alteri propter aliud cōueniat non tunc inter subiectum propriū proximūq; passionem ab eo emanantem essent infinita media cōtra definita cap. praecedentis: sed peruenitur certe ad vnum, cui propter se conuenit, & illud est primum principium, in quo reductio statum habet. 2.

Exempla. Quod exemplis sit illustratur, sensibile conuenit homini, & leoni, quae inter se nullo modo praedicantur conuenit etiam homini, & masculo. & propter aliud commune, nempe animal: animali autem non conuenit propter aliud cōmune, sed propter se, vnde haec propositio, homo est sensibilis, hoc modo resoluitur in suum principium, omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergò omnis homo est sensibilis, cuius demōstrationis vtraque praemissa est principium per se notum, ad quae resolutio terminatur. Producit Aristoteles exemplum in duabus illis figuris Isocheli, & Scalenon, tanquam in duabus speciebus trianguli; nam Scalenon est triangulus quadratus tribus inaequalibus lateribus praeditus; Isocheles vero duobus angulis aequalibus, & altero inaequali quibus conuenit habere tres angulos aequales duobus rectis, non per se primo, sed ratione alicuius communis, nempè trianguli: huic autem ratione figurae habentis angulum extrinsecum aequiualentem duobus oppositis extrinsecis, cui per se primo conuenit, & non per aliud commune, vnde resolutio huius conclusionis Scalenon habet tres angulos aequales duobus rectis per triangulū pergens, in hoc principio indemonstrabili sistit, omnis figura habens angulū extrinsecū aequiualentem duobus oppositis extrinsecus habet tres angulos aequales duobus rectis. 3.

Obiectio. Sed quia posset aliquis aduersus hoc documentum obiicere, talem resolutionem posse in infinitum procedere si fiat per media diuersi ordinis, vt si dicamus homini conuenire, quod sit mobilis per corpus, & corpori per colorē & colorato per albedinem sicq; in infinitum cum infinita possint extranea excogitari. 4.

Solutio. Respondendum est, de mediis eiusdem generis,

neris, vel ordinis quæ per se prædicantur, documentum intelligi, cum notum sit ex superioribus, de his solum esse demonstrationem nõ ex medijs extraneis, & per accidens, nec enim contingit bene demonstrantem de genere in genus transire: de eisdem etiam extremis indiuisibilibus, hoc est de eisdem extremis maiori, & minori, inter quæ commune prædicatum, ratione cuius maius minori conuenit, medium est.

2. documentum Documentum secundum est propositio mediata primi modi ad immediatam est reducibilis per media finita inter subiectum, & prædicatum reperta vsque ad prædicatum supremum, in quo iuxta superius statuta standum est, & tot erunt principia assumptibilia ad

5. reductionem eius, quot fuerint media, vt si propositio mediata resoluenda sit, homo est substantia, tria erũt media, animal videlicet, viuens, corpus, tria erunt principia, triplici erit demonstratione vtendum, cuius ea est ratio, quia in qualibet demonstratione accipitur vna propositio immediata ex assumpto medio: & subiecto propositionis, quæ resoluitur, eo immediato constituta, primum principium primæ demonstrationis erit, omnis homo est animal, si sic procedamus. Omne animal est substantia, omnis homo est animal ergò omnis homo est substantia, secundum, omne animal est viuens, sic procedendo, omne viuens est substantia, omne animal est viuens ergò omne animal est substantia. Tertium, omne viuens est corpus, dum sic dicimus omne corpus est substantia, omne viuens est corpus, ergò omne viuens est substantia, & in præmissis huius demonstrationis standum est, tanquam in principijs omnino indemonstrabilibus, quæ ex sola notitia terminorum patent, & vocantur ab Aristotele elementa demonstrationis, cum sint prima cõponentia.

6. Hoc autem documentum non solùm in affirmatiuis propositionibus, ac demonstrationibus accipiendum esse admonet Aristoteles, sed etiam in negatiuis, nam quemadmodum sunt propositiones affirmatiuæ mediatæ, & immediatæ principia, ad quæ reducuntur per plura, vel pauciora media inter subiectum, & prædicatum reperta, pari ratione sunt mediatæ propositiones negantes immediatas etiã principia, ad quæ reducuntur per plura, vel pauciora media, per totq; principia propositio mediata negans est: homo non est quantitas at mediata principia negatiua per hæc media animal, viuens, corpus, & substantia, per totidemq; principia, ac demonstrationes reducenda, hoc modo, nullum animal est quantitas, omnis homo est animal, ergò nullus homo est quantitas: & rursus, nullum viuens est quantitas, omne animal est viuens, ergò nullũ animal est quantitas: & vlterius, nullum corpus est quantitas, omne viuens est corpus, ergò nullum viuens est quantitas. Ac tandem, nulla substantia est quantitas, omne corpus est substantia, ergò nullum corpus est quantitas. Ecce tibi conclusionem mediatam negantem ad principium negatiuum indemõstrabile reductam, vltra quod nullo modo procedi potest, & hic est generalis modus resolutionis his duobus documentis explicatus. 7.

8.

Tria alia documenta particularem modũ eiusdem resolutionis continent. Estq; tertiũ in ordine ad resoluendum quamlibet propositionem affirmatiuam in prima figura tale medium accipiendum est, quod sit intra & non extra illius extrema: & eo quidem modo, vt supra minorem sit: & infra maiorem extremitatem, & tunc per mediorum considerationem resolutio fit quasi comprimuntur enim media, ac densantur, dum ad pauciora reducuntur, & tandem in propositionem immediatam resolutio sistit, quam vocat Aristoteles simplicem, & quasi demonstrationis elementum, simplicem quidem, vt distinguatur à propositione mediata, quæ virtualiter saltem non est vna simplex, sed multiplex & quasi composita in quantum plures virtualiter continet, per quas ad prima principia reducuntur, vt hæc, homo est substantia, tot 3. documentum. 9.

propositiones virtualiter continet, quot me-
dia sunt inter eius subiectum, & prædicatū
quibus medijs in principia resoluitur, vt visū
est, indiuisibilis etiam, & demonstrationis,
elementum merito vocatur ducta similitudi-
ne ab alijs rerum generibus, in quibus mini-
10. mum semper datur, vel indiuisibile, quod
quasi mensura cæterorum illius generis est in
quam tandem resoluuntur, vt in numero vni-
tas, in musica tonus, in ponderibus vntia, &
sic in syllogismo demonstratiuo propositio im-
mediata: illa enim licet verè non sint indiui-
sibilia, accipiuntur vt talia, constat enim in
resolutione affirmatiuæ propositionis nuper
exposita: nam ad resoluendam hanc, homo
est substātia, vsi sumus animali, viuenti &
corpore, quæ respectu hominis superiora sunt
prædicata, & respectu substantiæ inferiora,
proximeq; inferiora superioribus subiungun-
tur in suo gradu, & ordine.

4 Documentum.

Quartum documentum est, propositio ne-
gatiua, tam in prima, quàm in secunda figu-
ra (hæc enim solo demonstrabilis in secunda
11. figura est) resoluenda est per medium intra,
& non extra minorem extremitatem; qua-
si ducatur per prædicatum non inferius sed su-
perius minore extremitate, medium enim
superius intra illam est, cum quidditatiue de
eadem enuncietur: inferius verò extra esse
dicitur, cum inferiora extra rationem supe-
riorum sunt, vt homo, & leo extra rationem
animalis: huius documenti aperta est ratio,
12. nam medium in prima figura debet esse vni-
uersale prædicatum minoris, & in secunda
vtriusque præmissæ vniuersale vel particula-
re, sed inferius non prædicatur vniuersaliter
de superiori, imo nec particulariter per se,
sed per accidens, vt homo de animali: nec
enim vera est propositio, omne animal est ho-
mo, nec per se animal est homo, ergò non po-
test esse medium conueniens negatiuæ pro-
positionis demonstrandæ in his figuris prædi-
catum inferius minore extremitate, sed su-
perius omnino accipiendum est, vt si velimus
hanc demonstrare, nullum corpus est quan-
titas, per vtramque figuram, accipiemus pro
medio substantiam, sicque dicemus in Cela-
rent: nulla substantia est quantitas, omne
corpus est substantia, ergo nullum corpus est
quantitas, & in Cæsare, nulla quantitas est
substantia, omne corpus est substantia, ergo
nullum corpus est quantitas, in Festino et-
iam particularem sic demonstrabimus: nulla 13.
quantitas est substantia, corpus est substan-
tia, ergo corpus non est quantitas.

Vltimum documentum.

De tertia autem figura longè diuersa ra-
tio est, ac propterea postremum documen-
tum de ea sola traditur, & est tale; ad de-
monstrandam affirmatiuam vel negatiuam 14.
propositionem in tertia figura idem medium
sumendum est, & tale, quod sit extra vtram-
que extremitatē affirmatiuæ, & extra mino-
rem negatiuæ, hoc est, quod sit inferius vtra-
que extremitate affirmatiuæ propositionis,
& minore extremitate negatiuæ, cuius ea
est ratio: quia medium in hac figura vtrius-
que præmissæ subiectum est, sed superius non
potest vniuersaliter inferiori subijci, nec per
se etiam particulari, vt nuper ostendi, ergo
nec medium in tertia figura superius extre-
mitatibus esse poterit, sed inferius omnino
esse oportebit, vt de eo per se prædicentur ex- 15.
tremitates: gratia exempli, si demonstran-
da sit hæc propositio affirmatiua, viuens est
substantia, accipiendum erit animal, dicen-
dumq; in Datisi. Omne animal est substan-
tia, animal est viuens, ergo viuens est sub-
stantia, & si negatiuam demonstrare veli-
mus, viuens non est quantitas, idem ani-
mal accipies, dicesq; in Feriso, nullum a-
nimal est quantitas, animal est
viuens, ergò viuens non
est quantitas.

DEMON-

DEMONSTRATIONEM VNIuersalem particulari esse praestantiorem.

CAPVT VIGESIMVM.

CVM vero sit demonstratio, haec quidem vniuersaliter, illa vero secundum partem, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Partitur Arist. demonstrationem tribus diuisionibus. ABsolutis omnibus, quae ad principiorum, totiusq; demonstrationis naturam pertinent, partitur Aristotel. demonstrationem tribus diuisionibus, cuiuslibet membra inter sese comparans, & quod non alio sit perfectius ostendens.

1\. 1. diuisio. Prima diuisio est, demonstratio, vna est vniuersalis, particularis altera.

Secunda. Secunda, vna est affirmatiua, seu praedicatiua, negatiua altera.

Tertia, vna est ostensiua, per quam aliquid inesse, vel non inesse probatur: altera ad impossibile, per quam nihil ita esse, vel non esse ostenditur, sed negans aliquid, illud admittere cogitur, vel quidpiam plane absurdum, aut impossibile.

2\. Has tres diuisiones discussit Aristoteles his tribus capitibus singularum membra conferens, & quasi singulas controuersias agitans; primam quidem capite praesenti, vtra sit profectior demonstratio vniuersalis, vel particularis secundam capite statim sequenti, vtra sic perfectior affirmatiua, vel negatiua: tertiam capite. 22. vera sit perfectior ostensiua, vel ea qua vocatur ad impossibile.

Trimembris diuisio capitis. Partitur autem caput hoc in tres partes, in prima argumenta in fauorem particularis demonstrationis proponit: in secunda eadem 3. soluit, ac tandem in tertia demonstrationem vniuersalem praefert, septem argumentis ostendens nobiliorem esse. Sed priusquam capitis expositionem aggrediamur, paucis ex-

Nota. plicare oportebit quid per demonstrationem vniuersalem, quid per particularem intelligat, vt melius rationes in fauorem vtriusque proponendas percipiamus. Et in primis per demonstrationem particularem non intelligitur syllogismus constans propositionibus non vniuersalibus, sed particularibus, indefinitis, vel singularibus: nam si ex puris particularibus procedat vitiosus erit, si ex singularibus non erit demonstratio, sed expositorius syllogismus, de singularibus namq; sicut non datur definitio, nec scientia sic nec demonstratio, particularem igitur demonstrationem vocat eam, qua licet vniuersalibus constet propositionibus; passio verò, vel effectus, qui per eam demonstratur non de subiecto vniuersali, & adaequato, sed de aliquo particulari, & inadaequato sub eo contento ostenditur, vniuersalis verò, in qua passio, vel effectus; de vniuersali, adaequatoq; subiecto demonstratur. Libet vtriusque exemplum subijcere. vniuersalis demonstratio erit, si habere tres angulos aequales duobus rectis de triangulo, cui adaequate conuenit, sic ostendamus: omnis figura habens angulum extrinsecum aequiualentem duobus oppositis intrinsecis habet tres angulos aequales duobus rectis, sed omnis triangulus est huiusmodi, ergò habet tres angulos aequales duobus rectis, quae particularis erit, si eandem proprietatem de Isochele, vel gradato sic probemus, omnis triangulus habet tres angulos aequales duobus rectis, sed omnis gradatus est triangulus, ergo habet tres angulos aequales duobus rectis: & simile exemplum erit, si de animali per propriam differentiam nobis incognitam, quae appelletur, B. demonstremus sensibilitatem hoc modo. omne viuens B. est sensibile, omne animal est viuens B. ergò est sensibile, quod si de homine, vel leone ostedatur particularis erit: vt si dicamus, omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sesibilis

Prima ratio Arist. qua probatur de- Quibus praelibatis principio tribus rationibus contendit probare Aristoteles particularē demonstrationem vniuersali praestare: prima est, illa demonstratio prior est, per quam magis, vel perfectius rem scimus, vt virtus,

aut

mẽst- io nem particulare esse nobiliorẽ vniuersali. Prima pars capitis. aut finis demonstrationis euidenter probat, qui alius non est, quam scire rem per causam & demonstratio, instrumentum, vel medium perueniendi ad hunc finem, quod sibi vult Aristoteles, dum ait virtutem demonstrationis esse scire, vel scientiam generare, sed per demonstrationem particularem magis, vel perfectius res scitur, quam per vniuersalem,
6. nam per particularem scitur in se, scitur distinctius, per vniuersalem non nisi in alio, non nisi confuse, quemadmodum per hanc propositionem singularem, Coriscus est musicus, melius cognoscitur Coriscus musicus, quam per hanc vniuersalem, homo est musicus, ergò particularis est perfectior: sed probat rursus eandem minorem exemplo demonstrationis; etenim si de triangulo probetur, quod tres angulos æquales duobus rectis habeat, vniuersalis erit demonstratio, per quam non scitur proprietas de Isochole in se: sed in alio communi, vnde solum scietur in vniuersali, atque in confuso, at si per particularem demonstrationem concludatur de eodem Isochole, scietur quidem in se in particulari, ac distinctè, potior ergo erit particularis demonstratio.

7. Duæ sequentes rationes quasi permixtæ sunt in textu, minusque distinctæ, atque ordinatæ, quam par esset, idcirco licet permutentur aliquantulum verba, sic ordinandæ sunt, vt melius capiantur. Est igitur secunda in ordine, demonstrationes capiunt nobilitatem, quemadmodum scientia ab obiectis circa quæ versantur, sed longe nobilius est obiectum particularis demonstrationis, quam vniuersalis, ergò demonstratio quoque nobilior erit: probatur minor, obiectum particularis est res in se existens, nam demonstratio aliquid esse, vel non esse concludit, & existentia particularibus attribuitur, vniuersalis, autem demonstratio versatur circa rem vniuersalem, quæ nihil est præter singularia, in quibus subsistit, vt triangulus, figura, & numerus nihil sunt præter triangulos, figuras,

Secunda ratio.

& numeros singulares, in quibus habent esse, ergò nobilius obiectum habens particularis demonstratio nobilior erit. 8.

Tertia ratio. Tertia: potior est demonstratio, quo minus erroribus subditur, sed talis est particularis, nam per vniuersalem errare sæpè contingit, ergò nobilior illa est. Minorem sic ostendit, nam qui in vniuersali demonstrat de re abstracta à singularibus agit, vt de abstracto à numeris, lineis solidis, id est corporibus plano, id est superficie, cũ tamen re ipsa vera separatũ non sit, deceptioni ergo subditur hoc genus demonstrationis, cũ circa re versetur alio modo, quam se habet, nam re vera ipsismet singularibus coniungitur; & vt sic coniuncta consideratur per demonstrationem particularem, ergo magis erit ab erroribus libera, ex quibus intentam conclusionem ex vtraque simul ratione infert dicens, si vniuersalis est huiusmodi, videlicet secundum quam magis erratur, & de eo est, quod minus est, magis quam particularis, profecto indignior erit vniuersalis. 9.

In secũda parte capitis soluuntur argumenta, ad primũ. In secunda parte capitis soluit argumenta proposita incipiens à primo, asseritq; illud, cui innititur non minus in particulari demonstratione, quam in vniuersali reperiri; quod non est aliud, quam retorto in particularem demonstrationem argumento eodem probare vniuersalem esse nobiliorem hoc modo. Præstantius est scire rem secundum se; quam secundum aliud, sed qui demonstrat illam proprietatem de Isochele, nihil de eo scit secundum se, sed secundum aliud, quia habere tres angulos æquales duobus rectis non conuenit secundum se Isocheli, sed secundũ aliud 10. videlicet per triangulum, cui adæquate conuenit, ac secundum quod ipsum, imo nihil penitus secundum se cognoscat, quia nec triangulum, de quo non demonstrat, nisi Isocheli, cui secundum se proprietas demonstrata non attribuitur, at per demonstrationem vniuersalem, licet Isocheles in se non cognoscatur, cognoscitur tamen triangulus, ergò

potior

potior erit demonstratio. Hanc autem soluti-
onem veram esse ait tribus suppositis, quibus
innititur, videlicet triãgulum in plus esse quã
Isochelem, de quo simul & alijs triangulis nõ
æquiuoce, sed secundum eandem rationem
prædicatur, quibus etiam communis est pro-
prietas habere tres angulos æquales duobus
rectis, quibus stantibus (quæ verissima sunt)
conuincitur planè euidentem, ac per se noti-
11 tiam de triangulo parere vniuersalem demõ-
strationem, quã nec de Isochele, vel alio quo-
piam tradit particulari.

Argumento secundo satisfacit dicens, si
detur vna ratio à multis participata non sicut
in æquiuocis in quibus præter vocem nihil com
mune datur, sed verè vniuoca, talis ratio in
singularibus subsistens magis erit, quam ipsa
singularia, & eo magis quo incorruptibilior
ipsis est. Estq; optima solutio, cũ singularia per
se corrũpantur, vniuersalia verò semper saluẽ
tur, quandoquidẽ his singularibus definitioni-
bus, in quibus subsistũt, succedũt alia in quibus
perpetuè conseruantur, & casu, quod corrũ-
panturo omnia singularia nullis succedentibus
(quod naturaliter impossibile est, licet euenire
supra naturaliter possit) adhuc non per se de-
finerent vniuersalia, sed per accidens ad sin-
gularium definitionem, hæc verò per se, vnde
infert Aristoteles, quamuis illæ rationes com-
munes non per se existant extra singularia,
non idcirco minus sunt.

Tertio satisfacit. Deceptionem autem, quam in demonstra
tione vniuersali contingere intendebat tertiũ
argumentum negandum esse dicit, vt ei fiat
12. satis non est enim necessarium si de vniuersa-
li natura aliquid demonstretur, existimare
quod à singularibus separata sit, sed cũ in eisdẽ
subsistat sola consideratio eam separat, quem-
admodum cum de accidentibus secundum pro
priam essentiam sumptis aliquid demonstra-
tur, non necesse est existimetur verè esse à sub
iectis separata eiusmodi enim abstractio vni-
uersalis est, non negatiua (vt alibi adnotaui-
mus, in qua nihil profectò deceptionis aut er-
roris contingit, sed vnum consideratur non
considerato altero, cui re vera coniungitur,
quod si deceptus quispiam verò separata esse
opinatur, ipse potius causa propria deceptio-
nis est, quam vniuersalis demonstratio. Pro-
positis, ac solutis argumentis in fauorem pro
positiõis particularis, probat iam in extrema
parte capitis vniuersalem demonstratio-
nem particulari esse præferendam ratio-
nibus septem, quorum prima est. Demon-
stratio est syllogismus propriam rei causam
reddens propter quam est talis, sed vniuersa
le, circa quod vniuersalis ipsa demõstratio ver
satur, magis est causa passionis, vel proprie-
tatis, quæ probatur, quam particulare, de
quo eandem per particularem probamus de- 13.
monstrationem, ergò nobiliori modo causam
rei probat, minorem ostendit, quia vniuersa-
li per se primò, & adæquatè passio inest; vt
habere tres angulos æquales duobus rectis
triangulo, animali sensibilitas, particularibus
verò triangulis, vel animalibus non nisi secũ-
dario, & inadæquatè ex eisdem vniuersalis
participatione, ergò vniuersalis demonstra-
tio vniuersali prædicatum pro medio assu-
mens magis reddit causam, ideoq; e præstan-
tior est.

Secunda ratio, tunc maximè: ac perfectè Secunda ratio.
scimus, cum in resolutione conclusionis ad pri-
mam causam deuenimus, vltra quam non su-
perest alia quærenda, cuius exemplum in cau-
sis finalibus producens, ait, vt si mercator ve-
niat pro argẽto ferendo, & soluat debitum,
proxima aduentus causa argentum est, secũ- 14.
da debiti solutio prima verò iustè agere, nisi
velis vniuersalissimã designare æternæ retri-
butionis, tunc enim perfectè scimus causam
aduentus, cum ad hanc primam, vniuersalis-
simamq; peruenimus, & eodem modo rem se
habere in causis efficientibus, vel cuiuscum-
que alterius generis manifestum est sed vni-
uersale, de quo vniuersalis demonstratio ali-
quid concludit, est causa prima, ergò hæc
erit exactior demonstratio particulari, quæ

inferiorem potius causam tradit: probat minorem in demonstrationibus. Habere angulos extrinsecos aequales quatuor rectis conuenit Isocheli, quia triangulo, & huic, quia figura rectilinea: & haec est prima & adaequata causa talis proprietatis, cui primo inest, & vltra quam non est quaerenda alia & est vniuersalis, ergò demonstratio, quae eam tradiderit potissima erit.

Tertia ratio. *Tertia ratio: potior est demonstratio, quae versatur circa obiectum magis demonstrabile, magisq́; scibile, cum finis demonstrationis* 15. *sit scire, sed vniuersale est magis demonstrabile magisque scibile, quam particulare, ergò vniuersalis demonstratio nobilior: probatur minor, nam obiectum scibile finitum esse debet, cum infinitum non sit scibile, quo ergò aliquid magis à finito recedit, & ad infinitum accedit, minus scibile erit, sed particularia, cum sint multa in infinitum tendunt, & multitudo cognitionem impedit, vniuersale vnum est, hoc igitur erit magis scibile, & vniuersalis demonstratio perfectior.*

4. Ratio. *Ratio quarta, melior est demõstratio, per quam plura cognoscuntur ea, per quam pauciora, sed per vniuersalem demonstrationem plura cognoscimus, quam per particularem, nam qui vniuersale cognoscit, aliqualem singularium notitiam habet, distinctam quidem eorum, de quibus aduertit sub eo contineri,* 16. *confusam vero de caeteris, at qui cognoscit particulare, non necesse est vniuersale, vt tale vllo modo cognoscat, ergò perfectiorem parit notitiam conclusionis demonstratio vniuersalis, atque adeò perfectior est.*

5. Ratio. *Quinta ratio demonstratio potissima est, quae per prima principia conclusionis procedit ergò inter caeteras potior illa erit cuius praemissae magis ad principia accedunt, sed talis est demonstratio vniuersalis, ergò particulari praestat: minor hoc exemplo ostenditur: si propositio demonstranda sit, homo est substantia, multa erunt media vsq; ad supremũ praedicatum, nempè substantiam, quod est primum, ex quibus quaedam minus vniuersalia sunt, vt animal, & viuens, quaedam magis, vt corpus, quod magis ad primum accedere; cum sit ei proximum, apertum est, demonstratio igitur* 17. *ex eo procedens exactior, nobiliorq́; erit. Et vt generalis designetur regula, quo ex vniuersalioribus praedicatis processerit, eo erit nobilior. Ex his quinque rationibus, ait Aristoteles, quasdam esse logicas, alias verò magis analyticas, quod exponens D. Thom. logicas* D.Thom. *vocare tertiam, & quartam intelligit, propterea quod ex communibus Logicae principijs procedunt, pro medio namq; accipiunt, quae communia sunt omni cognitioni, magis verò analyticas vocat primã, secundã, & quintam, quia ex principijs demonstrationi proprijs.*

6. Ratio. *Sexta ratio, demonstratio sumit nobilitatem ex principijs, ex quibus procedit, ita, vt quo potiora sunt, eo sit demonstratio nobilior, sed vniuersalis habet nobiliora principia, quia vniuersaliora, abstractioraq́ue proinde à materia, particularis verò principia magis materiam concernunt, vnde haec sub illis continentur, eis etiam cognitis aliquo modo cognoscũtur* 18. *nam qui vniuersalem propositionem cognoscit, potentia saltem cognoscit particulares, vt qui nouit triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis, virtualiter cognoscit, eandem proprietatem conuenire Isocheli, Gradato, & caeteris, sed qui cognoscit particularem, nec actu, nec potentia vniuersalem cognoscit, quam nullo modo continet, ergò vniuersalius demonstratio praestat.*

Haec sexta ratio coincidere videtur cum quarta, nihilominus aliquo modo ab ea distinguitur, D.Thom. *vt bene D. Thom. quia illa procedit de demonstratiõe vniuersali, & particulari quãtum ad conclusiones, haec verò quantum ad principia,* P.Tolet. *vel vt Toletus noster non minus bene, illa procedit de re simplici vniuersali, & particulari, quae sunt demonstrationum obiecta, circa quae versantur, haec vero de vniuersali complexo, nempe de principio eiusdem demonstrationis.*

Vlti-

27. Ratio. *Vltima ratio est, intellectiua cognitio praestantior est sensitiua, quo intellectus sensui*
19. *praestat, sed circa vniuersale, de quo est vniuersalis demonstratio, versatur cognitio intellectiua, sensitiua circa particulare, quod est obiectum particularis demonstrationis, ergo illa erit longe praestantior.*

Hac Aristoteles in toto cap. 20.

DEMONSTRATIONEM AFFIRMATIUAM NEGATIUA DIGNIOREM ESSE, ATQUE AD SCIENTIAM MAGIS IDONEAM.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

QVod autem monstratiua sit dignior priuatiua; hinc manifestum, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

Secunda diuisio demonstrationis. HAEC est secunda diuisio demonstrationis in affirmatiuā, seu praedicatiuam, quae ex solis propositionibus fit affirmatiuis, & negatiuam, quae ex vna fit propositione negante, nam ex vtraque impossibile est, cum inutilem esse combinationem
1. duarum negantium propositionum ex libris priorum sit manifestum: cuius diuisionis membra conferens Aristoteles sciscitatur, vtranam dignior sit demonstratio, praedicatiua, vel priuatiua? quam quaestionem in fauorem affirmatiua definit dicens, eam absque dubio digniorem esse, quod multis probat rationibus: & quia litera minus perspicua est, non eodē modo à cunctis ordinatur expositoribus, alij enim, vt Toletus noster ad triplicē rationē retulit omnes Antiquiores vero vt D. Tho. P. Toletus. D. Thom. & Venetus. quem sequitur Paulus Venetus, quinque distinguūt, quorum expositionem magis probo, quia & literam melius ordinat, & clariorem reddit, caput autem aliam diuisionem non postulat.

Totius capit. conclusio. Prima ratio. *Est igitur conclusio; affirmatiua demonstratio dignior. Probatur primo: illa demonstratio dignior est, quae ex paucioribus medijs, postulationibus, suppositionibus, aut propositionibus, caeteris paribus, procedit sed affirmatiua procedit ex paucioribus, ergò erit dignior. Tria illa praemissarum genera in maiori ponit, nempe postulationes, suppositiones, & propositiones, vt obiter significet diuersas* 2.
demonstrationes diuersis constare praemissis, nā quadā per se notis formaliter principijs, quae propositionum nomine designantur, constant; alia suppositionibus, hoc est, praemissis demonstrabilibus, sed ex partium concessu admissis, ac suppositis ad inferendam conclusionem, licet certè eisdem demonstrabilibus, in quibus nescitur, an respondens consentiat; ideoquè, vt sensus eius intelligatur, per modum postulationis, vel quaestionis prius illi proponuntur: additur autem in eadem maiori particula, caeteris paribus, significans vtramque demonstrationem, tam affirmatiuam, quam negatiuam ex veris, necessarijs, ac per se procedere debere, nam si ab ijs deficiat, demonstratio non erit: praetereà quod vtraque procedat ex causis adaequatis, nam si altera ex remotis, vel effectibus sit, quamuis ex paucioribus, non erit dignior: ac tandem quod ambae sint ex propositionibus mediatis eiusdem gradus, hoc est aeque superioribus vel inferioribus, nam si vna ex superioribus, 3.
ex inferioribus alia procedat, euidens erit ex paucioribus procedere, dignioremquè esse; sors igitur aequalis per omnia esse debet eo excepto, quod affirmatiua sit vna, negatiua alia, vt intelligatur ex hoc solo vnam, vel alteram esse digniorem, hic est enim praecisus, ac formalis sensus quaestionis.

Maiorem sic expositam probat Aristoteles primo: illa demonstratio est dignior, quam magis intellectus appetit, vel in quā magis inclinatur, nam cum obiectum intellectus sit veritas, in nobiliorem veritatem inclinatur magis, quēadmodū volūtas in magis bonū sed ad demonstrationē ex paucioribus medijs procedentē magis inclinatur intellectus, cū per illā citius, ac velocius suum finem, nempe veritatē cōclusionis assequatur, ergo illa erit potior. Maiorem argumēti probat.

Probat secundo vniuersalius, hoc etiā absque

que illa limitatione, quod cætera sint paria,
ex parte propositionum in eodem gradu exi-
stentiam, vel quæ sint æqualiter notæ, imò in
notioribus, & in minus notis, in inferiori-
bus, & superiorib. hoc modo sit propositio de-
monstrabilis per tria media, homo est substan
tia, videlicet per animal viuens, & corpus,
quæ proinde per tres demõstrationes reduci-
tur ad prima principia, tunc secunda demon-
stratio, quæ fit medio viuenti, potior est pri-
ma quæ fit medio animali, non alia ratione,
nisi quia paucioribus medijs indiget, vt ad
5. *prima principia resoluatur, nempe solo corpo-*
re, cum tamen prima corpore, & viuenti in-
digeat, ergo si affirmatiua paucioribus, quam
negatiua indiguerit, dignior erit; quod non
solum est manifestum in medijs, & demon-
strationibus eiusdem coordinationis, vel Ca-
thegoriæ, sed etiam in his, quæ ad diuersas
pertinent: vt si accipiamus hanc propositio-
nem, numerus est diuisibilis, per duo media
demonstrabilem, videlicet per quantitatem
discretam & per vniuersalem rationem quan
titatis, cui per se primo diuisibilitas inest eam
que conferamus cum illa, homo est substan-
tia, demonstrabilem per tria, accipiamusque
primas demonstrationes, per quas vtraque
demonstratur, nempe, omnis quantitas di-
screta est diuisibilis, omnis numerus est quan
titas discreta, ergo omnis numerus est diuisi-
bilis: & rursus, omne animal est substantia,
omnis homo est animal, ergo omnis homo est
substantia apertum est primam esse dignio-
rem non alia de causa, nisi quia paucioribus
6. *indiget, vt ad prima deducatur, eadem igi-*
tur ratio erit de affirmatiua, si paucioribus
indigere probetur, & hæc minor primi syllo-
gismi probanda superest, quam sic probat Ari
stoteles. Demonstratio affirmatiua procedit
ex propositionibus, vel medijs affirmatiuis,
negatiua vero ex vtrisq; tã affirmatiuis, quam
negatiuis, ergo hæc ex pluribus, illa ex pau-
cioribus, vtraque quidem demonstratio ex
tribus procedit terminis medio videlicet,
& extremitatibus vtraque ex duabus præ-
missis, maiori, & minori, sed affirmatiua
solum assumi, ens (inquit Arist.) hoc est so-
lum affirmatiuam propositionem, negatiua
vero ens, & non ens, hoc est, non solum affir-
matiuam sed etiam negatiuam: itaque licet
eodem mediorum numero vtraque indigeat,
sed non totidem secundum speciem, vel qua- 7.
litatem, nam affirmatiuum, ac negatiuum.
diuersæ qualitatis, ac speciei sunt, affirma-
tiua vero eiusdem sunt qualitatis, eiusdem-
que rationis, quasi dicatur, ad resoluen-
dam vtramque præmissam affirmatiuæ de-
monstrationis, affirmatiua solum requirun-
tur media, ad resoluendas verò præmissas ne
gatiuæ non sufficiunt media affirmatiua, sed
vtriusque qualitatis sunt, nempe affirmati-
uum pro vna, negatiuum pro altera, hæc igi-
tur, quæ pluribus medijs hoc est secundum
qualitatem diuersis indiget, indignior est.

Secundam rationem (vt bene D. Thô.) *ad* Secunda
dit Arist. pro confirmatione primæ, cuius mi- ratio.
nor alicui videri posset non sufficienter proba- D.Thom.
ta; nempe vtrisque indigere medijs negati-
uam affirmatiuis, & negatiuis, huius enim
non reddit rationem Arist. sed quasi improba-
tum reliquit, quod ideo secunda ratione ab-
iter probat, nam vt in libris de resolutione
priori stabilitum est; ex ambabus præmissis 8.
negatiuis nullus constat syllogismus, sed ad
minus oportet, vt syllogismus coalescat, vnã
esse affirmatiuam, quod non sic in affirmati-
uis contingit, cum ex vtraque affirmatiua
fiat optimus, aptior est igitur affirmatiua
propositio ad constituendum syllogismum,
quam negatiua, & qui ex affirmatiuis fit pro
positionibus ex hoc solo, cæteris ex parte alio-
rum paribus dignior erit, & cum demonstra
tio sit quidem syllogismus, dignior illa erit,
quæ ex affirmatiuis procedit, quam quæ ex
altera saltem negatiua.

Tertiam rationem consequenter ait se ha Tertia
bere ad primam, & secundam, nam si ambæ Ratio.
augeantur demonstrationes, hoc est, si earum

præmissæ

præmissæ mediatæ per inter medias demon-
9. strationes resoluantur in principia, in augmen-
to quidē affirmatiuæ non requiritur vlla præ-
missa negatiua, sed affirmatiuæ sufficiunt, nā
cum conclusio huius demonstrationis affirma-
tiua sit, non potest ex illa negatiua inferri, at
in augmento negatiuæ, non solum negatiuæ re
quiruntur præmissæ inter media, sed etiam af-
firmatiuæ, imo ex his plures, ex negatiuis vna
duntaxat, si vtraque sit præmissa resoluenda,
nā affirmatiua resoluitur per duas affirmati-
uas, negatiua per vnam saltem affirmatiuam
cum ex vtraque negatiua non possit inferri.
Quatuor ergò præmissis eget, tribus affirmati-
uis, & vna negatiua, resolutio igitur affirma-
tiuæ demonstrationis non indeget negatiuis,
resolutio vero negatiuæ affirmatiuis eget, &
multis quidem, vnde fit hanc esse indigniorem
quasi ab alia necessario dependentem, affir-
matiuam verò, (vtpote sibi sufficientem) dig-
10. niorem, nam quod per aliud resoluitur, fidem
ab eo accepit, sed negatiua resoluitur per af-
firmatiuam, ab ea igitur accepit fidem, seu fir-
mitatem, atque certitudinem, &c. idcirco in-
dignior est.

Quarta ratio.

Quarta ratio ex principijs vtriusq; demō-
strationis procedit hoc ferme modo: propriū
principium affirmatiuæ demonstrationis est
propositio affirmatiua immediata, & propri-
um principium demonstrationis negatiuæ est
propositio negatiua immediata, nam licet af-
firmatiuo etiam principio constet, hoc tamen
non est sibi proprium, sed cum affirmatiua cō-
mune, proprium verò per quod ab ea separa-
tur, negatiuum est sed demonstrationum dig
nitas accipitur ex principijs, ergò cum dignius
sit affirmatiuum, quam negatiuum; vtpote
11. prius, & notius, quemadmodum esse prius est,
notius, & nobilius, quā non esse, sequitur eui-
denter digniorem longè esse demonstrationē
affirmatiuam negatiua.

Quinta ratio.

Rationem postremam vno verbo, quo caput clauditur, tangit Aristoteles dicens: amplius principalior, sine n. mōstrante nō est priuatiua. Quasi dicat, nobilius est illud, quod sine altero esse potest, eo quod sine eodē non est, sed affirmatiua demonstratio est sine negatiua, hæc vero nequaquā sine illa, cū non sit sine affirmatiua propositione; quæ per affirmatiuā demonstratione resoluitur. ergo affirmatiua absque dubio principalior est.

Quod si alicui videatur hanc vltimam ra- Obiectio. 12.
tionē cū secunda, vel tertia coincidere, in quibus dependentia negatiuæ demōstrationis ab affirmatiua tangitur. Aduertat necesse est, Solutio Paulus Venetus.
quod bene Paulus Venetus in huius rationis expositionē, affirmatiuam duo habere, quibus negatiuā superat, vnum, quod efficacior est, cum fidem præstet negatiuæ, aliud quod principalior propter dependentiā, vnde quasi cōsistentiam ei præbet. Tertia igitur ratio efficaciam tangit, vltima verò solam depēdentiam, ex qua maior etiam nobilitas affirmatiuæ alia via resultat.

DEMONSTRATIONEM OSTENSIUAM illa, quæ ducit ad incommodum potiorem esse.

CAP. VIGESIMVM SECVND.

QVoniam vero prædicatiua priuatiua melior est planum, quod & ad impossibile ducente, oportet autem scire, quæ est differentia ipsarum, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

Vltima demōstrationis diuisio. I.

POstrema diuisio demonstrationis est, ostēsiuam esse vnam, ducentē ad impossibile alteram, ostensiua est, quæ ex principijs ostēdit veritatem conclusionis, ad impossibile ducens, non quæ ex principiis aliquid ostēdit, sed quæ negantē propositionē aliquā conuincit, vt eam concedat, vel duas propositiones contrarias, aut cōtradictorias simul in falsitate, vel veritate stare, vel aliud quidpiā impossibile, ex his autem duabus potiorē esse ostensiuam (quod ostendendū super erat) Probat Arist. cap. præsenti vnica ratione, quā vt perficiat,

Diuisio cap. quid sit vtraq; demonstratio, & quomodo inter se differant explicatum præsupponit, ac demum rationem ipsam quasi epilogans format, & hæc est totius capitis diuisio.

Cóclusio totius ca. Conclusio itaq; totius capitis est, demonstratio ostensiua potior est ducēte ad impossibile; Ratio. ratio autē talis est, ex demōstrationibus ostēsiuis affirmatiuam esse præstantiorem probatum est capite præcedenti, sed negatiua, quæ indignior est præstat ducēti ad impossibile, ergò à fortiori dignior erit affirmatiua, ac proinde vtraq;: vt probat minorem, præmittit modum negatiuæ ostēsiuæ, ac ducentis ad impossibile, ac vtriusq; differentiam explicat ex his quatuor suppositionibus.

Prima suppositio, vt probetur minor. 2. Quarum prima est, hoc in primis differre quod demonstratio ostensiua non cōcludit nisi id, quod omnino necessariū est, ea verò, quæ ad impossibile deducit, cōcludit manifestè falsū, vel impossibile, vt his exēplis cōstare potest: ostēsiua enim negatiua (in qua sola exemplū designat Arist. vt minorem suæ rationis, ex directo probet) huiusmodi est, nulla qualitas est quantitas, omnis color est qualitas, ergò nullus color est quantitas, nulla substātia est quātitas, omnis homo est substantia, ergò nullus homo est quātitas, ducēs autē ad impossibile, vt si negaueris hanc propositionē, color est disgregatiuus visus: assumo cōtradictoriam eius sic q; præcedo, nullus color est disgregatiuus visus, omnis albedo est disgregatiua visus, ergò nulla albedo est color, quæ cōclusio est manifeste impossibilis.

Secunda suppositio. 3. Secunda suppositio, demōstratio ostēsiua, & ducēs ad impossibile in aliquo cōueniunt, & in aliquo differunt, cōueniunt quidē, quia ex similibus terminis fiunt, in modo, & figura similiter disponuntur, vt prædicta exempla docent, sed in eo differunt, quod præmissæ demōstrationes ostensiuæ cū sint vera, ac necessaria secundū veritatē, quā cōtinent, notiores sunt conclusione, at in demonstratione ad impossibile nō sic res se habet, sed cū conclusio sit falsa, & altera præmissarū præstantior illa, nulla albedo est color, quam nullus color est disgregatiuus visus, quæ est præmissa falsa.

Tertia suppositio. Tertia suppositio ex secunda infertur, demōstratio ostensiua modo naturali procedit, ducens vero ad impossibile, quasi modo naturæ cōtrario, probatur planè, quia naturalis modus procedendi in scientijs est ex prioribus, & notioribus, sed in demonstratione ostensiua præmissæ sunt priores, & notiores cōclusione, ergo procedit secundum naturā, sed in demonstratione ducente ad impossibile conclusio prior est, & notior in falsitate altera præmissarū, et 4 huius discriminis ratio est, quia ostensiua veritate ex veritate probat, ducens ad impossibile falsitatē ex falsitate, illa rursus ex præmissa procedit ad conclusionem, in quam terminatur, hæc vero licet à præmissis etiam ad conclusionē, non tamē terminatur in eam, sed rursus à cōclusione procedit ad præmissas, quasi motu reflexo, in quas processus terminatur.

Quarta suppositio. Quarta suppositio est, processus ad impossibile ex ea parte, qua procedimus à destructione conclusionis ad destructionē præmissarū, non est syllogisticus, nec destructio conclusionis se habet vt præmissa, nec destructio præmissarū vt conclusio, quia nec destructio cōclusionis se habet ad destructionem præmissarū, vt totum ad partem, nec vt pars ad totum. Quam suppositionē sic explicamus; forma syllogistica petit, vt mediū sic disponatur, quod in prima figura sit subiectū maioris, & prædicatū minoris, prædicatum autem habet modū formæ vniuersalis, subiectū vero modū materiæ, ideò illud quasi totū est, hoc vero quasi pars, quod præcipue cernitur in prædicatis superioribus, inferioribusq; subiectis, ergo in prima figura habet se vt totum, atque etiam vt pars, in secunda semper, vt totum, cum sit in vtraque præmissa prædicatū, in tertia vero semper vt pars, cū sit vtriusque subiectū, destructio autē conclusionis ad destructionē præmissarū in demōstratione ad impossibile, nec vt totū ad partē, nec vt pars ad totū se habet, vt in hoc exēplo cerni potest: si quispiā negauerit hanc propositi-

Explicatur prædicta suppositio. 5.

positionem, animal est rationale, & assumentes contradictoriã eius pro maiori sic procedamus, nullũ animal est rationale, omnis homo est animal, ergo nullus homo est rationalis optimus est syllogismus, & conclusio falsa, ergo aliqua præmissarum. non minor: ergo maior; quapropter necesse est veram cõcedat, quam prius negauerat, vel duas contradictorias simul falsas: totus hic processus comprehenditur nomine demõstrationis ad impossibile nẽpe syllogismus, per quẽm conclusio falsa infer-
6 tur, & rursus, argumentũ à destructione conclusionis ad destructionem præmissarum, & quidẽ syllogismus quasi motus directus est, posterior vero argumẽtandi modus, quasi reflexus, de quo docet Arist. non esse syllogisticum, quia destructio consequentis non se habet ad destructionẽ antecedẽtis per modũ totius, vel partis, vt se habet mediũ in forma syllogistica, quod certissimũ est, cũ nec dispositionẽ medij seruet, nec extremitatem; sed syllogismo iam cõstituto ex falsitate cõclusionis falsitas alterius præmissæ cõuincatur.

Corollarium. Ex his suppositionibus infert Aristoteles demõstrationem ostensiuã negatiuã digniorẽ esse ea, quæ ducit ad impossibile, nã ex his constat vtrãq; procedere ex nõ esse: ostẽsiua verò procedit ex nõ esse, hoc est, ex propositiõe ne-
7. gãte tãquam priori, ac notiori, quia ex ea procedit tãquam ex principio ad conclusionem, ducens verò ad impossibile procedit ex cõclusione ad præmissas, ergò ex non esse posteriori, quia cõclusio posterior est præmissis, modus autem procedẽdi ex prioribus, & notioribus præstantior est modo procedẽdi ex posteriori, ergò negatiua demonstratio ostensiua dignior erit.

Epilogus. Minori argumenti probata caput quasi in modũ epilogi claudẽs Aristoteles integrã rationem hoc fere modo repetit. Ostẽsiua demõstratio affirmatiua dignior est negatiua, vt superiori capite confirmatum est, negatiua dignior est ea, quæ ducit ad impossibile, ergò dignior longè à fortiori erit affirmatiua, si enim vinco vincentem te, à fortiori vincã te: vnde infertur euidẽter, quamlibet ostensiuam demõstrationem præstare ducẽti ad impossibile.

QVAE SCIENTIA CERTIOR, ac prior sit, quæ vna, quæve diuersæ inter se scientiæ sint, & quod eiusdẽ plures esse demonstrationes possint.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Scientia autem est, & certior, & prior scientia, quæ ipsius quod, & propter quid est eadem, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Scientiam esse finẽ, & effectũ demonstrationis docuit plane Aristoteles in prima eius definitione dicens, demonstrationem esse syllogismũ facientẽ scire ca. 2. huius libri, bene igitur post naturã demonstrationis explicatã, de scientia, ac de eius effectu disserere incipit cap. præsenti in quo vnã scientiã cũ alia in tribus cõparat: primo in certitudine, docens quibus modis, vel rationibus vna scientia sit certior altera. Secũdo in vnitate, à quo nam sit quælibet sciẽtia vna, tradens. Tertium, quantum ad distinctionem, principium scientiarum distinctum designans, quibus expeditis quoddã quasi corollarium infert ad earũ scientiarum vnitatem, & distinctionem pertinens. Scientia finis demonstrationis. 1. Diuisio cap.

Prima conclusio Arist. est tribus modis, vel rationibus vnam scientiam certitudine superare alteram: primus est quantum ad notitiam, quam de obiecto tradit, nam illa scientia prior est, & notior; siue certior altera, quæ simul notitiam propter quid, & quia, sui obiecti tradit, posterior autem, & minus certa, si solum notitiam, quia, hoc enim sibi voluit Arist. dicens. Certior autem scientia est, & prior, quæcunque ipsius quia, & propter quid eadem est, sed non est ipsius, quia extra eam, quæ est propter quid: hoc est, si quia & propter quid in ea separetur, solummodo notitiam tradens, minus erit certa: exemplum vtriusque habemus in scientijs subalternis, ex quibus inferior Prima cõclusio Aristotelis. 2.

(quam subalternatam vocant) solam notitiā, quia de proprio obiecto tradit non attingens eius propter quid, vt numerum sonorum esse, cui consonantia conueniunt, docet Musica sed quia principia propria, quarum ratione tales consonantia conueniunt numero, non affert, solum ostendere dicimus, quia, hoc est rē ita esse, vel quod ita se habeat, causam verò non reddere, & ideò nec propter quid talis notitia: at superior (qua vocatur subalternans) propter quid etiam tradit, ac propterea certior est prior, & notior, quia absoluta certitudo scientifica cognitionis est ea, quae per propriam causam rei habetur (vt superius vidimus) Secundum se tenet ex parte subiecti, circa quod versatur scientia, quam certiorē esse ait, si nō sit de subiecto, quam si de subiecto sit; per subiectum intelligens materiam sensibilem, vt D.

D.Thom. Tho. quem caeteri interpretes sequuntur, exponit, quare sensus est, scientiam concernentem sensibilem materiam minus certam esse, certiorem verò à tali materia abstrahentem: materiam sensibilem respicit naturalis philo-

4. sophia agens de ente mobili, nam motus commune sensibile est, vt docet Arist. 2. lib. de ani-

Aristo. ma, tex. 64. sic inquiens: communia autem motus, quies, numerus, figura, magnitudo, per se igitur sensibilia sunt hæc, &c. ab hac autem abstrahunt Mathematica disciplina, vt Geometria, & Arithmetica, & ideò

5. certiores sunt, exemplum producit Arist. in eisdem subalternis scientijs, Arithmetica, & Armonica, seu Musica, nam illa de numeris agit, ad nullam materiam sensibilem determinatis, hac verò numerum ad sonos applicat ideò sensibilis vocatur, ratio autem, ob quam minus est certa scientia de re sensibili, ea est, quia sensibilis materia transmutationibus subijcitur, & ex hoc varietatem patitur, quapropter minorem habent certitudinem sensibilia.

Quæ sciētia sit cer- tior. Tertius modus, maioris certitudinis etiā se tenet ex parte obiecti, nam illa scientia certior est, quae circa simplicibus obiectū versatur, quae vero ex appositione, vel additio e, est minus certa, & producit exemplum in Arithmetica, & Geometria: vnitas namq; principium numeri, circa quem Arithmetica versatur, simplicior est puncto principio linea, quam pro obiecto habet Geometria, quia vnitas positione caret in continuo, quēmadmodū numerus (vt in praedicamento quantitatis adnotatum est) habet tamen positionem punctus nō ratione sui, cum sit indiuisibilis, nec locum, nec situm per se habens, sed ratione corporis, quod superficiebus, lineis, & punctis terminatur; ratione igitur huius positionis quodammodo compositus dicitur, atq; ex cōsequenti linea, cuius principium est, & propter talem positionem multis praedicatis accidentalibus subditur, quae ex situ, & loco oriuntur, à quibus constat vnitatem solui: & si alicui videatur hunc tertium modum, vel rationem cum secundo coincidere, cum aliud, quam maiorem, vel minorem abstractionem à materia contineat, aduertas necesse est illud, quod bene D. Tho. in eius exposit. lect. 42. adhuc esse diuersum. nam secundus modus accipitur ex materia sensibili, & abstractione ab ea, tertius verò inter obiecta à materia sensibili abstrahentia versatur, & ex maiori simplicitate accipitur, simplicitas autem alia ratio ab abstractione est, licet ex ea oriatur. 6. 7. D.Thom.

Secunda assertio de scientiarum vnitate loquitur: quam D. Tho. Alb. magnus, caeteriq; antiquiores interpretes exponunt adnotantes quatuor esse in qualibet scientia: primum est commune obiectum comprahendens omnia, quae sub tali scientia continentur, vt in Metaphysica ens, in Philosophia naturali ens mobile, & hoc vocat Aristoteles genus scientiae vnitatem habens, non ex ratione materiali, quae solet esse analoga, vt in ente, sed ex formali, sub qua consideratur in sciētia: sunt etiam in scientia, principia, quae non sunt aliud, quam vniuersales quaedam propositiones per se notae, ac indemonstrabiles, ex quibus demonstrationes componuntur, conclusiones- Secunda assertio. D. Thom. Alb. & aliorum explicatio 8.

quē

que deriuantur: sunt etiam tertio partes ipsius subiecti essentiales, vt materia, & forma, genus, & differentia, partes item corporis integrantes, si subiectum sit substantia, quæ sub communi ratione subiecti vt dicebatur) comprehenduntur, vel etiam partes subiectiuæ, vt species, quas commune etiam obiectum comprehendit, quemadmodum in logica, species entis rationis, & in philosophia naturali corpora simplicia, & mixta valde diuersa. Postremo sunt passiones ipsius
9. subiecti, illæ inprimis; quæ ei conueniunt ad æquate, deinde quæ conueniunt speciebus, de quibus per communia principia propriis ac commodata probantur: hæc igitur omnia intelligit Aristoteles sub vnius generis subiecto: & de partibus quidē notum est, quæ sub toto comprehenduntur semper, dum sub ratione, & ambitu totius consideratur: de principiis vero; & passionibus aperte ostenditur, quia principia scientiæ ab essentia ipsius subiecti accipiuntur, passiones vero eādem consequuntur essentiam, & certe si principia continent causam conclusionum, quæ passiones subiecto conuenire importāt, necesse est à propria ipsius natura subiecti) quæ vera passionum causa est) accipiatur: statuens ergo Aristoteles scientiam esse vnam, quæ est vnius generis subiecti, tantundem asserere voluit, ac si diceret scientiam esse vnam, quæ versatur circa subiectum vnius naturæ, vel rationis, sub qua comprehenduntur omnes
10. eius partes, & à qua accipiuntur principia, quibus mediis demonstrantur passiones de illo. Scio aliumesse modum interpretandi Aristotelem in hac parte, quem Toletus noster sequitur, sed hic certe videtur magis textui quadrare, vt assertio sequens de distinctione scientiarum ostendit.

Tertia assertio. Quæ talis est: diuersitas scientiarum accipitur ex diuersitate principiorum, ita vt illæ sint diuersæ, quarum principia sic sunt diuersa, vt nec procedant ex eisdem principiis prioribus, nec ex alterutris, idest, nec principiis alterius cuius sensus principiorum distinctione præmissa elici poterit: etenim principia in duplici sunt differentia, quædam communissima, quæ non ingrediuntur demonstrationes particularium scientiarum, vt de quolibet verum est affirmare, vel negare, & de nullo affirmare, & negare simul verum est; aliæ sunt cuiuslibet scientiæ principia propria, per quæ conclusiones particulares demonstrantur: & in quæ resoluuntur, nam resolutio particularis conclusionum non tendit ad vniuersalissima, sed in prioribus sistit talia sunt, à quolibet puncto in quodlibet punctum possumus lineam ducere, super quamlibet datam lineam possumus triangulum constituere, & similia, de quibus plane loquitur Aristoteles, & non de communissimis, vt eius verba non obscure indicant, ait enim: 11.
Huius autem est signū, cum ad ea, quæ non demonstrantur, ventum fuerit, oportet enim ipsa eodem in genere esse, in quo sunt ea, quæ sunt demonstrata, &c. quibus talem rationem simul eiusdem assertionis reddere videtur: principia scientiæ ad idem genus obiecti spectant cum passionibus, & conclusionibus per ea demonstratis, nam illa sumuntur ex propria natura subiecti, à qua dimanant passiones ergo se ipsis distinguuntur principia proxima, ideoque repugnabit ex alterutris esse, vel ab eisdem prioribus emanare, nam eo ipso non essent distincta, sed se haberent quasi conclusiones eiusdem scientiæ ab eisdem principiis deriuatæ, cum quibus proinde eandem scientiam, & non diuersam constituerent.

Docet tandem eandem conclusionem per diuersa media esse aliquando demonstrabilem, non solum eiusdem coordinationis, sed diuersæ; eiusdem quidem non tamen cohærentia, vel continua, sed quasi discontinuata, quod licet variis exponatur modis, communis tamen expositio est, quam attulit Themistius in sua paraphrasi super librum post. c. 44. & sequuntur Soto D. noster Toletus in commētariis huius capitis, tamquam certum ducentes in eadem serie prædicamentali, vel coordinatione plura esse media ad eandem conclusionem demonstrandam, non tamen continuata, vel proxima supremo prædicato, ad quod reducenda est; immediatum namque vnum tantum est; gratia exempli, ad demonstrandam hanc conclusionem, — Corollarium. 12. Themist. Tolet. A Soto

homo est substantia, accipi possunt; animal, & viuens: quæ cum substantia non continuatur, nec ei immediata sunt, nam immediatum, vel continuum tantum est corpus, hunc igitur esse sensum Aristotelis docent, & mihi videtur satis contextui verborum esse consentaneum.

13. *Plura etiam diuersa coordinationis media afferri posse ad eandem conclusionem docet & probat hoc exemplo: si quis velit hanc conclusionem demonstrare, omnis lætans vel qui lætitia afficitur, transmutatur, potest vti motu, & quiete, quæ diuersa media sunt, motu quidem hoc modo, omne quod mouetur transmutatur, omne lætans mouetur, ergo transmutatur: quiete vero sic, omne quiescens transmutatur, omne lætans quiescit, ergo omne lætans transmutatur; hæc autem media nõ esse adeo diuersa, quin aliquo modo communicent, saltem in tertio aliquo principia quasi superiori, sub quo continentur, do-*
14. *cet; quod in eodem exemplo constare; potest moueri enim, & quiescere illud habent commune principium, quod est aliter se habere nunc, & prius, nam si omne, quod mouetur transmutatur, atque etiam omne, quod quiescit, verum erit vtrumque aliter se habere nunc, & prius, quod mouetur quidem ratione diuersarum partium motus, quod quiescit comparando quietem cum motu: nam & si in quiete ipsa eodem modo se habeat nunc, & prius, sed dum quiescere incipit, aliter se habet, ac prius dum mouebatur: hoc igitur erit commune vtriusque prædicatum, à quo commune etiam principium accipi poterit, per quod vtrumque probetur de eodem subiecto.*

EORVM, QVÆ AB FORTVNA EVENIUNT, *quæque in sensuum functione sunt, non esse scientiam.*

CAPVT VIGESIMVM quartum.

EIus vero, quod à fortuna, non est scientia per demonstrationem, neque enim vt necessarium, neque tanquam vt plurimum est, quod est à fortuna, sed quod præter hæc fit, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

COmparatis inter sese scientiis, nunc scientificam cognitionem cum aliis inferioribus comparare incipit Philosophus; & primo cum his quæ casu eueniunt, vel fortuna, deinde cum singularium sensibilium notitia: & hæc est bimembris huius capitis diuisio geminam comparationem scientiæ continens. 1. Diuisio capit. in duas partes.

Prior igitur comparatio est cum casualibus, & fortuitis, quorum cognitionem ait non esse scientificam, nec demonstrationem circa ea versari sed incertam prorsus: probatque hoc argumento; demonstratio, & scientia sunt de necessariis, vel ex his certe, quæ frequenter eueniunt, vt ex vtriusque definitione patet: nam demonstratio est syllogismus faciens scire, & scire est rem per causam cognoscere, & quod illud est causa, & impossibile est aliter se habere; necessarias igitur oportet esse præmissas demonstrationis, & ex consequenti conclusionem ex eis allatam, nam in syllogismo demonstratiuo, cuius præmissæ sunt causa conclusionis, talis debet esse conclusio, quales ipsæ sunt; alioqui si præmissis existentibus necessariis conclusio esset contingens, posset quidem esse falsa; & admisso quod falsa esset, daretur in consecutione formali, ac necessaria antecedens verum, & consequens falsum, quod cum eius natura aperte pugnat, sed quæ casu, vel fortuna contingunt, nec sunt necessaria, nec eueniunt semper raro contingunt, ergo eorum non erit scientifica notitia nec circa has demonstratio versabitur. Prima pars cap. Notate.

Secundo comparatur scientia cum notitia singularium sensibilium; statuiturq; eam non esse scientificam, nec per demonstrationem comparabilem. Probaturq; hoc modo de- Secunda pars cap. 3.

demonstratio, & scientia sunt de vniuersalibus, quæ non sunt hic, & nunc, sed vbique ac semper; singularia autem sensibilia cognoscuntur per sensum, cuius notitia non versatur circa vniuersalia, sed circa ea quæ hic, & nunc sunt, & passim esse desinunt, ergo nec similis notitia scientifica esse potest, nec per demonstrationem comparari. Confirmat eandem veritatē duobus exemplis. Primum de triangulo singulari, quem etsi videamus tres habere angulos duobus rectis æquales, haud quaquam de eo scientiam habebimus, vt quidam falso putabant, quamlibet singularium euidentem notitiam scientiam vocantes, ea enim habita non habetur vniuersalis cognitio trianguli, quæ sola scientifica est; cuius illud euidens est signum, quod demon-

4. strationem adhuc quæreremus ad talem notitiam vniuersalem comparandam, adhuc ergo non haberemus scientificam notitiam. Exemplum secundum est de eclipsi lunæ, nam si supra lunam essemus, quam ex obiectu, vel interpositione terræ inter solem, & ipsam eclipsari videremus, adhuc causam in vniuersali nescientes, nondum scientificam haberemus de eclipsi notitam; constaret quidem nobis per illam singularem experientiam, terram hic, & nunc interpositam hanc eclipsim causare, sed sic semper rem se habere, vt ex tali causa semper sequatur talis effectus, (quæ propriè scientifica notitia est) non adquirimus nisi per demonstrationem; non enim ex vno singulari, sed ex multis vniuersalem alicuius notitiam assequimur.

Primum corollarium. Ex quibus plane intelligitur notitiam rei vniuersalis honorabiliorem esse cognitione singularium sensitiua, quia est per causam, honorabilior est etiam quamcumque

5. alia intellectiua cognitione causam minimè continente, si tamen de re sit habente causam, nam si talis sit, cuius nulla sit designabilis causa, qualis est primorum principiorum vniuersalis notitia, dignior profectò erit, quamquam non sit per causam, quacumque scientifica per demonstrationem comparata. Itaque per sensum (ait Aristoteles) non contingit scire, nisi quispiam velit sensationis nomine notitiam per demonstrationem comparatam designare, metaphoricè eam extendens ad quamcumque cognitionem, per quam potentia qualibet cognoscitiua adhæret obiecto cognito quasi illud tangens, in qua significatione dicere solemus, intellectum tangere illud, quod clarè, & euidenter intelligit, talis autem acceptio sensationis æquiuoca est, nunc autem propriè de hisce rebus loquimur. Intelligitur secundo, Secundū corollarium. quod & si notitia singularium sensitiua minime sit scientifica, iuuat tamen non parum ad scientiam comparandam sunt enim ob-

iecta quædam scientiæ, quæ non cognoscuntur per scientiam, cognoscerentur tamen, 6. si viderentur, non quod ea videre sit scire, sed quia per notitiam sensitiuam rei singularis, in notitiam intellectiuam rei vniuersalis verè scientificam possemus deuenire; vtiturq; ad id ostendendum antiquorum exemplo, qui decepti putauere lumen esse corpus, & cum eis obiiceretur, quod per vitrum transibat, responderunt transire vtique non per corporum penetrationem, sed quia minutissima quædam foramina habet vitrum pororum similitudinem habentia, per quæ ingreditur, nunc ergo ait Aristoteles, si res ita se haberet, vt putabant isti, esset quidem scientia huius, quod per foramina ingrediatur lumen, si hæc viderentur: non quia visio esset scientia, sed quia visio- 7.
ne foraminum media vniuersalem propositionem colligeret intellectus, nempe omne vitrum ea habere, per ea etiam lumen ingredi semper, cuius notitia esset scientifica; vulgare nihilominus exemplum hoc est, similitudinem gerens vtilem quidem ad rem, de qua agitur, intelligendam, fidem tamen minimè faciens, cum falsum sit.

NON OMNIVM SYLLOgismorum eadem esse principia posse.

CAPVT VIGESIMVM quintum.

EAdem vero principia omnium esse syllogismorum impossibile, primum quidem logice considerantibus, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

EX principiis diuersis scientiarum diuersitatem accipiendam esse docet A-
1. *ristoteles cap 23. oportebat autem ostendere diuersa esse principia diuersarum scientiarum, nam si eadem essent, non distinguerētur scientiæ, & hoc est, quod Aristoteles intendit in capite præsenti ostendere, cuius sunt tres conclusiões multis argumentis corroboratæ, ac tandem tribus respondetur obiectionibus aduersum vltimam ab eodē Aristotele excogitatis, vt sic quadrimembris sit totius capitis diuisio.*

Diuisio. cap. *Triplex potest esse syllogismi consideratio, nam vel conclusione falsa constat, & appellatur falsus aut vera, & vocatur verus: seruata tamen cũ in vtroque forma syllogistica, vel certè in communi accipitur, prout à verò abstrahit, & falso, prima igitur conclusio de syllogismo in communi procedit, & est talis, impossibile est omnium syllogismorum eadē esse principia, quam ex communibus etiam*
Prima cõclusio.
2. *syllogismorum probat, ideò logicam dicit esse rationem Syllogismi quidam sunt veri, quidam falsi, ergo nõ possunt esse ex eisdem principiis siquidem vera conclusio ex veris principiis, falsa ex falsis syllogizatur: & si dicatur, ait Aristoteles, ex falsis etiam syllogizari verum, vt probat syllogismus iste, omne animal est lapis, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal. Respondet Aristoteles semel hoc contingere, hoc est primam propositionem falsam ex veris aliquãdo inferri, si autem præmissas resoluamus iterum eas syllogizantes, impossibile erit in toto resolutionis processu amplius ex falsis verum concludere, nam cum præmissæ sint falsæ, totus ipse syllogismus ex falsis erit præmissis, & cõclusione, ex veris autem, nec semel falsum infertur, vnde sequitur, vt plurimum principia* 3.
vtriusque diuersa esse.

Secunda conclusio loquitur de syllogismo falso cuius principia assumat non esse eadē, sed diuersa. Probatur q; ex conclusionum diuersitate falsa enim cõclusio multiplex, quædam solum est falsa, altera impossibilis: & falsæ diuersissimæ sunt, atque etiam impossibiles quadã cum impossibilis est, in qua disparatum de disparato, vt homo est leo, quadã, in qua vnum relatiuum de altero, vt Pater est filius, altera denum in qua vnũ contrariorum de altero enunciatur, vt calidum est frigidum, album est nigrum: repugnat autem conclusiones falsas adeò diuersas ex eisdem 4.
principiis inferri, ergo falsorũ syllogismorum principia necesse est esse diuersa. Secunda conclusio

Tertia conclusio de vero syllogismo est, sub quo demonstratio comprehenditur: impossibile est omnes syllogismos veros eadem habere principia, quam probat quatuor argumentis. Tertia cõclusio.

Et est primum: Aliquorum syllogismorum principia diuersissima sunt, ita, vt nullo modo conueniant, ergo non omnium verorum syllogismorum eadem sunt principia: probatur antecedēs nam vnitas est principium discretæ quantitatis punctum continuæ, hoc positionem habet, qua caret illa, ergò syllogismi de his agentes non possunt in principiis conuenire. Confirmat eadem rationem, nam si Prima ratio huius conclusionis.
horum principia conuenirent, vno ex his modis esset, nempe quia vtrumque posset esse alicuius conclusionis probandæ maius extremũ vel minus, aut certe medium: his enim duntaxat terminis syllogismus constat, sed hoc est impossibile, cum nulla posset esse conclusio per principia vtriusque probanda, quemadmodum nihil eis secundum propriam conditionem acceptis commune esse potest, ergò necesse est diuersa esse principia syllogismorum 5.
ad ali-

ad aliquid de his indiu sibilibus diuersis probandum.

Secunda ratio. Secunda ratio si eadem essent cunctorum principia essent proculdubio vniuersalissima, ex quibus omnes syllogismi procederent, videlicet de quolibet affirmare, vel negare verum est, de nullo affirmare simul, & negare verum esse potest, sed huiusmodi principia nō
6. demonstrant particulares scientiarum conclusiones, nisi determinata ad particulares materias per propria cuiusque scientiæ principia in tali materia consistentia, quæ diuersissima proinde sunt, quēadmodum materia, circa quam versatur qualibet scientia diuersa est ab altera, ergo necesse est particularia principia scientiarum esse diuersa.

Tertia ratio. Tertium argumentum acceptum est ex reciproca comparatione principiorum ad cōclusiones, & conclusionum ad principia, de quibus præsupponit multa esse, & non multo pauciora, quā conclusiones: multa quidem, quia principia siue propositiones fiunt assumpto termino medio, vel immisso, assumpto quidem propter secundam, & tertiam figuram, in quibus medium, vel superius est ex-
7. tremitatibus, vel inferius, immisso vero propter primam figuram, in qua ter subiectum, & prædicatum quasi immittitur, terminos autem medios, qui assumi possunt, constat esse multos, ergo principia etiam multa sunt sed non tot, quot sunt conclusiones, licet non multo pauciora, nam & si videri posset multo plura esse, cum semper duæ præmissæ assumātur ad inferendam vnam conclusionem, sed neque omnes præmissæ, quæ assumuntur principia sint, sed sæpe alterius syllogismi conclusiones, nec semper diuersæ omnino præmissæ in diuersis syllogismis, sed aliquando eadem in pluribus reperitur, prout congruit subiecto,
8. & prædicato propositionis syllogizandæ verum est, ergo non multo pauciora esse. Præsupponit secundo de conclusionibus esse penè infinitas, cum sit sermo non solum de necessariis ac per se, sed etiam de contingentibus, ac per accidens quæ etiam ex finitis terminis penè in infinitum multiplicari possunt, siquidem infinitis quidem modis combinari possunt; non secus, ac literæ numero quidem finitæ infinitas penè dictiones efficere possunt propter infinitos pene modos, quibus coniungi possunt, ex duobus autem præsuppositis hoc argumentum constituit, principia non sunt multo pauciora, quā cōclusiones, sed cōclusiones sunt pene infinitæ, ergo etiam principia non sunt ergo omnium syllogismorum eadem, sed diuersa nec proinde omnium demonstrationum, quæ syllogismi quidam sunt, sed neque omnium scientiarum.

Vltima ratio. Postrema ratio est media syllogismorum, ex quibus propositiones, vel principia constituuntur, non sunt eiusdem rationis, sed quædam necessaria, alia contingentia, quēadmodum verum non est semper eiusdem cōditionis, sed quoddam necessarium, contin- 9.
gens aliud, ergo & principia partim necessaria sunt, partim contingentia; quapropter nec eadem esse possunt omnium syllogismorum

Prima obiectio. In calce capitis tria obiicit Aristoteles circa principiorum diuersitatem iam probatam. Primum est quia posset aliquis contendere: principia quidem alia esse in Geometria, alia in Musica, alia etiam in Dialectica, & modo simili in qualibet alia scientia, eadem nihilominus esse, & non diuersa, quia singula suis conclusionibus, ad quas eodem modo se habent, eadem sunt.

Responsio 10. Respondet Aristoteles, ex hoc non probari, quod eadem sint absolute, & non diuersa, nemo enim ausus est vnquam eadem vocare duo aliqua, ex hoc quod vnumquodq; sit idē alicui, nam rationale est idem homini, & hinnibile equo, & tamen non infertur bene inter se non distingui; ergo nec sequetur, quælibet principia cuiuslibet scientiæ, sunt eadē suis conclusionibus, ergo & inter se, quia cū diuersæ sunt conclusiones, necesse est etiam diuersa esse principia.

Secunda obiectio. Secundo posset aliquis excogitare eadem esse principia, nam licet multa sint; ex omnibus, & singulis qualibet conclusio infertur.

Responsio. Quod insipienter esse excogitatum respondet Aristoteles, nam in doctrinis, hoc est, in

Mathematicis disciplinis oppositum con-
11. stat, in quibus non omnes conclusiones resoluuntur in eadem principia, vt quæ sunt de proprietatibus numerorum, nequaquam in principia linearum possunt resolui, sicq; de singulis facultatibus necessario dicendum est: nam quemadmodum quælibet habet conclusiones proprietates sui obiecti cotinentes, pari ratione principia propria ex natura eiusdem obiecti desumpta: iuxta diuersum igitur genus obiecti, circa quod versatur qualibet, est diuersitas conclusionum, ac principiorum. Et
D. Thom. notanda est hac solutio; nam vt bene D. Thom analytica ratio, id est, demonstratiua est ad probandum conclusionem principaliter intentam de principiorum diuersitate.

Vltima. Postremam obiectionem proponit solutionem præcedentis repetens, nam si ex omnibus (ait) non demostratur quodlibet, neque ex singulis, sed in quauis scientia sunt propria principia, superest talis modus identitatis, vt dicantur principia propria, similia, & quasi cognata esse.

Respōsio. Et ex hoc eiusdem generis respondet Aristoteles impossibile id esse, quia diuerso-
12. rum generum principia diuersa etiam genere sunt: duplicia etenim sunt principia, alia ex quibus, alia circa quæ; ex quibus sunt dignitates, circa quæ sunt subiecta scientiarum, de quibus demonstrantur passiones, & conclusiones, & quidem priora complexa sunt, & communia esse possunt omnibus, vel pluribus scientiis, posteriora vero incomplexa, minimeque communia, vt testantur numerus, & magnitudo; circa illum namq; versatur Arithmetica, circa hoc Musica, sicq; de cateris subiectis scientiarum, accipiendum est; de quibus planè constat esse diuersa. Ex horum diuersitate conuincitur, principia complexa vnicuique scientia propria etiam esse diuersa, nam definitio subiecti principium indemonstrabile est in singulis scientiis, per quam pro-

ximè demonstrantur passiones, vt in scientia de homine animal rationale, per 13.
quam demonstrantur de illo capacitas disciplina, admiratio, & risibilitas: si ergo tam euidens est principia incomplexa, circa quæ, esse diuersa pro diuersis scientiis, non minus erit euidens complexum, ex eius definitione conflatum, propriumq; in qualibet scientia esse diuersum.

Solutio huius dubii est secunda ratio demonstratiua diuersitatem principiorum cōuincens.

QVOD SCIENTIAE, ET Scibile ab opinione, & opinabile discrepent.

CAPVT VIGESIMVM Sextum.

SCibile autem, & scientia differunt ab opinabili, & opinione, quoniam scientia quidem vniuersalis, &c.

EXPOSITIO TEXTVS.

SEPARATIS à se inuicem scientiis ex 1.
principiorum diuersitate, nunc eandem scientiam à cæteris cognitionibus, vel habitibus separat præsertim ab opinione, nam de reliquis habitibus intellectus dicit se non agere, quia ad vtramque Philosophiam naturalem, & moralem pertinent.

Diuisio cap bimembris. Duo igitur capite præsenti præstat, nam primo discrimen inter scientiam; & opinionem, earumq; obiecta cōstituit. Secundo aduersus statutum discrimen duo obiicit, ac soluit. Prima pars cap. Scientiam ex vna parte ab opinione, & scibile ab opinabili ex altera differre docet, quod promiscue de vtroque pro-

Probat; nam cum scientia à scibili tanquam à proprio obiecto propriam rationem, ac speciem accipiat, ac modo simili opinio ab opinabili, dum ipsarum cognitionum, vel habituum discrimen probatur; consequenter probatur obiecta esse diuersa, & dum obiectorum probatur discrimen, consequẽter probatur diuersas esse cognitiones, vel habitus; à priori quidem hoc, à posteriori illud: ratio igitur vtrumque probans talis est: scientia est cognitio vniuersalis, quæ per necessaria comparatur ac opinio, nec est circa necessarium, nec per medium necessarium comparatur, ergo longe differunt scientia, & scibile ex vna parte ab opinione, & opinabili ex altera: nam scibile est vniuersale, & necessarium, opinabile vero neutrum habet, sed particulare, & contingens est: antecedens probatur, quia scientia est de his, quæ sunt de omni, per se, ac secundum quod ipsum, vt superius stabilitum est, ergo est de vniuersalibus: opinio vero nihil tale habet: scientia item est de his, quæ non possunt aliter se habere, cum scire ita sit definitum: est cognoscere rem per causam, & quod illius est causa, & non contingit aliter se habere: sed necessaria sunt, quæ aliter se habere non possunt, ergo erit de necessariis: at opinio ex opposito circa contingentia, & quæ aliter se habere possunt, versatur: ergo valde differunt; minorẽ probat præmittens præter necessaria esse quædam alia, vera quidem sed quæ aliter se habere possunt, quasi dicat, quæ sic existimantur vera, vt possint esse falsa, & fortasse sint, circa quæ opinionem versari sic ostendit: circa talia non est scientia, non est intellectus, cum ergo sint vera saltem in existimatione, versabitur circa ea opinio, eritq; proinde à scientia diuersa: probatur antecedens nam scientia est de his, quæ non possunt aliter se habere, vt probatum est, hoc autem aliter se
4 habere contingit, ergo obiectum scientiæ non possunt esse, sed neque intellectus, qui est habitus principiorum: nam iste, & principium scientiæ est, & indemonstrabilis quædam scientia certa existimatio immediatæ propositionis, ex quibus conditionibus euidenter sequitur non versari circa obiectum contingẽs, & quod aliter se habere potest, sed circa omnino necessarium, nam si principium scientiæ est, cum scientia sit de necessariis, multo magis eius principium & si scientia quædam indemonstrabilis est, hoc est certa notitia, in hac enim conditione cum scientia conuenit: & ideò scientia vocatur per medium, vel demonstrationem minimè genita, sed ex sola notitia terminorum, erit ex consequenti de re necessaria melius, quam scientia per demonstrationem comparabilis,
& fere hoc idem est certam esse existimationem immediatæ propositionis, nec enim possibile est, si ex natura rei loquamur, certam habere notitiam alicuius rei sine medio, nisi res ipsa sit necessaria, nam si contingens est, non erit sine medio per certam notitiam cognoscibilis, cum notitia, sine medio habita naturæ ipsius rei, de qua habetur, sit conformis: erit igitur notitia eius contingens, & cui aliter se habere non repugnet, quæ propriæ sunt conditiones opinionis, quibus à scientia, & intellectu separatur, cum quibus tamen in eo conuenit, quod circa verum versatur in existimatione saltem opinantis: erit igitur opinio acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ; non quod immediata propositio opinio esse non posit, sed vt intelligatur cum intellectu, & scientia, conuenire; cum intellectu quidem, nam quemadmodum dantur propositiones necessariæ, quibus intellectus certa cognitione
sine medio assentitur ex sola notitia terminorum, pari ratione dantur propositiones contingentes, quibus etiam assentitur sine medio, non quidem assensu necessario, sed probabili: cum scientia vero, quia sicut hæc est assensus propositionis mediatæ ad immediatam reducibilis per inter medias demonstrationes, modo simili dantur assensus

sensus mediatarum propositionum non necessariarum ad immediatas etiam non necessarias reducibiles: quæ vt melius intelligerentur, solam immediatam opinionem voluit definire Aristoteles, ex cuius definitione constat, mediatas etiam opiniones dari, & similem esse opinionum, ac scientiarum processum quantum ad resolutionem mediatarum conclusionum in immediatas: sed per vltimam particulam, videlicet, non necessaria, separatur opinio ab vtroque habitu principiorum, 7. *& scientiæ, quia isti circa necessaria semper, opinio vero siue mediata illa sit, siue immediata semper circa contingentia & quæ aliter se habere possunt; vt ratio Aristotelis conuincit.*

Cõfirmat alijs argumentis.

Quam duplici alio confirmat argumento; primo, ex ipsiusmet vocabuli significatione, nam opinio videtur significare, quid debile, vel incertum, & multæ sunt res ex propria conditione debiles, ac imbecilles, quæ proinde non sunt per certam, seu firmam notitiam intellectus cognoscibiles, sed per contingentem, cui non repugnat subesse falsum, cum tamen scientia firma sit intellectus adhæsio, & rei omnino determinatæ ad esse.

Secundum argumentum ex communi modo loquendi, & sentiendi desumitur, omnes enim tam sapientes, quam insipientes in suo ordine, & gradu arbitrantur se scire, cum notitiam alicuius rei habent, quam putant aliter se habere non posse, & statim ac intelligũt 8. *posse aliter se habere, non se scire, sed opinari dicunt, quod certe euidens signum est scientiam esse cognitionem rei necessariæ, & quæ aliter se habere non potest, opinionem vero rei contingentis, & cui non repugnat subesse falsum.*

Secunda pars cap.

Sed aduersus statutum discrimen inter scibile, & opinabile, scientiam, & opinione duo obiicit Aristoteles: primo ad probandum obiecta esse idem: secundo notitias ipsas, vel habitus probat primum, nam sæpè contingit, 1. Obiectio. *vt quod vnus scit, opinetur aliter, tunc ergo erit obiectum scientiæ, & opinionis, idem erunt scibile, & opinabilem, non distincta*

Secunda obiectio.

Secundum vero, quia quemadmodum sciens procedit ex immediatis conclusionibus ad immediata principia in quæ resoluit suam cognitionem, pari ratione qui opinatur ex immediatis ad immediata procedit, cum contingat vnum propter alterum opinari, ac tandem sicut qui scit aliquando à causa aliquando ab effectu procedens, 9. *dicitur vtrumque de obiecto scire, quia videlicet, & propter quid, non dissimili modo, qui opinatur, quandoque ex causa, quandoque ex effectu procedit, conueniunt igitur scientia, & opinio in his conditionibus, quæ videntur eiusdem scientiæ propria, & cum ex alia parte versentur circa idem obiectum, non videtur esse distinctæ cognitionis, vel habitus.*

Secunda solutio.

Respondet prius posteriori dubitationi dicens, vera esse quæ assumit, sed multum adhuc distare inter scientiam, & opinionem, nam scientia ex mediatis ad immediata procedit per media quidem necessaria, & quæ aliter se habere non possunt, 10. *taliaq; existimantur, vt constat, dum per definitionem demonstrat passionem de subiecto, vel definitionem ipsam per passionem, quam subiecto conuenire per euidentem experientiam nouit, atque cum opinatur per medium contingens, & cum non repugnat aliter se habere; & quidem si vsque ad immediata procedat, dicetur opinari propter quid, si vero in propositionibus mediatis sistat, opinabitur solum quia; nõ secus in processu demonstratiuo contingit, nam scientia, quæ reducit conclusiones vsque ad indemonstrabilia principia, propter quid appellatur, atque perfecta, quæ vero reducere non nouit, imperfecta est, & quia vocatur. Ecce quo pacto ex parte medii contingentis, vel necessarii separantur scientia, & opinio, à qua essentialis distinctio notitiarum, & habitum petenda est.*

Solutio prioris.

Soluit priorem docens, quonammodo opinio, & scientia possunt esse de eodem, ita vt verum sit idem esse scibile, & opinabilem simul autem esse posse ait, non simpliciter, sed modo quodam, non secus ac opinio vera, & falsa quas non sic admittendum est esse simul 11. *ac dicebant Philosophi quidam, cuius mentio fiat 4. metaph tex. 21. Democritus videlicet, & Empedocles, quorum hæc fuit senten-*

ten-

*tentia de veritate, vt solum in nostra opinio-
ne consisteret, ita vt illud esset verum, quod
nobis tale videtur, vel quod verum esse opina-
mur. Exempli causa, si cibus mihi dulcis vi-
detur, verum est esse dulcem, & amarum si
12. amarus videtur, quod valde absurdum esse
idem ostendit Aristot. nam inter alia, quæ
ex eo deducuntur incommoda, illud est satis
magnum, nullam esse falsam opinionem, sed
omnes vera opinari, dum ita esse iudicant,
quomodocumque se res habeat; imo nullam
penitus esse opinionem, sed scientificum esse
semper, quod iudicatur, nam si regula veri-
tatis est iudicium, non poterit res aliter se ha-
bere, quam vt iudicatur, sed cum eandem
rem simul esse, & non esse talem, manife-
stam contradictionem inuoluat: euidenter se-
quitur ex duobus contrarium opinantibus,
vnum opinari verum, alterum vero falsum,
vnde fiet, de eodem esse opinionem veram, &
falsam simpliciter, quod non est admitten-
dum, nisi certo quodammodo, hoc est, sub
tali distinctione esse idem contingit, vel iden-
ditate subiecti, vel rationis, quasi dicat, con-
tingit subiectum esse idem, rationem vero,
hoc est, propositionem de eo formatam diuer-
13. sam, & quidem de eodem subiecto possibile
est esse veram, & falsam opinionem, vt de
Diametro, quod sit commensurabilis costa
falsa erit opinio, vera quod non sit commen-
surabilis, cum idem sit diameter, de quo v-
trumque existimatur: de eadem autem ratio-
ne, vel propositione, videlicet, quod sit com-
mensurabilis, impossibile est: & pariter ait
de scientia, & opinione censendum, nempe
de eodem subiecto simul esse posse, non sub ea-
dem ratione, hoc est, non de eadem proposi-
tione ad illud pertinente, designatque exem-
plum in homine, de quo potest quispiam scire,
quod sit animal, existimans non posse aliter
se habere, quin animal sit: alius vera opina-
ri esse quidem animal, sed ita vt possit aliter
se habere, quia animal sit. Ecce quo pacto de
eodem animali scientia, & opinio habentur,
sed non eadem ratione, & si clarius velit hoc 14.
quidem intelligere, de homine potest quispiam
scire, quod sit risibilis, opinari vero, quod ab
ipsa sua risibilitate distinguatur realiter. Ita-
que (vt nostro modo loquendi rem explice-
mus (de eadem re incomplexa vult Aristote-
les esse scientiam, & opinionem non de ea-
dem re complexa, quam propositionem voca-
mus nisi sub hac distinctione, quod à diuersis
hominibus simul habere possit scientia, & opi-
nio de eadem propositione, nō tamen ab eodem
vt poterit vnus scire de homine, quod sit risi-
bilis per medium necessarium alter vero idem
opinabitur, si per medium contingens nouit
simul autem eundem hominem scire, quod
sit risibilis, & hoc idem opinari repugnet;
quia si scientiam habet, existimat non posse
aliter se habere, quin sit risibilis, si opinio-
nem, existimauit simul posse se aliter habere
est autem aperta contradictio, quod simul ab
eodem homine existimetur, hoc idem posse
aliter se habere, & non secus ac idem esse,
& non esse simul, nam eodem modo vtrum-
que se habet, eadem oppositione contradicto-
ria opponuntur: ex quibus infertur formali-
ter solutio prioris dubitationis, videlicet sci-
bile, & opinabile subiecto esse idem ratione
formali diuersa, vnde cum scientia, & opi-
nio propriam rationem accipiant ab his obie-
ctis, non materialiter consideratis, sed for-
maliter, sequitur valde adhuc differre scien-
tiam, & opinionem.*

*Concludit tandem Aristoteles dicens, se
in præsentiarum non agere de habitibus intel-
lectus, nempe de ratione, intellectu, scientia
arte, prudentia atque sapientia, de quibus
alijs in locis pertractatur: quidam namque
eorum ad naturalem philosophiam pertinent
scilicet intellectus, & ratio, scientia, & sa-
pientia, nam de scientia non agitur in hac
parte logica, secundum propriam naturam,
nisi in quantum finis est, vel effectus demon-*

strationis; alia vero vt ars, & prudentia ad Philosophiam moralem: quinque autem ex his habitibus ponit Aristotel. 6. eth. qua se habent semper ad verum, artem scientiam, sapientiam, prudentiam, & intellectum, duo subiungens, qua se habent ad verum, & falsum suspicionem, & opinionem. Prima autem quinque semper ad verum se habent, quia important rectitudinem rationis, in qua veritas practica, vel speculatiua, consistit: ex quibus tria: sapientia, scientia, & intellectus important rectitudinem cognitionis circa necessaria: intellectus circa principia; scientia circa conclusiones sapientia circa altissimas causas earundem conclusonum: prudentia vero, & ars important rectitudinem cognitionis circa contingentia: prudentia vero circa agibilia, id est, circa actus, qui sunt in operante, videlicet amare, odio prosequi, conciliari, eligere, & similes, qui ad mores pertinent, quorum prudentia directiua est, ars vero circa factibilia, id est, circa ea quae operamur in exteriorem materiam, vt secare, dolare, & huiusmodi alia opera, quorum directiua ars est, & hoc satis sit de his habitibus in communi dixisse.

Arist.

15.

16.

DE SOLERTIA.

CAPVT VIGESIMVM-septimum.

SOLERTIA vero est bona quaedam coniectatio in non perspecto tempore medii, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

1 De quo agat Arist.

BREVISSIMVM est caput hoc, & vltimum huius libri, in quo Aristotel. agit de quadam cognitione scientia, & opinione, simili, quam solertiam vocat, & eā primo definit, definitionemq; tribus exēplis ostēdit, secundo modum procededi eiusdem à causis medijs ad vltimas vsque exponit, exemploque confirmat.

Definitio talis est: solertia est bona quaedam coniectatio in non perspecto tempore medij: cuius tria exempla designat; naturale primum, moralia vero secundum, & tertium, naturale est, vt dum quispiam videns, quod Luna splendorem semper habet ad solem; velociter excogitauit huius causam videlicet id euenire, quia à sole lumen accipit; & si videat pauperem disputantem cum diuite, causam huius se scito excogitauit, quia diues pauperi fenaretur: & hoc est morale primum, quod alij modo exposuerunt dicentes, vt si valeat quispiam pauperem domum diuitis ingredientem, statim conijcit huius rei gratia eo se conferre, vt eleemosynam accipiat: sed nihil refert hoc, vel illo modo designetur. Postremum exemplum est, siquis visis duobus amicis statim talis amicitia causam conijciens dicat, ideo amicos esse, quia alterius sunt inimici; solertiam vero ait causas medias recipere, quas vltimas vsque refert, vt perfecta sit cognitio, idque ostendit. Primum exemplum de luna splendente repetens, ex eoq; demonstrationem quandam propter quid hoc fere modo constituens, omne quod à sole lumen recipit versus solem positum splendescit, sed luna à sole recipit lumen, ergo è regione poeta splendorem habet, quod elementis accommodat; splendescere circa solem, quod est maius extremum, sit A lumen ab eo recipere, quod est luna; medium B. Luna minor extremitas, C. & procedit sic demonstratio, omne B est A. omne C. est B. ergo omne, C. est A.

Definitio solertiae.

2.

3.

4.

DVBIVM VNICVM.

An solertia sit distincta à scientia, & opinione.

ALIQVO modo distingui ab vtraque citra dubium est, vt nomen ipsum, propriaqúe eius definitio testantur; nam neque scientia, nec opinio solertia nomine nuncupantur, aliud ergo spe-
5. *ciale nomen denotat, quo ab eis distingui necesse est, quia quemadmodum nomina imponuntur ad designandas rerum notiones, sic specialia nomina ad designandas speciales, & certe cum nomine opinionis, scientiæ, ac solertiæ non sint synonoma, vt vsus docet, necesse est eorum significata esse distincta, quod definitio solertiæ ab Aristotele designata testatur.*

Prima ratio pro vna parte. *Sed qualis nam sit distinctio solertiæ à duabus cæteris nullus ostendit interpretum; videtur autem essentialis, quia solertia ad prudentiam reducitur tamquam eius pars, vt docet expresse Aristoteles in libello de virtutibus post septimum librum moralium Eudemiorum collocatum in 5. tom. cap. de prudentia; quod hisce verbis claudit.* Me-
6. moria autem, peritia, & solertia, vel manant à prudentia, vel prudentiæ sunt assecla, aut saltem prudentiæ adminicula, vt experientia, & memoria; partim tamquam prudentiæ partes, vt consilium, & solertia, *quod*
D. Tho. *confirmat D. Thom. 1. 2. q. 49. ar. 4. sed prudentia cum sit virtus moralis, distinguitur essentialiter à scientia, & opinione, ergo eodem modo solertia distinguetur; idqúe ratio confirma: nam scientia, & opinio non versantur circa media, sed circa conclusiones, quæ per media demonstrantur, vel probabiliter syllogizantur, sed solertia, non versatur circa conclusionem, sed eam per experientiam notam præsupponit medium eius* 7.
D. Thom. *cito conijciens, causamqúe reddens; vnde à D. Thoma in his commentarijs vocatur, qui specialiter respicit medium, ergo longe diuersam rationem habet à scientia, & opinione.*


Ratio pro altera parte. *Ex altera vero parte videtur non distingui ab his essentialiter, nam vel medium cito excogitatum continens causam alicuius conclusionis est necessarium aut contingens, si necessarium euidenter ex eo ostenditur veritas conclusionis per demonstrationem, vt fecit Aristoteles in exemplo lunæ versus solem splendescentis; ex quo demonstrationem quandam propter quid constituisse vidimus in elucidatione textus, vnde non erit distincta à scientia, cuius proprium est propter quid suarum conclusionum reddere medio habitu principiorum, si vero medium sit contingens, cui non repugnat subesse falsum, vt constat in duobus* 8.
alijs exemplis moralibus, erit opinio, cuius est per medium contingens procedere, ita non erit tertia cognitio, vel habitus præter scientiam, & opinionem, sed idem cum scientia, dum modo scientifico procedit, vel cum opinione, dum modo opinabili.

Pro huius dubij solutione aduotandum est solertiam non solum circa naturalia, & No. 2. 9.
speculatiua versari, sed etiam circa moralia, & practica non solum in scientijs, sed etiam in virtutibus, atque artibus, nec solum circa necessaria, sed etiam contingentia; quorum omnium ea est ratio, quia in cunctis reperitur coniectatio medij quæ propria ratio eius est, & cum aliquando non solum viso effectu conijciat causam, sed hac perspecta effectū non solum à priori, sed à posteriori procedit, non solum propter quid conclusionis ostendit, sed quia.

Quo prænotato probabilior solutio dubij

Mens Authoris. mihi videtur, solertiam non esse habitum, vel cognitionem specie distinctam à scientia vel opinione, sed sola distinctione acciden-
10. tali, vt efficaciter probat argumentum pro secunda parte dubij praiactum etenim solertia non solum importat velocem medij coniectationem sed applicationem simul ad effectum, si contineat causam, vel ad causam si contineat effectum, vnde virtualis saltem demonstratio est, si medium sit necessarium, virtualis etiam syllogismus topicus, si sit cõtingens; etenim dum quispiam viso splẽdore lunæ versus solem posita conijcit causam talis effectus esse, quod lumen à sole recipiat, virtualem saltem talem demonstrationem constituit. Quidquid à sole lumen recipit versus eum positum splendescit, sed luna recipit lumen à sole, ergo versus illum posita splendescit: talis comectatio me-
11. dij, virtualis demonstratio, & scientia, & si medium sit contingens, continens quidem causam, quæ aliter se habere potest, erit opinio; vt duo illa exempla moralia ostendunt, itaque solertia ex se quandam excellentiam velocitatis importat in coniectando medio, vel causa, quæ si circa medium necessarium sit, scientifica appellabitur, si circa contingens opinatiua, si circa prudentiam, excellentiam quandam consilij importat, nã consilium, quod est actus prudentiæ velox esse se potest ex eo, quod medium statim conijcitur, & ex hac parte perfectius erit, vocabiturquè prudens solertia, si vero versetur circa materiam artis, artificiosa: & huc tendunt Aristoteles, & D. Thom. statuentes solertiam esse quasi prudentiæ partem, D.Thom. 12. in quantum consilium, quod actus prudentiæ est perficere potest. sub hac enim consideratione non distinguitur, à prudentia essentialiter, quemadmodum, nec ab arte dum versatur circa materiam eius; neq; à scientia, & opinione, in quantum versatur circa medium necessarium, vel contingens.

Solutio. Quod autem secundo obijcitur, non versari circa conclusionem, sed eam experientia notam præsupponere falsum est, nam licet experimentalem eius notitiam præsupponat, nouam tamen cognitionem propter quid ex veloci comectatione medij parit, quam demonstratiuam esse, atque adeo scientificam ostendimus, ac propterea non distingui à scientia, si medium sit necessarium, vel ab opinione, si sit contingens.



DE

235

DE POSTERIORI ANALYSI, SEV RESOLVTIONE LIBER SECVNDVS.

TOTIVS LIBRI SCOPVS.

Libri scopus.

1. *DEMONSTRATIONIS naturam, & rationem, tanquam totius operis obiectum, exposuit Aristotel. toto priori libro; non solum ex parte conclusiones scientificæ, sed principiorum, seu præmissarum: nam ex vtrisque vt ex partibus demonstratio componitur, sed principiorum consideratio vniuersalis fuit: nempe an oporteat esse propositiones necessarias, & per se: communia, ne an propria, &c. Super erat igitur de eisdem principijs inuestigandum, qualis sit eorum notitia: & cuius sit conditiones habitus, quo mediante eis assentitur intellectus: quo etiam pacto media sint assentiendi conclusioni: & hic est totius secundi libri Scopus: ex acta enim principiorum notitia comparata, omnibus etiam numeris absoluta erit eiusdem emonstrationis cognitio.*

GENERALIS EIVSDEM libri diuisio.

Duo habēt demōstrationis principia.

PRINCIPIA demonstrationis duo habent, nam medium assentiendi conclusioni sunt, & talis est eorum notitia, vt sine medio habeatur, hoc enim separatur à notitia conclusionis quod hæc, vtpote scientifica,

2 *per medium habeatur, illa medio careat: vnde fit, scitu dignum esse, an habitus, quo medio principijs assentitur intellectus, naturalis sit, hoc est, ab ipsamet natura intellectui impressus eo modo, quo passiones propriè dicuntur cum natura hominis congenita, vel certè actuum frequentatione comparemus, non secus ac virtutum, & scientiarum habitus. Consideratio principiorum, in quantum medium sunt assentiendi conclusioni, communis, & particularis est: prius namque considerantur in quantum medium conclusionis continent, & quia medium assentiendi conclusioni (in demonstratione præsertim potissima) solet esse definitio* 3. *subiecti, per quam passiones ab eo prodeuntes demonstrantur, ideò specialis principiorum consideratio est, in quantum definitionem subiecti continent: trimembris igitur est totius libri diuisio, primum membrum generalem considerationem medij continet: secundum specialem definitionis: postremum qualitatem habitus, per quem eis assentimur inquirit, ac docet.*

IN DISCIPLINIS QVAtuor quæri solent, & hæc omnia medij quæsita sunt, quid & sit huius libri propositum.

CAPVT PRIMVM.

QVAE quæruntur, sunt æqualia numero ijs, quæcumque scimus, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

*BREVISSIMVM est primum caput,
4. si illud à secundo separemus; vt separat iam communis modus exponendi
modernorum, in quo numerum demonstratiuarum quæstionum, vel interrogationum
Intentum cap. tradit Aristoteles: nam cum huius libri intentum sit medium demonstrationis inuenire,
nihilque inuenire contingat, nisi prius quæratur: propria inueniendi via est quæstio, vel
interrogatio: merito ergo interrogationum, vel quæstionum numerus primo loco ponitur,
vt viam teneamus, per quam medium inuenire possimus.*

*Diuisio eiusdem. Diuiditur autem caput in duas partes: quia primo tot esse interrogationes docet, quot
scita; deinde quatuor esse interrogationes,
5. propriam cuiuscunque conditionem explicans: primum hac ratione explicandum simul
ac probandum est: scire est finis quæst. quærimus enim, vt sciamus, & quæstio non differt
à cognitione rei determinata, nisi secundum formam dubitandi, sub qua proponitur:
scientes enim sub forma absoluta propositionis dicimus, hominem esse risibilem, sed prius
quam id sciamus, an sit risibilis, quærimus: æqualis igitur est quæstionum, & scitorum
numerus: Loquimur autem nunc de scientia non stricte pro sola notitia per demonstrationem
comparata, sed extenso vocabulo ad quamlibet veram, quam non habemus naturaliter,
nam circa prima principia omnibus nota, nulla potest interrogatio propria versari.*

*Quatuor sunt scita Scita autem quatuor esse, totidemque quæstiones deinde docet, videlicet est: propter quid est an res sit, & quid sit: quas eo-
dem ordine exponit dicens primam, & secun-
dam compositam esse, atque in numerum po- 6.
nere, duas autem reliquas simplices, atque in numerum non ponentes: intelligemus autem
vtrumque: si attendamus quæstionem non esse de incompleto, vel simplici, sed de
aliqua compositione, in qua veritas, vel falsitas esse potest si absolute proferatur, quamquam
sub quæstionis forma nihil verum, vel falsum contineat: dum enim absolute profertur
hominem esse risibilem, verum dicitur, si vero sub forma quæstionis, an risibilis
sit, vel secus, minime: compositio autem, in qua verum potest reperiri, vel falsum, duplex
est, vna, quæ ex solo nomine, & verbo formatur, quales sunt homo est, vel
equus est; altera, quæ ex tertio etiam adiacente dicitur, hoc est, ex altero, quod de nomine
verbo mediante enunciatur, vt si dicas hominem esse album, quam propterea propositionem
de tertio adiacente vocant: primum vero non nisi de secundo, quia solum verbum,
aut eius significatum nomini eidem verbo supposito adiacet, & quæstio prior ad 7.
posteriorem comparata simplex vocatur, quemadmodum enunciatio ipsa, nam licet compositio
sit vtraque, posterior vero vnum cum alio componit verbo vtroque copulante, prior
vero tali compositione caret, verbum cum solo nomine continens, eademque ratione, vt
bene notat D. Thom. lect. 1. commentariorum: quæstio quia est, & propter quid est,
dicuntur ponere in numerum, quia de compositione duorum sunt, hoc est, prædicati cum
subiecto mediante copula: quæstiones vero an sit res, & quid sit res, & quid sit, non componunt
vnum cum altero, ideò simplices vocantur, & non potentes in numerum.*

*Quæstio igitur prima in numerum ponens 1 Scitum.
dicitur, quia est per quam inquirimus, qualis sit res; vt si quæramus, an luna deficiat: 8.
probat autem talem quæstionem quærere, qualis sit res à signo, nam si respondeas ta-
lem*

lem rē esse, hoc est, lunā esse defectuosam, vel actu deficere, cessat statim quæstio, & si hoc sciret interrogās, priusquā id sciscitaretur, nō interrogaret, ergo absq; dubio est de qualitate rei: quam rationem singulis quæstionibus applicare possumus, vt intelligamus merito tales appellari proprijs nominibus, videlicet propter quid an res sit, & quid sit: quia eiusdem habitis cognitionibus cessant, & si prius haberentur, nullus eis daretur locus.

II. Scitum. *Post quæstionem, quia est, sequitur naturæ ordine, vt inquiramus propter quid sit talis vt si sciamus, lunam deficere, vel terram moueri, statim quærimus causam talis motus,*
9. *seu defectus, & eiusmodi vocatur quæstio propter quid, etiam in numerum ponens, sicut prima.*

III. Et IIII. Scitum. *Quæstiones in numerum nō ponentes sunt, an sit res: vt si quæramus (ait Arist.) an sit Deus, vel centaurus, non quidem an sit sapiens ille, vel albus iste, nam talis modus essendi, ad quæstionem potius quia est, pertinet, cum ad eorundem qualitatem spectet, sed an esse habeat, vel nihil sit; cognito autem quod esse habeant, statim quærimus, quid nam sint, hoc est, quæ nam sit eorum quidditas, vel essentia: ecce tibi quatuor scita de re aliqua, quatuorque proinde quæstiones: vt si de homine sermo sit, quatuor quærere possumus, videlicet, an sit homo: quæ sit eius quidditas, vel essentia, qualis item sit, & propter quid sit talis. Singulis quæstionibus singularia respondent scita, tanquā fines, in quos ordinātur, scimus namq; hominē habere esse substantiale in rerum natura; eius quidditatem esse animal rationale, scimus tertio esse risibilem, ac tandem propterea esse risibilem, quia est rationalis: vnde concludit Arist. tot esse, quæ inquirimus, & quæ inuenientes scimus, vt illud quod in principio docuit, verissimum esse ostendas nempe tot esse quæsti. vel quæsita, quod sunt scita.*

QVOD OMNIS QVAESTIO SIT MEDIJ

CAPVT SECVNDVM.

QVærimus autem, cū quærimus, quod aut si est simpliciter; an est medium ipsius, aut non est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

CONTINVATO sermone prosequitur Aristoteles materiam quæstionum cap. 2. ostendens, quod quāquam diuersæ sint, omnes tamen ad medium inuestigandum ordinantur; & cum ex fine denominatio accipi soleat omnes possunt vocari quæstiones medij: & hæc est conclusio totius capitis, ac præcipuum eius intentum, quod probat triplici ratione; ac tandem cuidam tacitæ obiectioni respondens caput concludit, cuius trimembris est diuisio. Intentum cap.

Omnem itaque quæstionem medij esse porbat primo exemplari quadam inductione per singulas discurrente: quæstio an sit, & qualis sit, eo tendunt, vt an sit medium sciscitaretur. vtraque, quo habeto quid nam sit tale medium inquirunt duæ reliqua, quid, & propter quid, ergo omnes medium inquirunt, omnesq; proinde quæstiones medij vocari possunt, antecedens probat de primis, nam quæstio an sit, & qualis sit, solum ex modo differunt quia prior de esse simpliciter sciscitatur, hoc est, de esse in toto posterior verò de esse tali, & ideò quasi de esse in parte, nam esse simpliciter vniuersalissimum prædicatum est, & veluti quoddam totum potestatiuum comprehendit quemlibet modum essendi, aut quodlibet esse particulare, verbi causa, quæstio an sit sciscitatur de homine an habeat esse quæstio vero qualis, an risibilis, vtraque ergo an sit quærit, sed illa simpliciter, hæc Diuisio eiusdem.

vero

vero an sit talis, illa de esse quasi in toto, hæc
Probat. I. *vero quasi in parte. Quod vero de medio vtra-*
que sit probatur nam habito iam, quod esse de-
3. *beat, statim inquirimus, quid sit tale esse,*
quidditas autem, vel essentia, quæ per de-
finitionem explicatur, medium est ad proban-
das passiones de subiecto, cui propter essen-
tiam inhærent: signum igitur est, quod quæ-
rentes an sit homo, eo tendimus vt medium
inueniamus, cognito etiam qualis sit res, sta-
tim inuestigamus medium propter quid sit ta-
lis, vt cognito, quod homo sit risibilis, quæri-
mus propter quidnam talis passio ei conueni-
at, quod est medium quærere: eo igitur quæ-
9. *stio qualis tendebat, vt medium inueniret:*
duæ item aliæ quæstiones, quid, & propter
quid in eo conueniunt, quod vtraque circa
quidditatem rei versatur, differunt tamen in
modo, quod illa circa quidditatem simplici-
ter, hæc vero circa quidditatem substantiali
ratione, nempè in quantum propter tam tale
prædicatum inhæret subiecto; qui enim in
quirit, quid sit homo, quænam sit eius essen-
tia, vel quidditas sciscitatur, ac dum prop-
ter quid sit risibilis, eandem: sed sub contra-
ctiori quadam ratione, nempè vt causa, vel
medium est, propter quod similis ei passio in-
hæreat: vnde fit, vtramq; esse quæstionem
medij, cum sit de eadem quidditate, quæ ve-
ro medium est.

II. Ratio. *Secunda ratio: causa est medium in de-*
monstratione, cum notum ex definitione
eius sit, scire esse rem per causam cognosce-
re, sed omnis quæstio est de causa, ergo om-
4. *nis quæstio de medio erit: probat minorem*
in singulis quæstionibus, & primo in quæsti-
onibus quia, & propter quid in quibus res
est manifestior, nam cum quærimus an lu-
na deficiat, virtualiter saltem de causa hu-
ius defectus interrogamus, cum experien-
tia compertum sit, cognito defectu statim
nos causam inquirere, qua inuenta cessat
penitus inquisitio, nam igitur prius quæreba-
mus: in quæstione etiam propter quid ex-
pertum est, nam statim ac scimus causam
esse alicuius effectus, quæ nam sit causa in-
terrogamus, quæ propter quid illius est, vt
si sciamus lunam deficere, talemque defe-
ctum aliquam habere causam, statim quæ-
rimus, quæ nam sit talis causa eclipsis, nec 5.
quiescimus quousq; ad interpositionem ter-
ræ inter solem, ac ipsam perueniamus: in
quæstione ita an sit, siue de esse substantia-
li, vel accidentale sit sermo, virtualiter in-
quirimus causam, vt in prima ratione osten-
sum est: in quæstione demum quid sit, sic se
rem habere intelligemus, si attendamus
quid, & propter quid (quanquam ratione
nonnihil diuersa) in idem tendere eadem
responsione vtrique fieri satis. Etenim si in-
quiras, quid sit lunæ defectus, vel eclipsis;
per interpositionem terræ respondebitur, &
si propter quid talis defectus lunæ conueniat:
per eandem interpositionem: & si quid sit
consonantia, vel concentus sciscitéris: Re-
spondebitur tibi esse rationem, vel proporti-
onem numerorum secundum graue, & acu-
tum: & si rursus quæsieris propter quid acu-
tum consonat graui, per eandem numero-
rum proportionem respondebitur, nempè,
quia talis est proportio inter numeros: sed
notum est, atque euidenter probatum, quod
quæstio propter quid est de causa, ergo tan-
tundem sentiendum est de quæstione quid
atque adeò de cunctis sigillatim quæstioni-
bus, quas etiam de medio esse planè colligi-
tur.

Tertia ratio procedit de medio sensibi- III. Ratio.
li: dum enim eiusmodi est, si actu sentiatur,
hoc est si per experientiam exploratum sit, 6
nullum locum habebit quæstio: si vero non co-
gnoscatur, per aliquam prædictarum quæstio-
nem inquiretur, exempli causa, de luna in-
quirimus, an deficiat, nec ne: & rursus si de-
fectum sentiamus causam nescientes, eam
statim inquirimus: cæterum si in hoc superio-
ri consili

ri constituti essemus, vmbram terræ ex interpositione eius causatam videntes, omnis quæstio cessaret: signum igitur euidens est, quamlibet quæstionem de medio esse, eo si quidem inuento penitus cessat.

Obiectio *Quod si quispiam fortasse obiiciat, sensus dumtaxat singularia percipere, omnem autem quæstionem de vniuersalibus esse, vnde non bene ex singularium notitia probatur, quid sit de natura quæstionum iudicandum.*

Solutio. *Occurrit Aristot. simili obiectioni dicens, ex singularibus per experientiam notis facile vniuersalia colligi: experti itaque per sensum, quod nunc terra inter solem, & lunam interposita, defectus eiusdem lunæ contingit, plane elicimus sic rem semper se habere, vt quoties hoc modo terra obiicitur, toties luna eclipsetur, sicq; de cæteris sensibilibus defectibus intelligendum est: pariterq; de singulis quæstionibus quæ circa eos versantur: caput igitur cōcludit Arist. sic loquens:* Quod quid est igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sit, manifestum est.

7.

QVOD DEMONSTRATIO, & definitio non sit eiusdem.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO, autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. *HABITO quod de medio sit omnis quæstio, & rursus medium esse quid, & propter quid; explicandum superest, quo nam pacto, aut qua via vnumquodque nobis innotescat, & primo quod quid est: deinde propter quid est, quod formaliter importat causam, ideoque de causarum diuersitate agit postea Aristoteles: sed primis octo capitibus vsque ad decimum inuestigare contendit naturam eius quod quid est, per modum disputationis prius, quod quinque præstat capitibus deinde per modum determinationis, quod præstat tribus aliis.* Proponit principio.

8.

Principio proponit quatuor inuestiganda de eo quod quid est: primum an per demonstrationem ostendatur: secundum si per demonstrationem non ostenditur, quo nam pacto inuestigandum sit, videlicet definitione, aut diuisione, seu quouis alio modo: tertium, quid nam definitio sit, postremum, quorum sit, ex his autem ab eo ait esse incipiendum, quod accommodatius sit ad cæterorum naturam inuestigandam: & eiusmodi esse postremum: quod cæterorum absque dubio fundamentum est: nam si idem sint demonstrabile, ac definibile, ad conuertentiamq; dicantur, quod quid est per definitionem explicatum demonstrabile erit, & per demonstrationem inuestigandum: definitio demum idem erit cum demonstratione: merito ergo ab eo incipit Aristoteles, de quo tria disputatiuo modo concludit, primum non omne demonstrabile esse definibile, secundum, non omne definibile esse demonstrabile: tertium, nullum definibile esse demonstrabile, neque è conuerso vllum demonstrabile esse definibile, certis quibusdam rationibus singula confirmans: ac tandem quatuor ex probatis conclusionibus infert, & hæc est totius capitis quadrimembris diuisio. a. 5.

1. Pars. Non omne demōstrabile est definibile. *Primum igitur quod quærit est, an omnium quorum est demonstratio sit definitio, & respondet, non omnium demonstrabilium esse definitionem, quod probat quadruplici ratione.*

1. Ratio. *Prima: definitio explicat quod quid est eius rei, quæ definitur, sed quod quid est prædicatur affirmatiue, & vniuersaliter de eo, cuius est, vt animal rationale de homine, ergo definitio eorundem dumtaxat est, quæ affirmatiue, & vniuersaliter prædicantur, sed demonstratio non solum est affirmatiua, sed etiam negatiua, vt constat de his, quæ in secunda figura fieri possunt, nec so-* 4.

vero an sit talis, illa de esse quasi in toto, hæc
Probat. I. vero quasi in parte. Quod vero de medio vtraque sit probatur nam habito eam, quod esse de-
3. beat, statim inquirimus, quid sit tale esse, quidditas autem, vel essentia, quæ per definitionem explicatur, medium est ad probandas passiones de subiecto, cui propter essentiam inhærent: signum igitur est, quod quærentes an sit homo, eo tendimus vt medium inueniamus, cognito etiam qualis sit res, statim inuestigamus medium propter quid sit talis, vt cognito, quod homo sit risibilis, quærimus propter quidnam talis passio ei conueniat, quod est medium quærere: eo igitur quæ-
9. stio qualis tendebat, vt medium inueniret: duæ item aliæ quæstiones, quid, & propter quid in eo conueniunt, quod vtraque circa quidditatem rei versatur, differunt tamen in modo, quod illa circa quidditatem simpliciter, hæc vero circa quidditatem substantiali ratione, nempè in quantum propter tam tale prædicatum inhæret subiecto; qui enim inquirit, quid sit homo, quæ nam sit eius essentia, vel quidditas sciscitatur, ac dum propter quid sit risibilis, eandem: sed sub contractiori quadam ratione, nempè vt causa, vel medium est, propter quod similis ei passio inhæreat: vnde fit, vtramq; esse quæstionem medij, cum sit de eadem quidditate, quæ vero medium est.

II. Ratio. Secunda ratio: causa est medium in demonstratione, cum notum ex definitione eius sit, scire esse rem per causam cognoscere, sed omnis quæstio est de causa, ergo om-
4. nis quæstio de medio erit: probat minorem in singulis quæstionibus, & primo in quæstionibus quia, & propter quid in quibus res est manifestior, nam cum quærimus an luna deficiat virtualiter saltem de causa hu[illegible]rogamus, cum experien[illegible], cognito defectu statim [illegible]rere, qua inuenta cessat [illegible] nam igitur prius quærebamus: in quæstione etiam propter quid expertum est, nam statim ac scimus causam esse alicuius effectus, quæ nam sit causa interrogamus, quæ propter quid illius est, vt si sciamus lunam deficere, talemque defectum aliquam habere causam, statim quæ-
rimus, quæ nam sit talis causa eclipsis, nec 5.
quiescimus quousq; ad interpositionem terræ inter solem, ac ipsam perueniamus: in quæstione ita an sit, siue de esse substantiali, vel accidentale sit sermo, virtualiter inquirimus causam, vt in prima ratione ostensum est: in quæstione demum quid sit, sic se rem habere intelligemus, si attendamus quid, & propter quid (quanquam ratione nonnihil diuersa) in idem tendere eadem responsione vtrique fieri satis. Etenim si inquiras, quid sit lunæ defectus, vel eclipsis; per interpositionem terræ respondebitur, & si propter quid talis defectus lunæ conueniat: per eandem interpositionem: & si quid sit consonantia, vel concentus scisciteris; Respondebitur tibi esse rationem, vel proportionem numerorum secundum graue, & acutum: & si rursus quæsieris propter quid acutum consonat graui, per eandem numerorum proportionem respondebitur, nempè, quia talis est proportio inter numeros: sed notum est, atque euidenter probatum, quod quæstio propter quid est de causa, ergo tantundem sentiendum est de quæstione quid atque adeò de cunctis sigillatim quæstionibus, quas etiam de medio esse planè colligitur.

Tertia ratio procedit de medio sensibi- III. Ratio.
li: dum enim eiusmodi est, si actu sentiatur,
hoc est si per experientiam ex prolatum sit, 6
nullum locum habebit quæstio: si vero non cognoscatur, per aliquam prædictarum quæstionem inquiretur, exempli causa, de luna inquirimus, an deficiat, nec ne: & rursus si defectum sentiamus causam nescientes, eam statim inquirimus: cæterum si in hoc superiori consili

ri constituti essemus, umbram terra ex interpositione eius causatam videntes, omnis quæstio cessaret: signum igitur euidens est, quamlibet quæstionem de medio esse, eo si quidem inuento penitus cessat.

Obiectio. Quod si quispiam fortasse obiiciat, sensus dumtaxat singularia percipere, omnem autem quæstionem de vniuersalibus esse, vnde non bene ex singularium notitia probatur, quid sit de natura quæstionum iudicandum.

Solutio. Occurrit Aristot. simili obiectioni dicens, ex singularibus per experientiam notis facile vniuersalia colligi: experti itaque per sensum, quod nunc terra inter solem, & lunam interposita, defectus eiusdem lunæ contingit, plane elicimus sic rem semper se habere, vt quoties hoc modo terra obiicitur, toties luna eclipsetur, sicq; de cæteris sensibilibus defectibus intelligendum est: pariterq; de singulis quæstionibus quæ circa eos versantur: caput igitur cōcludit Arist. sic loquens: Quod quid est igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sit, manifestum est.

7.

QVOD DEMONSTRATIO, & definitio non sit eiusdem.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO, autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. HABITO quod de medio sit omnis quæstio, & rursus medium esse quid, & propter quid; explicandum superest, quo nam pacto, aut qua via vnumquodque nobis innotescat, & primo quod quid est: deinde propter quid est, quod formaliter importat causam, ideoque de causarum diuersitate agit postea Aristoteles: sed primis octo capitibus vsque ad decimum inuestigare contendit naturam eius quod quid est, per modum disputationis prius, quod quinque præstat capitibus deinde per modum determinationis, quod præstat tribus aliis. Proponit principio. Principio proponit quatuor inuestiganda de eo quod quid est: primum an per demonstrationem ostendatur: secundum si per demonstrationem non ostenditur, quo nam pacto inuestigandum sit, videlicet definitione, aut diuisione, seu quouis alio modo: tertium, quid nam definitio sit, postremum, quorum sit, ex his autem ab eo ait esse incipiendum, quod accommodatius sit ad cæterorum naturam inuestigandam: & eiusmodi esse postremum: quod cæterorum absque dubio fundamentum est: nam si idem sint demonstrabile, ac definibile, ad conuertentiamq; dicantur, quod quid est per definitionem explicatum demonstrabile erit, & per demonstrationem inuestigandum: definitio denique idem erit cum demonstratione: merito ergo ab eo incipit Aristoteles, de quo tria disputatiuo modo concludit, primum non omne demonstrabile esse definibile, secundum, non omne definibile esse demonstrabile: tertium, nullum definibile esse demonstrabile, neque è conuerso vllum demonstrabile esse definibile, certis quibusdam rationibus singula confirmans: ac tandem quatuor ex probatis conclusionibus infert, & hæc est totius capitis quadrimembris diuisio.

1. (left margin beside "pereſt, quo nam pacto")

Primum igitur quod quærit est, an omnium quorum est demonstratio sit definitio, & respondet, non omnium demonstrabilium esse definitionem, quod probat quadruplici ratione. I. Pars. Non omne demonstrabile est definibile.

Prima: definitio explicat quod quid est eius rei, quæ definitur, sed quod quid est prædicatur affirmatiue, & vniuersaliter de eo, cuius est, vt animal rationale de homine, ergo definitio eorundem dumtaxat est, quæ affirmatiue, & vniuersaliter prædicantur, sed demonstratio non solum est affirmatiua, sed etiam negatiua, vt constat de his, quæ in secunda figura fieri possunt, nec so- I. Ratio. 4.

vero an sit talis, illa de esse quasi in toto, hæc
Probat. I. vero quasi in parte. Quod vero de medio vtraque sit probatur nam habito iam, quod esse de-
3. beat, statim inquirimus, quid sit tale esse, quidditas autem, vel essentia, quæ per definitionem explicatur, medium est ad probandas passiones de subiecto, cui propter essentiam inhærent: signum igitur est, quod quærentes an sit homo, eo tendimus vt medium inueniamus, cognito etiam qualis sit res, statim inuestigamus medium propter quid sit talis, vt cognito, quod homo sit risibilis, quærimus propter quidnam talis passio ei conueniat, quod est medium quærere: eo igitur quæ-
9. stio qualis tendebat, vt medium inueniret: duæ item aliæ quæstiones, quid, & propter quid in eo conueniunt, quod vtraque circa quidditatem rei versatur, differunt tamen in modo, quod illa circa quidditatem simpliciter, hæc vero circa quidditatem substantiali ratione, nempè in quantum propter tanutale prædicatum inhæret subiecto; qui enim inquirit, quid sit homo, quænam sit eius essentia, vel quidditas sciscitatur, ac dum propter quid sit risibilis, eandem: sed sub contractiori quadam ratione, nempè vt causa, vel medium est, propter quod similis ei passio inhæreat: vnde fit, vtramq; esse quæstionem medij, cum sit de eadem quidditate, quæ vero medium est.

II. Ratio. Secunda ratio: causa est medium in demonstratione, cum notum ex definitione eius sit, scire esse rem per causam cognoscere, sed omnis quæstio est de causa, ergo om-
4. nis quæstio de medio erit: probat minorem in singulis quæstionibus, & primo in quæstionibus quia, & propter quid in quibus res est manifestior, nam cum quærimus an luna deficiat, virtualiter saltem de causa huius defectus interrogamus, cum experientia compertum sit, cognito defectu statim nos causam inquirere, qua inuenta cessat penitus inquisitio, nam igitur prius quærebamus: in quæstione etiam propter quid expertum est, nam statim ac scimus causam esse alicuius effectus, quæ nam sit causa interrogamus, quæ propter quid illius est, vt si sciamus lunam deficere, talemque defectum aliquam habere causam, statim quærimus, quæ nam sit talis causa eclipsis, nec 5.
quiescimus quousq; ad interpositionem terræ inter solem, ac ipsam perueniamus: in quæstione ita an sit, siue de esse substantiali, vel accidentale sit sermo, virtualiter inquirimus causam, vt in prima ratione ostensum est: in quæstione demum quid sit, sic se rem habere intelligemus, si attendamus quid, & propter quid (quanquam ratione nonnihil diuersa) in idem tendere eadem responsione vtrique fieri satis. Etenim si inquiras, quid sit lunæ defectus, vel eclipsis; per interpositionem terræ respondebitur, & si propter quid talis defectus lunæ conueniat: per eandem interpositionem: & si quid sit consonantia, vel concentus scisciteris; Respondebitur tibi esse rationem, vel proportionem numerorum secundum graue, & acutum: & si rursus quæsieris propter quid acutum consonat graui, per eandem numerorum proportionem respondebitur, nempè, quia talis est proportio inter numeros: sed notum est, atque euidenter probatum, quod quæstio propter quid est de causa, ergo tantundem sentiendum est de quæstione quid atque adeò de cunctis sigillatim quæstionibus, quas etiam de medio esse planè colligitur.

III. Ratio. Tertia ratio procedit de medio sensibili: dum enim eiusmodi est, si actu sentiatur, hoc est si per experientiam ex prolatum sit, 6
nullum locum habebit quæstio: si vero non cognoscatur, per aliquam prædictarum quæstionem inquiretur, exempli causa, de luna inquirimus, an deficiat, nec ne: & rursus si defectum sentiamus causam nescientes, eam statim inquirimus: cæterum si in hoc superiori consili

ri constituti essemus, umbram terræ ex interpositione eius causatam videntes, omnis quæstio cessaret: signum igitur euidens est, quamlibet quæstionem de medio esse, eo si quidem inuento penitus cessat.

Obiectio Quod si quispiam fortasse obiiciat, sensus dumtaxat singularia percipere, omnem autem quæstionem de vniuersalibus esse, vnde non bene ex singularium notitia probatur, quid sit de natura quæstionum iudicandum.

Solutio. Occurrit Aristot. simili obiectioni dicens, ex singularibus per experientiam notis facile vniuersalia colligi: experti itaque per sensum, quod nunc terra inter solem, & lunam inter

7. posita, defectus eiusdem lunæ contingit, plane elicimus sic rem semper se habere, vt quoties hoc modo terra obiicitur, toties luna eclipsetur, sicq; de cæteris sensibilibus defectibus intelligendum est: pariterq; de singulis quæstionibus quæ circa eos versantur: caput igitur cõcludit Arist. sic loquens: Quod quid est igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sit, manifestum est.

QVOD DEMONSTRATIO, & definitio non sit eiusdem.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO, autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. HABITO quod de medio sit omnis quæstio, & rursus medium esse quid, & propter quid; explicandum su-

1. perest, quo nam pacto, aut qua via vnumquodque nobis innotescat, & primo quod quid est: deinde propter quid est, quod formaliter importat causam, ideoque de causarum diuersitate agit postea Aristoteles: sed primis octo capitibus vsque ad decimum inuestigare contendit naturam eius quod quid est, per modum disputationis prius, quod quinque præstat capitibus deinde per modum determinationis, quod præstat tribus alijs. Proponit principio. Principio proponit quatuor inuestiganda de eo quod quid est: primum an per demonstrationem ostendatur: secundum si per demonstrationem non ostenditur, quo nam pacto inuestigandum sit, videlicet definitione, aut diuisione, seu quouis alio modo: tertium, quid nam definitio sit, postremum, quorum sit, ex his autem ab eo ait esse incipiendum, quod accommodatius sit ad cæterorum naturam inuestigandam: & eiusmodi esse postremum: quod cæterorum absque dubio fundamentum est: nam si idem sint demonstrabile, ac definibile, ad conuertentiamq; dicantur, quod quid est per definitionem explicatum demonstrabile erit, & per demonstrationem inuestigandum: definitio demum idem erit cum demonstratione: merito ergo ab eo incipit Aristoteles, de quo tria disputatiuo modo concludit, primum non omne demonstrabile esse definibile, secundum, non omne definibile esse demonstrabile: tertium, nullum definibile esse demonstrabile, neque

5. è conuerso vllum demonstrabile esse definibile, certis quibusdam rationibus singula confirmans: ac tandem quatuor ex probatis conclusionibus infert, & hæc est totius capitis quadrimembris diuisio.

Primum igitur quod quærit est, an omnium quorum est demonstratio sit definitio, & respondet, non omnium demonstrabilium esse definitionem, quod probat quadruplici ratione. I. Pars. Non omne demõstrabile est definibile.

Prima: definitio explicat quod quid est eius rei, quæ definitur, sed quodquid est prædicatur affirmatiue, & vniuersaliter de eo, cuius est, vt animal rationale de homine, ergo definitio eorundem dumtaxat est, quæ affirmatiue, & vniuersaliter prædicantur, sed demonstratio non solum est affirmatiua, sed etiam negatiua, vt constat de his, quæ in secunda figura fieri possunt, I. Ratio. 4.

vero an sit talis, illa de esse quasi in toto, hæc
Probat. I. vero quasi in parte. Quod vero de medio vtraque sit probatur nam habito iam, quod esse de-
3. beat, statim inquirimus, quid sit tale esse, quidditas autem, vel essentia, quæ per definitionem explicatur, medium est ad probandas passiones de subiecto, cui propter essentiam inhærent: signum igitur est, quod quærentes an sit homo, eo tendimus vt medium inueniamus, cognito etiam qualis sit res, statim inuestigamus medium propter quid sit talis, vt cognito, quod homo sit risibilis, quærimus propter quidnam talis passio ei conueniat, quod est medium quærere: eo igitur quæ-
9. stio qualis tendebat, vt medium inueniret: duæ item aliæ quæstiones, quid, & propter quid in eo conueniunt, quod vtraque circa quidditatem rei versatur, differunt tamen in modo, quod illa circa quidditatem simpliciter, hæc vero circa quidditatem substantiali ratione, nempè in quantum propter tam tale prædicatum inhæret subiecto; qui enim inquirit, quid sit homo, quæ nam sit eius essentia, vel quidditas sciscitatur, ac dum propter quid sit risibilis, eandem: sed sub contractiori quadam ratione, nempè vt causa, vel medium est, propter quod similis ei passio inhæreat: vnde fit, vtramq; esse quæstionem medij, cum sit de eadem quidditate, quæ vero medium est.

II. Ratio. Secunda ratio: causa est medium in demonstratione, cum notum ex definitione eius sit, scire esse rem per causam cognoscere, sed omnis quæstio est de causa, ergo om-
4. nis quæstio de medio erit: probat minorem in singulis quæstionibus, & primo in quæstionibus quia, & propter quid in quibus res est manifestior, nam cum quærimus an luna deficiat, virtualiter saltem de causa huius defectus interrogamus, cum experientia compertum sit, cognito defectu statim nos causam inquirere, qua inuenta cessat penitus inquisitio, nam igitur prius quærebamus: in quæstione etiam propter quid expertum est, nam statim ac scimus causam esse alicuius effectus, quæ nam sit causa interrogamus, quæ propter quid illius est, vt si sciamus lunam deficere, talemque defectum aliquam habere causam, sta im quærimus, quæ nam sit talis causa eclipsis, nec 5.
quiescimus quousq; ad interpositionem terræ inter solem, ac ipsam perueniamus: in quæstione ita an sit, siue de esse substantiali, vel accidentale sit sermo, virtualiter inquirimus causam, vt in prima ratione ostensum est: in quæstione demum quid sit, sic se rem habere intelligemus, si attendamus quid, & propter quid (quanquam ratione nonnihil diuersa) in idem tendere eadem responsione vtrique fieri satis. Etenim si inquiras, quid sit lunæ defectus, vel eclipsis; per interpositionem terræ respondebitur, & si propter quid talis defectus lunæ conueniat: per eandem interpositionem: & si quid sit consonantia, vel concentus sciscitêris; Respondebitur tibi esse rationem, vel proportionem numerorum secundum graue, & acutum: & si rursus quæsieris propter quid acutum consonat graui, per eandem numerorum proportionem respondebitur, nempè, quia talis est proportio inter numeros: sed notum est, atque euidenter probatum, quod quæstio propter quid est de causa, ergo tantundem sentiendum est de quæstione quid atque adeò de cunctis sigillatim quæstionibus, quas etiam de medio esse planè colligitur.

Tertia ratio procedit de medio sensibili: dum enim eiusmodi est, si actu sentiatur, III. Ratio.
hoc est si per experientiam ex prolatum sit, 6
nullum locum habebit quæstio: si vero non cognoscatur, per aliquam prædictarum quæstionem inquiretur, exempli causa, de luna inquirimus, an deficiat, nec ne: & rursus si defectum sentiamus causam nescientes, eam statim inquirimus: cæterum si in hoc superiori consili

ri constituti essemus, umbram terræ ex interpositione eius causatam videntes, omnis quæstio cessaret: signum igitur euidens est, quamlibet quæstionem de medio esse, eo si quidem inuento penitus cessat.

Obiectio *Quod si quispiam fortasse obiiciat, sensus dumtaxat singularia percipere, omnem autem quæstionem de vniuersalibus esse, vnde non bene ex singularium notitia probatur, quid sit de natura quæstionum iudicandum.*

Solutio. *Occurrit Aristot. simili obiectioni dicens, ex singularibus per experientiam notis facile vniuersalia colligi: experti itaque per sensum, quod nunc terra inter solem, & lunam inter*
7. *posita, defectus eiusdem lunæ contingit, plane elicimus sic rem semper se habere, vt quoties hoc modo terra obiicitur, toties luna eclipsetur, sicq; de cæteris sensibilibus defectibus intelligendum est: pariterq; de singulis quæstionibus quæ circa eos versantur: caput igitur cõcludit Arist. sic loquens:* Quod quid est igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sit, manifestum est.

QVOD DEMONSTRAtio, & definitio non sit eiusdem.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO, autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. *HABITO quod de medio sit omnis quæstio, & rursus medium esse quid, & propter quid; explicandum superest, quo nam pacto, aut qua via vnumquodque nobis innotescat, & primo quod quid est: deinde propter quid est, quod formaliter importat causam, ideoque de causarum diuersitate agit postea Aristoteles: sed primis octo capitibus vsque ad decimum inuestigare contendit naturam eius quod quid est, per modum disputationis prius, quod quinque præstat capitibus deinde per modum determinationis, quod præstat tribus alijs.* Proponit principio.
8.

Principio proponit quatuor inuestiganda de eo quod quid est: primum an per demonstrationem ostendatur: secundum si per demonstrationem non ostenditur, quo nam pacto inuestigandum sit, videlicet definitione, aut diuisione, seu quouis alio modo: tertium, quid nam definitio sit, postremum, quorum sit, ex his autem ab eo ait esse incipiendum, quod accommodatius sit ad cæterorum naturam inuestigandam: & eiusmodi esse postremum: quod cæterorum absque dubio fundamentum est: nam si idem sint demonstrabile, ac definibile, ad conuertentiamq; dicantur, quod quid est per definitionem explicatum demonstrabile erit, & per demonstrationem inuestigandum: definitio denium idem erit cum demonstratione: merito ergo ab eo incipit Aristoteles, de quo tria disputatiuo modo concludit, primum non omne demonstrabile esse definibile, secundum, non omne definibile esse demonstrabile: tertium, nullum definibile esse demonstrabile, neque è conuerso vllum demonstrabile esse definibile, certis quibusdam rationibus singula confirmans: ac tandem quatuor ex probatis conclusionibus infert, & hæc est totius capitis quadrimembris diuisio. 5.

I. Pars. Non omne demõstrabile est definibile. *Primum igitur quod quærit est, an omnium quorum est demonstratio sit definitio, & respondet, non omnium demonstrabilium esse definitionem, quod probat quadruplici ratione.*

I. Ratio. *Prima: definitio explicat quod quid est eius rei, quæ definitur, sed quodquid est prædicatur affirmatiue, & vniuersaliter de eo, cuius est, vt animal rationale de homine, ergo definitio eorundem dumtaxat est, quæ affirmatiue, & vniuersaliter prædicantur, sed demonstratio non solum est affirmatiua, sed etiam negatiua, vt constat de his, quæ in secunda figura fieri possunt,* 4.

CAPVT PRIMVM.

QVAE quæruntur, sunt æqualia numero ijs, quæcumque scimus, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

4. BREVISSIMVM est primum caput, si illud à secundo separemus; vt separat iam communis modus exponendi modernorum, in quo numerum demonstratiuarum quæstionum, vel interrogationum tradit Aristoteles: nam cum huius libri intentum sit medium demonstrationis inuenire, nihilque inuenire contingat, nisi prius quæratur: propria inueniendi via est quæstio, vel interrogatio: merito ergo interrogationum, vel quæstionum numerus primo loco ponitur, vt viam teneamus, per quam medium inuenire possimus.

Intentum cap.

Diuiditur autem caput in duas partes; quia primo tot esse interrogationes docet, quot scita; deinde quatuor esse interrogationes, propriam cuiuscunque conditionem explicans: primum hac ratione explicandum simul ac probandum est: scire est finis quæst. quærimus enim, vt sciamus, & quæstio non differt à cognitione rei determinata, nisi secundum formam dubitandi, sub qua proponitur: scientes enim sub forma absoluta propositionis dicimus, hominem esse risibilem, sed prius quam id sciamus, an sit risibilis, quærimus: æqualis igitur est quæstionum, & scitorum numerus. Loquimur autem nunc de scientia non stricte pro sola notitia per demonstrationem comparata, sed extenso vocabulo ad quamlibet veram, quam non habemus naturaliter, nam circa prima principia omnibus nota, nulla potest interrogatio propria versari.

Diuisio eiusdem.

5.

Scita autem quatuor esse, totidemque quæstiones deinde docet, videlicet est: propter quid est an res sit, & quid sit: quas eodem ordine exponit dicens primam, & secundam compositam esse, atque in numerum ponere: duas autem reliquas simplices, atque in numerum non ponentes: intelligemus autem vtrumque: si attendamus quæstionem non esse de in completo, vel simplici, sed de aliqua compositione, in qua veritas, vel falsitas esse potest si absolute proferatur, quamquam sub quæstionis forma nihil verum, vel falsum contineat: dum enim absolute profertur hominem esse risibilem, verum dicitur, si vero sub forma quæstionis, an risibilis sit, vel secus, minime: compositio autem, in qua verum potest reperiri, vel falsum, duplex est, vna, quæ ex solo nomine, & verbo formatur, quales sunt homo est, vel equus est; altera, quæ ex tertio etiam adiacente dicitur, hoc est, ex altero, quod de nomine verbo mediante enunciatur, vt si dicas hominem esse album, quam propterea propositionem de tertio adiacente vocant: primam vero non nisi de secundo, quia solum verbum, aut eius significatum nomini eidem verbo supposito adiacet, & quæstio prior ad posteriorem comparata simplex vocatur, quemadmodum enunciatio ipsa, nam licet compositio sit vtraque, posterior vero vnum cum alio componit verbo vtroque copulante, prior vero tali compositione caret, verbum cum solo nomine continens; eademque ratione, vt bene notat D. Thom. lect. 1. commentariorum: quæstio quia est, & propter quid est, dicuntur ponere in numerum, quia de compositione duorum sunt, hoc est, prædicati cum subiecto mediante copula: quæstiones vero an sit res, & quid sit res, & quid sit, non componunt vnum cum altero, ideò simplices vocantur, & non ponentes in numerum.

Quatuor sunt scita

6.

7.

Quæstio igitur prima in numerum ponens dicitur, quia est per quam inquirimus, qualis sit res; vt si quæramus, an luna deficiat: probat autem talem quæstionem quærere, qualis sit res à signo, nam si respondeas talem

1 Scitum.

8.

lem rē esse, hoc est, lunā esse defectuosam, vel actu deficere, cessat statim quaestio, & si hoc sciret interrogās, priusquā id sciscitaretur, nō interrogaret, ergo absq; dubio est de qualitate rei: quam rationem singulis quaestionibus applicare possumus, vt intelligamus merito tales appellari proprijs nominibus, videlicet propter quid an res sit, & quid sit: quia eiusdem habitis cognitionibus cessant, & si prius haberentur, nullus eis daretur locus.

II. Scimus. Post quaestionem, quia est, sequitur naturae ordine, vt inquiramus propter quid sit talis vt si sciamus, lunam deficere, vel terram moueri, statim quaerimus causam talis motus,

9. seu defectus, & eiusmodi vocatur quaestio propter quid, etiam in numerum ponens, sicut prima.

III. Et IIII. Scimus. Quaestiones in numerum nō ponentes sunt, an sit res: vt si quaeramus (ait Arist.) an sit Deus, vel centaurus, non quidem an sit sapiens ille, vel albus iste, nam talis modus essendi, ad quaestionem potius quia est, pertinet, cum ad eorundem qualitatem spectet, sed an esse habeat, vel nihil sit, cognito autem quod esse habeant, statim quaerimus, quid nam sint, hoc est, quae nam sit eorum quidditas, vel essentia: ecce tibi quatuor scita de re aliqua, quatuorque proinde quaestiones: vt si de homine sermo sit, quatuor quaerere possumus, videlicet, an sit homo: quae sit eius quidditas, vel essentia, qualis item sit, & propter quid sit talis. Singulis quaestionibus singularia respondent scita, tanquā fines, in quos ordinatur, scimus namq; hominem habere esse substantiale in rerum natura, eius quidditatem esse animal rationale, scimus tertio esse risibilem, ac tandem propterea esse risibilem, quia est rationalis: vnde concludit Arist. tot esse, quae inquirimus, & quae inuenientes scimus, vt illud quod in principio docuit, verissimum esse ostendat nempe tot esse quaestiones vel quaesita, quod sunt scita.

QVOD OMNIS QVAEstio sit medij

CAPVT SECVNDVM.

QVaerimus autem, cū quaerimus, quod aut si est simpliciter, an est medium ipsius, aut non est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO

CONTINVATO sermone prosequitur Aristoteles materiam quaestionum cap. 2. ostendens, quod quāquam diuersa sint, omnes tamen ad medium inuestigandum ordinantur, & cum ex fine denominatio accipi soleat omnes possunt vocari quaestiones medij: & haec est conclusio totius capitis, ac praecipuum eius intentum, quod probat triplici ratione, ac tandem cuidam tacitae obiectioni respondens caput concludit, cuius trimembris est diuisio. — Intentum cap.

Omnem itaque quaestionem medij esse porbat primo exemplari quadam inductione per singulas discurrente: quaestio an sit, & qualis sit, eo tendunt, vt an sit medium sciscitaretur vtraque, quo habeto quid nam sit tale medium inquirunt duae reliquae, quid, & propter quid, ergo omnes medium inquirunt, omnesq; proinde quaestiones medij vocari possunt, antecedens probat de primis, nam quaestio an sit, & qualis sit solum ex modo differunt quia prior de esse simpliciter sciscitatur, hoc est, de esse in toto posterior verò de esse tali, & ideò quasi de esse in parte, nam esse simpliciter vniuersalissimum praedicatum est, & veluti quoddam totum potestatiuum comprehendit quemlibet modum essendi, aut quodlibet esse particulare, verbi causa, quaestio an sit sciscitatur de homine an habeat esse quaestio vero qualis, an risibilis, vtraque ergo an sit quaerit, sed illa simpliciter, haec — Diuisio eiusdem.

ri constituti essemus, vmbram terra ex interpositione eius causatam videntes, omnis quastio cessaret: signum igitur euidens est, quamlibet quastionem de medio esse, eo si quidem inuento penitus cessat.

Obiectio *Quod si quispiam fortasse obiiciat, sensus dumtaxat singularia percipere, omnem autem quastionem de vniuersalibus esse, vnde non bene ex singularium notitia probatur, quid sit de natura quastionum iudicandum.*

Solutio. *Occurrit Aristot. simili obiectioni dicens, ex singularibus per experientiam notis facile vniuersalia colligi experti itaque per sensum, quod nunc terra inter solem. & lunam inter*
7. *posita, defectus eiusdem luna contingit, plane elicimus sic rem semper se habere, vt quoties hoc modo terra obiicitur, toties luna eclipsetur, sicq; de cateris sensibilibus defectibus intelligendum est: pariterq; de singulis quastionibus qua circa eos versantur: caput igitur cōcludit Arist. sic loquens:* Quod quid eit igitur omnia, quæ quæruntur, medij quæstio sit, manifestum est.

QVOD DEMONSTRATIO, & definitio non sit eiusdem.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO, autem quod quid est monstratur, & quis modus reductionis, & quid est definitio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum cap. *HABITO quod de medio sit omnis quastio, & rursus medium esse quid, & propter quid; explicandum su-*
1. *perest, quo nam pacto, aut qua via vnumquodque nobis innotescat, & primo quod quid est: deinde propter quid est, quod formaliter importat causam, ideoque de causarum diuersitate agit postea Aristoteles: sed primis octo capitibus vsque ad decimum inuestigare contendit naturam eius quod quid est, per modum disputationis prius, quod quinque prastat capitibus deinde per modum determinationis, quod prastat tribus aliis.* Proponit principio. *Principio proponit quatuor inuestiganda de eo quod quid est: primum an per demonstrationem ostendatur: secundum si per demonstrationem non ostenditur, quo nam pacto inuestigandum sit, videlicet definitione, aut* 2. *diuisione, seu quouis alio modo: tertium, quid nam definitio sit, postremum, quorum sit, ex his autem ab eo ait esse incipiendum, quod accommodatius sit ad caterorum naturam inuestigandam: & eiusmodi esse postremum: quod caterorum absque dubio fundamentum est: nam si idem sint demonstrabile, ac definibile, ad conuertentiamq; dicantur, quod quid est per definitionem explicatum demonstrabile erit, & per demonstrationem inuestigandum: definitio demum idem erit cum demonstratione: merito ergo ab eo incipit Aristoteles, de quo tria disputatiuo modo concludit, primum non omne demonstrabile esse definibile, secundum, non omne definibile esse demonstrabile: tertium, nullum definibile esse demonstrabile, neque* 3. *è conuerso vllum demonstrabile esse definibile, certis quibusdam rationibus singula confirmans: ac tandem quatuor ex probatis conclusionibus infert, & hac est totius capitis quadrimembris diuisio.*

I. Pars. Non omne demōstrabile est definibile. *Primum igitur quod quarit est, an omnium quorum est demonstratio sit definitio, & respondet, non omnium demonstrabilium esse definitionem, quod probat quadruplici ratione.*

I. Ratio. *Prima: definitio explicat quod quid est eius rei, qua definitur, sed quodquid est pradicatur affirmatiue, & vniuersaliter de eo, cuius est, vt animal rationale de homine, ergo definitio eorundem dumtaxat est, qua affirmatiue, & vniuersaliter pradicantur, sed demonstratio non solum est affirmatiua, sed etiam negatiua, vt constat de his, qua in secunda figura fieri possunt,* 4. *nec so-*

nec solum est vniuersalis, sed etiam particu-
laris, vt ostēdunt, quæ fiunt in tertia, quæ non
concludit propositionem vniuersalem, ergo
non omnium est definitio, quorum est demon-
stratio, neque omne demonstrabile erit de-
finibile.

II. Ratio. *Quid si quispiam dicere velit, omne sal-*
tem demonstrabile affirmatiue per primam
figuram esse definibile, vt habere tres angu-
los æquales duobus rectis, & similia, quæ in
5. *prima figura demonstrantur, eadem erunt*
definibilia: probatur secunda ratione adhuc
id non esse verum, nam cognoscere demon-
strabile, vt tale, non est aliud, quam habere
scientiam de illo, cum demonstratio ad scientiā
ordinetur, & scire effectus sit illius, si igitur
demonstrabile definibile sit, erit per definitio-
nem cognoscibile, & sic per eandem definitio-
nem scibile, sed definitio alicuius haberi po-
test nondum habita eius demonstratione,
ergo habebitur in casu scientia talis demon-
strabilis, & non per demonstrationem,
quod planè falsum est, cum ex capite se-
cundo habeamus scire esse per demonstrati-
onem intelligere, quasi dicatur, scientiam
alicuius non nisi per demonstrationem com-
parari.

III. Ratio. *Tertia ratio ex inductione procedit: de-*
monstratio est ex his, quæ per se insunt (vt
in primo libro stabilitum est) sed definitio
non est eorum, quæ alicui insunt per se, vel
per accidens, vt inductione potest facile o-
6. *stendi, quia nullū ex his, quæ per se, vel per ac-*
cidens insunt, definitione cognoscimus, er-
go non omne demonstrabile est definibile: ex-
empli causa, demonstrantur inesse homini
per se capacitas disciplinæ, & admiratio, quas
tamen proprietates definitio eius minimè ex-
plicat, nec enim animal rationale importat
quidpiam inesse homini per se, aut per acci-
dens, sed simplice eius quidditatem.

Ra. *Postrema definitio vniuersatur circa substā-*
tiam rei, quam per propriam genus, ac dif-
ferentiam explicat, at demonstratio non ni-
si circa ea, quæ per se insunt substantiæ, eam
præsupponentia, ergo neque omne demonstra-
bile erit definibile.

Secundo quæritur, an conuertens sit ve- 7.
ra nempè omne definibile esse demonstra-
bile, & respondet, non omnium, quorum
est definitio esse demonstrationem, idque du-
plici ratione confirmat.

Quarum prior non est diuersa à secunda, I. Ratio.
per quam probauit præcedentem conclusionē,
& hoc sibi vult Aristoteles illis verbis; vna
quidem iam ratio, & de hac eadem
est: *Vnius, ait, in quantum vnum vna est* 8.
scientia, cum non sciatur nisi per principia
vnius ordinis, vt esse disciplinæ capacem, so-
lum quia est animal rationale, & si quod-
cumque definibile sit demonstrabile, duobus
modis scietur, per definitionem, & demon-
strationem, & per solam definitionem sine
demonstratione, quod falsum esse proba-
uimus.

Secundo probatur; nam definitio est pri- II. Ratio.
mum principium demonstrationis: princi-
pia autem non sunt demonstrabilia, nisi infi-
nitum processum in demonstrationibus admit
tamus, ergo ex hac parte planè sequitur
nonnulla esse definibilia, circa quæ demon-
stratio non versatur, atque adeò vniuersalem
illam propositionem falsam esse, quod quid est
definibile est demonstrabile.

Vt tandem definibile prorsus à demon-
strabili separet, tertiam proponit quæstio-
nem, an licet vniuersaliter non conuertan-
tur, verum saltem sit de aliquo particulari,
definitionem, ac demonstrationem esse: & re-
spondet impossibile adhuc id esse, probatque
argumentis tribus.

Et est primum, definitio explicat quiddi- I. Ratio.
tatem, atque essentiam rei, sed quid res sit,
est vnum ex his, quæ demonstratio præsup-
ponit (vt lib. 1. & capite constitutum est.)
ergo circa illud minimè versatur, quare re- 10
pugnat

pugnat vllam desinibile, vt tale, demonstrabile esse.

II. Ratio. *Secundum: per demonstrationem concluditur vnum de altero, videlicet paßio de subiecto, aut quid simile: sed definitio non enunciat vnum de altero, sed simplicem rei quidditatem, & modo simplici explicat, hoc est, nihil affirmando, vel negando de altero, definitionem namque hominis his duabus vocibus designamus, animal rationale, nulla intercedente copula, qua mediante vna pars de altera enunciatur, vel amba de definito, hoc enim definitionem minimè ingreditur, at per demonstrationem risibilitatem de homine enunciari concludimus, ergo cum ratione definibilis pugnat esse formaliter demonstrabile.*

III. Ratio. *Postremum ex discrimine inter quæstionem quid, & quia, superius constituto procedit, nam quæstiones istæ valde differunt, sed definitio explicat quid, demonstratio o-*
11. *stendit quia, ergo non minus differunt demōstratio, ac definitio atque adeò demonstrabile, & definibile, sed nullum quid, est quia, cum quid essentiam, quia vero accidens importet, nempè esse disciplina capacem aut risibilem, vel quid simile, ergo neque vllum definibile erit demonstrabile.*

Obiectio. *Sed potest aliquis obijcere, ait Aristoteles, diuersa esse triangulum, & Isochelem, & tamen eandem esse vtriusque scientiam, demonstratur enim de triangulo, quod tres*
12. *habeat angulos duobus rectis æquales, demonstratur etiam de Isochele, ergo etiamsi diuersa sint definibile, & demonstrabile, non omnino repugnabit aliquando sic conuenire, vt eadem demonstratione sciantur, vel eadem definitione explicentur.*

Solutio. *Respondet id contingere in triangulo, & Isochele, quia se habent sicut totum, & pars, nam cum triangulus sit genus, Isocheles vero species, pars illius subiectiua vocatur iste: & hinc est, quod in eadem scientia communicare possunt: definibile vero, ac demonstrabile sic sunt diuersa, vt vnum non sit pars alterius, & propterea non possunt in eodem modo cognoscendi conuenire.*

Epilogus. *Ex quibus per modum epilogi infert quatuor esse manifesta, primo nec eius omnis demonstrationem esse cuius est definitio, secundum, nec eius omnis definitionem* 13.
esse, cuius est demonstratio: tertium, nec omnino eiusdem esse definitionem, ac demonstrationem: postremum, demonstrationem, & definitionem omnino diuersa esse: ita vt neque vnum sit alterum neque vnum sit pars alterius subiectiua, & quidem tria iam probata sunt, postremum autem probatur; quia eodem modo se habent definitio, & demonstratio, ac demonstrabile, & definibile, cum hæc sint quasi illarum obiecta, ex quibus rationem accipiunt, sed obiecta sic se habent, vt neque vnum sit alterum, neque pars alterius, ergo modo simili se habent definitio, ac demonstratio, quod vsque adeò verum esse ait, vt opposita sint, quod non est accipiendum de propria oppositione, sed de omnimoda diuersitate.

SYLLOGISMO DVplicante, similiter, & per diuisionem confecto, non demonstrari quid est de eo, cuius est.

CAPVT QVARTVM.

IPSIVS vero quid est, est ne syllogismus, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Modus procedẽdi PRAEMISSA formali distinctione inter demonstrabile, & definibile, & per modum disputationis concluso, quod nullo modo coincidant, quæ ad postremam ex
1. quatuor quæstionibus propositis pertinẽt, quasi ad caput redit Aristoteles ad primam, videlicet quæstionem, an quod quid est cognoscatur per demonstrationem, vel quod idem est, an demonstrabile sit, & quia specialis modus demonstrandi triplex esse potest, reduplicatiuus, diuisiuus, ac definitiuus, tribus his capitibus 4. 5 & 6. per modum disputationis de singulis ostendit non demonstrare, quodquid est, ac tandem cap. 7. quasi per modum epilogi concludit, neque alijs communibus modis esse demonstrabile, atque adeò si nec particularibus, nec communibus nullo modo.

De reduplicatiuo agit. Et quia ex tribus modis particularibus potior est reduplicatiuus, ideò de eo prius agit, capite præsenti, in duas partes diuidendo, si quidem prius quatuor suppositiones præmittit deinde intentum probat, nempè quod quid est
2. Nota. non esse demonstrabile ratione vnica.

Prius quam litteræ explicationem aggrediamur, aperire oportet, quid per reduplicatiuum syllogismum intelligendum sit. reduplicatio (vt in prædicamẽtis admonere cœpimus) non est aliud, quam particula quædam vltimam rationem rei supra quam cadit designans, qualis est in quantum tale, aut secundum quod tale est, aut in eo quod quid est, vnde reduplicatiua propositio eiusmodi erit, homo in quantum, homo est rationalis, aut ho-
3. mo est animal rationale in eo quod quid est reduplicatiuus ergo syllogismus, (nisi fallor) non est aliud, quam syllogismus, vel demõstratio constans propositionibus reduplicatiuis, hoc est, quorum prædicata conueniant subiectis reduplicatiue, an vero expressa reduplicatio in exponenda sit, vel sufficiat prædicatum hoc modo conuenire absque tali expressione, postmodum erit examinandum, & quod nos reduplicatiũ vocamus, alij duplicatum: vel duplicatiuum vocant.

Prima suppositio naturam syllogismi tangit, in quo semper aliquid de aliquo concluditur per medium, quod verbis solum differt ab eo, quod in superioribus præmisit de eodem nempè tribus constare terminis, maiori videlicet extremitate, minore, & medio, quod tale absque dubio, vocatur, quia extrema ipsa inter se coniungit, coniungere autem non est aliud, quam efficere, vt maior de minori in conclusione prædicetur, & hoc est, syllogismo concludi aliquid de aliquo per medium, id est, quod vnum extremum alteri insit propter illud. I. Suppositio. 4.

Secunda suppositio, pertinet ad quod quid est; quod duplicem conditionem habere oportet, priorem quidem, vt sit eiusdem rei, cuius est, hoc est non commune cum alijs, nã quidditas rei, vel essentia propria esse debet, quemadmodum res qualibet particularis est à cæteris distincta: nec tamen sufficit esse proprium, quia multa sunt propria, quæ ad essentiam non pertinent, vt constat de passionibus, vt admiratiuum, & risibile respectu hominis, idcirco posterior conditio est, quod prædicetur in quid, ex quibus tertia infertur necessaria, vt conuertibile sit cum eo cuius est, proprium namquè, si propriè accipiatur est, quod soli inest, & conuersim prædicatur. II Suppositio. 5.

Supponitur 3. quod quid est non esse demonstrabile per medium inadæquatum, hoc est, non conuertibile cum extremis, videlicet cum eodem, quod quid est, & cuius est, itaque si demonstretur non nisi per medium conuertibile; cuius duplex est ratio, prior, quia si extremitates syllogismi conuertibiles sint, vnam igitur alteri inesse adæquate, & conuertibiliter probabitur in conclusione, sed probatur ei ita inesse per medium, ergo tale esse oportebit, vt cum eiusdem con- III. Suppositio.

conuertatur extremitatibus: exempli causa, si probatur rationalitatem inesse homini, tale erit ex necessitate medium, quod cum vtroque conuertatur: posterior, nam si quod quid est praedicatur conuertibiliter de eo, cuius est, atque adeò vniuersaliter, sequitur euidenter non posse concludi in secunda figura, in qua propositio affirmatiua non syllogizatur: sed neque in tertia, in qua non syllogizatur vniuersalis: relinquitur ergo in prima duntaxat posse demonstrari, in qua medium maioris praemissae subiectum est, minoris praedicatum, vnde si in plus sit, erit falsa maior propositio, cum inferius non praedicetur, vniuersaliter de superiori, vt homo de animali, si vero sit in minus, maior falsa erit eadem ratione, conuertibile ergo esse oportebit.

4. Supp. Vltimo supponitur, quod si demonstrabile supponitur quod quid est, non nisi per syllogismum constantem vtraque praemissa in eo quod quid est quasi dicatur, cuius praedicatum sit, quod quid est subiecti, nam si vtraque non sit talis, vel saltem altera, probabitur, ait, in conclusione, quod quid est, vt cumque conuenire ei, cuius est, non tamen vt eius quidditas; quod profecto necessarium est, vt conuincatur quod quid est posse formaliter, hoc est, vt tale de eo, cuius est demōstrari; formalis est enim sermo, dum inquirimus, sitne quod quid est demonstrabile: ratio autem fundamentalis huius ex natura demonstrationis eruenda est, cuius praemissas magis necessarias, magisq; proinde immediatas, atq; intrinsecas esse oportet, si ergo conclusio demonstranda est, quod quid est vt tale conuenire ei, cuius est, sequitur saltem futuras esse praemissas, in quibus extremum maius sit quod quid est medij, & hoc sit etiam quod quid est extremi minoris, vel certe magis intrinsecas; quod minime habebunt, nisi sint in eo quod quid est.

2. Pars ca. His quatuor praesuppositis probat iam Aristoteles, quod quid est non esse demonstrabile, quia si quispiam illud demonstrare velit de eo, cuius est, non poterit absque vitio petitionis principij, necesse est enim in minori praemissa tanquam per se notum praesupponat illud, quod in conclusione probandum esset: nam si verum est in eo quod quid est vtramque praemissam esse, id est, quod quid est in eis praedicari de eo, cuius est: sequitur in minori praedicari definitionem de definito: minor autem non probatur, sed tanquam certa praesupponitur ad inferendam conclusionem: 8.
ergo principium petitur, cum praesupponitur, quod probandum foret, exemplum apponit Aristoteles iuxta Platonis sententiam, (Exemplū Arist.) qui putabat animam in hoc distingui à corpore, quod per se ipsam viuat, corpus verò non à se, sed ab animam vitam participet, vnde corpus viuit per aliam causam, anima vero sibi est causa viuendi. Ponebat rursus Plato (vt superius attigimus) numerum esse omnium rerum substantiam, non distinguens inter vnum, quod est passio entis, & principium numeri, vnde quamlibet rem multa in se continentem appellabat numerum, & cum multa in se anima contineat, multos, in quā, gradus essendi, quos communicat corpori numerus appellabitur substantialiter: aiebat denum Plato, viuere, in motu quodam consistere, nam duobus separatur viuens à non viuente; quia à se mouetur, & sentit, sentire autem quidam etiam motus est, erit ergo viuere motus quidam, & si anima à semetipsa viuit, à semetipsa etiam mouebitur, 9.
duasq; quasi definitions habebit, nam erit sibi causa viuendi, atque etiam numerus, se ipsum mouens, nunc ergo si velit quispiam demonstrare, quod anima sit sibi causa viuendi, pro medio assumens quod sit numerus se ipsum mouens (vtrumque enim apud Platonem ad quod quid erat esse animae pertinet) principium proculdubio petat, necesse est, in minori praesupponit animam esse numerum se ipsum mouentem, quod tamen probandum est.

est non secus, ac esse sibi causam mouendi, nam si unum demonstratur, aliud quoque demonstrabile erit. si quidem in anima essentia à priori demonstrabili utrumque clauditur.

Epilogus capitis. *Concludit tandem Aristoteles per modum epilogi, quod si quispiam velit per terminum non conuertibilem demonstrare quod quid est, non tamen eius, de quo demonstrare illud intendit: quia cum proprium eius non sit, neque quod quid est eius vocatur, si vero accipiat terminum conuertibilem, qui sit verum quod quid est eius, putans se demonstrare quod quid erat esse, petet principium: exemplum primi erit, si quis ostendat de homine quod sit substantia sensibilis, quia est animal, non demonstrabit quod quid est eius, nam licet definitio illa animalis sola ratione sit di-*
10. *stincta à definitione hominis, cum tamen non sit propria. sed cæteris animalibus communis, non vocatur propriè quod quid est hominis; exemplum postremi erit, si volens demonstrare propriam definitionem hominis, ut quod sit animal rationis particeps, accipiat animal gressibile, bipes, supposito quod hoc etiam pertinet ad quidditatem eius, principium enim petere necesse est, quia cum eandem quidditatem contineat utrumque, & solum sit in verbis discrimen, præsupponitur in præmissis idem, quod est in conclusione probandum, in quo consistit vitium petitionis principii.*

QVOD VIA DIVISIOnis non possit demonstrari quod quid est.

CAPVT QVINTVM.

VERVM enimuero neque per diuisionis via syllogizat, quemadmodum in resolutione circa figuras dictum est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

SECVNDVS *modus demonstrandi quod quid est, posset esse per viam diuisionis, quem excludere non intendit Aristoteles cap. præsenti dicens, & probans impossibile esse per viam diuisionis demonstrari.* 1.

Habet autem caput duplicem partem, in quarum prima prædictam conclusionem statuit, eamq; tribus argumentis confirmans; in secunda obiectionem quandam ad easdem rationes infringendas proponit, ac soluit, ex cuius solutione fortius eiusdem conclusionis veritas roboratur. Capitis diuisio

Conclusio est. Per viam diuisionis non cōtingit demonstrari, quod quid est, de eo cuius est. Quam ut illustriorem reddamus, paucis explicare oportebit quid sit processus per viam diuisionis qui duabus partibus integratur: priori quidem. constituta diuisione à toto diuiso ad membra diuidentia procedenti. Posteriori ab exclusione unius membri ad positionem alterius, ut si velimus ostēdere hominem esse animal rationale, sic ostēdemus omne animal est rationale, vel irrationale, omnis homo est animal, ergo est rationalis, vel irrationalis, & hæc est prior pars posterior vero ita prosequitur, homo non est irrationalis, ergo est rationalis. Et cum diuisum sub quouis membro intelligatur, atque accipiatur, idem est, ac si dicamus, homo non est animal irrationale, ergo est animal rationale: nunc igitur per talem processum diuisiuum non posse concludi quod quid est, siue definitionis quidditatiuæ significatum docet Aristoteles. Conclusio. 2. Nota. 3.

Probatq; prima ratione desumpta ex vniuersali forma syllogistica. quæ talis est, ut semper ex præmissis positis inferatur conclusio absque interrogatione aliqua, vel consensu respondentis, quasi dicatur in syllogismo nihil interrogamus, neque concessum respondentis spectamus. sed absolutas præmissas in I Ratio. 4.

modo

modo, & figura dispositas assumimus, ex quibus conclusionem deducimus, sed in processu diuisiuo nihil potest concludi, nisi aliqua interrogatione praeuia, & nisi aliqua praemissa à respondente data vel concessa, ergo neque quod quid est, nec conclusio altera syllogizatur; & cum demonstratio non sit, vbi non est syllogismus, sequitur planè per talem processum nihil esse demonstrabile.

5. Probatur minor: nam dum aliquod praedicatum commune accipimus, illud in membra inferiora diuidentes: vt animal in rationale, & irrationale, quasi à respondente petimus, an omne animal sit rationale, vel irrationale, cum non ostendamus sufficientiam huius diuisionis. & nisi id admiserit, non possumus vltra procedere: & eo adhuc admisso, dum rursus ab exclusione vnius membri procedimus ad alterius positionem dicentes, non est animal irrationale, ergo est animal rationale, exclusionem illius membri supponimus, quae probanda est; nam si negatur hominem esse animal rationale, & hoc probandum est per talem processum, negabitur quoque non esse animal irrationale, probandum igitur foret: vnde principium petimus probandum, tanquam per se notum

6. praesupponentes. & nisi à respondente admittatur, nequaquam poterit vlterius procedi: nec solum negatio vnius membri probanda praesupponitur, sed etiam positio diuisi: nam si supremum sit praedicatum, repugnat per diuisionem probari, quod rei, de qua aliquid probandum est, conueniat, siquidem ab eo diuisio incipit, & rursus si probandum est hominem esse substantiam animatam, sensi-

7. tiuam, rationalem, ex quibus completur quod quid est eius, probanda erit qualibet pars, vel omnes simul, neutra igitur praesupponenda erit: praesupponit praeterea non esse plura membra sub tali diuiso praeter enumerata quod probandum esset; in quo valde assimilatur inductioni, vt bene Diuus Thomas,

D.Thom. quae in antecedenti praesupponit non esse plura singularia praeter enumerata: denique hominem esse totum hoc, videlicet animal gressibile, bipes. Nam licet singulae partes per se probentur: probandum esset in homine coniungi, quod specialem difficultatem continet, & nisi admittatur, non concluditur quod quid est: hoc autem praesupponere non licet absque vitio petitionis principii, à quo ea solum ratione excusatur talis processus, quia ex datis à respondente quantum ad vtrumque procedit, & propterea, à vi, & efficacia syllogistica deficit, & multo magis à demonstratiua, cū efficacissimus syllogismus sit demonstratio. Vnde infertur, neque, quod quid est, neque aliud quidpiam posse, per viam diuisionis demonstrari, & quoniam multis solet diuisionibus procedi ad ostendendum quod quid est, & paucis aliquando, quemadmodum Aristoteles ipse in praesentiarum duabus dumtaxat vtens procedit, idcirco subdit eandem esse rationem, hoc est easdem habere conditiones, atque defectus processum istum, siue multis, vel paucis diuisionibus intentum probare nitamur: sed iam quod à forma syllogistica non deficeret, & aliquam forte conclusionem demonstrare posset: minimè tamen quod quid est, vt probat secundum, & tertium argumentum. 8.

Secundum quidem, quod tale est: esto per viam diuisionis concluderetur aliquid alicui conuenire, vt homini, quod sit animal gressibile, bipes, nequaquam concludi potest, hoc esse quod quid eius, neque hoc attingere valet processus iste, cum solum à toto diuiso ad singula membra, & ab vnius negatione ad positionem alterius procedat per simplicem inhaesionem, vel conuenientiam, hoc est, vt cumque rei, de qua aliquid probatur conuenire ostendens, non quidditatiue, aut essentialiter, vt eum expendenti facile constare potest. II. Ratio 9.

Tertium vero; nam, quod quid est, certis, III. Ratio.

tis, ac determinatis prædicatis constat, quibus neque addere licet, neque aliquid subtrahere, cuius rei gratia Aristoteles definitionem continentem quod quid est, terminum vocauit in Topicis, quia totum quod ad rei quidditatem spectat, continet, & nihil ab ea alienum, sed diuisioni non repugnat aliquid adiungi alienum à quidditate, neque aliquid substrahi ex his, quæ
10. ad quidditatem pertinent, vel etiam communia quædam duntaxat accipere quidditati non adæquata, sed quæ eam excedant, vel supergrediantur, ergo repugnat per viam diuisionis demonstrari quod quid est: probatur minor, nam præceptorum bonæ diuisionis transgressor non haberetur,
11. qui sic procederet: omne animal est rationale mortale, vel irrationale mortale, sed homo non est animal irrationale mortale, ergo est animal rationale mortale. Et probaret nihilominus vitiosam quandam definitionem, in qua particula mortale redundat, & similis esset ratio, si quis diceret, omne animal est ridens, vel non ridens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est animal ridens, vel non ridens. quo argumento diuisiuo probatur quædam diminuta hominis definitio: communissima vero tradere solemus per diuisionem, vt
D. Thom. exponit D. Thom. dum ad vltimas differentias non peruenimus, vt si solum probemus hominem esse substantiam animatam, & sensitiuam, vlterius ad proprias, vel atomas differentias non procedentes, tunc enim non probamus quod quid est.

Obiect. Obiicit Aristoteles in extrema parte capitis aduersus præfatas rationes, & præsertim aduersus vltimam, nam si in processu diuisiuo procedatur, ex his solis, quæ ad rei quidditatem pertinent, ex quibus nullũ omittatur, sed à supremo genere vsque ad atomas omnes differentias diuisio perueniat, probabitur absque dubio indiuidua rei
12. quidditas, hoc est, particularis, & atoma eius essentia, quam nomine, quod quid est, significamus.

Solutio. Respondet, quod adhuc si hoc præstetur, nulla conclusio syllogizabitur: quia processus talis non est syllogisticus, sed aliquo modo manifestatiuus quidditatis, quemadmodum per inductionem singularium ostendit 13.
potest quidditas rei vniuersalis, sed nunquam syllogizabitur, quia inductio in multis à forma syllogistica deficit: probat etiam diuisiuum processum etiam ab illis defectibus liberum non esse syllogisticum argumentum hoc: quod ex propria forma, & conditione non tradit propter quid conclusionis, non potest pertingere formam syllogismi, aut demonstrationis, cum illa sit conditio syllogismi perfecti propria, sed per viam diuisionis non traditur propter quid, etiamsi aliquid alicui inesse probetur, ergo nec de illo syllogizatur, aut demonstratur. Probatur minor, quia ostenso per viam diuisionis, quod homo sit animal greßibile, bipes, sine pennis, vel quid simile, adhuc inquirendum superest propter quid hæc ei insunt: ergo per talem processum minimè traditur: nec solum in hoc deficit à processu syllogistico, vel demonstratiuo diuisio, sed in aliis duobus, quorum primum est, quia, & si per diuisionem 14.
fore probentur singulæ partes per se conuenire, vt de homine, quod sit animal, quod mortale, quod bipes, & sine pennis, eorum tamen coniunctio non probatur, & cum apertum sit partes definitionis non designare quod quid est, nisi in quantum vna alteri cõiungitur, fit nunquam posse demõstrari, quid est per viã diuisionis: secundum, est earundem coniunctio ostenderetur, illud tamen apertum est per diuisionem non cõcludi quod illa, vel alia prædicata, quæ probari possint, ad quod quid est talis rei pertineant, vel definitionem eius constituant, sed solum quod ei vtcunque insint vel conueniant, vt in principio dicebatur, quo deficiente non demonstrabitur quod quid est.

DISCE-

DISCEPTATIO, QVOD ipsum quid est non monstretur definitione, neque definitione contrarij, nequea.'o quouis modo.

CAPVT SEXTVM.

SED an ne est demonstrare ipsum quid est secundũ substantiam, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum. *Tertius modus demonstrandi quod quid est posset esse per syllogismum definitiuum, quem excludere intendit Aristoteles cap. præsenti, per modum dubitationis proponens prius, sit ne per talem modum demonstrabile.*

Ratio dubitandi. *Et rationem dubitandi, ait, esse, quia excogitare quispiam posset per definitionem definitionis, seu eius quod quid est demonstrabile esse idem, quod quid est de eo, cuius est: hoc modo definitio quidditatiua cuiusque est ea, quæ genere, & differentia constat, cum definitoq; reciprocatur, sed vtramque conditionem habet animal rationale respectu hominis, ergo hæc erit propria eius definitio, & significatum eius quod quid est einsdem.*

Solutio. *Respondet nihilominus hanc non esse demonstrationem, sed manifestam petitionem principij, cum in minori præsupponatur definitio, vel quod quid est de eo, cuius est, in conclusione probandum.*

Ratio probans. *Secundo probat inutilem esse talem modum demonstrandi quod quid est: nam cum quispiam aliquam propositionem syllogizare vult: non benè procedit, si definitionem ipsiusmet syllogismi assumpserit ad id præstandum, cum notum sit, talem definitionem non esse aliquid eorum, ex quibus particularis syllogismus procedit, sed ex particularibus præmissis, ex quarum terminis syllogizanda conclusio componitur, vt si velis syllogizare hanc propositionem, contrariorum eadem est disciplina, sed contraria numerantur inter opposita, ergo eadem erit contrariorum disciplina. Qui igitur voluerit demonstrare quod quid est hominis, vel alterius rei, non benè assumet definitionem eiusdem quod quid est, sed particulares præmissas accipiat oportet, cum quibus tale quod quid est connexionem habere possit. Definitio quidem, vel quidditas instrumenti, quo vtimur ad aliquid efficiendum, vel probandum (ait D. Thom. pulchram huiusce rei rationem reddens) præ habeatur in mente necesse est, vt eam aspicientes examinare possimus, an tale instrumentum, in hac, vel illa materia benè sit constitutum: non secus ac regulas artis præhabere artificem oportet, ad quas aspiciens aliquid particulare operatur. Vt qui cultellum eff.... non assumit regulam artis tanquam medium operationis, sed certa quædam instrumenta: regulam autem in mente præhabet, iuxta quam opere factum iudicat, an benè sit constitutum. Cum ergo definitio demonstrationis sit quasi regula demonstrationis conficiendæ, qua opus est (ad quod efficiendum ordinatur demonstratoria ars) sequitur non posse esse medium demonstrandi particularem definitionem alicuius, sed in eo solum casu, quo negaretur hanc, vel illam esse definitionem alicuius, vtendum esset definitione definitionis, tanquam proprium medium ad id demonstrandum.*

Probat suã mentem. *Probat deinde non demonstrari, quod quid est, per definitionem proprij contrarij, exemplum designans in doctrina Platonis, qui opinabatur vnum, & bonum eiusdem rationis esse, quia res quælibet appetit vnitatem, tanquam proprium bonum, & rursus vnum idem esse, atq; indiuisibile, atq; adeò bonum cum eodem indiuisibili etiam conuerti.*

conuerti. Malum autem cum diuisibili: nunc ergo putare quis posset, se hoc modo demonstrare quod quid est boni per definitionem mali: contrarijs contraria insunt, sed bonum, & malum contraria sunt, ergo contraria eis conueniunt: tunc vltra, quidditas mali est esse diuisibile, ergo quidditas boni erit esse indiuisibile, hunc autem discursum vitiosum esset docet Aristoteles, quia non minus incurrit vitium petitionis principij, quam praecedens, cum ad probandum quod quid est vnius contrarij petat sibi dari, quod quid est alterius, quod non minus foret probandum, quam reliquum, vt vim haberet argumentum.

6.

Ob.ectio. Obijcit tamen sibi Aristoteles, in qualibet excelta demonstratione peti principium, cum praemissae non probentur, sed praesupponantur, quae tamen probandae forent.

Solutio. Et respondet diuersam longè rationem esse, nam in perfecta demonstratione diuersa est conclusionis, & praemissarum notitia: illae etenim ex terminis cognoscuntur absq; vllo medio, vel demonstratione: conclusio verò illis medijs cognoscitur, ideo praesupponuntur illae, & probatur haec: vnde si probatur conclusio per praemissas, vt praemissae non probentur rursus per conclusionem, nisi vitiosum circulum velimus incurrere: contrariorum autem aequa sors est, quantum ad cognitionem quod quid est vtriusque, nam si quod quid est boni cognoscibile est per quod quid est mali, tanquam per medium, pari ratione quod quid est mali erit cognoscibile per quod quid est boni, vtrumq; igitur quod quid est erit demonstrabile: vnde sequitur euidenter neutrum praesupponi absq; vitio petitionis principij, quod planè incurret, qui voluerit vnum demonstrare per alterum: prima autem demonstrationis principia, cum non sint per medium cognoscibilia, absq; vitio praesupponuntur ad demonstrandam conclusionem.

Epilogus. Concludit tandem Aristoteles ex dictis colligens, nec per viam diuisionis, nec definitionis demonstrabile esse quod quid est: quia

7.

licet vtraq; via ostendat homi em esse animal, & gressibile, & bipes, neutra tamen, quod totum hoc simul coniunctum ei conueniat, quod oporteret ad demonstrandū quod quid est ex partibus coniunctis coalescens: quasi dicatur, quamlibet partem per se diuisione, aut definitione ostendi posse, sed partes per se non efficere quod quid est, nisi coniungantur in vnum, vnde nec demonstrabitur quod quid est, nisi vt sic coniuncta demonstrentur, quod non attingunt syllogismus diuisiuus, ac definitiuus.

Et huius ratio est, quia definitio est vnum per se (vt habetur 7. Metaph. text. 42.) partes autem eius quod quid est separatae nō efficiunt magis per se vnū, quā partes vnius per accidens, vt album, & musicum, vnde non magis probant diuisio, ac definitio vnum per se, quam vnum per accidens, cum solum partes, quasi seiunctas probent. Vnde concluditur plane: quod quemadmodum, qui probaret hominem esse grammaticum, & musicum, non probaret quod quid est eius, etiamsi ex vtraq; parte coalesceret, modo similiter probans partes seiunctas eius quod quid est, non ostendit ipsum quod quid est, praeter partes coniunctionem impetrans, per quam sit per se vnum. Ratio.

EPILOGO OSTENDIT quod quid est non posse demonstrari.

CAPVT SEPTIMVM.

QVomodo igitur definiens monstrabit substātiam, aut ipsum quid est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

CVm ostensum per modum dubitationis sit superioribus capitibus quod quid est nō Institutum capitis.

est non esse demonstrabile ullo demonstrationis genere, hoc est, nec duplicatiua, nec diuisiua, aut definitiua demonstratione, propriis ex natura cuiuslibet generis desumptis rationibus: institutum præsentis est rationibus communibus probare, quod per definitionem non demonstretur, ita vt ipsamet definitio ex se sit ostensiua eius quod quid est, vel sui ipsius.

Diuisio cap. Præstantur autem in toto capite tria, nam primo ex superius habitis infertur nullomodo, vel arguendi genere demonstrabile esse quod quid est: deinde triplici ratione ostenditur definitionem non esse sui ipsius demonstrationem: ac tandem (vt omni ex parte hoc idem corroboretur) nō solum veram definitionem quid rei non demonstrare quod quid est probatur, sed nec definitionem nominis, concluditurq; nullo prorsus modo demonstrari.

2. Illatum Arist. Ex dictis igitur in præcedentibus ait Aristoteles, vniuersalis quædam ratio colligi potest, quasi per modum exemplaris inductionis discurrens per vniuersa argumentorum genera, probans non esse vllo modo demonstrabile quod quid est, neq; enim demonstratione duplicante, nec diuisiua, vel definitiua. sed neq; inductione per singularia: (hæc enim aliud arguendi genus à prædictis distinctum est) nam inductio ex singularibus

3. collecta non probat quid res aliqua sit, sed probat esse, vel esse talem, vt esse in rerum natura hominem, esse item risibilem, gressibilem, vel bipedem: causam autem, vel rationem quod quid est eius non affert: vnde nec quia sit demonstrat, nec demum sensu, vel digito, vt aiunt, demonstratur quod quid est: nam sensitiua notitia visus, auditus, aut cuiuslibet alterius exterioris, vel interioris sensus non versatur circa quidditatem rei, sed accidentia eius duntaxat attingere valet, ergo nec demonstrabile erit, quod quid est, per vllam sensitiuam notitiam.

Conclus. Quo præsupposito ad principale institutum accedens Aristoteles hanc statuit conclusionem, definitio explicans quod quid est, non est eiusdem quod quid est, vel sui ipsius demonstratio: quam probat triplici argumento.

I. Arg. Primum est, non potest cognosci quod quid est rei, quin cognoscatur eandem rem esse, sed definitio non ostendit esse hominem, ergo nec potest, quod quid est ostendere: maiorem probat, quia ordine naturæ quæstio, quid, præsupponit quæstionem, an sit, vt propria vtriusq; significatio docet: prius enim 4.
est scire, quod res, de qua agimus essentiam, habeat, quam propriam eius definitionem, ergo hæc non scitur nisi notitia illius præcedenti, cuius illud est euidens argumentum, quod de re impossibili, cuius no est vlla essentia, nō possumus nosse quid sit, sed solum quid nomen significet, vt de Hypocentauro scimus, quiddam compositum designare ex equo, & homine (quemadmodum fingere solent) quid autem sit, hoc est, quæ sit vera eius quidditas, nec nouimus, nec nosse possibile est, cum non habeat verum esse, hoc igitur præcognoscere oportet de re ad cognoscendum quod quid est eiusdem Minorem autē quod eius notitiam definitio nō tradat, sic probat: 5.
quia quemadmodum vna definitio est vnius definibilis, sic vna demonstratio vnius demonstrabilis, vtraq; enim circa vnum per se versatur, explicans illa, faciens scire hæc, sed rem esse, & quod quid est eius sunt diuersa scibilia ergo non possunt per definitionem, vel demonstrationem simul ostendi, quapropter cum ratione pugnabit definitionem non ostendentem quod res sit, quod quid est eius ostendere, cum pugnet planè scire nos quod quid est, nescientes rem esse, hoc est veram essentiam habere.

II. Arg. Secunda ratio est, demonstratio ostendit rem esse, vel non esse, hoc aut illud, cum conclusio demonstrationis sit enunciatio quadam significans aliquid esse, vel nō esse aliud, sed esse aliquid non pertinet ad substantiam rei, vt esse disciplinæ capacem non pertinet 6.
ad substantiam hominis, cū non sit genus, nec differentia, sed definitio continet solam rei quidditatem ex genere, & differentia compositam, nihil de esse, vel non esse exprimens, ergo non potest esse sui ipsius, vel eius quid est, demonstratio, maiorem confirmat

 exemplo:

exemplo: nam Geometria trianguli significatione præmissa demonstrat, quod sit talis figura tres angulos æquales duobus rectis habens, sicq; cuncti scientes efficiunt: definitio igitur non demonstrans esse, nec quid est demonstrare poterit, nisi scire velis quod quid est rei, ignorato an res sit.

3. Arg. Tertia ratio ex communi omnium more definientium trahitur: omnes enim intelligunt definitionem non tradere rem esse, nec propter quid sit: imo nec cuius sit ostendere, quæ tamen demonstrationi sunt propria, imo nihil aliud præter hæc demonstratio tradit, sed simplicem rei quidditatem ab his abstrahentem explicare, exempli gratia, qui circulum definit dicens esse figuram, in cuius medio est punctum, à quo lineæ vsq; ad circumferentiam ductæ sunt æquales, non dicit circulum esse, vel non esse, aut esse possibilem, nec dicit propter quid sit talis, nec demum esse circuli definitionem: quod patet euidenter, si quis definiat montem aureum, quod sit corpus aneum, in altum, & vsquequaq; diffusum: non dicit quia est, cum verè sit res impossibilis, nec propter quid est talis, ergo similis est ratio de qualibet definitione in quantum definitio est considerata: cuius illud euidens est signum, quod habita definitione, inquirenda vniuersa hæc restant: accepto enim, quod circulus sit talis illa figura, inquirere possumus, an circulus sit, & propter

2 quid sit eiusmodi, & an definitio illa eius sit, vel alterius: eiusmodi igitur non tradit definitio, ac propterea eius quod quid est, vel sumet demonstratio nequaquam esse poterit.

Obiectio. Videtur autem sibi obijcere Aristoteles (vt exponit Alb. Magn. 2. post. tit. 2. cap. 6.) quod quamuis vera hæc sint de definitione quid rei, quæ non demonstrat quod quid est, non tamen de definitione quid nominis explicanti quid nomen significet, quæ videtur semetipsam ostendere.

Solutio. Respondet tamen nec veram esse definitionem, nec vllum quid est demonstrare, quod probat triplici ratione.

Primo, quia vera definitio daretur de non substantijs, hoc est, de his, quæ nullam habent essentiam, imo de non entibus, & verè impossibilibus, & cum hæc suam nominis explicationem habeant. I. Ratio 8.

Secundò, omnes orationes essent definitiones, cum aliquid explicent, cui nomen imponere possumus, vt opus Homericum Troianam historiam continens vocatur Ilias: & rursus omnes disputantes definitiones semper proferret, definitionibus agerent, siquidem omnes orationes, quas proferunt, alicuius rei significationem explicant, quæ omnia absurda sunt. II. Ratio.

Tandem, quia nulla scientia in suis demonstrationibus talibus definitionibus solam rei significationem explicantibus vtitur, sed veris, & quidditatiuis, nulla item scientia tales definitiones conficit, sed eas, quæ rei naturam explicent, quibus medijs passiones sui subiecti demonstrat: cum tamen istæ (vtpote ex placito hominum significantes, non secus, ac nomina, quorum explicant significationem) non possint continere quod quid est alicuius, nec ideò illud ostendere. III. Ratio.

Vniuersalem colligit epilogum Aristoteles ex his, quæ per modum disputationis in his quinq; capitibus tradita sunt: videlicet demonstrationem, ac definitionem, nec idem esse, neq; circa idem sub eadem ratione formali consideratum versari: præterea quod quid est τὸ esse vllo pacto demonstrabile, nec vera demonstratione, vlloue syllogismo diuisiuo, aut definitiuo, sed nec definitione ipsa ostendi posse. Epilog. 10.

DISSOLVTIO DISCEPTATIONIS propositæ, quod ipsum quid est, monstretur per aliud quid est, & quo pacto ipsius quid est, fit demonstratio, & definitio.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

ITerum autem considerandum, quid horum dicitur bene, & quid non bene, & quid est definitio.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum. DE definitione, & quod quid est, & an sit vtrumq; demonstrabile per semetipsum, vel per aliud medium quasi quæstionem discutiens, rationibus hinc inde praiactis egit hucusque Aristoteles, nunc autem quasi auditis partibus, hoc est, expensis vtriusque rationibus vltimam sententiam ferre incipit, & prius determinat, an definitio de suo definitio, seu quod quid est de eo, cuius est, sit demonstrabile (& intelligit demonstratione propter quid, nam quod possit ab effectu, vel à posteriori vtrũque ostendi, nunquam fuit in dubium reuocatum) & hoc est præsentis capitis institutum, nam quæ ad rationem definitionis præstant, eiusque partes, ac modum, quo veniuntur, dum nos latent, in sequentibus explicantur.

Diuisio. Caput autem licet breuissimum tria continet: nam primo proponit Aristoteles intentum, deinde modum quendam demonstrandi vnam definitionem, vel vnum quod quid est per aliud ac tandem eundem modum non esse demonstratiuum, sed logicum docet.

Intentum. Arist. Intentum esse ait, quid bene, quid male inter disputandum assertum sit, decernere, & quid tenendum circa propositas quæstiones, & nunc circa demonstrationem definitionis, aut eius quod quid est.

Conclus. Conclusio autem disputatæ quæstionis est, vnum quod quid est per aliud esse demonstrabile: modus autem demonstrandi sic exponitur, scire est rem per causam cognoscere, ergo scire quid est, erit cognoscere causam essendi eiusdem rei, cuius est, vel causã ipsius quod quid est, vt scire quid sit homo, erit cognoscere causam essendi eiusdẽ, vel propria essentiæ: causa igitur essendi vel est eadẽ ipsi essentia, hoc est, intrinseca, ex qua essentia ipsa constat, vt forma, & materia sunt causa intrinseca essentiæ hominis, quia ex eis componitur intrinsece, ex his constat eius natura vel est alia, hoc est, ab ipsamet natura distincta, quales sunt causa extrinseca vt efficiens, & finalis: per intrinsecam causam non potest esse demonstrabilis definitio, vel quod quid est, cum apertum sit medium demonstrationis aliquo modo esse distinctum ab extremis, hoc est, ab eo, quod demõstratur, atq; etiã ab eo, de quo demonstratur (nisi velis principium in demonstratione peti) causa autem intrinseca est prorsus eadem cum ipsamet rei quidditate, ergo non erit per illam demonstrabilis absq; manifesta petitione principij: superest ergo per causam alteram, hoc est, per extrinsecam dumtaxat demonstrabile esse quod quid est, talis autem causa, aut est demonstrationi apta, vel inepta, inepta dicitur, si non sit necessaria vel non adæquata, si vero necessaria sit, & adæquata, talis erit, ex qua posita necessario, & vniuersaliter sequatur effectus, & sic erit ad demonstrandum apta, quia medium esse poterit in prima figura, & primo eius modo, erit quidem apta, quia propria, nam per communem causam non fit potissima demonstratio, sed per adæquatam, & conuertibilem, & per eam demonstrabitur quod quid est: nam quemadmodum proprius effectus non nisi per propriam causam demõstrabilis est: ita quod quid est, cum sit propria rei quidditas, non nisi per aliud quod quid est, & proprium, hoc est, per propriam causam eiusdem quidditatis demonstrabile erit: exemplo fit res manifesta: quod quid est homo eiusq; definitio est animal rationale, vel esse ex corpore, & rationali anima constitutum, & eiusmodi duæ partes dicuntur causa eadem, quia ex eisdem constat quod quid est: causa autem alia, hoc est, extrinseca erit finis adæquatus, & proprius, cuius rei

rei gratia conditus est, nempe beatitudo, per quam sic poterit demonstrari: quid quid est conditum ad beatitudinem (hoc est vt Deo perfruatur) est animal rationale, nam sola natura, quæ rationem, vel intellectum participat, capax beatitudinis est, sed homo est conditus ad beatitudinem, ergo est animal rationale. Ecce quod quid est hominis demōstratum à priori per finem tanquam per causam extrinsecam, propriam tamen, adequatam, & priorem: hanc tamen non esse demonstrationem asserit in extrema parte capitis, sed logicum quendam syllogismum, cuius rationem reddit, quia per eam non ostenditur illam esse definitionem, vel quod quid est hominis, aut alterius rei, si de altera demonstretur propria definitio, sed solum probatur, quod tale prædicatum conuenit tali subiecto, nempe animal rationale homini.

CAPVT NONVM.

QVO autem modo cōtingit dicamus, aggredientes rursus à principio, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentio. *Caput hoc quasi continuatio est præcedentis, ideoqúe multi vtrumque in vnum copulāt, nos vero diuisionem modernorum interpretum sequentes tanquam distinctum elucidabimus.* 1. *Prosequitur ergo Aristoteles intentum præcedentis, cupiens inuestigare, quonam modo quod quid est, seu definitio (vt talis) in demonstratione cognoscatur, iam quod non sit tanquam conclusio demonstrabilis.*

Præstat autem tria, tres in primis sup- Diuisio ca. *positiones constituens apprime necessarias ad id ostendendum, ac tandem in modum epilogi vtriusque capitis sententiam, & ex ea principalis quæstionis solutionem colligit.*

Prima suppositio est comparatio quædam duarum quæstionum ex vna parte cum alijs duabus ex altera: quatuor namqúe quæstiones esse superius vidimus, nempe an sit, quid sit, qualis sit, & propter quid sit, & omnes suo modo de medio esse, nunc igitur, ait, quod sicut se habent quia est & propter quid est, in ordine ad nostram cognitionem, sic se habent si est, & quid est: consistit autem similitudo in tribus, quorum primum est, quod possumus aliquādo cognoscere quia est, nondum cognoscentes propter quid, vt hominem esse risibilem ignorantes causam, quam tamen (cognito quia est) statim inuestigamus, sed aliquando etiam contingit, vt vtrumq; simul cognoscamus, vt dum traditur nobis demonstratio à priori, simul vtrumque cognoscimus, etiamsi vtrumq; prius nesciremus: quod notum erit, si ignoranti risibilitatem inesse homini, afferatur communis demonstratio: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis, per quam simul vtriusq; cognitio traditur, nempe, quod risibilis sit homo, & propter quid, videlicet, quia est animal rationale. Tertium, impossibile esse propter quid alicuius rei cognoscere, quin simul, vel prius cognoscamus quia est, & huius ratio aperta est, nam si propter quid cognoscimus, alicuius certe debet esse, vel non erit propter quid: eodem modo se res habet in alijs duabus quæstionibus, nempe an sit, & quid sit, quia aliquando cōtingit nos cognoscere rem esse, definitionem eius ignorantes, & tunc scire exoptamus quod quid est eius, aliquando traditur nobis simul vtrumq;: vt si ignoranti eclipsim lunæ esse, afferatur ei definitio interpositionis terræ inter solem, & lunam, eiq; explicetur, simul ei absq; dubio ostendetur possibilem esse eclipsim, siquidem veram definitionem non habet, nisi illud quod possibile est: repugnat deniq; eadem ratione quod quid est cogno- 1 Suppositio.

cognosci, nisi cognito quod res sit, hoc est, quid sit possibilis. Hunc enim esse sensum quaestionis, an sit, & nō de actuali existentia, superius stabilitum est.

2. Suppositio. Secunda suppositio, rem aliquam esse duobus modis posse à nobis cognosci, vno, ex aliquo eius accidenti, altero, ex aliquo eius essentiali. primum enim euenit, dum animal ex solo motu cognoscimus: secundum, si tonitruum ex eo, quod est sonus quidā, eclipsim, ex
4 eo, quod est priuatio luminis, hominem ex eo, quod est quoddam animal, animam ex eo quod est se ipsam mouens, cognoscamus: haec enim exempla adduxit Aristoteles: nam tonitruum aliquid est essentiale sonus, eclipsis aliquid essentiale priuatio luminis, hominis esse animal, & animae seipsam mouere iuxta Platonis sententiam, sed nihil horum completa essentia est, ideò imperfectè cognoscimus huiusmodi esse, minus tamen, & longe imperfectè, dum ex solo accidenti: nam cum accidens ad esse simpliciter non pertineat, non simpliciter cognoscimus ex solo eo rem esse, sed confusa quadam ratione, & per extrinsecum, cognoscentes vero aliquid essentiale eius, cum pars sit quaedam esse ipsius, longe melius rem esse cognoscimus, sed imperfectè, cum caetera, ex quibus esse completur, ignoremus.

3. Suppositio. Tertia suppositio est, magnum quoddam discrimen esse inter vtrumq; modum cognoscendi, nam per primum non sumus dispositi ad cognoscendum quod quid est: vanum est enim quaerere, quid est eius, cuius esse nōdum
5. cognouimus, sed ex solo accidenti non cognoscimus simpliciter rem esse, cum nihil eius habeamus, ergo nec dispositi sumus ad cognoscendum quid est: bene tamen dum per aliquod essentiale, nam cum illud sit aliquid, eius quod quid est, ex parte iam illud cognoscimus, ac proinde non longe sumus à cognitione eius perfecta, quam dum consequimur, simul etiam perfectam notitiam eius, quod est rem esse, assecuti sumus.

Cōclusio. His suppositionibus praemissis ostendit Aristoteles quonammodo quod quid est in demonstratione cognoscimus: modus autem talis est, vt cum impossibile sit, quid est, quaerere, vel cognoscere, nisi cognito quod sit, & solum hoc cognoscatur simpliciter ex aliquo essentiali, hoc habito statim inquirimus, an
res hoc modo cognita sit, & cum omnis quae- 6.
stio sit de medio, vel causa, idem est quaerere, an sit in his, quae habent causam sui esse, quae potest esse medium ostendendi quod sint, ac si quaeramus propter quid sint, propter quid autem inuenire, vel designare non est aliud, quā inuenire, vel designare quid, cum notum sit quid in demonstratione esse propter quid, nam duo haec, videlicet quid, & propter quid sola ratione differunt, quidditas enim secundum se sumpta dicitur quid at in quantum accipitur tanquam medium demonstrationis ad ostendendum, quid subiectum, cuius est, sit, vel aliquam passionem ei conuenire, dicitur propter quid, cum sit causa, propter quam conueniat: dum er- 7.
go inquirimus propter quid res sit causam sui esse habens, vel inuenimus medium, seu causam intrinsecam, aut aliud, q̄ non est tale, sed accidentalis causa, vel effectus, & si medium primi generis inueniamus, vtrumque simul reperimus, atque cognoscimus, nempe, quid, & propter quid, vnde sit, vt talem possimus demonstrationem ex eo constituere, per quam rem esse demonstrantes, absolutam simul notitiam, atque formalem assequamur eius, quod quid est, illud cognoscentes, vt tale est, simul cum propter quid, huius rei duo producit exempla Aristoteles ad formam demonstrationis reducta.

1. Exemplū. Primum est de eclipsi Lunae, quam si quis cognouerit esse ex aliquo essentiali, nempe quia cognoscit priuationem luminis in Luna statim inquirit, an Luna deficiat, vel eclipsetur, hoc est, an aliquam habeat causam
eclipsis, propter quam lunae conueniat, & 8.
per quam possit de ea ostendi, & si inueniat intrinsecam, videlicet interpositionem terrae, hoc modo eclipsim esse, Lunaeq; conuenire demonstrabit in prima figura, acci-

piens

piens eclypsim pro maiori extremitate, lunam pro minori, obiectam, vel interpositam terram pro medio, dicetque, dum interponitur terra inter solem, & Lunam patitur ipsa luminis defectum, sed vere talis interpositio euenit, ergo vere patitur talem defectum, seu vere eclipsatur: ecce quo pacto simul quærentes medium, vel causam, si inueniamus intrinsecam, simul cum propter quid cognoscimus quod quid est, atque etiam consequimur absolutam cognitionem eius, quod est rem esse, nam interpositio terræ est quod quid est eclipsis, est etiam medium probandi eam à priori de luna: quod est esse propter quid, ac demum per illud cognoscimus perfecte eandem eclipsim esse: idem exemplum ad elementa transferens Aristoteles, ait. Sit defectus, vel eclipsis, in quo est A. hoc est maior extremitas, Luna in quo, C: hoc est, minor extremitas: interpositio terræ inter Solem, & Lunam, in quo B. id est medium, & tunc idem est quærere, an deficiat Luna, vel non, ac si quærimus vtrum B. sit, vel non. Hoc est vtrum sit eclipsis, & cum talis quæstio medium inquirat, idem est etiam, ac quærere, vtrum sit aliqua ratio, vel causa eius, id est, an sit oppositio terræ, qua inuenta propter quid simul, & quod quid est inuenimus, & A. hoc est eclipsis, C. hoc est Lunæ inesse concludimus B. mediante, tanquam proprio, atque intrinseco medio, vel causa: at si inquirentes, an sit eclipsis, vel non, causam inueniamus non intrinsecam, & propriam, sed talem, quæ vere non est causa, sed effectus, sed si causa sit, solum est accidentalis, vel extrinseca, neque assequimur propter quid, neque quid, sed nec absolutam cognitionem eius, quod est rem esse, vt in eodem exemplo deficientis Lunæ ostendi potest.

Quod vt melius intelligamus, aduertere oportet, eclipsim Lunæ hoc modo euenire, vt cum Luna à Sole recipiat lumen, ex ea parte illuminetur, secundum quam ei opposita est: vtroque autem astro in oppositione existente interponitur terra, quæ, cum Luna ipsa maior sit, vmbram efficit, per quam orbem lunæ attingens, impedit ne lumen à Sole tũc recipiat, cum notum sit opacitatem maioris corporis impedire illuminationem minoris, Luna autem sic eclipsata non causat vmbrã ad præsentiam corporum inferiorum, quæ dum ab ea illuminabantur, vmbram efficiebant, sine lumine enim repugnat vmbram corporis causare, cum vmbra proueniat ex eo, quod densitas corporũ impedimento est, ne lumen transiens spatium, proxime post corpus ipsum consistens, perfecte illuminetur, priuatio autem perfecti luminis vmbra vocatur, Lunam igitur non causare vmbrã inferiorum corporum, quamuis totum cœlum serenum sit, non est vera causa eclipsis sed effectus, vnde si pro causa designetur, dum inquirimus, sit ne eclipsis, vel non: neque assequemur propter quid, neq; quid ipsius eclipsis, sed solum eclipsim esse, & id quidem imperfecte, quia non ex aliquo intrinseco, sed accidentali: concludit itaque ex his constare, quod quando aliquid alicui inesse cognoscimus, vt Lunæ eclipsim, & propter quid insit quærimus, idem est quærere propter quid insit, & petere, quæ sit res ipsa, quæ inest, vt pete[illegible]opter quid sit eclipsis, non est aliud, quam petere quid sit, videlicet, an sit extinctio luminis (vt nonnulli putabant) existimantes à vaporibus humidis, vel magno vento extingui vel sit conuersio (vt putabant alij) credentes mediam partem lunæ tenebrosam esse, lucidam alteram, fieri autem eclipsim ex eo, quod media pars lucida aliquando conuertitur ad partem supernam, & tenebrosa versus infimam nostram manet, & ideo non lucet: aut demum fiat per interpositionem terræ, vt veritas rei docet: quid quid horum sit eclipsis, dum causa eius quæritur, vel propter quid sit, petitur quod quid est eius.

Similiter, cum propter quid sit tonitruũ quæritur, quid sit quæritur, nempe quod sit extinctio, ignis in nube, vt arbitrabatur Empedocles, vel concussio ignitæ exhalationis in nube, vt docet ipsemet Aristoteles 2o. libro. Methecrologicarum impressionum 2. Exempl.

nium text. 5. & hoc est secundum exemplum & eodem modo ad formam demonstrationis reducendum, ac primum assumendo pro maiori extremitate tonitruum, nubem pro minori, & extinctionem ignis pro medio, & fiet talis demonstratio, extinctio ignis in nube est tonitruum, ignis modo in nube extinguitur, ergo fit tonitruum, quod si ad elementa applicetur erit tonitruũ A. quod est maior extremitas, nubes erit extremitas minor, &
14. B. mediũ, sicq; proceditur B. est A. hoc est extinctio ignis est tonitruum, & in nube modo extinctio ignis contingit, ergo est tonitruum, ecce quo pacto idem est quarere, an sit tonitruum, & propter quid sit, & cum propter quod sit, quodquid est eiusdem, idem est etiam, ac quarere, quid sit, & simul propter quid: vnde quod quid est cognoscimus, perfectam etiam notitiam eius, quod est rem esse simul assequentes.

Addit autem Aristoteles, quod si aliud medium huius sit, id ex hisce rationibus erit qua restant.

Expositio D. Thom. Quod duobus modis exponitur 1. à D. Tho. de definitione passionis quam in his exemplis videtur desumpsisse Aristoteles: velut passio enim Luna est eclipsis: quare sensus est, quod si aliud medium sit demonstrandi passionem, hoc assumetur ex reliquis rationibus, hoc est, ex definitione minoris ex-
15. tremitatis, qua est eiusdem passionis subiectum, sicq; contingit in eodem exemplo eclipsis, nam quia Luna est corpus aptum sit moueri, vt in oppositione Solis constituatur aliquando, ideò necesse est, quod certis quibusdam temporibus terra obiciatur inter Solem, & ipsam, & huiusmodi terra obiectio, est eclipsis definitio.

2. Expositio Alb. Aliomodo interpretatur Alb. Mag. (cuius certe expositio non displicet) ad medium accidentale verba referens, quasi dicere voluerit Aristoteles: si huius quod est eclipsim esse, alia causa, vel medium accidentale accipiatur, non reddetur propter quid, neque
Placet. cognoscetur quid erat esse eclipsis, nec demonstratio erit talis syllogismus, sed eius conditio ex logicis rationibus erit inuestiganda ita vt solum censeatur discursus quidam topicus, atque probabilis.

Pars Posterior.

Breui tandem epilogo horum duorum capitum sententiam claudit Aristoteles, colligens eius quodquid est, non esse syllogismum, vel demonstrationem, ita vt in quantum talis est, de eo cuius est, syllogizetur, vel demonstretur: nec tamen sine demonstratione cognosci, quia tanquam medium demonstrationis accipitur, vt propter quid eius, quod de subiecto demonstratur: vnde fit, quod quid est, cuius est altera causa, non nisi per demonstrationem cognosci, siquidem per talem causam demonstrabile est, cum quo tamen vniuersalis veritas stare potest, vt quod quid est non sit demonstrabile, quia nunquam per demonstrationem concludi potest esse, quodquid est eius, de quo demonstratur, quanquam demonstretur ei conuenire, tanquam necessarium quoddam prædicatum, & per se, vt capite præcedenti fuit constitutum. Epilogus. 16. 17.

QVAESTIO VNICA.

An definitio, seu Quodquid est sit medium demonstrationis potissima?

Status Quæstionis explicatur.

EX vtriusque vocis explicatione in titulo contenta pendet status huius controuersiæ, nempe demonstrationis potissimæ, ac definitionis. Causa dubii. 18.

Potissima in primis demonstratio illa dicitur, quæ ex causa rei procedit, ideò ab hac in primis controuersia exclusa censetur demonstratio, quia, procedens ab effectu, nec tamen quæcunque demonstratio, propter quid potissima est, sed ostensiua, quæ ex præmissarum virtute cõclusionem ostendit, quo verbo excluditur illa demonstratio, quæ ducens ad impossibile veritatem ostendit, cuius modũ procedendi copiose tradimus in primo libro, sed neque ostensiua omnis nisi affirmatiua sit, cum dignitates potissimas non attingat negatiua ob negationis imperfectionem: ostensiuam igitur oportet esse, & affirmatiuam, nec tamen satis hæc sunt, De qua spe cie demon stratio nis fit sermo.

21. ſed vniuerſalem eſſe neceſſe eſt: nam particularis ex propria conditione imperfecta eſt. Ex vniuerſalibus demum imperfecta adhuc illa cenſetur, quæ ex mediatis præmiſſis conſtat, etiam ſi ad immedias reduci a demonſtratione valeant: ſupereſt ergo eam duntaxat eſſe potiſſimam demõſtrationem, quæ propter quid eſt: oſtenſiua, affirmatiua, & vniuerſalis, procedensque ex præmiſſis indemonſtrabilibus, quas prima principia vocamus, qualis eſt ea, per quam prima paſſio ſub iecto demonſtratur per definitionem, vt ſi dicas; omne animal rationale eſt capax diſciplinæ, omnis homo eſt animal rationale, ergo omnis homo eſt capax diſciplinæ, nam quælibet alia demonſtratio, per quam oſtenduntur cæteræ paſſiones, vt admiratiuum, aut riſibile, aliqua præmiſſa immediata conſtat, ac propterea potiſſima non dicitur.

Definitio multiplex.

Definitio etiam multiplex eſt, cum quid nominis ſit vna, ſolam nominis explicationem continens, quid rei altera, per quam ipſiusmet rei ſignificatæ natura explanatur; & quidem de priori titulus quæſtionis non accipitur, quam licet prænoſſe ante demonſtrationem oporteat, quia ignorata ſignifi-
22. catione vocis haud quaquam rei ſignificatæ natura percipietur; demonſtrationem tamen (quæ circa rem ipſam verſatur) non ingreditur, niſi ſola definitio rei, quam adhuc oportet diſtinguere in quidditatiuã, & deſcriptiuam, ex quibus poſterior quod quid eſt minime continens, ſed aliquam forte proprietatem rei, excludenda eſt: ſupererit ergo prior adhuc duplex, cum duo ſint in demonſtratione, quorum oportet definitionem cognoſcere, nempe ſubiectum, & paſſio, quæ de illo demonſtratur, & de vtraque procedit quæſtio: cuius ſtatus eſt, an definitio quidditatiua ſubiecti ſit medium demonſtrationis potiſſimæ, vel potius quidditatiua paſſionis, habet enim hæc (quamuis per additamentum) quidditatiuam definitionem, vt riſibile hominem aptum ad ridendum, ſicque de cæteris paſſionibus.

Duæ extremæ ſententiæ proponuntur, & ſuadentur.

1. Sent.

QVATVOR Sententias inuenire potui diuerſas, extremas duas, & alias duas medias. Extremum primum tenet, definitionem paſſionis, & non ſubiecti eſſe medium demonſtrationis potiſſimæ: pro quo retulit Doctor Tolerus Aegidium, Albert. & Themiſtium: quos tamen cum Auerroe retulit pro oppoſito Caiet. dubio vltimo huius capitis. Ego vero eos conſulens, reperi Albert. Mag. 2 lib. poſt. tract. 2 de cognitione medii demonſtratiui, capit. 11. prædictum extremum, vt Aegidij proprium referentem, multiſque confirmantem rationibus, quod & ipſe ſequitur ſub hac diſtinctione.

Paſſio duobus modis demonſtratur de ſubiecto, vno modo per ſe, & tanquam ens completum, & tunc non per definitionẽ ſubiecti, ſed per propriam, alio non per ſe, ſed in ſubiecto accepta tanquam ens incompletum, & tunc non per propriam, ſed per definitionem ſubiecti, tanquam per proprium medium demonſtratur, quid autem per paſſionem acceptam per ſe, & tanquam ens completum, aut per eandem non per ſe, ſed in ſubiecto, & tanquam ens incompletum intelligat, non explicat.

Arg. primæ ſenten.

Argumenta, quibus fulcitur hæc ſententia hæc fere ſunt: Primo in eadem ſcientia contingit eſſe plura obiecta partialia vt in Geometria triangulum, quadrangulum, & alias figurarum ſpecies, concluſiones ergo, quæ de his probantur, in quod quid eſt eorum vltima reſolutione referuntur; vnde ſicut ſunt plura principia diuerſa, quæ & diuerſas reſolutiones terminant, ſic erunt diuerſæ & non vna ſcientia, vel ſi adhuc dicamus in quod quid eſt ſubiecti referri omnes, & illud eſt medium omnium demonſtrationum, maius abſurdum incurrimus admittentes plures demonſtrationes vnicum medium habere. 23.

2. Arg.

Secundo, potiſſima demonſtratio eſt ea, quæ ex immediatis procedit, in qua illud eſt vere medium (quemadmodum in quacumque alia) quod eſt poſterius primo, hoc eſt maiori extremitate, & prius poſtremo, hoc eſt minori: ſed demonſtratio paſſionis de ſubiecto immediatior eſt per definitionem paſſionis, quam per ipſammet paſſionem, nam animal aptum ad ridẽdum proximius eſt homini, quam riſibilitas, & inſuper definitio paſſionis eſt poſterior ſubiecto, & prior paſſione ipſa, ergo his duabus aptius medium eſt quam definitio ſubiecti.

3. Arg.

Tertio, ſi definitio ſubiecti eſſet medium demonſtrationis potiſſimæ, vltima eius reſolutio fieret in eam, vltra quam non eſſet pro- 24.
ceden-

cedendum, consequens est falsum, cum demonstratio perfectissima ad vniuersaliora principia referenda sit, ergo definitio subiecti non potest esse potissimum medium: & confirmatur, quia definitio subiecti non est res alia ab ipso, vt animal rationale idem est cum homine, ergo non poterit esse medium nisi velis idē per se ipsum probare, quod graue peccatum est in modo demonstrandi.

4. Arg. Postremo. Nam potissima demonstratio, ex causa propria, atque intrinseca procedere debet, sed propria causa, & intrinseca passiōis & inhærentiæ eiusdē in subiecto definitio est, nā propterea homo risibilis est, quia est animal aptum ad ridendū: definitio autem subiecti cū ei sit intrinseca, extrinseca erit respectu
25. passionis, mediumque proinde extrinsecū ad eam de subiecto demonstrandam, & ideo minus aptum ad potissimā demonstrationem: & confirmatur, quia aptissimum medium demonstrationis illud est, quod simul continet quid, & propter quid: sed definitio passionis vtrumque continet: primum, quia quid ditatiua passionis est: secundum quia causa est propter quam inhæret subiecto, at definitio subiecti, non continet quod quid est passionis, ergo aptissimum potius medium illa erit.

2. Sententia tribuitur D. Th. Extremum secundum docet solam definitionem subiecti esse medium demonstrationis potissimæ, quod attribuitur D. Thom in commentarijs huius 2. lib. lect. 1. vbi hæc verba legimus. *Videtur hic Aristoteles dicere, quod definitio passionis sit medium in demonstratione, sed considerandum est, quod definitio passionis perfici non potest, sine definitione subiecti: manifestum est enim, quod principia, quæ continet definitio subiecti, sunt principia passionis, nō*
26. *ergo demonstratio resoluet in primam causam, nisi accipiatur, vt medium demonstrationis definitio subiecti: hic ergo passionem concludere de subiecto per definitionem passionis, & vlterius definitionem passionis concludere de subiecto per definitionem subiecti, &c.*

Videtur etiam mens Aristo. Diuum Thomam sequitur Gabriel, quæstione 5. prologi, & videtur extremum hoc in doctrina Aristotelis expressum, non solum capite præsenti vbi docet quod quid est per demonstrationem cognosci, in quantum pro medio demonstrationis accipitur ad probandum idemmet subiectum esse, vt intelligamus de quod quid est subiecti, & non passionis verba facere, sed 1. lib de anima, tex. 11. vbi sic loquitur. *Videtur autem ipsum quid est cognoscere vtile esse ad cognoscendas causas accidentium substantijs, sicut in mathematicis quid rectum, & quid obliquum, aut quid linea, & planum ad cognoscendum quod rectis trianguli, anguli sunt æquales, omnis enim demonstrationis principium est ipsum quod quid est, &c* 27.

Ex 4. lib Physicorum, text. 31. de natura, & proprietatibus loci disserens, ab eius definitione tanquam medio demonstrandi proprietates inchoandum sibi esse his verbis statuit. *Oportet autem tentare considerationem sic facere, vt ipsum quid est reddatur, vt & quæ dubitantur, soluantur, & quæ videntur inesse loco insint, & amplius ipsa difficultatis, & earum, quæ circa ipsum dubitationum causa erit manifesta, sic enim pulcherrime demonstrabitur vnumquodque, &c* Tantundem expressit. 2 lib. Physic. text. 68. 28.

Huius autem sententiæ duplex est ratio; prior, quia potissima demonstratio ex principijs indemonstrabilibus procedit, hoc est, ex non habentibus causam, per quam demonstretur, sed talis est ea, quæ definitionem subiecti pro medio assumit, & non quæ definitionem passionis, ergo illa definitio, & non hæc potissimum erit medium: probatur minor quia definitio passionis non conuenit essentialiter, neque immediate subiecto vnde non constituit cum eo principium immediatum, sed propositionem certe demonstrabilem per quod quid est eiusdem subiecti quod proinde vltimum medium esse necesse est. 2. Arg. 2. Arg.

Posterior ratio est, quia vltimum medium potissimæ demonstrationis est, in quod resolutio totius demonstratiui processus terminatur, sed huiusmodi est definitio subiecti, & non passionis, ergo illa est medium vltimum: minor est doctrina Aristotelis expressa cap. 20. prioris libri, vbi habere angulos externos æquales quatuor rectis dicit inesse Isocheli, quia est figura, & hanc esse vltimam causam; figura autem subiectum est, & non passio, censet ergo Aristoteles ad definitionem subiecti terminari resolutionem processus, non ad definitionem passionis. 29.

Aliæ duæ mediæ referuntur sententiæ.

MEDIVM primum inter hæc extrema tenet Caietan. dubio vltimo huius capitis affirmans, nec solam defi- 3. Sent.

definitionem passionis, nec solam subiecti, sed ex vtraque compleri medium demonstrationis potissimæ continens quid, & propter quid, primæ passionis: vt si velimus demonstrare discursiuum de homine, sic erit accipiendum medium, quasi ex vtraque mixtum

30. omne animal rationale cognoscens vnum post aliud, est discursiuum, omnis homo est animal rationale cognoscens vnum post aliud, ergo est discursiuus.

Ratio tertiæ sententiæ. Cuius hoc videtur esse fundamentum, quia medium potissimæ demõstrationis non solum propter quid, hoc est, causam conclusionis continere debet, sed etiam quid passionis, quæ in conclusione probatur de subiecto, vt capite præsenti docet Aristoteles (*Arist.*) dicens; *Dum aliquo modo cognoscimus rem esse per aliquid sibi intrinsecum, & quærimus an sit, hoc est, an sit medium demonstrandi perfecte quod sit, vel quidpiam aliud de eadem, idem est quærere an sit, & quærere propter quid sit, atque etiam quid sit.* Nam propter quid sit proprium est, atque intrinsecum (vt oportet ad perfectissimam demonstrationem) quid etiam ipsiusmet passionis, quæ demonstratur, contine-

31. re debet: sed definitio subiecti, licet causam passionis contineat, & ideò propter quid, minimè tamen quod quid est eius, necesse est ergo definitionem passionis ei adiungere, vt vtrumque præstet: vnde Diu. Thom. (*D. Thom.*) 5. libr posterior. cap. 1. lectione. 1. ex definitione vtriusque compleri medium demonstrationis his verbis docuit. *De subiecto oportet præcognoscere quid est, & quia est, præ-*

32. *sertim cum ex definitione subiecti & passionis sumatur medium demonstrationis.*

4. Sent. P. Toleti. Secundum medium posuit P. Tolet. q. vnica huius capitis, hac vtens distinctione; quæ subiecto conueniunt, sunt in duplici differẽtia: nam quædam habent aliam causã extra ipsũ, propter quã ei cõueniunt; alia cõueniũt ratione sui, ita vt in ipso sit eorũ causa, primi generis sunt ea, quæ tanquã exempla suæ doctrinę attulit Aristot. capite præsenti, & præcedentibus, videlicet eclipsis Lunæ aliã causam extrinsecam habens nimirum terræ interpositionem, ratione cuius Lunæ conuenit & tonitruum, quod non conuenit nubi, vel

33. aeri nisi ratione concusionis ignitæ exhalationis, quæ propria causa eius est: secundi generis sunt proprietates, vel passiones ab essẽtia subiecti absque alia causa extrinseca emanantes, vt capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas in homine: habere tres angulos æquales duobus rectis in triangulo: ad demõstrãdum igitur priora prædicata de subiectis, non accipimus pro medio definitionem eorum, sed ipsorummet prædicatorum, quæ sunt quasi passiones, nec enim per definitionem Lunæ eclipsim demonstramus, sed per interpositionem terræ, quæ est definitio ipsiusmet eclipsis, nec per definitionem aeris, vel nubis tonitruum, sed per concussionem ignitæ exhalationis in ea: proprietates verò, aut passiones posteriores non per definitionẽ earum demonstrantur, sed subiectorum, à quibus emanant, & quibus absq; alia causa extrinseca conueniunt, de quibus ait accipiendam esse sententiam Diu. Thomæ, & non de prioribus.

Quæstionem soluunt duæ assertiones

1. Assertio. Relatis aliorum sententiis, duabus assertionibus nostram aperimus. Prior assertio est: non solum potissimæ, sed cuiuscumque demonstrationis propter quid, definitionem subiecti esse mediũ formale, vel virtuale. 34.

Probatur. Quam simul explico, atque confirmo: nam vel demonstramus passionem primam de subiecto, vel cæteras; de prima notum est per definitionem subiecti demonstrari: & tunc definitio medium formale est, quia per se ipsam concurrit ad demonstrandam talem passionem: in demonstratione autem cæterarum, licet non sit formale, est tamen virtuale: nam essentia, quæ per definitionẽ subiecti explicatur, omnium passionum radix, & origo est, à qua prima procedit sine medio, ex aliis verò vna mediante alia, sed illa, quæ mediat, non ratione sui est causa alterius pas- 35.
sionis: sed ratione essentiæ, cuius est virtus: gratia exempli, ab essentia hominis emanat capacitas disciplinæ proxime, admiratio ea mediante, quam non producit propria virtute, sed essentia, ita vt prior semper respectu posterioris sit quasi instrumentum essentiæ ad inferendum alterã, & essentia sit, quæ ratione sui illam ac cæteras infert, vnde fit, in cũctis demonstrationibus esse virtuale mediũ, cum virtus eius in passione, quæ proximũ me

dium

dum est, operetur, quanquã non in cũctis formale sed solũ in ea, quæ primã passionẽ dẽmõstrat, ac propterea sola hæc immediata atque potissima censetur: & hoc non solum est verum in passionibus à sola essentia prodeuntibus absque alia causa extrinseca, sed etiam in his prædicatis, quæ media causa extrinseca, nempe definitione propria, alicui conueniunt, vt in eclipsi, & tonitruo; nam interpositio terræ inter solem, & lunam, causa est eclipsis proxima, sed non prima, nam inde procedit, vt interponatur terra (vt bene, D. Thom. in his commentarijs lectione 7. ad finem) quia Luna est corpus aptum natum sic

D. Thom.

36. moueri, vt certis temporibus terra inter ipsam, & solem constituatur, si ergo interpositio eclipsim demonstrat, non id propria virtute præstat, sed virtute eius quod quid est ipsiusmet Lunæ: tantundemque de tonitruo censendum est, ideò exhalationis concussionem illud causare, quia nubes corpus est talis naturæ, quod exhalatione concussum talem producit sonum: elicitur ergo planè in his adhuc, quod quid est subiecti, virtuale medium demonstrationis esse.

II. Asser. Assertio posterior: in qualibet demonstratione potissima medium est definitio quidditatiua subiecti: adeò vt nulla sit, in qua definitio passionis sit medium, & hæc est expressa sententia Diu. Thom. doctrinæ Aristotelis valde consentanea, vt verba vtriusque in secundo extremo à nobis recensita ostendunt, quod sic explicatum libenter amplectimur, & præter rationes in fauorem eius allatas, hæc est efficacissima ex verbis D. Thom. deprompta.

37.

Hanc tenet Diu. Thom.

Demonstratio, in qua definitio passionis pro medio formali accipitur, non est immediata, sed reducibilis ad eam, in qua quod quid est subiecti, vel eius definitio est medium, ergo illa non est potissima, sed hæc, atque adeo in qualibet demonstratione potissima definitio subiecti, non passionis, medium est: probatur antecedens, nam cætera patent: dum eclipsim ostendimus per propriã definitionem interpositionis terræ, talis definitio adhuc reuocatur ad quod quid est terræ, per quod est demonstrabilis, ergò nõ est demonstratio potissima hæc, sed illa, ad quam est reducibilis, cuius medium est quod quid est subiecti: probatur iterum antecedẽs ex his, quæ nuper ex doctrina Diu. Thom. attulimus: terræ interpositionis causa est natura eiusdem Lunæ, de qua eclipsis demonstratur, ergò interpositio terræ per eam demonstrabitur, & talis demonstratio erit potissima, cuius medium constat nõ esse quod quid est passionis, sed subiecti: & quod in hoc exemplo cernimus in cæteris, quæ ratione causæ extrinsecæ cõueniunt, facile constabit.

38.

Nota. Pro solutione argumentorum obseruandum est, quod quemadmodum subiectum cuiuslibet scientiæ est quasi fons, & origo cunctarum passionum, & proprietatum, quæ de eo probantur in sciẽtia, pari ratione quod quid est eius, & ideò primum principium, à quo deriuantur omnes conclusiones & quẽadmodum ab eo deriuantur per viam compositionis, in ipsummet tendunt per viam resolutionis; subiectum autem scientiæ duplex esse solet in vniuersalibus præsertim scientijs; vt ostendunt Logica, & Philosophia vtraque, naturalis, & moralis, commune, seu adæquatum totius sciẽtiæ, & particulare vnius, vel alterius partis: commune est in Philosophia ens naturale, particularia sunt cœlum, & elementa, & in Geometria triangulus, quadrangulus, & aliæ figurarum species: & iuxta eandem distinctionem subiectorum distinguuntur quod quid est, vel definitiones in communes, & particulares, distinguũtur etiam proprietates, distinguũtur demum eiusdem scientiæ partes, vna enim pars Philosophiæ est, quæ agit de ente naturali generabili, atque corruptibili: altera de ingenerabili, quale est corpus cœleste: & quidem definitio communis subiecti, vel totalis primum principium est vniuersale totius scientiæ: per quam communes passiones probantur de eodem subiecto communi, atque etiam per applicationem de particularibus vnum obiectum totius scientiæ cum eo constituentibus propter vnam rationem formalem obiectiuam considerabilem à scientia, in qua conueniunt: definitiones autem particularium sunt quasi principia particularia, à quibus deriuantur particulares conclusiones, quemadmodùm à particularibus subiectis deriuantur particulares passiones: proportio autem hæc inter subiecta, & principia in eo fundatur, quod superius primum librũ elucidantes adnotauimus, nempè principia scientiarum à quidditate subiectorum accipi: ex qua etiam infertur resolutionem particularium conclusionum in particularia principia fieri, sed in ea non terminari: cum

39.

40.

41.

particularia principia resoluũtur in communia, ad quæ tota resolutio partium, ac totius scientiæ terminatur, innituntur enim particularia communibus, & illorum causa ab his redditur.

Aliarum opinionum obiecta diluuntur.

Responde tur ad primum primæ sententia. Ex tota hac doctrina intelligitur non esse contra vnitatem scientiæ (vt primum argumentum contẽdebat) quod medium potissimæ demonstrationes sit quod quid est subiecti: nam licet multa sint subiecta particularia, & ideò multiplex sit quodquid est, multiplicia etiam principia: omnia tamen innituntur definitioni, seu quod quid est, communis subiecti, in quod suo modo resoluuntur tanquam in primum: & ex hac resolutione suam vnitatem scientia accipit (vt superius vidimus) & pari ratione
42. intelligendum est omnium conclusionum eiusdem scientiæ vnum esse medium, non formale, sed virtuale nempè quod quid est comunis subiecti: nam formalia multa sunt cum multiplex sit quod quid est particulariũ subiectorum singularum partium, & sic soluitur primum argumentum.

Resp. ad 2 arg. Secundum autem diluitur hac distinctione, medium duobus modis dicitur; primo, ratione loci, vel situs, quo pacto aquam dicimus esse mediam inter terram, & aerem, & vtrumque hoc elementum vocamus medium, quia medium locum inter extrema ignis, & terræ occupat, & hæc ratio medij ma-
43. terialis est, formalis non in situ, vel loco, sed in virtute posita est, in qua acceptione medium vocamus illud, cuius virtute extrema aliqua coniunguntur, quam doctrinam si ad demonstratoriam artem applicemus, inueniemus medium demõstrationis esse, quod est ratio, propter quam extremitates in conclusione vniuntur, siue sit posterius, primo, & prius postrem, vel vtroque prius: & certe in demonstratione potissima vtroque prius est, nempe subiecto, & prima passione, sic ea coniungens, vt causa sit propter quam hæc illi inhæreat: itaque ad formam argumenti dicimus materialem rationem medij esse eam, quam assumit, non formalem vnde
44. quamuis definitioni passionis conueniat, non bene infertur esse medium potissimæ demonstrationis.

Tertio argumento fiet satis, si memoria repetamus doctrinam vniuersalium principiorum 1. lib. à nobis traditam, ad quæ non resoluuntur conclusiones particularium scientiarum, nisi forte quadam ratione virtuali, in quantum eis sic innituntur, vt nisi illa consisterent, stare hæc minime possent, nec ex eis proinde coclusiones deducuntur formalis autem resolutio in principia particularia fit, quæ ex *quod quid est*, subiectorum accipiuntur, tanquam in media potissima demonstrationis. Confirmatio huius argumenti non minus aduersus oppositam sententiam militat, quam aduersus nostram; nam definitio passionis non magis à passione ipsa differt, quam definitio subiecti ab eodem; sed ad formam argumenti respondentes dicimus sufficere distinctionem rationis, vt demonstratio passionis de subiecto per definitionem nõ censeatur Probatio eiusdem per se ipsum sed per aliud, distinctum quidem, quantum satis est, vt ostendatur clarius, distinctiusque eandem passionem ei conuenire quam subiecto, atque adeo subiecto per seipsam. *Ad 3. arg.* 45.

Postremo argumento damus potissimam demonstrationem ex causa propria, atque intrinseca procedere, sed causã intrinseca in hac parte non dici ut ea, quæ passioni essentialis est, sed quæ in ipsamet subiecti natura inuenitur, de quo passio demonstratur: opponitur enim intrinseca causa ei, quæ extra naturam subiecti est, & ab alio ab ea diuersa accipitur, vt per extrinsecam causam demonstrari eclipsim de Luna dicimus, quamuis per propriam eclipsis definitionem ostendatur, quia non demonstratur ex ipsiusmet Lunæ (cui conuenit) quidditate, sed ex alio extra ipsam consistente, videlicet ex terræ interpositione: huius autem ratio est, quia passio demonstratur inesse subiecto, ergo in ipso debet esse causa inhæsionis, vt dicatur intrinseca, non in passione, quia demonstratur: quare si extra ipsum sit, licet passioni sit intrinseca, respectu tamen demonstrationis extrinseca iudicatur, & si ita se res habet, propria erit, atque intrinseca causa definitio subiecti. *Ad 4. arg.* 46.

Confirmationi demum dandum est optissimum medium esse illud, quod simul continet quid, & propter quid, non tamen eiusdem, sed diuersorum, nempe quid subiecti, & propter quid passionis, quæ re ipsa idem sunt; cum eadem definitio subiecti sit causa propter *Soluitur confirmat.* 47.

47. propter quā passio ei conuenit, & in hoc (nisi ego fallor) oppositæ sententiæ deceptio consistit, quod Patroni eius arbitrantur medium demonstrationis: quod est causa, propter quam passionem inesse subiecto probatur, in ipsamet passione, & non in subiecto reperiri; quid, & propter quid eiusdem passionis continere; cum tamen intrinsecam respectu subiecti (cuius quod quid est continere debet) esse oporteat, nam cum esse passionis sit subiecto inesse, à quo emanat causa propria, atque intrinseca suæ passionis, quam demonstratio tradit ex parte eiusdem subiecti accipienda, alioquin, si ex parte passionis accipiatur, cum passio sit quid subiecto extrinsecum, causa quoque extrinseca erit.

2. Solutio. Secundò etiam respondere possumus quod etiam si admittatur definitionem passioni esse causam intrinsecam suæ inhærentiæ, sed nequaquam admittendum est esse primam, quod apprime necessarium est, vt medium demonstrationis potissimæ esse possit: nam quemadmodum probatur à priori passionem inesse subiecto per definitionem subiecti, quod negari nullo modo potest, pari ratione ostenditur à priori per eandem definitionem subiecti, quod definitio passionis ei conueniat, si enim probatur à priori hominem esse discursiuum, quia est animal rationale probabitur etiam à priori, quod vnum post aliud cognoscat propter eandem causam: & si probatur esse risibilem, quia rationalis est, pari ratione quod sit aptus ad ridendum, tota igitur demonstrationis vis reducitur ad quod quid est subiecti, licet definitione etiam passionis, vel proprietatis aliquando pro medio vtamur, in his præsertim, quibus aliquid conuenit media aliqua causa extrinseca, vt de eclipsi, & tonitruo constat, ac de quibusdam alijs, in quibus aliquo vtimur extrinseco pro medio ad explicandum quod quid est necessario, vt de triangulo probamus per angulum extrinsecum, quod habeat tres angulos æquales duobus rectis, per quem explicatur naturam eius talem esse, cui similis

49. proprietas conuenit, eiusmodi tamen media extrinseca in quod quid est subiecti referuntur tanquam in causam, & propterea illud est medium potissimæ demonstrationis, & huius rei gratia Diu. Thom. ex vtroque accipi medium docuit, nempe ex quod quid est passionis, & subiecti, quamuis hoc sit potissimum, in quod tandem illud resoluitur.

QVAE DEFINITIONES demonstrari possint quæ non

CAPVT DECIMVM.

ESt autem horum quidem altera quędam causa, illorum verò non est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

STATVERAT Aristoteles capit. præcedenti, quod quid est per demonstrationem accipi, licet non demonstretur, id est, in demonstratione cognosci tanquam medium eis, quāquam demonstrationis conclusio non sit: tantundemque de definitione censendum esse: nunc autem docere intendit non esse id in omni quod quid est, verum, sed in quibusdam accipiendum esse per demonstrationem, in alijs tanquam demonstrationis principium ipsumet demonstrationi præsupponendum. Intentum. 1.

Habet autem caput tria membra. In primo id docet de quod quid est: in secundo de definitione varios modos definitionis præmittens, ac tandem in modum epilogi colligit, quæ de quod quid est, ac definitione cum demonstratione comparatis, præcedentibus capitibus, vsque præsens docuit. Diuisio cap.

Duo in primis esse rerum genera docet: vnum eorum, quæ habent causam sui esse, quorum etiam quod quid est habet causam: vt eclipsis Lunæ, cuius quod quid est causam interpositionis terræ habet: & tonitruum causam extinctionis ignis in nube: aliud est eorum, quæ nullam habent causam sui esse: horum enim quod quid est nullā habet causam: intellige vtrumque in eadem scientia, vel in eodem genere, aut modo causandi: vt bene Diu. Thom. talia sunt subiecta omnium scientiarum; quorum exemplum apponit Aristoteles in vnitate, quæ subiectum est Arithmetica: horum igitur quod quid est, ait Aristoteles, non accipitur per demonstrationem, 2. D.Thom.

neque

neque in ipsamet demonstratione: sed ante illam præsupponitur: aliorum verò in demonstratione accipitur, quando pro medio illud sumimus ad demonstrandum propter quid sint, aut propter quid sint talia, vt dum eclipsim nouimus per priuationem luminis, statim quærimus, an sit, hoc est, an sit causa, vel medium propter quid sit, & accipimus
3. medium, vel causam interpositionis, per quam probamus quod sit à priori: sic igitur se habet quod quid est ad demonstrationem.

Quotuplex definitio. Sed vt ostendat, quo nam pacto definitio significans quodquid est se habeat, varios modos definitionum exponit: definiens primo in generali, quid nam definitio sit hoc modo: definitio est oratio eius quodquid est, id est, explicans quodquid est: sed quemadmodum quid, est duplex, nominis, & rei, sic definitio est duplex, quædam nominis, & hæc non
4. est aliud, quam oratio explicans, quid nomen significet, vt si dicamus, triangulum esse figuram trium angulorum: qua habita quærimus propter quid sit: id est, quærimus quid ipsius rei, quod est propter quid in demonstratione: sed difficile quid inuenitur, nisi sciamus rem esse (vt superius ostensum est) vnde sit, hoc genus definitionis, vtpote non attingens rei quidditatem, sed ad solam significationem nominis terminatum, non esse ad demonstrationem necessarium, nisi
5. forte quadam ratione remota, in quantum ex nominis significatione quasi per accidens contingit, vt rem esse cognoscamus, ex cuius notitia incitamur ad inuestigandũ quodquid est eius, atque etiam propter quid.

Quomodo oratio vna. Vt explicet quid sit definitio rei, quæ vnũ quid per se est, præmittit orationem duabus modis posse esse vnam, aut quæ ex multis partibus vnum per se constituentibus coalescit, quod est esse per se vnam, aut coniunctione
6. quod est esse secundum quid vnam: exemplũ huius designatur, ait, quemadmodum Ilias vnum est siquidem Troiana historia multis non solum dictionibus, sed periodis, sed clausulis sic coniunctis contexta est: etsi quispiam vellet sic definire hominem, quod sit disciplinæ capax admiratiuus, & mortalis, oratione vna per accidens explicabit eum: alia est oratio per se vna, cuius partes non coniunctione aliqua sed secundum se vniuntur, vnumque proinde efficiunt, vt genus, & differentia: & hoc modo est vna oratio illa definitio definitionis, hoc eodem modo est vna definitio rei, vt hominis, quod sit animal rationale.

Sed eiusmodi definitio rei per se vna, alia est quid subiecti nullam habens causam, alia quid passionis causam habens: altera propter quid eiusdem passionis: exemplum primæ est animal rationale: exemplum secundæ erit defectus luminis respectu eclipsis vel sonus factus in nubibus respectu tonitrui: exemplum vltimæ sonus in nube factus ex ignis extinctione, vel defectu luminis ex terra interuentu: hæc enim causam, seu propter quid eclipsis, vel tonitrui continet: sed potest accipi vt definitio continens quidem causam, non tamen illam reddens, vel in quantum propter quid designans: aliud etenim (inquit Aristoteles) quærenti propter quid est tonitruum respondere, quia extinguitur ignis in nube, aliud simpliciter explicare tonitruum, quod sit extinctio ignis in nube: licet enim vtrumque, quid, & propter quid cõtineant, modus tamen valde diuersus est, nã in quantum propter quid tonitrui reddimus, virtualiter demonstramus illud esse per causam extinctionis: vnde definitio, in quantum reddit propter quid, demonstratio est positione differens, idest, dispositione in modo, & figura: nam cum tres terminos, ex quibus demonstratio fit, complectatur, non habet syllogisticam dispositionem, vel demonstratio continua dicitur, quia non continet multas propositiones discretas, vti syllogismus, vel demonstratio, sed talis est, ex qua fieri, & distingui possint; vnde virtualis potest demonstratio vocari: at in quantum continet, vel explicat, non reddens definitio est; alia demum est definitio neque reddens, neque continens propter quid, vt si dicamus eclipsim esse defectum luminis in Luna, vel tonitruum esse sonum in nubibus causatum, causam minime designantes, & hæc absque dubio est definitio passionis, vel alicuius, quod alteri ad modum passionis attribuimus.

Quotuplex sit definitio rei

7.

8.

Ex tri-

Conscl. *Ex triplici definitionum genere explicato colligit Aristoteles, quo nam pacto quodlibet ad demonstrationē spectet, aitq; definitionem eorum, quæ non habent causam, principium demonstrationis esse, definitionem habentium causam, eam tamen non continentem, esse conclusionem demonstrationis,*
9. *sed quæ habent causam, eamque reddunt, nec principia sunt, nec conclusiones, sed demonstrationes: positione differentes (vt expositum est.)*

Epilogus. *Epilogo tandem concludit in extrema parte capitis dicens, ex dictis constare, quo nam modo ipsius quod quid est demonstratio sit, & quomodo non, & quorum sit, & quorum non: etenim quod quid est non habens causam non demonstratur, sed demonstrationi præsupponitur, si causam habeat, demonstrabile est per eam, vt quod est eclipsis, eiusq; definitio per aliam definitionem causalem (hoc est causam continentem) demonstratur: videlicet per terræ interpositionem, quanquam neque eiusmodi quod quid est, seu definitio, formaliter demonstretur: hoc est, in quantū quod quid est, vel definitio, sed per modum passionis: quēadmodum enim risibile demonstratur inesse homini, sic animal aptum ad ridendum, sed nunquam probatur demonstrationem esse definitionem vnde fit, vt nunquam coincidant demonstrabile, & definibile secundum sensum formalem, sed semper diuersa sint: quamuis contingat eandem rem simul esse demonstrabilem, ac definibilem, & hæc est sententia totius capitis.*

DE CAVSARVM DIStinctione, & quæ mutuo concurrant, & quæ non, & quomodo illarum possit esse demonstratio.

CAPVT VNDECIMVM.

QVONIAM autem scire putamus quando sciamus causam, causæ vero quatuor sunt, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

OSTENSO iam capit. præcedenti, quo nam modo se habeat quod quid est ad demonstrationem, explicare super est quomodo se habeat propter quid, quod causam conclusionis importat, & hoc est intentum capitis: quod vt consequatur Aristoteles, de diuersis causarum generibus agit, modum, quo in demonstratione accipiamur, exponens: præstat autem tria primum explicatis quatuor causarum generibus docet omnibus vti demonstratorem, & ex omnibus posse conclusionem demonstrare. Intentum cap. / 1. / Diuisio eiusdem.

Secundo duo etiam causarum genera diuersa, nempe finale, & materiale concurrere posse ad demonstrandum eundem effectum vel eandem conclusionem, & quibus modis id contingat: postremum, in causis, quæ simul sunt cum effectibus, demonstrationem fieri ab eis posse, non solum in facto esse, sed in fieri, nec solum secundum vnam, vel alteram differentiam temporis, sed secundum omnes præsentis videlicet, præteriti, atque futuri: trimembris est ergo totius cap diuisio.

Quadruplex est genus causæ, formalis, materialis, efficientis, & finalis, formalem causam vocat quod quid est, cum forma sit constituēs rei essentiam, materialē vero ex necessitate causam. quia ea posita necessario effectus sequitur, ea inquam posita proximè effectus sequitur, cum sæpe propter materiæ necessitatem multa fiant: sequitur namq; cadauer statim ac homo mortem obit, cicatrix etiam, & alia accidentia similia his, quæ præfuerunt præsertim apud Diu. Thom. qui tenet non esse eadem in corrupto, quæ præfuerunt in genito efficiens est. à qua primo operatio incipit, vel (vt aiūt) vnde motus, Finalis, cuius rei gratia fiant omnia, ad demonstrandum autem per quamlibet harum causarum, duplicem propositionem, seu præmissā necessario esse accipiendam docet sic dispositā, vt quod pro medio accipitur, bis repetatur, hoc autem non propter solam formam syllogisticam (vt bene adnotat Diu. Thom) licet hæc esset causa sufficiens, sed etiam propter modum arguendi in causis præsertim materiali Quadruplex genus causæ. / 2. / D.Thom.

rialibus, non enim omnia, quæ fiunt ex materia, habent ex ea necessitatem: oportet ergo alteram propositionem accipere, in qua declaretur, quod ex tali materia aliquid ex necessitate sequitur.

Exemplis probatur. Quibus expositis per omnia quatuor genera causarum demonstrare licet aliquem effectum per materialem quidem, cuius exemplum primo affert trianguli in semicirculo descripti, cuius angulus sic probatur esse rectus iuxta 5. & 13. propositionem primi Euclidis, accipiendo pro medio, quod sit medie-
3. tas duorum rectorum: omnis angulus, qui est medietas duorum rectorum, vel æquiualentium duobus rectis, est rectus, omnis angulus in circumferentia trianguli super semicirculum descripti est medietas duorum rectorum, aut æquiualentium duobus rectis, ergo talis angulus est rectus. Has autem figuras non oportet nunc ad longum describere, ut vis huius demonstrationis percipiatur, quia hoc solo fine in exemplum affertur,
4. ut intelligamus ex partibus demonstrari totum in genere causæ materialis: quo genere licet pro materia physica non vtantur Mathematicæ disciplinæ in suis demonstrationibus à tali materia abstrahentibus, bene tamen vtuntur materia intelligibili, qualis est hæc partium videlicet respectu totius modum materiæ similem habentium. consulatur tamen Campanus 30. propositione ..lib. elementorum Euclidis vbi exemplū huius demonstrationis copiose in propriis figuris, atque elementis explicat.

Pro formali. Exemplum causæ formalis propterea se non afferre ait Aristoteles, quia præcedentibus capitibus ex professo de definitionibus
5. egit hoc genus causæ continentibus.

Ad causam autem efficientem transit, cu-
Pro efficienti. ius exemplum sub forma cuiusdam bellicæ historiæ apponit: refertur enim Athenienses fœdere cum Exentriersibus edito Sardes Me-
6. dorum amicos inuasisse, quod causa fuit; vt Medi eosdem Athenienses bello appeterent: sic igitur demonstratio à causa efficienti constituenda erit; præcedenti iniuria pro medio sumpta, quæ causa fuit bellum inferendi: qui prius Medos iniuria affecere ab eisdem bello appetuntur, sed Athenienses prius iniuria Medos affecere, ergo ab eis appetuntur bello.

Exemplum causæ finalis duplex assignat, Pro finali. primum, vt propter quid ambulat, vt sanus fiat secundum, propter quid construuntur domus, vt conseruetur suppellex: deambula- 7. tio enim gratia sanitatis conse..uenda sit, domus vero gratia conseruandi supellectilem. sic ergo demonstratio in vtroque fiet sine pro medio accepto; qui sanitatem consequi vult, deambulat, infirmus desiderat sanitatem consequi, ergo tantisper deambulat; si supellectilia conseruanda sunt, ergo domum fieri necessarium est.

Hoc autem duplex genus causæ, efficientis videlicet, & finalis, adinuicem se demonstrare docet, vt bene Albert. Magn. 2 post. tractat, qualiter demonstratio fit in singulis causis, cap 3. & P. Tolet. in his commentariis, & primo probat efficientem causam de- I. Probat. mōstrare finem in eodem exemplo sanitatis, si pro maiori extremo accipiamus sanitatem 8. vel sanum, pro minori deambulare, pro medio vero cibos non imminere in ore ventriculi, idest, digestos esse, quod vere est causa efficiens sanitatis: sic sanitatem, quæ vere finis est deambulationis, per efficientem demonstrabimus. Cibos non imminere in ore ventriculi, vel digestos esse sanum est, sed deambulatio efficit cibos non sic imminere, vel digeri, ergo deambulare sanum est: si vero terminos conuerteris, ait Aristoteles, videlicet maius extremum in medium, finalem sic demonstrationem efficies; is, cui non imminent cibi in ore ventriculi, sanitatem assequitur, sed deambulanti post cœnam non imminent cibi in ore ventriculi, ergo sanitatem assequetur.

Sed adnotat vnum Aristoteles circa hoc Nota. duplex genus causæ vicissim se demonstrans, nam dum causa efficiens demonstrat finalem, 9. prius habet esse causa efficiens, quam effectus, qui vere finis est: & probatur per eandē efficientem causam; prius habet esse deambulatio aut ciborum digestio, quam fiat sanitas, ab his enim effectiue producitur, at in demonstratione ex causa finali diuerso modo

se res habet, nam deambulare, qui est effectus per sanitatem demonstrandus, prius habet esse, & posterius sanitas ipsa, quæ causa finalis est, nihilominus prior est sanitas, mediumq; proinde, & causa demonstrationis esse valet, quia licet posterius habeat esse in executione, præcedit tamen in intentione operantis, & absolute est prior ordine intentionis, secundum quem causalitas finis accipitur, & hæc est prima pars capitis.

II. Pars cap. In secunda constituit Aristoteles theorema aliud, nempè duplicem causam, vt finalem, & materialem posse simul ad de-
10. monstrandum eundem effectum concurrere, quia ab vtraque simul prouenire potest: cuius duplex exemplum designat ex aliorum Philosophorum placito, primum de lumine, quod per lucernæ foramina diffunditur, huius rei gratia, ne in noctis tenebris ambulantes lumine ipso offendamur: causa autem materialis eiusdem diffusionis est, quod lumen sit subtilissimum corpus in minutiores partes diuisibile, ideo enim per foros illos, vel foramina diffundi potest & ecce tibi duplicem causam finalem, & materialem eiusdem effectus: nempè diffusionis luminis, fi-
11. nalem in offensionem pedum, & materialem diuisionem luminis in minutiores partes: a-
Empedo. liud exemplum est tonitrui, qui iuxta Empedoclis sententiam fit per extinctionem ignis in nube tanquam per materialem causam, necesse est enim ignem in aqua extinctum streptire, vel strepere, causam autem finalem
Pythag. huius strepitus iuxta Pythagoræ placitum est, vt paueant, qui tartareas incolunt regiones: exemplum autem veritatis esse potest, quod natura acutos fecerit anteriores dentes huius rei gratia, vt cibos diuidant: in quem etiam finem oportuit ex subtiliori materia esse, hoc autem in omni rerum genere contingit, videlicet tam in natura constantibus, hoc est, in agentibus ex necessitate naturæ operantibus, ac in eorum effectis, quam in iis, quæ agunt per intelligentiam, hoc est, ex ductu, & deliberatione rationis, vel intellectus: in agentibus enim primi ordinis ex necessitate naturæ, fit opus in talem finem ordinatum, atque ex tali materia, vt 12.
in eodem exemplo dentium constat, qui ex necessitate naturæ acuti fiunt, atque ex subtiliore materia propter præfatum finem diuidendi cibum, natura enim licet ex necessitate operetur, propter finem tamen ex instinctu superioris intellectus, à quo in finem dirigitur: sed dum audis necessitatem naturæ operantis, ait Aristoteles, non quamlibet necessitatem intelligas, duplex namq; est, intrinseca vna, quæ non est aliud, quam naturalis inclinatio agentis ad motum, ac ter-
minum eius, quo pacto dicimus lapidem in 13.
centrum ex necessitate pergere, hoc est, ex naturali inclinatione ad illum vnum finem determinatum: alia est necessitas extrinseca, ab agente extrinseco quasi incussa, quam in motu eiusdem lapidis sursum proiecti cernimus, mouetur enim ex necessitate, dum proiicitur, cum resistere proiicienti haudquaquam possit, sed extrinseca est talis necessitas, agens ergo naturale primum modum necessitatis in suis operationibus seruat non secundum; in his autem, quæ ab intelligentia fiunt, qualia sunt opera artis ab intellectu fabricata, non reperitur vllum necessitatis genus, neque enim ex necessitate fiunt, nec fortuito, sed ex directione intellectus semper operantis propter aliquē finem, quo pacto domum fabricatur propter vitæ ac supellectilis conseruationem: semper autem propter finem operari, & nunquam fortuito dicimus in propriis operibus artis, quæ ab alia causa non possunt procedere, nam sunt quæ-
dam, quæ & ab arte, & à natura fieri con- 14.
tingit, vt est sanitas, quam non solum ars operatur, sed alia naturalis causa, & in quantum à natura produci potest, etiam potest fortuito fieri, cum præter intentionē agētis particularis euenit quæ vero à sola arte, fortunæ minime subiacent, sed solum electioni operantis, ex cuius arbitrio fiunt: itaque in eo, quod est propter finem operari, conuenit ars cū natura, separatur autē in duobus; primo in modo operādi ex necessitate, secundo in eo, quod propria artis opera neque casum,

neque fortunã admittunt, quibus naturæ opera subduntur, in quantum præter intentionẽ agentis particularis euenire solent.

Vltima pars capitis.

In extrema parte capitis documentum aliud statuit Aristoteles, quadam diuisione causarum tacita præsupposita, nempe vnam esse causam, quæ simul est cum effectu, vt interpositio terræ cum eclipsi, extinctio ignis in nu-
15. *be cum tonitruo, alteram, quæ non est simul, vt generans non semper est simul cum regenita, sed Petrus à Ioan: egenitus nunc est parente mortuo: in his igitur causis, quæ simul cum effectis, demonstrare licet effectum per causam non solum inferri, sed in facto eius, nec solum secundum vnam, vel alteram differentiam temporu, sed secundum omnes: est*
16. *enim necessaria consequutio semper, terra interponitur, ergò eclipsis sit. Interpositio terræ est, ergò eclipsis est, fuit interpositio terræ, ergò fuit eclipsis, futura est, sicq; de cæteris causis simili conditione censendũ est: de causis autem, quæ nõ sunt simul cum effectu, agit capite sequenti.*

CAPVT DVODECIMVM.

IN ijs verò, quæ nõ simul sunt, an re sunt in continuo tempore, quemadmodum videtur nobis alias aliorum causas esse &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Intentum capitis.

AGENS Aristoteles præcedenti capite de modo demonstrandi per diuersa genera causarum bimembrem quan-
1. *dam earum diuisionem insinuauit ad finem eius: nempè earum, quæ simul sunt cum suis effectis, & quæ non sunt simul: & cum modũ demonstrandi per causas primi generis exposuisset dicens, demonstrabiles esse effectus per eas non solum in facto esse, sed etiam in fieri, nec solum secundum vnam, vel alteram differentiam tẽporis sed secundum omnes, quasi sermonem continuans capite præsenti alterum membrum diuisiõis explicare pergit cõtinens quasdam incompletas causas, quæ cũ insufficientes sint, & quasi partiales, nõ sunt*
simul cum effectu, sed quasi causæ (sine quibus non est effectus) vocari possunt, reperiun- 2.
tur autem in arte factis præsertim, nã huius generis est decisio lapidũ respectu fundamẽti domus, & hoc respectu ipsiusmet domus: sunt autem huius conditiones, vt in effectis quidẽ contineantur, sed ea non contineant, ideò ab effectis ad ipsam procedere demonstrationem docet, à causis verò non posse, & hoc est institutum capitis, quod exsequitur dubium quoddam proponens, & tribus assertionibus soluens, vt bimembris sit etiam diuisio totius capitis: est autem dubium an supposito, quod causæ, quibus non coexistunt effectus, non possint eos sibi coexistentes demonstrare, quemadmodum causæ simul cum effectis existen-
tes possint saltem in eodem tempore continuo 3.
V.G si causa nunc est, necesse sit effectum esse in eodem tempore cõtinuo eidem instanti, in quo est causa, cuius solutio tribus assertionibus continetur.

Diuisio dubium.

Quarum prima est, in eiusmodi causis, & effectis, quæ non sunt simul, per causam non demonstratur effectus secundum esse, ita vt si causa nunc est, necesse sit effectum esse in eodem tempore continuo, quam probat duplici argumento.

I. assertio.

Primo ex tali causa non sequitur necessa-
rio talis effectus secũdum esse, ergò per illam 4.
non demonstratur effectus secundum esse: legitima est consecutio cum medium demonstrationis non sit causa contingẽs sed necessaria, antecedens probatur: si ex tali causa ex necessitate sequitur talis effectus, ergò in tẽpore finito, vel infinito: per tempus finitum, certum vel determinatum intelligit præsens videlicet, præteritum, vel futurum: per infinitum vero non determinatum ad aliquam ex his differentiis, aut partibus earum: nunc ergo, non sequitur necessario effectus in tẽpore finito, neque infinito, ergo per illam non est demonstrabilis, probatur minor de tempore finito, quia in quolibet dato tem-
pore præsente, præterito, vel futuro con- 5.
tingit talem causam esse sine effectu lapides enim inscissos esse anno præsenti stat, ex quibus murus constitui potest, & tamen murũ

I. Ratio.

non

non esse factam, stat etiam incissos fuisse, atque paratos anno praeterito, & murum nō fuisse factum, & paratos fore in futurum, & murum non fieri: de infinito etiam tempore ostenditur, nam stat lapides esse incissos, & paratos, & ex illis nunquam murum esse factum, talis igitur causa nullo tempore infert ex necessitate effectum, nec poterit per eam demonstrari.

II. Ratio. Probat secundo, quia si causa non est simul cum suo effectu, ergo stat causam esse
6. factam, effectum vero futurum; & adhuc non necessario, vnde sequitur, non inferre illum secundum esse, nam si futurum est, non habet esse, ergo ex causa existentia non infertur quod ipse sit, nec proinde poterit esse illius per causam demonstrari.

II Assertio. Secunda assertio, eiusmodi causa non demonstrant effectus secundum fieri.

I Ratio. Probatur primo ex ratione praeteritae assertionis: etenim si stat eiusmodi causas esse cum nondum sint effectus quocumque tempore finito; vel infinito, stabit profectò causam fieri, cum nondum fiat effectus, vt lapides incidi, & non fieri murum, & dolari ligna, cum nondum fiat domus, quemadmodum ergo causa non infert effectum secūdum esse, pari ratione nec secundum fieri, & vtrumque fundamentum est earundem causarum insufficientia.

Ad rationem II. Notab. I. Vt probet secundo eandem assertionem, praemittit duo ex Philosophia naturali petita, satisq; obscura, quorum primum est, licet ad fieri sequatur factum esse, non esse ne-
7. cessarium, vt ad factum esse sequatur fieri, sed dari vltimum factum esse, ad quod mobile peruenit, & vlterius non progreditur, sed sistit ibi tanquam in extremo termino
Aristot. motus, & hoc vltimum vocatur ab Aristotele primum esse in termino ad quem motus 6. lib. phys. text. 46. euidens est haec suppositio, quia si post quodlibet factum esse sequeretur fieri, procederet motus in infinitū nullum habens terminum, quod absurdum est, aliquod ergo datur factum esse, post quod nullum sequitur fieri.

II. Nota. Secunda suppositio non est minus certa videlicet nullum fieri continuari cum facto esse, neque vllum factum esse cum altero: vo- 8.
catur factum esse, vel mutatum esse in motu illud, quod est mobile peruenisse ad aliquod vbi, seu spatium per quod mouetur, si localis sit motus, vel ad quamlibet partem quantitatis, si sit motus augmenti, aut demum ad aliquem gradum caloris, si sit alteratio: nam tunc verum est aliquam partem spacij quantitatis, vel qualitatis adquisisse, atque adeò aliquid iam factum esse dicimus ergo eiusmodi factum esse non continuari cū praecedenti fieri, hoc est, cum parte motus
praecedenti, per quam factus est; neque cum 9.
sequenti, per quam ad aliud mutatum, vel factum esse mobile peruenit; sed neque cum eodem factum esse praecedenti, vel postea adquisito, probat hanc suppositionem Aristoteles exemplo lineae, quia sic se habent mutata, vel facta esse in motu, sicut puncta in linea, sed nullus punctus continuatur parti lineae praecedenti, vel subsequenti, neq; alteri puncto, ergo nec factum esse continuatur fieri, vel alteri facto esse. probatur minor, quia puncta sunt indiuisibilia, ergo neque cum partibus,
neque inter se possunt continuari euidēs est 10.
haec vltima consecutio ex definitione continuorum, continua sunt, quorum vltima sunt vnum, sed indiuisibilia primo, & vltimo carent, ergo non possunt alteri esse continua, nec inter sese continuari, sed quodlibet factum esse, aut mutatum esse in motu est indiuisibile, ergo neque cum parte motus, neque cum altero facto esse poterit continuari, sed necesse est, quemadmodum inter duo puncta mediam esse partem lineae, pari ratione inter qualibet duo facta, vel mutata esse partem motus intercedere: & quamuis proximè sequatur fieri post factum esse, atque etiam antecedat, nihilominus, quia factum esse est indiuisibile sicut punctum, nec potest esse continuum neque contiguum cum eo, caret namq; vltimo, ratione cuius in rebus diuisibilibus (vt in eisdem partibus motus, quas vocamus quasi partialia fieri) continuatio fit: & rursus, non se habent consequēter fieri, & factum esse; quia non est accipere aliquam partem fieri antecedentis, vel consequenti alicui facto esse proximam, ita vt

non sit proximior alia cum quelibet sit diuisibilis in infinitum, quemadmodum in linea nō est accipere vllam partem proximam puncto, quin proximior sit altera in infinitum. vnde sequitur nullum factum esse consequenter se habere cum fieri, neq. fieri cum facto esse, sed

12. designato quolibet facto esse, & quolibet fieri medium esse aliquid inter vtrūque: & cum factum esse sit quasi causa fieri, & factum esse subsequentium, neutrum potest esse continuum, vel proximum sed medium semper designabile est inter facta esse, atque inter factū esse, & fieri. Non possunt commode hæc intelligi à tyronibus, cum sint philosophica, & difficillima, sed magna ex parte accipienda sunt per fidem.

II. Ratio. Cæterum eis præmissis secundam rationem constituit Aristoteles ad probandam assertionem secundam, & est talis; si causam non

13. simul cum effectu existentem sequitur necessario effectus, ergo secundum fieri mediate, vel immediate, hoc est, tempore intercedēte, vel in eodem tempore continuo primum prohibet suppositio prior, quia iam post quodlibet factū esse sequeretur ex necessitate fieri, procederetq. in infinitum motus: quod vero sequatur necessario in tempore continuo, prohibetur per suppositionem posteriorem. nam iā factum esse causæ, vel causam esse factam continuaretur cum fieri effectus, vel certè cum facto esse eiusdem, quod absurdum est, habetur ergo intētum huius assertionis, quod ab his causis non possit demonstratio procedere ad effectus.

III Assertio. Tertia conclusio, in causis non simul existētibus cum effectis, licet demonstratio nō possit à causa procedere, quia non est necessaria consecutio ab ipsa ad effectum in esse, neque

14. in fieri, potest tamen procedere ab effectu ad causam, sed quia hæc non est demonstratio à priori, ideo Aristoteles in principio capitis non vocauit eam demonstrationem, sed syllogismum; ita vt verum sit, tales causas non demonstrare suos effectus, neque ab illis demōstrari, sed syllogizari per demonstrationem imperfectam à posteriori: quod autem à priori causa non inferat effectum, dupliciter probatur; primo in rebus, deinde in tempore, in rebus quidem, quia non sequitur, inscissos esse lapides, ergo iactum est fundamētum, nec fundamentum iactum est, ergo structa est domus non enim posterius in priori continetur. sed supra illud addit, vt homo supra animal, hoc supra corpus, & corpus supra substantiam, ideoq. non bene inferuntur 15.

posteriora ex prioribus, non enim sequitur substantia est, ergo corpus est, neque corpus est, ergo animal, nec demum animal infert esse hominem: in tempore etiam non infertur futurum ex præsenti, vel præterito, nec sequitur, hodiernus dies est, vel præsens instans est, ergo erit manè, vel erit tempus post manè præsens.

Benè tamen infertur à posteriori, nempe Illatio. ex vltimo facto esse, vel effectu causa antecedens, & ex hac vltima: ita vt quemadmodum dū à causis procedimus ad effectus da- 16.

mus primam causam non habentem priorem per quam ostendatur, & rursus mediam, quæ iam est quasi effectus prima per eam demonstrabilis, atque adeò vltimam, quæ vtriusque effectus est. pari ratione in effectis datur vltimus, vltra quem non est alter eum demonstrans & iste est quasi primus, & immediatus, per quem syllogizatur causa media, & per hanc prima: vt in constructione domus vltimum factum esse, & primum, & immediatum, per quod demonstrantur cætera, est constructam esse domum, per quod demonstratur causa media, nempe fundamentum præiactum esse, & per hanc vltima, videlicet lapides esse inscissos, & sequitur euidenter, domus extructa est, ergo fundamentum præiactum, fundamentum præiactū, ergo inscissi lapides: & huius ratio fundamen- 17.

talis est, quia posteriora sunt quasi perfectio priorum, in quibus continentur, vt in homine continetur animal, in animali viuens, in viuēte corpus, & in corpore substantia. ideò euidens est arguendi ratio à posterioribus ad priora, homo est, ergo animal, animal est, ergo viuens est, viuens, ergo corpus, & ex esse corporis euidenter infertur esse substantiam, in quo genere arguendi postremum est quasi primum, & immediatum, cum non sit per aliud se posterius demonstrabile, & primum

quasi

quasi postremum, ad quod per medium deuenitur. Et hac est sententia Aristotelis, quamuis aliis terminis, alioq; ordine ab eo obscure proposita, quem ideo oportuit clarius exponere, ne res Philosophica obscure tradita inintelligibilis nunc fieret.

Obiectio. *Sed obiicit sibi Aristoteles dicens, facta esse sunt infinita in motu, quemadmodum puncta in linea, ergo non datur vltimum factum, vel mutatum esse, à quo tanquam à primo principio huius ordinis incipiat processus demõstrandi priora: videlicet causas, nam cum infinita termino careant, impossibile est habere vltimum:*

Respõdet. *& respondet, quod licet in linea dentur infinita puncta sicut dantur infinita partes proportionales, quas copu-*

19 *lant, & modo simili in motu infinita mutata esse, quibus copulantur infinita partes proportionales ipsius, nihilominus, cum linea sit quantitas finita, necesse est duo habere extrema puncta, quibus quasi extrinsece terminatur, inter quæ sicut sunt infinita partes proportionales intrinsece componentes lineam sub ratione totius integrantis, pari rati-*

20 *one sunt infinita puncta, quibus intrinsece continuantur: itaque indiuisibilia intrinsece pertinentia ad constitutionem linea infinita sunt, inter quæ sicut non est dare primum, sic etiam non est dare vltimum, quorum infinitatem non tollit primum, vel vltimum punctum extrinsecum, hoc est, extrinsece terminans lineam, ita in motu dicendum est, mutata esse quasi intrinseca, quibus partes eius continuantur, & quibus totus motus sicut est continuus, sic est vnus, infinita esse non secus ac partes proportionales copulata sunt infinita. verumtamen cum finitus sit totus motus, necesse est duobus terminis ex-*

21 *trinsecis claudatur, quorum primus est vltimum non moueri ipsius mobilis, à quo incipit motus, vltimus vero primum non moueri, quod appellauit Aristoteles. 6. Physic. primum esse in termino ad quem, quod est vltimum mutatum esse ipsius mobilis, itaque quemadmodum termini extrinseci non obstant infinitati indiuisibilium continuantium, & intrinsecorum, ita neque horum infinitas obstat, quin detur vltimum extrinsecum, quod sit principium immediatum arguendi ad posteriora, quanquam in ipsis ineo continuantibus indiuisibilibus non detur primum, neque vltimum: & ad formam obiectionis dicendum est infinita mutata esse motus non habere vltimum eiusdem ordinis, sed diuersi, vltimum videlicet extrinsecum, quo terminatur motus, & proinde, quod catera præsupponit, ideò ab hoc vltimo facto esse tanquam à primo; euidens est consequutio ad priora, quæ naturali ordine ei præsupponuntur.*

Et vt vltimam manum capiti imponat Aristoteles, docet quod quemadmodum ex his effectis ad causas legitima est arguendi ratio de præsenti, & præterito, dum dici- Vltima pars capitis.

mus domum extructam esse, ergo praiactum fundamentum, praiactum esse fundamentum, ergo inscissos lapides: & rursus domum extrui de præsenti, ergo fundamentum esse praiactum, & inscissos lapides, pari ratione de futuro, vt si dicamus, domus erit extructa, ergo iacietur fundamentum, atque adeò inscindentur lapides, cuius eadem est ratio, quia etiam in fieri futuro erunt infinita facta esse, quibus eius partes copulentur, & tamen erit vltimum factum esse, quod quasi principium immediatum esse possit, ex quo catera syllogizentur, nam sicut omnia facta esse de præsenti, & præterito, præsupponuntur vltimo, in quo, & à quo continentur, & ideò ex eo euidenter inferuntur, sic etiam in futuris accipiendum est; quapropter non erit minus necessaria ratio syllogizandi præcedentia ex vltimo. 22

CAPVT DECIMVM tertium.

QVONIAM autem videmus in iis, quæ fiunt circulo, generationem quandam esse, contingit hoc esse, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

lus mix-

QVomodo igitur ipsum quid est in definitione assignatur, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Capitis institutum. POSTERIORISticæ, seu demonstratoriæ artis proprium esse definitionis naturam contemplari, quod medium
1. potissima demonstrationis sit, in huius libri proœmio constitutum est à nobis, idque ab Aristotele huc vsque præstitum, in ordine ad demonstrationem ipsam docente, quo nā modo medium sit, & principium eius, atque etiam aliquando conclusio: nunc autem, vt absoluta sit definitionis tractatio, modum quo inuestiganda sit, per suas partes ostēdit: & hoc est præcipuum huius capitis institutum.

Diuisio eiusdem. Sed vt clarius diuisionem eius proponamus adnotandum est, obscuram adeo, & implicatam esse litteram Aristotelis, vt in vno, aut duobus locis vix possit percipi, quem sensum tenuerit, vel quæ nam mens eius fuerit, & ideo non eodem modo ab interpretibus exponuntur: prior locus est in ipso fere
Primus locus. capitis principio, vbi primum modum inuestigandi definitionem proponere videtur, assumendo quidditatiua prædicata, quorum
2 quodlibet multis cōmune sit, sed omnium congeries rei, quæ definitur, propria, nec tamen in hoc consentiunt omnes, quibusdam solum
I. Expositio velle sentientibus explicare, qualia esse oporteat prædicata, ex quibus cōstituenda est definitio, vt eo supposito modum ea inuestigandi per diuisionem doceat. Sic sentit Diu. Thom.
II. Expositio. quem Paulus Venetus, Sotus, & Caietanus sequuntur, alijs vero placet modum potius inueniendi definitionem speciei atomæ constituere, post modum vero inuestigādi definitionem speciei subalternæ, aut intermedij generis, nam suprema genera definitione carent, hoc modo exponunt Themistius, & Philoponus in suis comentarijs, & Magnus Albert. 2.
3. lib. post tract. de venatione definitionis cap. 1 quos sequitur Toletus noster in sua expositione. Nos vero, salua vtriusq; expositionis probabilitate æquali, iuxta posteriorem caput diuidendum, atq; elucidandum censemus, quia maiorem videtur lucem afferre ad tenendam mentem Philosophi.

Secundus locus est non longè à fine, vbi alium modum inuestigandi definitionem per II. Locus est. viam compositionis tradere videtur, quod Diu. Thomæ placuit, Caietano, & Magistro 4.
Soto. sed Albert. mag. quem Paulus Venetus sequitur, methodū potius definiendi proprias passiones tradidisse voluit.

Sed noster Toletus Themistium, & Philoponum sequutus non modum definiendi no- III. Expositio eius Paui. uum, aut distinctum à præcedenti, sed separandi æquiuocum à genere in inuestiganda eius definitione docuisse credit. Et licet neutra harū expositionum à mente Aristotelis a- Vera expositio, quæst. liena videatur, magis tamen verborum contextui quadrat sensus D. Thomæ, quem libenter sequutus caput hoc simul cum sequenti, quod quasi fragmentum eius est, & vna cum eo necessario explicandum, in quinque membra diuidere placuit maioris distinctionis gratia. 5

In primo methodum definiendi speciem atomam tradit Aristoteles per viam diuisionis: in secundo methodum definiendi genus subalternum, ex vtraque colligens vtilitatem diuisionis: in tertio duos errores refellit antiquorū philosophorū, ponentium quædam tanquam necessario seruāda in inuestiganda definitione generis, quæ minime necessaria sunt, tria ex cōsequenti præcepta tradens in eisdem definitionibus designandis omnino obseruanda si errare nolimus. In quarto modū 6.
inueniendi definitionem quidditatiuam per modum compositionis ex multorum similitudine docet: ac postremo non esse vtendum metaphoris in definitionibus.

Incipit Aristoteles tradere præcepta inueniendi definitionem speciei, inquiens, ea esse I. Membrū. prædicata quærenda, quæ de ipsa prædicātur vniuersaliter, hoc est, de omni sub ea contento, & quæ in plus sint, nempe superiora, sed intra idem genus prædicamētale, nam si extra prædicamentum proprium vagentur, non e- 7.
runt ad definitionem apta, cum necesse sit analoga esse, si amplius sint, quam supremum genus: quapropter neq; ens, vel quidpiam aliud ei simile aptum esse potest ad constituen-

tuendam alicuius rei particularis definitio
nem: si vero in plus sint, quia ad aliud sese ex
tendunt prædicamentū, disparata erunt, vel
ad summū accidentali prædicatione enuncia
8 būtur de re definienda, vt qualitas de nume-
ro, albedo de homine, aut leone: & vtroq; mo
do constat non esse ad definitionem quidditatiuam
statuendam accommodata: in plus er-
go esse oportebit intra idem genus, totq; ex
his prædicatis oportet accipere, quo vsq; ad
talem eorum congeriem veniamus, vt licet
Exemplū. quodlibet per se sumptum in plus sit, sed om-
nia simul coniuncta soli conueniāt Et produ-
cit exemplū in trinitate, vel numero terna
rio, qui numerus est, & impar, in quibus cum
multis sui prædicamenti conuenit, cū quina-
rio, septenario nouenario, cæterisq; imparib'
numeris, vnde ex solis his duobus non consta-
bit eius definitio, sed aliud est accipiendum,
nempe q primus sit: ex duobus autem dicitur
aliquis numerus primus, ex vno quidem, quia
nō mensuratur per alterius numeri multipli
cationem eū adæquātem, sed per multiplica-
tionem solius vnitatis: vnde quaternarius nō
dicitur primus, cum binario multiplicato mē
suretur: dicuntur autem primi in hac acce-
9 ptione non oēs impares, nam nouenarius tri-
bus ternarijs mensuratur, sed solum illi, qui
vno aliquo repetito non possunt adæquari, vt
quinarius, septenarius, & similes. Ex paribus
vero numeris solus binarius primus appella-
tur, nam cæteri omnes mensurātur alijs, vt
quaternarius, senarius, ex altera etiam voca
tur primus, quia non componitur ex alijs nu-
meris, sed ex vnitatibus, quemadmodū enim
vnitas est principium numerorum, ita com-
positio ex vnitatibus primaria dicitur, secun
daria vero ex numeris priorem ex vnitati-
bus præsupponens, qua necesse est constare nu
meros alios componentes: sic esse numerum
primum ternario competit, sed non soli, cum
notū sit binario conuenire: vnde vterq; dici-
tur vtroq; modo primus, si ergo dicamus, ter
10 narium esse numerū imparem vtroq; modo
primum, exactam definitionem ternarij de-
signamus, quia multa assumimus quidditati-
ua prædicata, quorum singula in plus dicun-
tur esse, cum alijs conueniant, omnia tamen
simul sumpta soli ternario: per diuisionem
autem talis definitio elicitur, nam assumētes
numerum, sub quo esse constat, eum diuidi-
mus in parem, & imparem, & cum notū sit
non esse parem, dicimus esse imparem, quem
rursus diuidimus in primum, & nō primum,
& in primum vno, vel alio modo, & exclu-
so membro negatiuo eligimus ternarium esse
vtroq; modo primum, & omnia prædicata in
vnum colligētes integram definitionem eius
esse; quod sit numerus impar vtroq; modo
primus, ita vt per imparem à binario, cæte-
risq; partibus separetur, & ab imparibus,
quia vtroq; modo primus est, cum reliqui so-
lum sint primi vno modo, vt expositū est.
Probat Aristoteles hāc esse veram, ac pro- Ratio probans exemplum.
priam ternarij definitionem hoc argumēto:
eiusmodi prædicata dicuntur vniuersaliter
de ternario, ergo quidditatiue, quæ enim tan- 12
quam superiora enunciantur de aliquo, ac de
quolibet contento sub eo in recta eiusdem præ
dicamenti linea (hoc est enim vniuersaliter
prædicari) quidditatiua sunt prædicata: tūc
vltra, prædicantur quidditatiue non tanquā
genus, ergo vt definitio, neque enim datur
medium, nam differentiæ licet soli conueni-
ant, non prædicantur quidditatiue, sed essen-
tialiter, at definitio quidditatiuum prædica-
tum est, quod vero non tanquā genus, liquet,
cum genus in plus sit, horum autem prædica-
torum congeries soli conueniat: idem est er-
go ac si dicamus, soli numero ternario quiddi
tatiue conuenit esse numerum imparem v-
troq; modo primum, ergo prædicta definitio
quidditatiua eius est.
Methodum inueniendi definitionem ge- II Memb.
neris subalterni aliam esse docet in secunda
parte capitis, inquiens: Oportet au- 13
tem quando circa totum aliquod, po-
tentiale videlicet, negotietur quispiam
definire intendens, genus diuidere in in-
diuidua specie prima, id est, in atomas spe-
cies, vt numerum in trinitatem, & dualita-
tem, quo præstito conetur singulas species
iuxta primam methodum traditam definire
vt si velit definitionem lineæ inuestigare, di
uidat eam in proprias species: rectam videli-
cet,

cet, reflexam, & circularem, quas statim definiet dicens: Rectam, esse longitudinem sine latitudine, cuius medium non erit
14 ab extremis: circularem, longitudinem sine latitudine, in cuius medio extat punctum, à quo omnes lineæ vsque ad circũferentiam productæ sunt æquales. Reflexam, lõgitudinem sine latitudine, cuius medium ab extremis deflectit: Sumensq; illud, quod in his definitionibus commune est pro differentia, nempe longitudinem sine latitudine, quærat, in quo nam genere, hoc est, prædicamento, resideat linea: quod ex omnibus prædicamentorum proprietatibus, substantiæ videlicet, quantitatis, qualitatis, & cæterorum suis locis designatis colligere poterit, vt si sit ens per se, intelliget esse in categoria substantiæ, & si huius mensurativum, esse quantitatem, si ad aliud ordinet relationem, vel ad aliquid: et si speciali ratione modificet substantiam erit qualitas, sicque de cæteris. Quo genere cum prædicta differẽtia assumpto integram definitionem constituet dicens, lineam esse quantitatem continuam sine latitudine longam, communibus etiam proprietatibus prædicamentorum, per quas inuenitur genus, vel categoria propria eius rei, quam definire exoptat, non parum iuuabitur ad inueniendam differẽtiam eius, atque etiam specierum, in quas diuiditur, & ex quarum definitionibus eam venari debet cuius eam rationem reddit Aristoteles: quia accidentia eorum, quæ componuntur ex indiuiduis, id est, specierum, quæ componuntur ex generibus (genera enim merito simplicia
16 seu indiuidua vocat, ex quibus species componuntur) innotescunt absque dubio ex communibus proprietatibus, nam generibus primo conueniunt, & eorum ratione speciebus: quasi dicatur, proprias rerum differentias nobis ignotas venamur per accidentia, vel proprietates, quæ sunt quasi earum signa, vel effectus, tali quidem ordine, vt per communes proprietates generum, quæ ipsis primo conueniunt, & nobis sunt notiores, deuenire in notitiã differentiarum inferiorum generum, atq; specierum possimus, facilius definitionem earundem inueniemus. vt, si veli-

Exem. lũ.

mus definire animal intelligẽtes esse ens per 17
se, statim nobis innotescit genus eius esse substantiam, quo habito inquirendum superest, sit ne spiritualis, vel corporea: intelligemus autem esse corpus per eiusdem corporis proprietatem, nempè quia trina dimensionis capax est, & hoc perspecto inquirimus, an sit animatum corpus, vel inanime? & animatum esse intelligemus per motum, qui est accidens corporum viuẽtium, esse autem sensibile per sensibiles operationis. Ac denique, si de homine fieret inquisitio, propriam eius differentiam cognosceremus ex accidenti proprio illius, nempè ex rationis vsu Ecce qualiter cõmunia accidentia generum, quibus per se primo conueniunt, & eorum ratione speciebus, multum iuuant ad inueniendas proprias differentias generum, ex quibus simul cum supremo genere prædicamentali definimus intermedia, & ex differẽtijs atomarum speciе- 18
rum per easdem proprietates cognitas eadẽ definientes, proprias differentias eorundem intermediorum generum inuenimus.

Et iste videtur sensus huic obscurissimo loco accommodatior, in quo exponendo nullus fere interpretum cum altero conuenit, & ex his modis venandi definitiones intermediorũ generum, atomarumq; specierum per viam diuisionis colligit Arist maximam diuisionis vtilitatem, quæ aptissimum quoddam mediũ est ad inuestigandum quod quid est, non quidem per modum syllogismi, vel demonstrationis, nam vt superius constitutum est, cum diuisio præsupponat sub communi diuiso cõtineri rem, de qua tradenda definitio est, & rursus, quod alterum membrum ei non conueniat, quæ probanda forent, & ex his non probatis, sed præsuppositis eliciat contineri sub opposito, multum à perfectione syllogistica deficit, & multo magis à demonstratiua, de qua modo sermonem instituimus, quia syllogism', vel demonstratio nihil probandum tanquam certũ præsupponere potest absq; vitio petitionis principij, talis igitur est ad venandum definitionem, vel quod quid est per modum simplicis inuentionis.

Quis sit proprius sẽsus huius loci.

19.

In quo duo summopere cauenda sunt, ne forte aliquis error contingat, vnũ est, ne indebito

Duo maximè cauenda.

modo ordinentur partes definitionis, est enim debitus modus eas ordinandi, vt communius prædicatum, quod genericum est, & vniuersalius ponatur in primo loco, in secundo differentia communis, in tertio differetia magis propria, quod intelligendum est, dum definitio per plures differentias designatur. V.G si hominẽ definiamus dicentes, esse animal mansuetum, bipes, conuenienter partes ordinabũtur, minus autem bene, si ex opposito minus communes vniuersaliores præcedant. Vt si dicas, hominem esse bipes, mansuetum animal.

Probatur ratione. Ratio huius documenti accipitur ex natura ipsarum partium, nam genus est quid potentiale, quod per differentias coarctatur, ergo ordine naturæ differẽtijs præsupponitur
21 idem enim, quod aliud determinat, vel restringit, quasi supra illud cadere intelligitur, petit ergo natura, atq; officium generis, vt in primo loco cõstituatur, & natura communioris differentiæ, illud coarctare incipientis in secũdo, ac tandem vltimus debetur differentiæ minus vniuersali contrahenti primam, etsi inuerso ordine collocentur, in debito modo significabitur definitio, significabitur enim actum non cadere supra potentiam, nec proinde eam determinare.

Confirm. Præterea ex animali, & mansueto, quod est prima differentia, efficitur vnum tanquã
22. ex potentia, & actu, quod se habet quasi genus contrahibile per bipedem, ac per specialiorẽ differentiã, ergo sicut mansuetũ animali additur, post ipsumq; collocatur, pari ratione bipes mansueto, atq; adeò post ipsum tertio loco constitui debet.

II. Cauendum est. Cauendũ secundo est, vt nihil prætermittatur ex ijs, quæ pertinent ad quodquid est, vel ex partibus essentialibus, sed quemadmodum ex omnibus differentijs à prima subalterna vsq; ad propriã eius rei, quæ definitur, cum genere coalescit cõpleta definitio speciei,
23. constans vero genere, & propria differentia, ita nulla harum prætermittenda est, sed oẽs cũ genere collocari debent, alioquin diminuta censebitur definitio, talis autem defectus accideret, si aliquis diuidẽs genus, inadæquatas, ac remotas differentias acciperet, proximas, & adæquatas prætermittens: vocantur adæquatæ differentiæ, quæ totam potẽtialitatem diuisi exhauriunt, ita vt nulla sit alia differentia, ad quam se extendat, quæ sub eis non comprehendatur, inadæquatæ, & remotæ, quæ solum est pars alicuius ex adæquatis: vt si quispiam animal diuideret in totalũ, hoc est, habens alas pennis non diuisas, sed quasi vnius pẽna, quales vespertilio habet, & pennis diuisum, qualia sunt cætera, minus bene diuideret prætermissis adæquatis, proximisq; differentijs, animalis videlicet, volatilis, ac terrestris, sub quarum prima vtrumq; illud membrum, vtraq; illa differentia totali, ac pennis diuisi continetur, & si sic diuisio procederet, manca foret, ineptaq; ad definitionem inuestigandam.

Sic igitur procedendum erit ad cauendũ similem defectũ, vt diuidatur semper genus à prima diuisione per proximas, oppositas, adæquatasq; differentias: fiet .n. si sic diuisio procedat, vt dum ad propriã perueniat differentiam, nulla ex superioribus prætermissa sit, sed in definitione, quam constituere optamus collocentur oẽs cum genere, vt inuestigantes definitionem hominis, substantiã diuidere oportet in corporeã, & incorporeã, & rursus hanc, in viuentem, & vita expertem, viuentem, in sensib' præditã, & eis carentem, & illã tandem in ratione carentem, & ratiocinari aptam, & ita hanc eliciemus definitionem omnes differentias claudentem. homo est substantia animata, sensitiua, rationalis. III. Mẽbr. 24

Sed hoc non sic est accipiendum, quod oẽs differentiæ eius rei, quæ definitur, collocari in definitione debeant, vt quidam turpiter acceperunt, statuentes nõ posse differentiam alicuius cognosci, nisi distinctè cognoscãtur vniuersa, à quibus per eã separatur, vt hominem nunquã cognoscere poteris, nisi oẽs rerũ species distinctè cognoueris, nec proindè poteris eum exactè definire: quem errorem Speusippo Platonis nepoti tribuit Themistius cap. 24. suæ Paraphrasis in lib. 2. poster. hoc argumento illum confirmanti: res, à qua quippiam non differt, idem est ei, res, à qua distinguitur, alia ab eo est: ergo vtrãque oportet cognoscere, vt exactè cognoscatur eius differentia, 25 Probant.

rentia, priorem quidem, vt intelligatur ab
ea non separari, posteriorem, vt intelligat
separationem ab ea: constat autem omnes
comprehendi sub his duabus, ergo necesse erit
omnes cognoscere, vt exactè cognoscatur
differentia, atque adeò definitio ipsa, cuius
altera pars differentia est, nec enim exactè
totum cognoscitur, cuius aliqua pars igno-
ratur. Quod corroborari potest, nam cum
differentia importet relationem inter duo,
26. & relatio non cognoscatur sine termino, se-
quitur planè, quod si relatio differentiæ ter-
minatur ad omnia, à quibus res per eam se-
paratur, non cognosci nisi omnibus cognitis.

Refutat. hæc opinio I.

Duobus nihilominus argumentis refuta-
tur ab Aristotele, primum est, à multis sepa-
rari rem, quæ definitur, per accidentales dif-
ferentias, vt à cunctis indiuiduis suæ speciei,
quas non esse necessarium cognoscere ad ex-
27. actam rei notitiam, vel definitionē in aper-
to est, cum ea, quæ ab accidentibus accipiun-
tur, extra essentiam sint non secus ac acci-
dentia ipsa, cognoscibilis ergo essentia erit
sine his.

II. Refutat.

Secundum, etsi per differentiam essentia-
lem à multis separetur, non est necessarium
cuncta cognoscere ad differentiæ cognitio
nem, nam qui hominē definire cupiens, ani-
mal diuidit in rationale, & irrationale, et-
28. iamsi irrationale non cognoscat, cognoscere
poterit hominem sub rationali contineri,
eoq; assumpto cū genere animalis definitio-
nem complere, ergo non est necessarium op-
positam differentiam, nec proinde omnia, à
quibus per propriam separatur, agnoscere
ad cognoscendam differentiam, vel statuen-
dam definitionem. Non est negandum con-
fusam saltem notitiam oppositæ differentiæ
requiri, cum non benè cognoscatur diuisum,
nec diuisio ipsa, nisi vtroq; membro diuisio
nis aliquo modo cognito, sed vtrumq; distin-
29. ctè cognosci non est certè necessarium, post-
[illegible] cognoscitur esse adæqua-
ta, atq; opposita, sed nec oportet omnes ter-
minos relationis cognoscere ad cognoscen
dam relationem, vt exemplum similitudi-
nis, & paternitatis commonstrat: quas exactè
cognoscimus vno, vel altero simili vno, vel
altero filio cognito, etiamsi nesciantur alij,
cuius ea est ratio, quia in quolibet reperitur
essentialis ratio similis, vel filij cunctis tri-
buens terminorū conditionem: & par est ra-
tio de his, à quibus aliquid differt sub ratio-
ne diuersorum, vnde vno aliquo distinctè
cognito, & confuse cæteris, sufficienter rela-
tio distinctionis cognoscetur, atq; adeò diffe-
rentia, definitio, & rei quidditas.

Sed nec sic est necessarium differentias,
per quas genus diuiditur, ad inuestigandam
definitionem reflexa quadam notitia cogno- 30.
scere, vt opus sit interrogare, an totum diui-
sum contineant, eiusq; extensionem exhau-
riant: vel ad alteram differentiam præter
illas, in quas diuiditur, se extendat: vt ali-
quis errore deceptus posset excogitare, nam
si accipiantur primæ differentiæ alicuius ge-
neris, hoc est, immediatæ, atq; oppositæ, ne-
cesse est totum diuisum exhaurire, ita vt nō
sit altera differentia, ad quam possit se ex-
tendere sub eis non comprehensa, & si per
tales differentias fiat semper diuisio, nihil
prætermissum erit ex his, quæ ad definitio-
nē, vel quod quid est iure possint spectare.

IIII. Membrum.

Duo illa cauenda sunt, duosq; hos errores
vitare oportet, vt media diuisione possimus,
si non demonstrare, aut syllogizare defini-
tionem, at quasi per suppositiones venari,
atq; inuenire, quod vt debito modo fiat, tria
sunt præcepta omnino obseruanda: primum 31.
est, vt non accipiantur in diuisione, nisi so-
lum essentialia, nam cum definitio sit quasi
terminus essentiæ, essentialia duntaxat
complectitur, nihilq; alienum ab essentia
admittit, accidentia autem aliena sunt ab
essentia, ideò à definitione resecanda sunt.

II. Præcep.

Secundum, vt debito ordine in definitio-
ne collocentur, nempè quod ex propria con-
ditione primum est in primo loco, cæteraq;
consequenter [illegible] propriam naturam.

III. Præcep.

Tertium, vt nihil ex his, quæ pertinent
ad quidditatem, prætermittatur: hæc enim
duo præcepta posteriora eadem sunt cum
duobus illis, quæ ad duos illos defectus effu-
giendos nuper tradita sunt. Sed vt omnia
præcepta benè diiudicari [illegible] ordine ad finem
venanda definitionis quasi per modum epi- 32.
logi in

logi in vnum colligerentur, repeti oportuit, quemadmodum repetuntur alia, vt intelligatur modus, quo tria hæc præcepta obseruari poterunt, ac debebunt.

Modus autem est, vt ad primum præceptum obseruandum non accipiantur nisi ea, quæ prædicantur in eo quod quid est, talis
33. est enim modus prædicandi generis, hoc autem examinandum erit per syllogismos, hoc est, per præcepta, quæ dantur in Topicis ad determinanda problemata generis, & accidentis, ex his namque constabit exclusio accidentalium prædicatorum, ex illis admissio quidditatiuorum.

Modus ad II. præcep. Obseruabitur secundum, si primum prædicatum constituatur in primo loco, erit autem primum prædicatum, quod cætera sequitur, & quod cætera non sequuntur, neque ex eo inferuntur, vt viuens primum est respectu animalis, quia omne animal viuens est, non tamen omne viuens est animal, eademque in cæteris ratio erit.

Modus ad III. præcep. Obseruabitur postremum, non prætermittendi aliquam differentiam, si semper proximas, adæquatas, atque oppositas accipiamus, tales autem erunt, si genus non conti-
34. neant, sed simul sumpta cum eo conuertantur, & rursus, si diuisio procedat vsque ad extremas differentias, id est, vsque ad indiuisibiles in alias essentias, quas propterea atomas vocamus, cuius conditionis esse agnoscemus, si viderimus non esse iam sub eo toto, quod ex diuisione relinquitur aliam differentiam assumptibilem: vel si assumatur, non esse ab eo distinctam, vt dum ad hominem peruentum sit, nouimus non esse iam vllam sub eo differentiam assumptibilem, nam si rationale acceperis, idem est cum eo, & ad conuertentiam dicitur, cum tamen oporteat
35. diuisionem differentiam inferiorem esse diuiso: quæ si obseruentur, probat Aristoteles, exactam esse definitionem media diuisione adinuentam hoc argumento: exacta definitio est, cui nihil deficit ex his, quæ ad quod quid est pertinent, neque aliquid in ea redundat, sed vtramque habebit conditionem, nam nihil accidentale assumptum est propter primum præceptum, sed omnia intrinseca nempe genus, & differentiam, ex differentiis autem non est vlla omissa propter tertium, ergo suis omnibus erit absoluta numeris.

In extrema parte capitis alium modum venandi definitionem tradit per viam compositionis, aut similitudinis iuxta mentem Diui Thomæ, quam in expositione huius obscu- V. Memb.
rissimi loci sequimur, licet aliis placeat (vt 36.
in principio elucidationis admonuimus) tradere velle methodum inueniendi definitionem passionis, aut proprietatis: aliis verò neutrum horum, sed tollere æquiuocationem à modis prædictis inueniendi definitionem per viam diuisionis.

Modus procedendi in definitione. Decernit ergo sic esse procedendum, dum aliquid hoc modo definire volumus: vt inspiciamus primo singularia vnius speciei, à quibus ratio illius participatur, videamusque, in quo assimilentur, deinde singularia diuersæ speciei, in quibus etiam consideremus, in quo
sint similia, post verò conferamus vtraque, 37.
attendentes, an licet diuersæ sint species, assimilentur in aliquo, & quidem si similia inueniantur, illud, in quo similitudo consistit, erit definitio, quam quærimus, si verò non sint in aliquo similia, signum erit non esse vnum illud, cuius definitionem inuestigamus, nec definibile esse vnica definitione: & designat exemplum magnanimitatis in communi: quam si definire volumus, spectandi imprimis sunt, qui propter eandem rationem, vel motiuum magnanimitatem professi sunt, vt Alcides, id est, Hercules, Aiax, & Alcibiades.

Aiax enim, siue Telamonius à Patre Te- 38.
lamone cognominatus, postquam in Græcorum exercitu, fortitudinis laudem obtinuit, & singulari certamine cum Hectore congressus est, & victor euasisset, nisi noctis aduentu pugna fuisset dirempta, ad extremum, Achille perempto, cum de illius armis cum Vlysse iudicium constituisset, aduersarii eloquentia superatus, seipsum occidisse dicitur, quia arma Herculis sibi denegata fuere: & hunc bello abstinuisse propter Briseidem ab Agamemnone raptam: Alcibiades verò contra suos pugnauit, quia propter accusationem fuit à bello reuocatus. Et quidem

bonum

horum omnium magnanimitas in eo similis inuenitur, quod pati iniuriam noluerunt,
39. *sed vindictam iniuriæ illatæ appetiuere, deinde alios magnanimitatem professos, propter diuersam causam considerare oportebit, vt Socratem, atque Lisandrum, qui magnanimi extiterunt, æquo animo non minus aduersa, quam prospera admittentes: & ecce tibi duplices magnanimos ex diuersa causa, vel motiuo, quos iterum inter se conferre oportebit, spectareque, an in aliquo reperiantur similes: nam si omni prorsus similitudine careant, colligere statim licebit non esse eandem speciem magnanimitatis in eis, nec vna proinde specifica definitione definibilem esse magnanimitatem, sed quasi æquiuocam esse reputandam, si verò similes esse*
40. *dicas in eo. quod omnes arbitrantur se dignos magnis, ac propterea illos noluisse iniuriam tolerare, ne ei succumberent, hos verò forti animo in aduersis tolerandis se gessisse, ne oppressi ab aduersa fortuna viderentur, dices, hanc esse propriam magnanimitatis definitionem, quod altero exemplo magis familiari ostendere possumus, si quis velit animal definire, consideret prius indiuidua hominis, quæ eiusdem speciei sunt, ac in rationalitate similia, consideret deinde leones alterius quidem speciei, sed similes inter se se rugibilitate, & rursus hos cum illis conferens attendat, an in ratione aliqua inueniantur similes: & cum reperiat in vtrisque eandem viuentis, ac sensibilis naturam, in qua assimilantur, colliget statim definitionem propriã animalis esse viuens sensibile.*

Ratio I. probans hunc modum. *Probat Aristoteles talem modum venandi definitionem per modum compositionis optimum esse duplici ratione, prima, quia communem rationem, in quã particularia conueniunt, quærit, ex eaque definitionem constituit, definitiones autem de communibus*
41. *traduntur, nam Medicus non considerat sanitatem huius, vel illius oculi singularis, sed oculi in communi, aut certe in specie, vt oculi colerici, vel sanguinei. Secunda ratio est, quia à singularibus ad vniuersalia proceditur iuxta faciliorem modum procedendi in tradendis disciplinis, facilius est enim singularia definire, quam vniuersalia, nam cum* 42.
hæc minus sint determinata, pluraque sic ambitu comprehendant, magis sunt æquiuocationibus exposita, ideoque difficilius definiuntur, cum æquiuocatio vnam rationem tollens, non leue impedimentum definitionibus afferre soleat, particularia verò, vtpote magis determinata ad vnũ, longius ab æquiuocationibus absunt. Huc accedere ait Aristoteles, quod definitio vti demonstratio ab aliquo euidentiori quasi præsupposito procedit, quod maximè cernitur in modo procedendi à definitione singularium, quæ euiden- 43.
tior est, eaque quasi præsupposita benè ad venandum definitionem vniuersalis proceditur. V. G qui vult definitionem similis inuestigare, prius definire proponit similia in particulari, vt in coloribus, deinde in figuris, ac tandem in vocibus, vt in graui, & acuto, quorũ definitionibus veluti certioribus principijs præsuppositis ad definiendum commune, conuenienti ordine procedit.

Vitium quoddam vitandum. *Sed extremum docet Aristoteles vitium quoddam fugiendum esse in omnibus præfatis modis inuestigandi definitionem: videlicet ne vtamur metaphoris, vitium est enim sic definire hominẽ* quod sit arbor inuersa.

Ratio. *Rationem autem huius documenti reddit, licet à posteriori, quia maximum est inconueniens vti metaphoris in concertatio-* 44.
nibus, nam cum metaphora ducatur ex aliqua similitudine, quandam æquiuocationis speciem secum affert, cum non oporteat, quod, in vno simile est, in cæteris quoque simile esse, & ideò æquiuocum constituetur argumentum, nulliusque roboris à similitudine ad proprietatem, quod multis exemplis constare poterit, sed definitio est præcipuum disputationis instrumentum, ergo nõ oportet in tradendis definitionibus metaphoris vti ne cogamur eisdem vti in disputationibus.

QVO PACTO PROBLEMATA VENENTUR, TUM DIUISIONE, TUM ETIAM PROPORTIONE.

CAPVT

CAPVT DECIMVM-quintum.

AD hoc autē quod habeamus problemata eligere oportet, & decisiones, & diuisiones, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

Institutum capitis. Constitutis modis inuestigandi quod quid est, *vel definitionem, quæ medium est, & propter quid potissimæ*
1. *demonstrationis, per quod passiones demonstrantur de subiecto, vt mediorum copiam habeamus ad demonstrandas quascunq; passiones de subiectis, tradit Aristoteles modum demonstrandi illas per subiectum ipsum de inferioribus sub eo contentis, idq; per viam diuisionis, per quam docuit venari,* quod quid est, *per definitionem namq; cuiuslibet subiecti, siue genus sit, siue atoma species, demonstrantur propria passiones cū eo conuertibiles, nam* quod quid est, *subiecti est etiam* propter quid *talium passionum (vt*
2. *superius vidimus) tales autem passiones non solum per definitionem, sed per ipsummet subiectum, tanquam per proximam causam demonstrantur de inferioribus, ideò subiectum* propter quid *est earum respectu inferiorum. Supererat igitur, vt mediorum copiam haberemus ad demonstrandas non solum passiones adæquatas de suis proprijs subiectis, à quibus emanant, sed easdem de cunctis inferioribus, quibus in adæquate conueniunt methodum præscribere, qua possimus id præstare, & hoc est, præcipuum huius capitis institutum.*

Circa quod considerare oportet diuerso modo genera, & species sub se habere inferiora, nam inferiora generis sunt species, harum verò indiuidua, de quibus sicut non
3. *est definitio, sic non est demonstratio, vnde proprietates speciei atomæ non propriè demonstrantur de inferioribus, sed per syllogismum quendā expositorium eis applicantur, at proprietates generis vere, & propriè demonstrantur de inferioribus speciebus, vt sensibile de homine, & leone, habere tres angulos æquales duobus rectis de Isosbele, grado, cæterisq; eiusdem trianguli speciebus, ideò Aristoteles non tradit methodum demonstrandi proprietates specierum de indiuiduis, sed generum de speciebus.*

Diuisio autem totius capitis bimembris Bimembre caput. *est, nam quoddam in primis documentum tradit Aristoteles ad inueniendum medium demonstrandi proprietatem alicuius com-* 4.
munis de inferioribus per viam diuisionis, quod tribus prædicatis cōmunibus applicat: primo generibus, secundo prædicatis communibus innominatis, sed vniuocis, modo genera sint, vel secus: tertio communibus prædicatis, nō generibus, neq; vniuocis, sed analogis: ac tandem duobus modis contingere docet multa problemata, vel propositiones alioqui diuersas conuenire in eodem medio, per quod demonstrari possint.

Documentum est, vt quoties demonstrare cupimus aliquam proprietatem cum communi prædicato conuertibilem de inferioribus, commune illud prædicatum accipere de- 5.
bemus, illudq; diuidere per oppositas differentias proximas, & adæquatas, quemadmodum ad inuestigandum quod quid est, *faciendum esse dicebamus. Rursus inspiciendum est, quid nam tali prædicato communi in quantum tali conueniat, quid etiam cuilibet particulari sub eo contento, nam cum possit contingere hoc idem esse genus, erit etiam proprietas eius demonstrabilis de speciebus inferioribus, & quod inuenerimus conue-*
nire cōmuni prædicato, vt tali, erit proprie- 6.
tas, vel ratio de inferioribus demonstrabilis eodem prædicato pro medio assumpto, & modo simili, quod inuenerimus conuenire cuilibet inferiori, vt tali, erit proprietas demonstrabilis per ipsum de inferioribus speciebus, & sic procedere debet diuisio vsq; ad atomas species, quarum proprietates non sunt iam demonstrabiles de inferioribus indiuiduis, vt in principio capitis ad notauimus.

Applicatur in primis documentum hoc ge- Nota I. *neribus, vt si proprietatem animalis de in-*
ferioribus demonstrare intendimus, diuiden- 7.
dum in primis erit in rationale, & irrationale,

nale, considerandumq; quid ei conueniat, vt
tale, nempè somnus, vigilia, motus, & sen-
sus, & eiusmodi erunt proprietates demon-
strabiles de inferioribus, & rursus si aliquod
sit genus intermedium animalium irratio-
nalium, considerare oportebit, quæ ei propriè
conueniant, & hæc erunt de suis etiam infe-
rioribus demonstrabilia. Modus autem de-
8. monstrandi talis erit, vt animal assumatur
pro medio, proprietas demonstranda pro ma-
iori extremitate, & pro minori illa inferio-
ra, de quibus demonstranda est, hoc modo.
Omne animal vicissim potest vigilare, atq;
dormire, omnis leo est animal, ergo omnis
leo vicissim potest vigilare, atq; dormire,
vel etiam sic. Omnis triangulus habet tres
angulos æquales duobus rectis, Isocheles est
triangulus, ergo habet tres angulos æquales
duobus rectis.

Nota II. Applicat secundo idem documentum com-
9. muni prædicato, cui nõ est impositum nomen,
cõtingere enim plerumq; solet multa in vno
aliquo conuenire, & quidem vniuoce, siue
talis conuenientia generica sit, vel solum ac-
cidentalis, & si velimus ostendere, commune
hoc multis particularibus ratione talis con-
uenientiæ competere, eadem methodo vten-
dum est, vt communi illo diuiso considere-
mus, quod nam ei in quantũ tali conueniat,
& rursus inspiciamus, quæ nam sint sub eo
10. contenta, & vtrum aliam conuenientiam
habeant, ex qua commune prædicatum as-
sumendum sit: & in alia inferiora diuiden-
dum, nam eadem erit de illo ratio, ac de pri
mo: illud igitur, quod communi conuenit,
erit proprietas de inferioribus demonstran-
Exemplũ. da. Exemplum esse potest de multis animali-
bus, quibus commune est cornua habere, &
appelletur commune prædicatũ ex eo resul-
tans cornigerum, quemadmodum dicimus
pennatum commune esse auibus, cõuenit au-
tem his animalibus, quia cornibus præditis:
dentibus in primis mandibulæ superioris ca-
11. rent, quorum materiam in cornua ipsa na-
tura conuertit, & ex tali carentia prouenit
eis non posse cibum, nisi semel, & iterum ma-
sticatũ benè scindere, quare multis indigent
sinibus, aut ventriculis pro eius conserua-

tione, vno quidem, pro cibo semel masticato
& nondum ad digestionem benè disposito
quod in aliud tempus disponendum conser-
uant, & alium habent ad decoquendum
dispositum, vt lib. 2. de historia animalium
cap. 1. & lib. 2. de part. animalium cap. 3.
docet Aristoteles, has igitur proprietates de-
monstrare licebit de inferioribus, nimirum
de bobus, ceruis, cæterisq; cornigeris anima-
libus eodem communi prædicato (ratione cu-
ius eis conueniunt) pro medio assumpto, hoc
modo, omne animal cornigerum caret supe-
rioribus dentibus, bos est cornigerum ani-
mal, ergo eis caret. Et rursus, omne animal
cornigerum habet multos ventriculos pro
efficio ruminandi necessarios, ceruus est ani-
mal cornigerum, ergo multos etiam ventri-
culos habebit.

Nec solum documentum hoc inueniendi Obseruat.
propter quid alicuius proprietatis de infe-
rioribus demonstrabilis extenditur ad præ-
dicata generica, vel vniuoca, sed etiam ana-
loga, nam contingere potest, vt multa alio- 13.
qui diuersa aliquam similitudinem, vel pro-
portionem habeant in aliquo vniuersaliori,
qualem habent substantia, & accidentia in
entitate, nam hæc dicuntur entia per simili-
tudinem, vel attributionem ad illam, &
rursus, accidentia omnia similia sunt in eo,
quod est afficere substantiam secundum pro-
portionem, & ratione vtriusq; prædicati 14.
communis conueniunt vtrisq; quædam pro-
prietates: vt entibus vnitas, bonitas, & id
genus alia transcendentia prædicata, quæ de
singulis demonstrare licebit, hoc modo.

Omne ens est vnum, omnis substantia est Demonst.
ens, ergo omnis substantia est vnum: sicq; de
de cunctis accidentibus secundum proportio-
nem demostrare possumus eandem proprie-
tatem, ac de eisdem proprietates cæteras, ac- 15.
cidenti vt tali attributas, exemplum attu-
lit Aristoteles in prædicato illo analogo, quod
ex communibus animalium ossibus, ac sepia-
rum, quæ etiam sepia appellantur (est enim
sepion, vel sepium genus quoddã serpentum)
& spinis piscium, quæ ossium similitudinem
tenent, abstrahibile est, innominatum peni-
tus, quod ignotæ quædam proprietates con-

sequuntur, de cunctis demonstrabiles ipsomet communi prædicato analogo, medio, vt si fingamus (ait D. Thomas) communem proprietatem huius analogi esse opertum carnibus, nam sicut ossa habere analogum est de solis cōmunibus animalibus propriè dictum, de cæteris per similitudinem, & proportionem, pari ratione carnibus operiri, nam caro in solis etiam eisdem animalibus propriè reperitur, hæc igitur erit de omnibus secundum proportionem demonstrabilis per commune prædicatum analogum.

II. Membrum. *Docet tandem Aristoteles multa esse problemata, vel propositiones, diuersas alioqui secundum speciem, quibus commune est idem*
16. propter quid, *per quod omnes demonstrari possunt: sed hoc dupliciter: primo, vt cunctis sit ex æquo commune, gratia exempli, per antiparistasim, siue repercussionem demonstrantur Echo, apparentia rerum in speculo, & generatio Iridis, nam licet diuersa*
Exempla. *sint secundū speciem repercussiones istæ nam Echo fit per repercussionem aeris commoti à corpore sonante ad aliquod corpus conca-*
17. *uum, apparitio rerum in speculo per repercussionem immutati medij ab speciebus intentionalibus ad speculum, Iris verò generatur ex eo, quod radij solares repercutiuntur ad vapores humidos tali modo densatos in nube, conueniunt tamen in communi medio repercussionis, per quod demonstrantur. Secundo, ita vt non ex æquo conueniat omnibus, sed subordinata sint, & quorum vnum reducitur ad alterum, ex quo vnū quodammodo medium habere dicuntur, nam vbi vnum propter alterum, ibi vnum dumtaxat est, vt si quæratur, ait Aristoteles, propter quid Nilus in mensis lunaris declinatione maiores inundationes habeat: rationem reddere possumus, quia in fine mensis frequentiores eueniunt pluuiæ, quam in principio, & si rursus rationem huius sciscitaris,*
Ratio. *Respondendū est, quia in declinatione mensis luna deficit: habet etenim prædominium*
Nota. *supra humores, vel qualitates, & ideò deficiente eius lumine magis commouentur vapores in aere, & tali commotione densantur in nubes, & gignuntur pluuiæ: ecce quo pacto primum, & secundum problema, licet diuersa media habeant, per quæ demonstrantur, subordinata tamen, cum postremum sit* 18.
ratio, & propter quid prioris, vnde quodammodo dicimus idē habere medium, nempè vltimum, ad quod reducitur primum, cum per illud ostendatur.

QVOMODO CAVSAE, ET effectus se habeant inter se, & quo pacto causæ venentur, & an vnius effectus plures sint causæ.

CAPVT DECIMVM-sextum.

DE causa verò, & cuius causa dubitaret vtique aliquis, an quando est causatum, & causa est, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

EXposita methodo inueniendi propter quid, *hoc est, medium demonstrationis continens causam conclusionis, eam* Intentum.
nunc cum effectu confert Philosophus, osten-
dens quo nam pacto ad eum se habeat: præ- I.
stat autē in toto capite quatuor, proponens Diuisio
primo quæstionem: an causa simul sit cum ef- in IIII.
fectu: nō tempore, nam de hac simultate iam partes.
egerat, sed illatione, ita vt eum necessario inferat, ab eoq; vicissim inferatur, qua soluta aliam de vnitate eiusdem causæ excitat, ac soluit, an videlicet eiusdem effectus plures causas esse contingat. Tertio modum cognoscendi causam, & effectū in demonstratione docet, ac tandem dubium quoddam insinuat, ac soluit.

Itaq; quæstio prior est: an simul sint, mu- I Pars.
tuoq; se inferant causa, & effectus, & ar- Lib. I.
guit in fauorem partis affirmatiuæ duobus
medijs. Primo, quia si non sunt simul causa, I. Ratio.
& effectus vt dum folia decidunt, non est de- 2.
cisionis causa nempè latitudo foliorum, vel dum defectus est lunæ, non est interpositio terræ, sequeretur planè alias esse horum ef-
fectuum causas. Secundo, causa, & effectus II. Ratio.
vicissim

vicissim se demonstrant, ergo simul esse necessarium est, cum demonstratio sit consequutio necessaria. Antecedens probatur eisdem exemplis, nam benè in primis infertur, omnis arbor folia lata habens patitur eorum defluxum, sed vitis lata sunt folia, ergo suo tempore decidere necesse est: & è conuerso, omnis arbor, cuius folia decidunt, latis condecoratur, sed folia vitis decidunt, lata igitur sunt: neq; minus est necessaria reciproca consequutio interpositionis, atq; defectus, nam si interpositio terræ sit, eclipsis quoque erit, & hac existente necesse est eandem esse interpositionem: mutuam igitur coexistentiam habent causa, & effectus.

Obiectio. Et si aliquis obijciat aduersus hanc, secundam rationem, causam natura ordine priorem esse effectu, atq; adeò posse per eam demonstrari, sed nequaquam demonstrare illam, cum ex prioribus demonstratio procedat.

Solutio. Respondet, duplicem esse demonstrationis genus, vt cap. 10. prioris libri se docuisse meminit: vnum à priori, propter quid conclusionis tradens, à posteriori aliud, non propter quid, sed solum quod est, vel quia est, vnde cum in secunda ratione dicitur, vicissim se demonstrare causam, & effectum, non est accipiendũ de eodem genere demonstrationis, sed in diuerso, nempè propter quid, quo pacto causa demonstrat effectum, & quod hoc est quo pacto effectus demonstrat causam: eclipsis itaq; interpositionem esse demonstrat, sed interpositio, propter quid eiusdem eclipsis tradit tanquam vera eius causa, cuius illud ait euidenti argumento esse, quod in definitione eclipsis interpositio ponitur, dum dicimus, esse lunæ defectum ex interpositione terræ: eclipsis verò non ponitur in definitione interpositionis.

Satisfit quæst. duabus assertionibus. Proposita nunc quæstioni duabus assertionibus satisfacit, hanc distinctionem effectus, & causæ præmittens: est quidam effectus duplicem habens causam, à qua indifferenter prodire potest, vnde cum neutra per se reciprocatur, vt vituperabile, quod sequitur ex superbia, atq; intemperantia, vel ex causa per excessum, nempè prodigalitate, aut per defectum ex auaritia: & quod ex vtraq; seorsum sumpta inferatur, constat, nam si aliquis superbus est, eo ipso est vituperio dignus, & etiamsi sit intemperatus, nec non si prodigus, aut auarus: sed neutra determinate infert, neq; enim sequitur, vituperabilis est iste, ergo superbus, cum possit esse intemperatus, neq; sequitur esse intemperatum, prodigum, vel auarum, cum possit esse superbus: alia est causa, ex qua vniuersaliter adæquate, & primo sequitur effectus, vt ex interpositione terræ eclipsis.

Iuxta hoc duplex causarum genus duplicem assertionem statuit, quibus soluit propositam quæstionem.

I. Assert. Et est prior, causa primi ordinis non conuertitur cum effectu, nam licet eum inferat, vt superbum esse infert vituperabilem, non tamen infertur ab eo,

II. Assert. Secunda assertio. causa vniuersalis, & adæquata reciprocatur cum effectu, quem semper infert, ab eoq; vicissim infertur. Probatur exemplo decisionis foliorum, non quidem ad foliorum latitudinem comparata, cum qua certum est non conuerti: multa si quidem arbores sunt lata folia habentes, à quibus nunquam decidunt, vt laurus, sed ad densationem succi, vel humoris in eadem arbore, vel in eodem arboris genere, ex qua infallibiliter sequitur: cuiuslibet enim arboris, cuius deesatur succus, folia decidunt, sed vitis, aut ficus humorem densatum habet, ergo folium eius decidet, & econuerso: arbor, à qua decidunt folia, succum habet densatum: sed à vite, vel ficu decidunt folia: ergo habet succum densatum, in eodem etiã exemplo vituperabilis non comparati ad aliquod speciale vitium, sed ad vniuersalem hanc causam agendi contra rationem, idem cernimus. Quicumq; enim contra rationem agit, vituperabilis est, sed quicumq; peccat, agit contra rationem: ergo erit vituperio dignus.

II. Pars. Dubium II. Solutio huius primæ quæstionis excitat secundam (vt benè adnotauit Caietanus in huius capitis elucidatione:) nam cum effectus distinctus sit, in eum, qui habet multiplicem

plicem causam, à qua insolidum prodire potest, quam inadæquatam vocare possumus, & in eum, qui vnam, eandemq; habet, à qua vniuersaliter, & primo procedit, quod est esse adæquatam, statim vnitas causæ inquirenda est, vt plenius intelligatur, quomodo causa, & effectus se inferant. Ideò quæstionem secundā proponit Aristoteles in 2. parte capitis: an ex vnitate causæ sequatur semper vnitas effectus, atq; etiam è conuerso, ex vnitate effectus vnitas causæ, cui respondet duplici assertione.

I. Assert. Prior est, in causis, & effectis per se, vnitas causæ infert vnitatem effectus, & vnitas effectus vnitatem causæ: præsupponit assertio hæc distinctionem causæ in per se, & per accidens: per se vocatur illa, quæ ex propria ratione producit effectum, vnde ex ea sola sequitur, vel si ex altera, non nisi in quantum participat rationem eius, quod est vniuersaliter ab ea procedere: causa per accidens est vniuersaliter ab ea procedere: causa per accidens est inadæquata, ex cuius propria ratione non procedit effectus, sed ex communi cum alijs, vel ex aliquo accidenti, quæ etiam vocatur à signo, in quantum causalitatis per se signum est, vnde vel non ab omni, vel nō à sola procedit. Vtriusq; exemplum habemus in vituperabili, cuius causa per se est contra rationem agere: per accidens verò per excessum, vel defectum peccare: vt esse prodigum, vel auarum: est enim per accidens, quòd qui agit cōtra rationem, excedat: cum agere pōsit deficiens, vel alijs infinitis modis. Vocatur etiam à signo, quia excedere, vel deficere signum est eius, quod est agere contra rationem. De causa igitur primi ordinis procedit conclusio affirmans, vnius effectus non posse esse nisi vnicam causam: cuius euidens est ratio, quia causa per se est medium demonstrationis, medium autem est definitio maioris extremi, vt constat in eclipsi, quam demonstramus per interpositionem terræ: definitio autem est vna: ergo vna erit causa.

II. Assert. Assertio posterior est, in causis per accidens, vel à signo non datur vna causa vnius effectus, sed multiplex, quæ etiam ex harū causarum natura, manifesta est: nam si effectus non procedat ex propria earum natura, sed cum cæter. communi, ex multis causis idem procedit effectus, vnde non est vnus ex causarum vnitate, neq; eius vnitas earundem infert vnitatem, vt designatum exemplum docet. Quibus suppositis ostendere vult modum, quo vtraq; causa, quæ medium esse potest, proportionatur extremitatibus, & quidem de causa per accidens, ait, per accidens se habere ad maiorem, ac minorē extremitatem, quas coniungit: vt si dicamus, musicū ædificare, tam causa, quam effectus considerantur per accidens: nam musicus causa per accidens domus est, atq; etiā domus ipsa effectus per accidens musici: at in causis per se, qualis fuerit habitudo maioris extremitatis, quæ est effectus, quem demonstramus ad minorē extremitatem, quæ est id, de quo demonstratur: talis erit habitudo medij eas coniungentis ad vtramq;: ita vt si æquiuocū fuerit, hoc est, ex diuersis omnino causis prouenïens, æquiuoca etiā sit causa, vel medium, si verò maior extremitas sit eiusdem generis cū minori, & causa quoq; eiusdē generis erit, & si analoga sit vtriusq; habitudo, analogū erit medium. Duo exempla designat, vnū de extremis vniuocis, vt commutabiliter proportionari, ait, effectus, seu passio communis est, & quasi generica, lineis, corporibus, numeris, ac temporibus conueniens, de quibus per modū, seu causam genericā probare potest, quid sit autē commutata proportio, explicuimus in primo libro, quod ideò nō putamus repetendum. Medium autem genericum, à quo tanquā à causa adæquata procedit, & ratione cuius his omnibus conuenit, est quantitas proportionalis. Primum exempl.

Exemplum secundum est de æquiuocis, dicitur autē æquiuocus effectus, qui non habet vnam aliquam causam, sed multiplicem, ac diuersam, ad quem propterea de multis demonstrandum non vnum, sed plura media, atq; diuersa afferuntur: eiusmodi est similitudo, in coloribus & figuris æquiuocè reperta, ad quam demonstrandam de vtrisq; non vna causa afferenda est, sed diuersa, vna videlicet pro figuris, altera pro coloribus: Exemplum secundum.

nam

12 nam causa similitudinis in coloribus accipi-
tur ex eodem modo immutandi visum, nem-
pe disgregando, vel congregando: in figuris
vero ex aequalitate angulorum, & laterum,
& cum analoga sint media inter aequiuoca,
& vniuoca, effectis analogice multis attribu
tis, causa quoque per se analoga debetur, per
quam demonstrandi erunt, vt si veritatem,
vel bonitatem velimus demonstrare de sub-
stantia, & accidenti, quibus analogice conue
niunt, assumendum erit ens, quod medium
est, & causa huius proprietatis analoga, pro-
pter quam eidem attribuitur.

3 Pars. In tertia parte capitis applicat habitudi-
nem causae ad effectus secundum consequutio
nem, & vnitatem expositam ad exercitium
demonstrandum, in quo causa medium est cō
iungendi extremitatem, nempe passionem,
quae maior extremitas est cum minori, quae
est subiectum, de quo demonstratur, & ait,
quod si accipiamus causam per se, ex qua v-
niuersaliter sequitur effectus, (quam dixi-
13 mus esse vnam respectu vnius effectus) & cō-
paremus eam cum proprio effectu, proprioq.
subiecto, quae per eam coniunguntur, cum v-
troq. conuertitur: si vero pro subiecto acci-
piatur, non proprium sed aliquod ex inferio-
ribus, non conuertitur cum ea causa, neq. ef-
fectus: hoc est, medium, & maior extremi-
tas, nisi forte acceperis omnia inferiora si-
mul, quasi pro vno subiecto: quia cum pro-
prio aequiualeant, non minus conuertuntur
14. omnes termini demonstrationis, quàm si pro-
prium accepisset, & producit exemplum ma
thematicum, vt habere angulos externos ae-
quales quatuor rectis est passio superior respe
ctu trianguli, & quadranguli, caeterarumq.
figurarum recti linearum: vnde si respectu
cuiuslibet per se sumptae accipiatur, non con-
uertitur cum ea: quia tanquam inadaequatā
causam, & per accidens eam sequitur, si ve-
ro omnes simul accipiantur, vel figura recti
linea, vt sic, conuersio fiet medij cum extre-
mitatibus: huius autem rationem eandem
reddit, quam superius de causa per se reddide
rat. Quia medium, ait, extremi ratio est
primi, quasi dicat: medium in tali modo de-
monstrandi est definitio maioris extremita-

tis, passionis videlicet, aut effectus, qui demō
stratur, quam necesse est cum passione ipsa
eiusq. adaequato subiecto conuerti: vt si de-
monstrare velis, decisionem foliorum per cō-
gelationem humoris, aut succi, quae quasi eius
definitio est, videbis medium hoc, vel causam 15.
cōuerti cum extremitatibus, videlicet cum
spoliatione frondium, & arboribus talis con
ditionis, quarum humidum seminis densa-
tur.

Eandem rursus doctrinam ad figuras de- Quo pacto
monstrandi applicat, docens quonam pacto communis
communis passio de particularibus in modo, passio de iā
& figura demonstretur, aitq. communem speciebus
passionē, cui est vnica causa proxima plures demonstre
simul remotas habentem per illas demonstra- tur.
ri de multis speciebus diuersorum generum,
vt longitudinis vitae propria causa est bona
complexio, per quam hoc modo demonstra-
tur, omne animal bonam habens complexio-
nem longitudine vitae in suo genere gaudet,
Petrus, vel Ioānes talem habet complexionē
ergo longam vitam habebit, sed effectus iste
plures habet, & remotas causas in diuersis
rebus diuersorum generum: nam alia causa
est in quadrupedibus parum humeris coleri-
ci, ac fellis habere, vt in ceruo: in auibus ve-
ro multum habere siccitatis, quas remotas
causas longitudinis vitae esse dicimus: quia 16.
in tantum sunt causae, in quantum efficiunt
bonam complexionem, quae proxima & ad-
aequata est, ad quam reducuntur, per quam-
libet autem harum causarum demonstrari
potest talis effectus de singulis eius generis a-
nimalibus, atque etiam de omnibus simul, cū
quibus conuertitur ipsa causa, sed diuerso
modo, nam de singulis demonstratur tan-
quam vniuersale simpliciter, cū vniuersale
superius sit, sed de omnibus simul tanquam
vniuersale primum, & quasi adaequatum: 17.
nam praedicatum superius ad omnia inferio
ra simul sumpta comparatum aequale est, &
adaequatum vocari potest.

In extrema parte capitis dubium propo- Vltima
nit, & soluit, quod videtur ex doctrina nu- pars dub.
per tradita de communi passione applicata
ad particularia, vel inferiora ortum: est au-
tem dubium, si passio vniuersalis vniuersali

prædicato primo & vniuersaliter conueniat, inferioribus verò non primo, sed per intermedias causas (hoc enim sibi volunt verba illa textus) quod si nõ statim accedunt ad indiuiduum, & si non solũ vnum, sed plura sunt media, plures etiã, & causæ sunt *(Vocat enim speciem atomam indiuiduum) vtra nam proxima causa talis passionis, quæ particularibus inesse probatur sit ea, quæ ex parte eiusdẽ, cõmunis passionis accipitur, an quæ ex partis subiectorum particularium? gratia exempli longitudo vitæ probatur inesse auibus, & quadrupedibus, & horum generum speciebus per causam eius vniuersalem, videlicet per bonam complexionem, & per causas particulares, defectum videlicet choleræ, & fellis, aut siccitatis abundantiam (eiusmodi enim ex parte ipso-*
19. *rum subiectorum potius se tenent, cum particularem eorum naturam sequantur) Quæritur, quæ nam proxima causa dicenda sit, ad quã reducitur altera particularis, vel vniuersalis, & à qua potius incipere demonstratio debet, vt in alteram tendat, incipietne à particularibus, vt eas in vniuersalem referat, sic procedens, ceruus longitudine vitæ gaudet, quia parum habet choleræ, & fellis, & rursus, parum habet choleræ, & fellis quia bonam complexionem, vel ab vniuersali, vt eam reducat ad particulares, dicens, Ceruus longitudine vitæ gaudet propter bonam complexionem, bonam autem complexionem habet, quia parum habet choleræ, ac fellis. Respondet Arist. particularem potius causam ex parte subiectorum desumptam vocari proximam, ad quam vniuersalis est referenda, dum de particularibus demonstratur communis passio, cuius ea est ratio: quia magis est intrinsecum, magis proprium, & proximum quod ex propria subiectorum natura accipitur quàm quod ex parte eiusdem cõmunis proprietatis.*

Solutio dubij.

Concludit tandem Aristoteles caput, quasi sub
20. *forma breuis Epilogi, colligens vniuersa quæ de natura syllogismi, demõstrationis, & scientiæ docuit, in libris priorum ac posteriorum, hisce verbis:* At enim de ratiocinatione quidem demonstratione vè quid nam vtrumq; sit, & quo sit modo: latis iam patuit, & simul etiam demonstratiua scientia, est enim idem.

QVOMODO PRINCIPIA COgnoscantur, & quis principiorum sit habitus.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

DE principijs vero, & quomodo fiunt nota, & quis cognoscens habitus, hinc est planum addubitantibus primum, &c.

TEXTVS EXPOSITIO.

CApus hoc vniuersum posterioristicum opus claudit, in quo Aristoteles, post quam omnia, quæ ad demonstrationem, eiusque structuram pertinent, tradidit, de principiorum notitia disserit: docuerat capitibus præcedentibus, quanam via inuestiganda sint quid & propter quid, *ex quibus principia demonstrationis constantur idq́; solũ superat intelligendũ: quo genere cognitionis à nobis cognoscã-* 1.
tur præsertim vniuersalissima, quæ dignitates vocãtur atq; ex consequẽti cætera, quæ sine demõstratione accipiuntur: An notitia scientifica, & scientiæ habitu, vel quouis alio: Præstat autem in toto cap. tria; nam primo ostendit necessitatem inuestigandi talem principiorum cognitionem: secundo tres Quæstiones proponit ac soluit: ac tandem dubium mouet, eique facit satis.

Intentum cap.

Diuisio cap. in tres partes.

Necessitatem inuestigandi principiorum notitiã hanc esse testatur, vt cum statutum sit, quòd non contingit aliquid scire, nisi præcognoscantur prima principia immediata, necesse est nosse, an per eundem scientiæ habitum, quo conclusio cognoscitur, cognoscantur etiam principia, vel per alterum diuersæ condi- 2.
tionis.

I Pars circa notitiã.

Quæstiones autem sunt: prima, an omnium immediatorum principiorum sit eadem cognitio, vel per diuersum genus cognitionis eorum notitiam accipiamus.

Triplex quæst. proponitur.

Secunda quasi explicatio prioris est, an per scientificam notitiam omnia immediata principia cogno- 1
scãtur, vel quædam tantum, cætera per aliud genus cognitionis.

Tertia An habitus principiorum fiant, aut gene- 3.
rentur in nobis, cum prius eos non habuerimus, vel certè à principio sint in nobis: nos tamen lateãt quousq; exercitatione cognoscantur. Hæc sunt de qualitate, aut modo huius cognitionis scitu digna.

His quæstionibus non eodem ordine quo proponũtur satisfacit, sed ab vltima incipiens singulas eius partes singulis etiam argumentis impugnat: & primo eam, quæ asserit latuisse nos, cum à principio in nobis fuerint, hoc argumento: apertum est notitiam principiorum certiorem, atque euidentiorem esse notitia cõclusionis scientifica, nam cum cum intellectus assentiatur conclusioni propter principia (vt ca. 2. primi libri fuit constitutum) sequitur euidenter certius, euidentiusq; cognosci sed habentem notitiã conclusionis latere non potest, cum necesse sit (vt i- 4
bidem fuit manifestum) nosse quòd impossi ile sit aliter se habere: ergo repugnabit fortius, quod quispiam notitiam principiorum habeat nesciens se eam

Inuertit ordinem quæstionum.

habere, quod tamen sequitur euidenter, si admittamus adesse à principio tales habitus, sed nō cognosci.

Impugnatio alterius. *Impugnatio alterius partis: nempe quod de nouo fiunt in nobis similes habitus, talis est, omnis notitia fit in nobis ex præexistēte alia, vt in huius operis initio stabilitum est, sed notitia principiorum non est factibilis ex præexistenti: ergo nec de nouo comparabilis. Probatur minor: nam cætera nota sunt: præexistens cognitio ex qua fit altera, certior est ea, cum sit eius causa, atq; adeò nobilior sed non est dabilis vlla notitia certior ea, per quam principia cognoscimus: ergo non erit ex præexistenti comparabilis.*

5. *Infertur ergo ex duobus his argumentis, neque posse esse habuisse nos à principio talem cognitionē nos latentem, sed nec de nouo fieri, nulla notitia, vel habitu præcedente.*

Solutio vltimæ q. *His argumentis hinc inde præiactis, accedit iam ad eiusdem quæstionis solutionem, pro qua præmittit tanquam certum, esse in nobis à principio quandam potentiam cognoscitiuam præcedentem principiorum notitiam: vt autem ostendat, qualis sit hæc*

Nota. *potentia, vel principium cognoscendi, tanquam per se notum præmittit, cunctis animalibus inesse quandam naturalē potentiam ad iudicandum de sensibilibus, non adquisitam, sed naturalem, quæ vocatur*

Triplex gradus naturalis potētiæ. *sensus, sed triplicem habere gradum in diuersis, iuxta maiorem vel minorē eorum dignitatem: gradus perfectior huius potentiæ est in his, in quibus post habitam alicuius notitiam, re etiam sensibili, de qua*

I.

6. *habetur abeunte, remanet aliqua impressio eiusdem notitiæ, ratione: cuius iterum cognosci potest, & hoc modo reperitur in animalibus perfectis: in secundo gradu huius potentiæ consistunt animalia minus per*

II. *fecta, in quibus post notitiam remanet eadem impressio non cuiuslibet obiecti sensibilis, sed alicuius vehementioris. Debiliora namque non valent eam relinquere propter debilitatem etiam potentiæ: infi*

III. *mum tenet gradum potentiæ hæc in quibusdā imperfectissimis animalibus carentibus motu progressiuo, qualia sunt, quæ perpetuo manent petris affixa: vnde prædicta animalia his gradibus distincta sic se habent in vsu huius facultatis, vt ea in quibus nulla impressio remanet, transacta cognitione non possint ea vti, nisi præsente re sensibili: ea vero, in quibus non remanet talis impressio nisi circa vehementio*

7. *ra sensibilia, non vtuntur tali facultate in absentia cuiuscunq; sensibilis, sed eiusdem dumtaxat vehementioris: perfectiora demum, in quibus cū usum perfecti sensatæ durat impressio talis facultate vti possunt in absentia cuiuslibet obiecti iam cogniti: eiusmodi autem impressio memoria dicitur, quæ est facultas quædam sensitiua perfectior prima, à qua species sensibiles conseruantur, quibus medijs sensitiua semel sensata in absentia iterum percipere potest, qua facultate priuantur omnino imperfectissima animalia perfectiora solum eam participant circa vehementiora: perfectissima vero memoratiuam omnium notitiam habere possunt.*

Sed adhuc inter hæc aliud ponit discrimen Aristoteles, quantum ad modum vtendi hac facultate, Secundum discrimen. *nam quædam sunt, in quibus non solum remanet sensibilis notitia rerum absentium, sed quæ circa eas ratiocinantur medijs speciebus in memoria conseruatis, qualia sunt homines: cætera vero animalia quātumcunq; perfecta talem perfectionem discurrendi non pertingunt, sed simplici dumtaxat notitia memoratiua gaudent: & ex hac memorandi perfectione in hominibus reperta conatur Aristoteles modum* 8. *cognoscendi prima principia aperire: nam ex sensu, hoc est, ex notitia sensitiua, per quam semel percipitur obiectum sensibile, fit memoria, id est, remanet impressio eiusdem notitiæ per speciem conseruatam in potentia sensitiua memoratiua, & rursum, ex memoria iterata, seu repetita circa singularia eiusdem generis, vel speciei fit experimentum, remanente enim impressione multorum singularium sensatorum eiusdem naturæ iterātur sensationes circa ea, & collatione simul facta ab intellectu eorundem singularium elicitur vniuersalis quædam cognitio, quæ vocatur experimentum, vt ex multis experientijs, quibus expertus est aliquis, quod talis herba attulit* 9. *sanitatem Petro, Ioanni, ac Francisco, elicit vniuersalem notitiam eiusdem herbæ, quod sanatiua sit: & hæc vniuersalis notitia sumitur tanquam principium artis medicinæ non per discursum, vel demonstrationem probatum, sed per experientiam, ex multis memorijs circa singularia repetitis acceptū, & eodem modo se res habet circa materiam necessariam scientiæ, in quod ex sensatione diuersorum singularium, & memorijs repetitis generatur in intellectu simile experimentum, quod est notitia vniuersalis, quam accipimus tanquam principium, ex quo per demonstrationem elicimus conclusiones, & talis deductio conclusionum est generatio scientiæ: & hoc vniuersale experimentum vocat Aristoteles* 10. *vnum præter multa, quia consideratur à singularibus abstractum, in quibus re ipsa existit, & ex quibus deductum est. & iste est modus comparandi notitiam principiorū, cum exemplū designat in pugnis, quæ fiunt per reuersionem exercitus non fugientis: nam vnus miles reuertitur ad castra firmiter cōtendens locum non deserere, & huic adiungitur alter, suq; successiue quadam quasi restituitur agmen, & fit principium pugnæ, pariter in cognitionum sensitiuis contingit, nam memoriæ vnius partis adiungitur altera, quibus etiam aliæ accedunt,*

dunt, & fit principium scientiæ, hoc est, vniuersalis quædam notitia circa materiam necessariam talis obiecti, de quo habetur scientia.

Sed ne forte aliquis crederet eiusmodi vniuersalem notitiam principiorum, quam vocamus experimentum per solam memoriam sensitiuam fieri (vt nonnulli ex antiquioribus Philosophis posuerunt, nō discernentes intellectum à sensu) subdit Aristoteles, quod cum sensu simul oportet præsuppo nere talem naturam animæ, quæ pati possit, *hoc est, quæ susceptiua sit cognitionis vniuersalis, quod habet per intellectum possibilem recipientem species sine materia vniuersales naturas repræsentantes, impressas quidem virtute intellectus agētis, qui est altera virtus animæ, per quam abstrahuntur à singularibus, & ex his omnibus simul coniunctis cum sensu, & memoria, species sensibilibus ministrantibus fit vniuersale experimentum, quod est notitia vniuersalis principiorum, quo autem modo possibile hoc fit, vt ex singularium notitia accipiatur vniuersale experimentum, amplius esse manifestandum ait: nam si accipiantur multa singularia successiue, quæ in aliquo vno non distinguuntur, illud vnum in eis consideratum est primo vniuersale, siue ad subiectum eorundem singularium spectet, vel accidens sit, vt si accipiamus Petrum, Ioannem, ac Franciscum participantes albedinem, quam in eis consideramus, nihil aliud attendentes, hoc vnum in omnibus accipimus, nempe albū, quod vniuersale prædicatum est, & si in eisdem consideremus rationalitatem, in qua communicant, nihil cogitantes de singularibus, vel accidentibus, vnum aliquid concipimus, nempe rationale, quod est differentia eorum, per quam separantur à brutis, & hoc est etiam vniuersale, quod ex sensitiua notitia elici posse sic ostenditur. Quanquam sensus nihil possint percipere nisi singularia, sed ratio obiectiua, sub qua ea percipiunt, vniuersalis est, vt visus, verbi causa, nō percipit nisi singularem colorem, non tamen sub ratione huius coloris, nam si sic eum perciperet, non posset videre nisi hunc colorem, cum euidēs sit, nullam potentiam se extendere vltra rationem formalem, sub qua obiectum percipit: hæc namque censetur adæquata, sensus quidem non fertur in rationem vniuersalem tanquàm in obiectum* quod, *ita vt illam sentiat, aut percipiat, nam hoc solius est intellectus, sed solum obiectum singulare sentit, videt, vel audit, sub ratione tamen vniuersali obiectiua visibilis, vel audibilis, quod est ferri in rationem vniuersalem vt quo, vnde fit, Petrum, vel Ioannem percipere, vt sunt tales homines, & ex tali modo percipiendi deducitur, intellectum posse in eis considerare rationem hominis, non consideratis rationibus huius, vel illius: & hoc est rationem vniuersalem considerare, eamq; ex multis diuersorum singularium experiētijs deducere, quod absq; dubio non posset (inquit Aristoteles) si sensus ea perciperet sub ratione determinata singulari, vt Petri, aut Ioannis: & quod de singularibus dicimus respectu vniuersalis naturæ specificæ in eisdem consideratæ, accipiēdum est de speciebus comparatione vniuersalis generici, nam ex consideratione talis, vel talis animalis, hominis videlicet, aut equi accipimus rationem animalis, quam in eis consideramus, non consideratis proprijs differentijs, rationalis, & hinnibilis, per quas distinguitur, & hoc est vniuersale genericum, sicq; ascendendo vsque ad supremū genus prædicamenti procedit modus abstrahendi vniuersale prædicatum à particularibus sensu perceptis, & cum discursus iste per singularia, ex quibus colligit intellectus vniuersale, intus in anima sit quædam experimentalis inductio, infert Aristoteles prima principia vniuersalia cognosci à nobis per inductionem.*

Quomodo ex singularibus vniuersalia fiant.

14

Ex quibus etiam intulit, vt duas priores quæstiones soluere posset: vniuersalem principiorum notitiam ad intellectum pertinere, cuius est vniuersale cognoscere, licet medijs sensibus percipiētibus singularia, nam principium scientiæ vniuersalem cognitionem intellectus denotat, sed circa intellectum ait, duo esse habituum genera, qui se habent ad verum, quidam veri sunt semper, alijs verò non repugnat subesse falsum, & aliud genus est ad falsum determinatum: primi generis sunt opinio, et fides humana. Postremi habitus erronei, & quia principia semper sunt vera, non possunt ad aliquem ex his pertinere, sed ad ordinem certe eorum, qui ad verum tantum sunt omnino determinati, ita vt repugnet eis subesse falsum, & tales habitus sunt scientia, & intellectus, & de scientia quidem certum esse, ab ea dumtaxat cognitione certitudine superari, quæ vocatur intellectus: tanquam à propria causa: nam conclusioni assentimur per habitum scientiæ propter notitiam principiorum, ergo absque dubio certior est hæc, quæ propter non scientia, sed intellectus. Quod alia rursus ratione confirmat: scientia adquiritur per demonstrationem, sed demonstratio non est principiorum, alioquin in infinitum procedere tur, vt superius probatum est: ergo principium scientiæ non potest esse scientia, sed alia cognitio superior quæ vocatur intellectus.

II. Illatio. Solutio 1. & 2 quæst.

15

Confirm.

16

Et ex his habetur solutio vtriusque quæstionis videlicet nullum principium immediatum vitale, cognosci per scientiam, sed omnia per altiorem quandam notitiam, quam vocamus intellectum: & hæc est expositio totius capitis.

GENE-

GENERALIS DISPVTATIO DE HABITIBVS, SEV VIRTVTIBVS INTELLECTVALIbus ad partem Posterioristicam spectantibus.

Intentum. 

X virtutibus, siue habitibus intellectualibus tres præcipui perficiunt demonstratoriam artem, nempè intellectus, scientia, & sapientia: nam ex parte præmissarum demonstrationē perficit intellectus, ex parte conclusionis habitus scientiæ, & quodammodo ex parte vtriusque sapientia, quibus annectuntur fides, atque opinio, non tanquam virtutes intellectuales, sed eis valdè similes, ex quarum imperfecta conditione, elucet magis perfectio scientiæ, cæterarumq; virtutum intellectualium: vniuersam autem disputationem in quinque tractatus diuidere placet, & erit primus de habitibus intellectualibus in generali: secundus de habitu principiorum, qui vocatur intellectus: tertius de scientia: quartus de sapientia: postremus de fide, & opinione: nam ars, & prudentia proprias sedes habent, in quibus earum natura discutietur: singulos autem tractatus in particulares controuersias, vel quæstiones diuidemus.

TRACTATVS PRIMVS.

De habitibus, seu virtutibus intellectualibus in generali.

Nota. Circa vniuersalem habituum intellectualium considerationem tria se se nobis offerunt discussione digna: videlicet an

2. sit habitus intellectualis? quid sit? & quotuplex? hoc est, an sufficiens sit diuisio eius in quinque illa membra ab Arist. enumerata 6. ethic. cap 3. nempè intellectum, scientiam, & sapientiam, prudentiam, & artem.

QVAESTIO I.

An necesse sit habitum intellectualem ponere.

DE habitu intellectuali sciscitatur titulus quæstionis, & non de habitu in cōmuni: quia de eo solo præsens disputatio instituitur, in qua, quid nomine habitus significetur, præmittendum est. Et alijs acceptionibus prætermissis, quas in prædicamentis ex mente Arist. 5. metaph. cap. 20. text. 25. retulimus, ea solum, quæ propria est, præsenti instituto deseruit, secundum quam habitum definit Aristot. eodem loco hisce verbis: *Habitus dicitur dispositio, secundum quam benè, vel malè disponitur dispositum, aut secundum se aut ad aliud.* Et 1. lib magnorum moralium: *Habitus sunt* (inquit) *vnde erga hæc habemus benè, vel male.* Eiusmodi autem definitio hanc diuisionem claudit, per quam illustratur, duplex est habitus, vnus quo subiectum proximè disponitur, vt benè, vel malè se habeat secundum naturam, remote verò in ordine ad operationem, cuius natura ipsa principium est: nam benè constituta natura benè se habet ad operandum, & malè constituta malè se habet: huius generis sunt sanitas, ægritudo, pulchritudo, ac deformitas: & habitū huius conditionis designauit Arist. illa particula *secundum se*: idem namque est secundum se, ac in propria natura: alius est habitus proximè disponens subiectum, vt benè, vel malè se habeat in ordine ad operationem, cuiusmodi sunt habitus virtutum, vt Temperantiæ, & Fortitudinis, & eiusmodi est actus disponens subiectum in ordine ad alterum, hoc est, ad actum, & obiectum: & quidem de primo habitu non procedit præsens controuersia, qui sicut non disponit proximè ad operationem, sed ad naturam, nō inhæret potentiæ, sed substantiæ, vel naturæ eiusdem subiecti, sed de eo,

Explicatur titulus quęstionis.

2.

Quid sit habitus, & quotuplex.

qui proximè ad operationẽ disponens etiam potentiæ inhæret, quã intellectus potentia est.

Nullam dari necessitatem habituum probatur.

I. Argum. QVod autem non sit necessarius talis habitus his argumentis probatur. Primo, intellectus est naturalis quædam potentia in proprium actum, & obiectum inclinata, ergo de se est determinata circa vtrunque, nullóque proinde indigebit determinante, sed habitus huius rei gratia ponitur, vt potentia de se indifferens determinetur ad eliciendum actum, ergo in intellectu non erit necessarius.

5.

II. Argum. Secundò: habitus ponitur ad superandam difficultatem, quæ in eliciendo actu reperitur, vel, quod idem est, ad comparandam facilitatem, & promptitudinem, sed ex parte intellectus non est vlla difficultas, cum obiectum nõ excedat facultatem potentiæ, sed ei sit proportionatum: adquirere aptam facilitatem non potest, cum sit potentia naturalis ad intelligendum; quemadmodum vsus videndi nullam facilitatem oculis confert, ergo non magis indigere habitu ad intelligendũ intellectus conuincitur, quam ad videndum, oculus.

III. Arg. Postremo. Quælibet potentia cognoscitiua constituitur sufficienter in actu primo ad operandum per similitudinem obiecti in ea receptam, quam speciem impressam vocamus, à

6. qua sufficienter etiã determinatur ad operandum circa tale obiectum, vt cõstat in internis, atq; externis sensibus, in quib' nulla alia qualitas, vel habitus præter speciem sensibilem ponitur: sed intellectus informatur specie intelligibili cuiuslibet obiecti ad operandũ circa illud, ergo per illam sufficienter determinatur, & in actu primo efficitur ad percipiendum tale obiectum: non est ergo alia qualitas necessaria præter speciem, nisi forte hanc velis appellare habitum, & tunc libenter admittemus esse ponendum, quemadmodum in potentijs sensitiuis.

Opposita, ac veræ sententiæ fundamenta.

Arist. Sententia D. Thom. & vniuersæ Scholæ. HAbitus nihilominus in potentia intellectiua ponendos esse, non solum vniuersa Peripateticorum schola cũ Arist. 1. lib post. cap. 26. & 6. ethic. cap. 3. tenuit semper, sed communis consensus antiquorum scholasticorum cum Magistro in 3. dist. 25. & modernorum, cum D. Thom. 1. 2. quæst. 49.

7. art. 4. & quæst. 50. art. etiam 4. Vnde ab hac veritate absque sufficienti ratione, & euidenti recedere nõ licet: cuius duplex est fundamentum, vnum ex ipsamet potentiæ intellectiuæ conditione desumptum, alterum experientia confirmatum.

Primum tetigit D. Thom. priori loco ex nuper relatis, quod eiusmodi est: operatiua potentia duplex est, vna nõ solum ad vnũ actum determinata, sed ad vnum modum eum eliciendi, vt lapis ad vnũ motum deorsum, quem semper eodem modo exequitur, & tales potentiæ nullo indigent habitu, quo determinentur ad operandum, vel quo facilius operentur, sed cum naturalis sit omnibus modis earum operatio, nullam facilitatem exercitio comparant, aliæ sunt potentiæ non solum circa diuersa operari valentes, sed diuersis modis, benè videlicet, vel male: vt voluntas circa bonum, & malum per appetitum, vel fugam: intellectus circa verum, vel falsum per assensum, vel dissensum, per verum assensum, aut erroneum, quæ proinde aliquo determinante indigent, vt conuenienti modo operentur, & eiusmodi determinans superadditum potentiæ vocatur habitus, cum sit dispositio potentiæ ad benè, vel malè operandum, & necessario quidem ponendum in quacunq; potentia indifferenti ad operandum circa diuersa, vel diuerso modo circa idem: alioquin non consequetur finem, in quem ab ipsa natura ordinatur, qui non est alius, quam debito modo propriã exercere operationem, potentiæ enim propter actus sunt. Primum fundamentum ex D. Thom. 8.

Secundum fundamentum euidenti experientia roboratur, qua constat prędictas potentias indifferentes continuo operandi exercitio, circa idem obiectũ quandam facilitatem comparare, ita vt cum in principio non sine difficultate operentur, facilè tandem, promptè, & cum delectatione easdem operationes exequantur. Hanc autem facilitatem nõ præbent formaliter ipsi actus statim abeuntes, sed quid aliud ab eis in potentia derelictum, quod cum nõ semper eidem potentiæ adfuerit, conuincitur aliquid ei superadditum esse per operandi exercitiũ conquisitum, & reale quidem, cum realem modũ operandi potentię tribuat, quod qualitas meritò vocatur, & propriè habitus, quandoquidem ad nullã aliam speciem qualitatis pertinere potest. Secundum fundamentum ab experientia. 9.

Enodantur negatiuæ sententiæ argumenta.

Superest

Ad 1. reſp. SVpereſt propoſita argumenta diluere. Ad primum dicendum eſt intellectum determinatũ eſſe circa communem rationem
10. ſui obiecti, nempè veritatem, in quam naturaliter inclinatur, ſed circa particularia obiecta, ac modos operandi benè, vel malè, quandam habet indifferentiam, ac proptereà aliquo determinante indiget, quo inclinetur ad benè, facilè, ac promptè operãdum, & eiuſmodi determinans appellamus habitum.

Ad 2. reſp. Secundum argumentum petit diſcrimen inter potentias animæ, nam quædam ſunt omninò naturales, quæ imperio rationis non ſubduntur, vt nutritiua, & vegetatiua, quam etiam conditionẽ habent externi omnes ſenſus: nam & ſi ex parte organi, ab vſu, vel operatione poſſint cohiberi, vt ſi aliquis oculos claudat, vel aures obſtruat, obiecto tamen præſente non poſſunt nõ operari, neque enim poteſt quiſpiam apertis oculis, obiectoque
11. præſenti viſionem ſuſpendere, vel apertis auribus non audire, & iſtæ potentiæ naturaliter prorſus operantes ſecundum rem, & modum, nec facilitatem comparant, nec illius capaces ſunt, nec proindè alicuius habitus, vt benè adnotauit D. Thom. 12. quæſt. 50. art. 3 ad 3 aliæ ſunt potentiæ imperio rationis ſubditæ quantum ad vſum, vel exercitium ſuorum actuum, quia à ratione applicari poſſunt ad operandum, vel remoueri ab operatione præſente etiam obiecto, de quarum numero ſunt intellectus, appetitus ſenſitiuus, & ex potentijs ſenſitiuis nonnullæ: præſente enim obiecto intellectus, liberè poſſumus eum ab operatione diuertere, vt circa aliud operetur, vel operationem ſuſpendat, & etiam appetitum ſenſitiuum, ac proptereà non ſolum in voluntate formaliter libera ponuntur habitus, ſed etiam in his, quæ voluntati ſubduntur.

Ad formã argum. Nunc ergo ad formam argumenti dicimus, intellectum operatione ſenſuum indigere ad intelligendum, & ex hac parte aliquam difficultatem habere in ſuis operationibus, quam
12. per habitum ſuperant, etenim cum ſenſus ſint organicæ, atque corporeæ virtutes, non ſine difficultate operantur, & adhuc intellectus ipſe ex parte ſua, licèt poſitiua difficultate careat, negatiuam habet in eo conſiſtentem, quod eſt nõ eſſe ex ſe facilem, nec promptum ad operandum, ſed hanc facilitatem, & promptitudinem, quæ eſt ipſemet habitus, vſu, atque exercitatione comparat, & hoc eſt, quod paſſim dictitamus, habitus frequenti vſu acquiri, negandum igitur eſt ſic ſe habere intellectum in ſuis operationibus, ſicut viſum, vel quemlibet alium ſenſum externum, ſed cum rationis imperio ſubdatur, nec ex ſe facilè operetur, facilitatem, habitumque comparat, frequenter circa idem obiectum operans, cuius viſus (vtpotè omnino naturalis facultas) minimè capax eſt.

Poſtremum argumentum aliquo alio indigere potentiam intellectiuam à ſe diſtincto admittit, vt fiat in actu 1. ad operandum, nem- Ad vltimũ.
pè ſpecie ab obiecto impreſſa, à qua modo 13.
quodam determinatur, quod in præſenti conſideratione ſufficit: An verò ſpecies hæc propriè ſit habitus, vel præter ipſam alia ſit ponenda qualitas, ſecunda quęſtio in dubium reuocat, ex cuius deciſione plena ſolutio eiuſdem argumenti dependet.

QVAESTIO II.

Sit ne habitus ſpecierum intelligibilium congeries, vel altera qualitas ab ſpeciebus diſtincta.

INtellectum noſtrum ex ſe nudam potentiam eſſe, atq; adeò indeterminatam prorſus ad vnum, vel alterum obiectum per- Expoſitio tituli.
cipiendum, determinari autem ab obiectis 14.
proprias ſimilitudines ei imprimentibus teſtatur expreſsè Ariſtoteles 3 libro de anima: vbi eum nudæ, vel raſæ tabulæ comparat, in qua nihil depictum eſt: quodlibet autem obiectum propriam ſimilitudinem ei imprimit medio agente intellectu, & phantaſmate, quod eſt ſenſibilis ſpecies eiuſdem in phantaſia reſidens, per talem autem ſpeciem intelligibilem eidem obiecto coniungitur, & cum eadem ſit, quaſi virtus, & ſemen obiecti, intellectus eam recipiens fœcundus redditur, ad partumque peruenire poteſt, hoc eſt, ad actum intelligendi, per quem conceptus rei expreſſus, tanquam fœtus mentis formatur, obiectumque intelligitur, vnde vulgatum illud D. Auguſt. ſatis in ſchola celebratum
emanauit: *Ab obiecto, & potentia paritur no-* 15.
titia: ab obiecto quidem mediante ſpecie, & ab intellectu per eam informato: hinc etiam proceſſit communis cõſenſus totius Peripateticæ ſcholæ ponentis intelligibiles ſpecies ne-

cessariis ad earum rerum cognitiones, quas per habitus intellectuales cognoscimus, vno excepto Durando, qui temere eas negare ausus est, in 2. dist. 3. quæst. 6.

Opin. Auicennæ. An verò similes species sint habitus intellectuales, vel præter illas alia sit ponenda qualitas, quæ propriè sit habitus, præsentis controuersiæ status est: nam positio Auicennæ, cuius meminit D. Thom. 2. quæst. de veritate, art. 2. & in dist. 30. quæst. 1. art. 2. singularis est, & ab schola philosophorum iam diu
16. relegata, nempè intellectum nostrum per influxum separatæ cuiusdam intelligentiæ recipere species, neq; eas retinere post intellectionem, sed de nouo iterato accipere: ex continua autem receptione facilem reddi ad recipiendum: & hanc passiuam facilitatem esse habitum: cum tamen habitus ex parte potentiæ
Refutatur. se teneat, in quantum est principium actiuum operationis, eam ad eliciendum actum determinans: vnde friuolum est in sola passi-
17. ua facilitate eum constituere, præter quam quod facilitas operandi vsu adquiritur, recipiendi minimè.

Hac igitur exclusa positione huius controuersiæ decisionem, nec expressam, nec insinuatam inuenio in doctrina Arist. sed cum habitus intellectuales posuerit: nec verbum de eorum quidditate protulit: à temporibus autem D. Thom. cœpit in schola eius agitari, & ex diuersis suorum operum testimonijs opinionum diuersitas inter alumnos eius orta est.

Collectionem specierum intelligibilium esse habitum scientiæ suadetur.

Secunda sententia. Capreolus enim quæst. 3. prologi sententiarum, cum multa in fauorem vtriusq; partis retulisset, in eam partem magis inclinat, quæ docet specierum intelligibilium congeriem esse habitum intellectualem, & nō
18. aliam qualitatem eis superadditam: & hæc fuit
Nominal. sententia Nominalium: quam non solum sequitur, sed egregiè declarat, atque confirmat Paulus Soncinas 6. metaph. quæst. 9. vbi illud in primis adnotandum censet, species intelligibiles duplices esse, quasdam simplices simplicem rei quidditatem, vel accidentia repræsentantes: quibus mediantibus eam simplici notitia percipimus, & eiusmodi sunt, quas intellectus agens abstrahit à phantasmatibus, vt species hominis, aut leonis: aliæ sunt species compositæ, vel complexæ rem compositam repræsentantes, quæ ex simplicibus fiunt: informatus enim intellectus speciebus hominis, & risibilis: hanc compositionem format, homo est risibilis: quasi ex multis simplicibus vnam speciem compositam constituens: inter vtramque verò illud esse discriminis docet, quod simplex ab intellectu agenti, complexa verò à possibili per apprehensionem, & iudicium formatur: vnde infert requiri species simplicès ad constitutionem habitus, non tamen esse habitum nisi complexas, non quidem confusè acceptas, sed ordinatas hoc modo, vt postquam intellectus 19.
agens possibili impressit species simplices hominis, rationalis, & capacis disciplinæ, per apprehensionem, iudicium, ac discursum, tales ex eis compositiones formet, & ad constitutionem demonstrationis ordinet, omne animal rationale est capax disciplinæ: omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est capax disciplinæ, & rursus speciebus admiratiui, atque risibilis acceptis, eliciat, hominem esse admiratiuum, & risibilem, & sic suo ordinè per essentiam demonstrat primam passionem, & per hanc secundam, & ex hac tertiam, sicque de cæteris, & hoc modo ordinans species complexas habitum scientiæ 20.
constituit, itaque species complexæ principiorum, & conclusionum, quæ per diuersas demonstrationes suo ordine ab eis deriuantur, habitum scientiæ constituunt absque alia qualitate eis superaddita, tantundemque de cæteris habitibus intellectualibus suo modo iudicandum erit, videlicet importare singulos species complexas in recto, & in obliquo ordinem, ratione cuius vnum per se habitum efficiunt.

Hæc sententia videtur propria D. Thom. multis suæ doctrinæ locis, quibus, tam de generatione habituum intellectualium, quam de augmento loquitur, de generatione quidē loquens quæst. 10. de veritate art. 2 ait. *Anima* Primus locus D. Thom.
Christi cognitione, qua Verbum videbat indiguit habitu, quod est lumen, ad cognitionem verò creaturarū habuit habitum, qui est collectio specierum ordinatarum ad cognoscendum, &c. Et in 3. dist. 14. quæst. 1 art. 3. quæstiuncul. 4. *Diuisio habituum* (ait) *in diuersis rebus cognoscendis contin-* 21.
git in nobis, ex hoc quod formæ intelligibiles in nobis sunt minime vniuersales: vnde oportet, quod diuersas res per diuersas species cognoscamus, & diuersæ species secundum genus faciunt diuersos habitus scien- 2. Locus.

tum scientiarum Et 1. lib contra gentes, cap. 56.
3. Locus. *Habitus inquit, vel est habilitas quædam ad recipiendum species intelligibiles, vel est ordinata congregatio ipsarum specierum intelligibilium existentium in intellectu, non secundum actum completum*
4. Locus. *sed medio modo inter potentiam, & actum.* Et cũ de augmento ageret. 1.2. quæst. 57 art. 2 hæc
21 scripsit verbis. *Scientia potest augeri secundum se ipsam, sicut cum aliquis plures conclusiones Geometricæ addiscit, augetur in eo habitus eiusdem scientiæ secundum speciem, &c:* Et clarius 3 part. qu.
5. Locus. 17 artic. 2. Docet habitum scientia augeri, ex eo, quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus potest alias, atque alias abstrahere. Quibus in specierum complexarum multiplicatione incrementum habitus ponens, nõ aliud esse ab eisdem speciebus profitetur.

I. Ratio. Et ratione probatur. Quia nec generatio
23 habitus, nec augmẽtum eius bene intelligitur posito quod sit aliqua vna qualitas speciebus superaddita: non generatio, quia non videtur possibile vnam simplicem qualitatem tot obiecta diuersa, quod sub adæquato eiusdẽ sciẽtiæ comprehenduntur, respicere posse, vel ad eam cognoscendam potentiam inclinare, sed
24. necesse est tot ponere qualitates inclinantes, quot sunt obiecta, & hoc est, quod ponimus dicentes habitum esse ordinatarum specierũ congeriem: augmentum etiam non videtur intelligibile, nisi dicatur per nouam specierũ acquisitionem fieri, sic namque bene intelligimus maiorem esse, vel perfectiorem scientiam, quia ad plura obiecta per nouas species cognoscenda extẽditur. Eandem autem qualitatem simplicem ad noua obiecta terminari impossibile est: nam vel noua pars ei additur, & tunc non erit eadẽ, vel simplex, sed cõposita, aut non additur, & tunc sine additione non intelligitur, quo pacto noua obiecta respiciat, quare dicendum est collectionem specierum potius, quã aliam qualitatem superadditam esse habitum.

Vera sententia explicatur.

Vera sent. SEcunda opinio tenet intellectualem habitum qualitatem esse distinctam, atque superadditam speciebus, per vsum earum acquisitam: hanc sequitur Hẽricus Gand. quodlib. 9. q. 4. & ex discipulis D. Tho. Ferrar. 1. lib. contra gent. c. 56. Magist. Soto quæst. 3. procemiali. Caiet. 1. 2. quæ. 54. art 4 & moderni o-
25. mnes post ipsos, accipientes absque dubio, ex D. Tho. qui eodem articulo tria de habitu intellectuali docet in corpore: primum nempe, esse simplicem qualitatẽ, quod probat ex simplicitate subiecti: nam intellectus non est multiplex, sed vna simplex qualitas: ergo talis erit habitus, cum perfectio quælibet suo sit perfectibili proportionata & quemadmodum intellectus, ait, consideratur ex parte obiectorũ, ad quæ se extendit, & ex hac parte quandam habet multiplicitatem extensiuam: & rursus, vt est in se, quo pacto vna simplex potentia est & sub vna ratione obiectiua, multa respicit pari ratione habitus ex parte rerum, ad quas se 26.
extendit potentiam inclinans, multiplex quodammodo est: sed quia sub vnica ratione obiectiua respicit omnes, in se est vna qualitas simplex: ex qua distinctione simplicitatem habit⁹ clarius infert hisce verbis: *Inde est, quod habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat, &c.* Hæc D. Thom. ex quibus euidenter deducitur habitum, non esse congregationem specierum apud ipsum, cum non admittat cõpositionem, ex multis habitibus partialibus: species enim plures eundẽ habitum cõponere repugnat, nisi tanquã partes eius integrantes: in solutione ad primum generationem habitus intellectualis fieri negat per successiuam productionem partium, sed vnius, eiusdemq; qualitatis simplicis, quam non habere statum, 27
& perfectionem habitus docet, quousque frequens vsus eam corroborat, atq; cõfirmat, ac difficile mobilem à subiecto reddit. Ac tandẽ in solutio ad 3. de augment. eiusdem habitus sic loquitur: *Ille qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam conclusionis vnius, habet quidem habitum, sed imperfecte, cum vero acquirit per aliquam demonstrationem scientiam conclusionis alterius, non aggeneratur in eo alius habitus, sed habitus, qui prius inerat, sit perfectior, vt pote ad plura se extendens, &c.* Quæ absque dubio stare non possunt cum opinione præcedenti, de specierum congerie, nam si hæc esset habitus, cum successiue acquirantur singulæ species, augeretur habitus ipse per aggenerationem multorum habituum partialium, sentit ergo D. Thom. species ad generationem habitus esse omnino necessarias, sed aliam qualitatem per vsum earum comparatam vere, & proprie esse habitum: & hanc sententiam tanquam veram, & D. Thomæ propriam amplectimur, quam his rationibus confirmare solent.

I. Ratio. Habitus intellectuales non habentur à natura, sed vsu, atque exercitatione comparantur (vt communis consensus totius Peripateticæ scholæ tenet) sed species intelligibiles præsupponuntur actibus, ergo repugnat esse habitum. Probatur minor, nam intellectus sicut quælibet alia potentia cognoscitiua non operatur, nisi prius ei coniũgatur obiectum, ex vtriusque etenim coniunctione fit vnum principium totale, atque sufficiens actus, sed obiectum coniungitur potentiæ medijs speciebus, tanquam virtutibus proprijs, ergo prius sunt species ordinatæ in intellectu, quam actum intelligendi eliciat, cum ergo habitus generetur per repetitionem actuum, sequitur plane non esse species ordinatas, sed quid posterius per earum vsum genitum.

28

Cõfirmat. Et confirm. quia intellectus informatus speciebus effectiue producit actum, ergo id etiam quod ex actibus resultat, nempe habitum, qui sicut est effectus potentiæ, sic etiam specierũ, quibus informatur, diuersæ igitur qualitates sunt species ab habitu, sicut causa quælibet ab effectu distinguitur.

29

II. Ratio. Secũdò, Habitus est qualitas, per quam facile, prompte, & cum delectatione operatur potentia, sed stat intellectum esse informatũ speciebus, & adhuc non habere facilitatem ad operandum, cum eam comparet per frequentem vsum, ergo facilitas distinctum quid est ab speciebus ordinatis, atque adeò habitus ipse, qui ipsamet facilitas est.

30.

III. Ratio. Quomodo intendãtur qualitates, & extendãtur. Probatur tertiò. Ex modo augmenti, seu intensionis eiusdem habitus. Bifariam enim augetur qualitas, secundum intensionem, & extensionem: extensio qualitatis fit per informationem diuersarum partium eiusdẽ subiecti, si corporea sit, nam spiritualis, sicut eius subiectũ, partibus caret. Exemplũ habemus in calore manus, vel capitis, cum ad manum alterã, vel pedem extenditur, & augmentum hoc fit per additionẽ nouæ partis formæ de potẽtia nouę partis subiecti, & si qualitates spiritualis sit (quales sunt habitus intellectuales de quib⁹ loquimur) augetur secundũ extensionem, ex eo q̃ ad noua obiecta cognoscenda terminatur, intensio autem propria qualitatis est, quã do eadem præexistens, & circa eandem partẽ subiecti perficitur, & in habitibus quando circa vnum, idemque obiectum perfectius cognoscendum, hoc est clarius, vel distinctius, vel facilius, iuxta modum concurrendi eiusdem habitus ad illius cognitionem, sed si habitus sit specierum congeries, poterit quidem secundum extensionem augeri, dum nouis speciebus acquisitis noua cognoscuntur obiecta, nequaquam secũdum intensionem, nam species intelligibiles per frequentem vsum non perficiuntur, cum sint simplices quædam obiectorum repræsentationes, non recipientes magis, & minus, nec enim ex vsu earum crescit repræsentationis perfectio, sed omnino naturaliter à principio productionis habetur tota, & solum vna perfectior altera dicitur, propter maiorem perfectionem causæ, à qua producitur, obiecti quidem, & luminis, ex quorum influxu imprimitur, non est ergo designabilis modus intensionis intellectualium habituum ab hac sententia, quæ ponit esse specierum congeriem, vel multitudinem.

31.

32.

Contra Sõzinat. responsionẽ. Illud enim, quod Sonzinas vi huius argumenti oppressus admittit, nempè species ipsas intendi per vsum, simplicitati, atque indiuisibilitati earum aduersatur, nam cum repræsentatio sit naturalis, & ex simplici comparatione speciei ad obiectum desumpta, non depẽdet ab vsu, nec per illum potest crescere, vel intendi, ponẽda est igitur quædam alia qualitas per vsum specierum, vel actuum frequentationem acquisita, quæ vere, & proprie sit habitus hæc autem non est aliud in intellectualibus, & moralibus habitibus, quam facilitas, & prõptitudo operandi circa proprium obiectum, quam eorundem actuum repetitio perficit, nam quo magis actus, præsertim intensiores multiplicantur, & facilior redditur potentia, ac promptior ad futuros eliciẽdos, in quo cõsistit intensio, vel augmentum habitus.

33.

Vltima ratio. His rationibus vnam aliam adiungere placet, non solum prædictam sententiam corroborantem, sed plane ostendentem falsitatem oppositæ, est autem talis. Intellectus noster duas sortitur operationes, videlicet apprehensionem, & iudicium, postquam enim obiectum per intelligibiles species apprehendit, de veritate illius iudicat, quod est quasi sententiam ferre: itaque iudicium præsupponit apprehensionem, & in vtraque apprehensione depẽdet intellectus ab alio, in apprehensione quidem ab obiecto mouente per species medijs phantasmatibus, à quibus abstrahuntur, vnde Arist. hoc. 2 lib. poster. cap. 14 & 3 lib. de anima cap. 8. *Qui non sentit (ait) nihil discere potest.* 34.

In

In iudicio verò pendet intellectus ab apprehensione in genere causæ materialis, quia non iudicat, nisi de re, vel materia apprehensa, & quia apprehensio materialis tantum causa iudicij est, non sufficienter determinat intellectum ad iudicandum: in quo noua, & maxima difficultas est, cum multi be-
35 nè apprehendentes in iudicando errent, requiritur ergo præter species, quantumlibet ordinatas, aliquid ex parte ipsiusmet intellectus à quo per modum efficientis determinetur ad iudicium ferendum, cum ipse indifferens sit ad bene, vel male, facile, vel difficile iudicandum, hoc autem non potest esse obie-
36 ctum, quod solum concurrit mediante specie ad apprehensionem, & eadem ratione non potest esse species ipsa apprehensioni dumtaxat deseruiens, ergo aliud ponendum est, à quo sufficienter determinetur, facilisque ad iudicandum reddatur, & hoc est proprium munus habitus, in hoc consistit eius necessitas: ex quo etiam deprehenditur falsitas oppositæ sententiæ, quæ, cum ponat determinatiuum intellectus pro apprehensione nempè speciem, nullum ponit pro iudicio ferēdo, in quo maior est, & noua difficultas, quam nō potest vincere species.

Confirm. Confirmatur demum hæc sententia, ex similitudine habituum supernaturalium ad intellectum pertinentium, quales sunt diuina fides, donum scientiæ, sapientiæ, & intellectus
37 de quibus certum est in schola Theologorum esse quasdam qualitates ab speciebus distinctas, non solum in hominibus per species à rebus desumptas cognoscentibus, sed etiam in Angelis, quibus à Deo infunduntur. Tantundem ergo sentiendum est de habitibus naturalibus, & moralibus, cum vniuersaliter verū sit supernaturalia, quæ Deus operatur in anima, naturalibus accommodari.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

Nota. AD solutionem autem argumentorum iam deuenientes, vt germanum sensum D. Thom. eliciamus, & priora
38 testimonia cum posterioribus componamus, obseruandum est, ad quemlibet actum habituum intellectualium quatuor concurrere, duo quidem ex parte potentiæ, & totidem ex parte obiecti, ex parte quidem intellectus concurrit lumen intellectuale ipsius, quod non est aliud, quam virtus percipiendi, ac penetrandi naturam obiecti. Concurrit etiam facilitas, & promptitudo acquisita per repetitionem actuum, qua informata potentia facile, prompte, & cum delectatione operatur, ex parte autem obiecti concurrit eius natura formaliter scibilis, vel intelligibilis, certe sub ratione formali aliorum habituum intellectualium: concurrūt etiam species eiusdem, tanquam virtutes propriæ, quibus mediis coniungitur potentiæ.

Ex his autem quatuor certum est, nec potentiam, neq; obiectum esse habitum: de speciebus etiam non minus est certū maximam eū habitu similitudinē habere, nam cum propria ratio habitus sit esse qualitatem difficile mobilem à subiecto, id habent species, quæ post- Nec potētia, neq; obiectum esse habitū.
quam semel imprimuntur, difficile, vel nunquam abolentur. 39
Et rursus cum propria conditio habitus sit determinare potentiam ad operandum, eandem conditionem suo modo sortiuntur species, quarum quælibet determinat intellectum ad operādum circa obiectum per eam repræsentatum, cum sit de se indifferens ad operandum circa omnia, & propter maximam similitudinem cum habitu in his
tribus consistentem reducuntur species intel- 40
ligibiles ad speciem habitus in prædicamento qualitatis. Sed in hoc cernitur maximum discrimen inter vtrumq;, quod proprijssima cōditio habitus est subiectum disponere, vt bene, vel male se habeat in ordine ad aliud, nempe operationem, qua conditione carent absque dubio species, cum apertum sit intellectum eis adhuc informatum posse bene, & male operari, errare enim potest intellectus specie informatus, & aliquando errat. Quę sit proprijssima conditiō habitus.

Per habitum vero determinatur ad bene operandum, repugnat enim intellectum ex habitu intellectuali scientiæ, vel intellectus, vel alterius cuiuspiā male operari, & si operetur ex habitu opposito erroris, repugnat operari bene, Determina- Per habitū determinatur potētia.
tur rursus ad facile, prompte ac delectabiliter 41
operandum, quod est etiam bene operari, nam difficultas malum quoddam est, itaque species determinant intellectum ad operandum simpliciter, non ad bene, vel male operandum: operari præstant, non tamen bonum vel malū vsum operationis, & cum vtraque sit essentialis, & propria conditio operatiui habitus, sequitur euidēter species intelligibiles non esse habitum, sed aliam qualitatem eis superadditam prædictas conditiones habentem.

Cæte-

Quare species dicantur habitus D.Thomas explicatur. 1.Modo.

Cæterum, propter maximā similitudinē cū habitu explicatam vocantur species sæpe habitus, vnde D. Thomas prioribus illis locis (in quibus de natura habitus Intellectualis ex professo non differebat) specierum congeriē vocauit habitum, similitudine quidem, non proprietate, quousque exactum de habitu disputationem in posterioribus instituit, tunc enim

42 propriam quidditatem, & essentiam eius fecernere ab alijs oportebat, ac distinguere ab speciebus, cum quibus tantam habet similitudinem.

Accedit illud, quod in more positum est apud Aristotel. & alios grauissimos Doctores, vbi non ex professo, sed cursim de re loquuntur, circa quam diuersæ opiniones versantur, modo iuxta hanc, modo iuxta illam loqui, quousque suo loco, ac tempore quæstionem discutiunt, tunc enim propriam sententiam

2. Modo.

43 proferunt, eam à cæteris separantes. Id autem fecisse in hac re D. Thom. euidenter probat testimonium illud, quod nos ex lib. 1 contra gent. in fauorem prioris sententiæ retulimus, vbi habitum esse ait esse, vel passiuam habilitatem recipiendi species intelligibiles, quod fuit placitum Auicennæ, iam a se refutatum in sententijs, & quæstionibus de veritate, vel specierum congeriem, nihil tunc de habitus essentia determinans, sed determinaturus postea in proprijs locis.

Quis sit sensus D.Tho.

Vel demū sensus D. Tho. in prioribus locis causalis est, species namq; habitus sunt causa, ideo causaliter vocantur habitus, sed sensus posteris loci, in quo ad vnguem examinatur propria natura habitus, formalis. Ecce quo pacto

44 diuersa testimonia D. Thom. ad concordiam reuocantur, & ex posterioribus cōstat propria eius sententia.

Argumentorum solutio.

Argumenta autem eiusdem sentētiæ non est difficile soluere, nam generatio habitus, eiusque argumentum longe melius intelliguntur, si ponamus habitum esse qualitatem simplicem, quam compositam ex multis specieb⁹, generatio quidem, quia vna simplex qualitas producta (vt ex D. Thom. doctrina attulimus) multa potest obiecta respicere, sub vnica formali ratione obiectiua (à qua vnitatem accipit ipsemet habitus) comprehensa, quo pacto non multorum, sed vnius obiecti rationem sortiuntur: augmentum etiam non solum in-

45. telligitur melius, sed certe iuxta priorem sententiam penitus est intelligibile, nam per nouum specierum aduentum intelligi potest maior extēsio habitus ad noua obiecta eis mediātibus cognita. Cæterum, intensio non est intelligibilis, cum non tā in nouis obiectis cognoscēdis, quam in eisdem perfectius posita sit nec species intellig.biles intensionis sunt capaces (vt ostendimus) posita autem vna simplici qualitate speciebus superaddita, quam frequens actuum repetitio perficit etiam circa eadem obiecta optimè explicatur intēsio habitus in eadē perfectione facilitatis per actus comparata consistens.

QVAESTIO TERTIA.

Sit ne sufficiens diuisio habitus intellectualis ab Aristotele posita in quinque illa membra, intellectum, sapientiam, scientiā, prudentiam, & artem.

Rationes dubitandi afferuntur.

HAnc diuisionem attulit Aristotel 9 li. Ethic. cap. 3. & aliqua ex parte 1. lib. Posterio. cap 26. ad finem, cuius sufficientiam merito in dubium reuocamus, nam præter hos quinque habitus intellectuales, plures esse videntur ad eos non reducibiles. Et in primis fides humana habitus est, quo assentimus his, quæ ab homine fide digno testificantur. Et cum vera prudentia sit fide dignis credere, sequitur fidem humanam esse non solū habitum, sed virtutem intellectualem: tantundemque de habitu opinionis, quo probabilibus assentimur, censendum erit: quod autem ad nullum ex quinque referantur, notum erit, si imperfectissimam eorum conditionem perpendamus, quæ talis est, vt non repugnet eis subesse falsum, cum tamen quinque illi habitus certi sint, euidentes, atque adeò semper veri. 47 Argu. primum.

Secundò: experimentalis singularium notitia certa, & euidens est, & tamen non est scientia, neque aliquis alius ex numeratis habitibus. Non scientia, sapientia, aut intellectus, quia isti circa vniuersalia versantur, non ars, vel prudentia, quæ licet versentur circa singularia, practice tamen, experientia vero speculatiua cognitio est, insufficiens igitur erit ex hac parte diuisio. Secundum argum. 48

Ter-

III. Argu. Tertiò. Tria membra huius diuisionis priora, nempe intellectus, sapientia, & scientia habitus sunt speculatiui, vt docet plane D. Thô. 1.2 quæst. 57. articul 2 duo autem posteriora scilicet prudentia, & ars, practici, cum circa singularia modo, & fine operabili versentur, quo supposito non habebunt in hac diuisione locum scientiæ practicæ, vt Philosophia moralis, & Medicina ex ea parte, qua scientia practi
49. ca est, nec non Dialectica, quā in inter practicas scientias referunt multi: nam eiusmodi scientiæ non sunt habitus practici, siquidem non versantur circa singularia, vt prudentia, & ars, sed nec speculatiui, cum de operabilibus, & modo operabili tractent, saltem in vniuersali, & ad singulares operationes præstandas, vel dirigendas, tanquam ad proprios ordinentur fines, deficit igitur aliquod membrum huic diuisioni.

Postremo de habitibus supernaturalibus,
IV. Argu. vt fide diuina, donis intellectualibus, intellectus, sapientiæ, & scientiæ specialis est difficultas, quos licet Aristoteles non agnouerit, certum tamen est ad hanc diuisionem pertinere, cum sint virtutes intellectuales, vel certe vir-
50. tutibus intellectualibus altiores, oportebit igitur nonnulla membra ei addere, vt sufficiens reputetur.

Explicatur sufficientia diuisionis, & tria dubia soluuntur.

EAM nihilominus tanquam sufficientem recipit D Thom in commentarijs eiusdem loci, & 1 2. q 57. artic 3. & 4. & cū
51 eo vniuersi interpretes. Cuius sufficientia vnum tanquam certum præsupponit, nempe diuisum eius esse habitum, quo vtens intellectus semper dicit verum, ac si dicamus, quo intellectus omnino determinatur ad verum, is namque solus perfectionem virtutis intellectualis pertingit, si Aristoteli credimus, qui virtutem definiens 2. lib. Physi tex. 11 dicit esse dispositionem perfecti ad optimum, est autem optimum intellectus, verum infallibiliter attingere, à qua perfectione longe absunt suspicio, fides humana, & opinio, quibus non repugnat sub esse falsum, vnde fit à ratione etiam habitus intellectualis degenerare, ac propterea à præcedenti diuisione merito fuisse ab eodem Aristotele hisce verbis eiusdem loci depulsas: *Nam existimatione, & opinione fieri potest vt mentiamur.*

Quo præsupposito sufficientiam diuisionis hoc fere modo colligit D Thom. vbi supra optimum intellectus est verum infallibiliter cognoscere, quod vniuersale est, vel singulare: si vniuersale, aut per se cognoscibile, hoc est, nō per medium, sed ex sola notitia terminorum, 52. pro quo ponitur prima virtus intellectualis, quam vocamus intellectū, seu habitum principiorum, vel nō est per se notum, sed per discursum, & tūc aut per supremas causas demonstratur, & ponitur pro eo secunda, quæ dicitur sapientia, aut per inferiores, & particulares, & ponitur tertia, quam communi nomine appellant scientiam: si verò singulare sit, aut agibile est, circa quod agendum, vel dirigen- 14. dum versantur internæ actiones, & ponitur pro eo prudentia: vel factibile per operationes externas, & ponitur ars, nec est aliquis alius habitus perducens intellectum, ad infallibilem notitiā veritatis præter hos quinque. Sufficientiam diuisionis colligit.

Primum igitur, & secundum argumentum soluit præmissū fundamentum, nec enim cognitio intellectualis quæcunque ad præsentē diuisionem pertinet, sed certa solum, & infallibilis, & quæ rationem habitus intellectualis, virtutisque pertingit, vnde ex defectu primæ 53. conditionis excluduntur illæ, quibus falsum subesse potest: & ex defectu secundæ experimentalis à ratione virtutis degenerans, quanquam nonnihil habeat similitudinis cum scientia cuius ad eam reduci potest. Ad 1. & 2. respond.

Libet postremum argumentum prius, quā tertium diluere, quia prolixior est huius solutio. Dicendum est ergo eiusmodi Aristotelicā 54 diuisionem solos habitus intellectuales, qui sunt naturales, vel morales virtutes, comprehēdere: cum supernaturales non agnouerit ipse: quas tamen ad prædicta membra sic referre possumus, vt diuina fides, quæ sine aliquo discursu assentitur supernaturalibus veritatib⁹ ad intellectum per similitudinem reducatur, & pariter lumen Gloriæ, quo medio simplici intuitu Diuinam essentiam clare vident Beati: donum item intellectus diuinas veritates etiam sine discursu penetrans: dona autem sapientiæ, & scientię, ad sapientiam, & scientiā, quas perficiunt. Ad postremum.

Pro solutione tertij dubij notabilia, & solutio quorundam recentiorum.

b Ten-

I. Notabile. TERTIVM argumentum difficile est: pro cuius solutione illa distinctio practici à quibusdam adhibetur, qua di-
55. stingui solet, in illud, quod circa singulares actiones, aut operationes dirigendas, vel efficiendas proximè versatur: quod ideò perfectè practicum nuncupatur, vel quod idem est practice practicum, quia praxis singularem operationem sonat: & rursus in aliud operationem quidem considerans non singularem, sed in communi, vniuersales regulas eam efficiendi, vel dirigendi tradens: & hoc est quasi practicum secundum quid. Quemadmodum operatio in communi considerata non vocatur nisi secundum quid praxis: non enim efficitur, aut dirigitur praxis, aut operatio nisi in singulari: practicum igitur primum, quod tale vocatur simpliciter, solum reperitur in prudentia, & arte,
56. quæ circa singulares, & contingentes actiones, vel operationes efficiendas, vel dirigendas versantur. Practicum postremum imperfectum quidem, ac tale, secundum quid participant scientiæ, quas vocare solemus practicas pro eo, quod circa obiectum operabile versantur, licet in communi consideratum, modo quidem operabili, cum vniuersales præscribant regulas, iuxta quas singularis operatio præstanda, aut dirigenda est, & fine demum operandi, siquidem huius rei gratia præcepta tradunt, vt bene fiat, aut dirigatur.

II. Notabile Adnotant secundò, plus requiri vt habitus dicatur simpliciter practicus, quam vt dicatur scientia simpliciter practica: cuius ea est ratio, quia habitui non repugnat circa sin-
57. gularia proximè versari, quod omnino requiritur, vt practicus simpliciter dicatur: repugnat autem scientiæ, cuius propria conditio est de vniuersalibus agere: nam de singularibus non est demonstratio, neque definitio, neque scientia: quod considerans Aristote-
58. les, duos solum habitus practicos posuit, videlicet prudentiam, & artem, quia his solis conuenit, circa singulares operationes proximè versari: vnde fit scientiam non esse habitum simpliciter practicum, sed speculatiuū simpliciter, & practicum secundum quid, quia circa praxim secundum quid versatur, hoc est, circa operationem dirigendam in vniuersali. Nihilominus scientia practica simpliciter appellanda est: cum habeat omnem rationem praxis scientiæ possibilem, & ideò sufficientem, vt talis denominetur simpliciter, quamuis comparata ad praxim denominantem habitum simpliciter practicum, non sit nisi secundum quid. Itaque practica vocatur scientia simpliciter, quæ de re operabili in communi tractat, modo, atque fine operandi, quia licet non versetur circa praxim simpliciter, hoc est, singularem operationem, 59.
versatur circa praxim simpliciter comparatione speculatiuarum scientiarum, quarum finis sola veritatis cognitio est, quod satis fuit, vt Aristoteles atque eius interpretes, scientias practicas à speculatiuis distinguerēt, & intra latitudinem scientiæ, eas vocarent simpliciter practicas, quæ ex modo, & fine tales sunt ad differentiam aliarum, quæ de re quidem operabili tractantes, non modo, nec fine operandi, sed veritatem cognoscendi tractant, quas ideò non nisi secundum quid practicas appellari voluit.

Ex quibus inferunt, quod cum duo sint practici habitus duntaxat, nempe, artem & prudentiam, vt voluit Aristoteles, sub eis non 60.
collocantur scientiæ practicæ cum sint habitus simpliciter speculatiui, sed sub scientia in communi, quæ habitus speculatiuus est, sicut intellectus principiorum, & sapientia: argumento aut procedenti à practico scientiæ ad practicum habitus satisfecisse putant discrimen traditum inter scientiam practicam, & practicum habitum, quo ostenditur plus ad praxim habitus, quam scientiæ requiri, vnde ad formam eius admittunt, necessariam esse consecutionem ab inferiori ad superius affirmatiuè, & à superiori ad inferius negatiue, modo idem sensus seruetur: eundem autem sensum seruari aiunt, si intelligatur, quod quemadmodum scientiæ non sunt directiuæ 61.
operationum nisi in vniuersali, pari ratione, neque habitus practici, nisi circa vniuersalia, vnde vtrumque attribuitur eis, eodem modo vtrumque imperfectè, imò neutrum simpliciter, sed vtrumque secundum quid.

Solutio eorundem.

Cæterùm, quia in diuerso sensu loquimur, cum scientias appellamus practicas eo modo, quo scientia capax est practicæ rationis, & cum habitus vocamus practicos, eo etiam modo, quo habitus circa singularia, possunt habere perfectam, & integram rationem practici

ctici, nihil colligitur in augmento, nam scientiæ practicæ sunt quoddam medium inter artem, & prudentiam, ex parte vnius extremi, & speculatiuas scientias, ex parte alterius: ita vt comparatione vnius extremi dicantur potius habitus cognoscitiui, quam operatiui & respectu alterius practici, & operatiui.

Obiectio. Et sibi statim obijcientes, ex prædicta solutione inferri scientias non esse practicas simpliciter, sed secundum quid, vt pote rationem
62. practici non nisi secundum quid participantes, quæ non valet constituere habitum simpliciter practicum Respondent negandam esse omnino consecutionem, quia in eo modo
Resp. argument. quo scientiæ esse possunt practicæ, aliæ sunt tales per accidēs ex fine scientis, aliæ materialiter, & secundum quid ab obiecto operabili, non modo, aut fine operandi considerata: aliæ demum formaliter, & proprie, quæ ex propria natura respiciunt obiectum operabile, & tractant illud modo operabili, & istæ sunt, & appellantur simpliciter practicæ ad differentiam aliarum, non tamen ad differentiam prudentiæ, & artis, quarum comparatione non sunt practicæ simpliciter, sed secundum quid
63. & ideo neque habitus simpliciter practici, sed secundum quid, ex quibus intelligitur stare posse, quod in ordine scientiarum quædam dicantur simpliciter practicæ, non tamen in ordine habituum.

Excluditur relata doctrina.

I. Ratio. ACVTE satis dicta, sed quæ falsis innituntur fundamentis, & argumento minime satis faciunt. Ostendo primum, nam duplex est fundamentum huius sententiæ, primum, nullum dari habitum ve-
Probatur. re, & simpliciter practicum præter eos, qui circa singularia, & contingentia proxime versantur, artem videlicet, & prudentiam, sed om-
64 nes qui versantur circa vniuersalia etiam operabilia modo, & fine operandi, esse simpliciter speculatiuos: hoc autem esse falsum sic probo, nam vt scientias practicas interim omittam, de quibus modo ex controuersia, euidēs est synderesim, quæ est habitus, quo assentimur principijs practicis vniuersalibus vt bonum esse faciendum, fugiendum malum legem Dei seruandam, & id genus alia, esse in intellectu practico, vereque, & simpliciter habitum practicum, (vt cōmunis Doctorū Scholasticorum consensus tenet) & in primis D Thom. multis suæ doctrinæ locis præsertim. 1. par. quæst. 79 articul. 12. hisce verbis. *Sicut ratio speculatiua ratiocinatur de speculatiuis, ita ratio practica ratiocinatur de operabilibus, oportet igitur naturaliter nobis esse indita, sicut principia speculabilium, ita & principia operabilium.*
Quæ in eo fundantur, quod ad eandem potentiam pertinent conclusiones, & princi- 65
pia, ex quibus deriuantur, sed ratio practica ratiocinatur ex his principijs, ergo ad eundem practicum intellectum pertinebunt, sed in intellectu practico non sunt speculatiui sed practici dumtaxat habitus, ergo synderesis erit habitus simpliciter practicus: & 2. 2. quæstione. 47 artic 6. ad 3 sic se habere docet synderesim ad prudentiam, sicut intellectum principiorum ad scientiam, in eodem igitur intellectu practico collocatur vtraque, vbi Caietan. verba D. Thom. elucidans idem expresse docet, in hæc verba: *Propterea tam in intellectu practico, quam speculatiuo alia virtus respectu principiorum, nempe synderesis. alia respectu conclusionum videlicet prudentia & scientia.* Eandem doctrinam expressius tradidit D. Thom.
in 2. distinction. 24. quæstione 2. articulo 3. 66
his verbis. *Sicut ratio in speculatiuis deducitur ab aliquibus principijs per se notis, quorum habitus intellectus dicitur, ita etiam oportet, quod ratio practica ab aliquibus principijs per se notis deducatur, vt quod est malum, non esse faciendum, præceptis Dei obediendum fore, & horum quidem habitus est synderesis, vnde dico, quod synderesis à ratione practica distinguitur non quidem per substantiam potentiæ, sed per habitum, qui est quodammodo innatus menti nostræ, ex ipso lumine intellectus agentis, sicut & habitus principiorum speculatiuorum, &c* Quibus plane distinguit practico- 67
rum principiorum habitum in intellectu practico residentem (quem vocant synderesim) ab intellectu, qui est habitus speculatiuorum principiorum. Idem sentiunt cum D. Thom. cæteri Scholastici, in 2. dist. 36 præsertim Scotus. quæstione 1. § ad quæstiones ist. 1. Durandus quæst. 4. numero. 11 atque etiam Soncinas. 6. Metaphysic. quæstione 5. & Caietanus, vt vidimus

Probatur (nisi ego fallor) euidenti ratione 2. Ratio.
nam euidens est conscientiam esse actum vel habitum practicum cum sit iudicium particulare dictans, quid hic, & nunc faciendum sit, quid ve fugiendū. fact. s. n. tenemur natur, & faciend s cō rad cit, vt egregiè D Thom. loco supercitato, sed conscientia est actus pro-

68. xin e ex synderesi procedens, cuius vniuersale iudicium ad particularia applicatur, vt ibidem docet D. Thom. his verbis. *Habitus ille, ex quo nascitur actus conscientiæ, nō est habitus separatus à synderesi, quia nō alius habitus est principiorum, & conclusionum, quæ eliciuntur ab eis, &c.* Ergo synderesis ipsa habitus est in intellectu practico residens, cum actus, & habitus à quo elicitur, eiusdem sint potentiæ: & cum versetur circa vniuersalia principia practica, euidenter infertur dari habitum simpliciter practicum præter prudentiam, & artem, qui circa vniuersalia versetur, quanquam verum sit, nō esse perfectè practicum, quia sicut perfecta praxis est singularis operatio, sic habitus perfecte
69. practicus solus est ille, qui circa singularem operationem versatur.

3 Ratio. Tertiò, probatur, quia principia practica diuersissima sunt à speculatiuis, ergo per diuersum habitum eis assentimur, diuersi itaq; sunt habitus intellectus principiorum, & synderesis, sed solum distinguuntur per practicum, & speculatiuum, quemadmodum principia ipsa, ergo necessario dicendum est synderesim esse habitum practicum, quamuis circa vniuersalia versetur.

Illata duo, & vera solutio dubij.

I. Illatum. Et ex eisdem infert non repugnare, quod scientia practica sit etiam habitus simpliciter practicus, quanquam imperfectè, licet versetur circa operabilia in vniuersali, quod ex doctrina Aristot. plane colligitur. 6 Metaph. tex. 1. vbi cum diuisisset facultates in
70 actiuas, factiuas & speculatiuas, & rursus intellectum in actiuum, cuius principium est electio, & factiuum, cuius principium est ars, atq; speculatiuum, qui veritatem simpliciter contemplatur, infert Philosophiam naturalem esse scientiam speculatiuam, quia cum nō habeat principium intellectu actiuo electionem
71. neque in factiuo artem, ad intellectum speculatiuum pertinere necesse est: quasi dicat, factiuam scientiam ad intellectum factiuum, actiuam ad actiuum, speculatiuam ad speculatiuū spectare: ex quibus plane colligitur ex mente Aristotelis scientias practicas actiuas, vel fa-

Illatum. ctiuas non esse in intellectu speculatiuo, sed practico, alioqui si omnis scientia practica esset in intellectu speculatiuo (vt prædicta sententia ponit) friuolum esset eius argumentū Philosophia est in intellectu speculatiuo, ergo est scientia speculatiua, cum in eodem intellectu sint etiam practicæ, si autem scientia practica est intellectu practico, euidenter sequitur practicum esse habitum apud Aristotelem

Quod satis clare absq; dubio probat argumentum illud à nobis propositum, & ab aduersarijs minime solutum: Philosophia, vel Probatur.
Dialectica est scientia practica simpliciter, ergo est habitus simpliciter practicus, ab inferiori ad superius affirmatiue: etenim si verū est (vt Aristot. & omnes profitentur) practicum esse differentiam essentialem scientię, cōstituētem eam in ratione scientiæ practicæ simpliciter, tribuet ergo ei essentialē denominationem sub proprio genere, quod contrahit: sed repugnat essentialem denominationem conuenire speciei simpliciter, & generi secundum quid, ergo repugnabit esse scientiam simpliciter practicam, habitum verò practicum non nisi secundum, quid, vt euidenter probat hoc exemplum: denominatio albi est specifica sub colorato, ergo repugnat aliquid esse album simpliciter, quin etiam sit simpliciter coloratum: differentia itaque essentialis practicæ conueniens scientiæ, ex ordine ad proprium obiectum operabile in communi, nō potest ei tribuere denominationem practicæ simpliciter, quin eandem simpliciter tribuat generi habitus, quod cōtrahit, neque vnquam aliquis oppositum excogitauit, cum nihil omnino inueniatur in rerum natura, cui specifica denominatio conueniat, & non eodem prorsus modo generica: cuius ea est pulchra ratio, quia natura generica eadem est cunctis speciebus, quas constituit, neq; enim natura animalis distincta est ab homine, neq; natura coloris ab albedine, vnde fit, nihil prorsus essentiale, vel accidentale simpliciter, vel secundum quid speciebus attribui, quod non eodem modo attribuatur generi per differentias earū essentiales contracto, repugnabit ergo scientias vocari simpliciter practicas, & non esse habitus simpliciter practicos. 74

Infertur denique non minus esse falsum secundum fundamentum præfatæ sententiæ, II. Illatum.
quod plus requiratur ad rationē habitus practici simpliciter, quam ad rationem scientiæ simpliciter practicæ, neque vnquam somniauit Aristot. solum habitū, qui circa singularia versatur, esse practicum, quanquam perfectè practicum eum dumtaxat esse voluerit, sed distin-

distinguendus est duplex habitus practicus apud ipsum, quemadmodum distinguenda est praxis, quæ proprium eius obiectum est, in praxim perfecto, atq; imperfecto modo sumptam. Perfectum modum praxis habet singularis operatio, cum in singulari dirigatur, vel fiat, imperfectum verò, dum in vniuersali consideratur, iuxta vniuersales regulas operandi, vel dirigendi operationes, ex quibus singularis operatio, vel directio prouenit, & habitus, qui circa illam primo modo sumptam versatur, perfectè practicus est, imperfectè verò, qui eandem in vniuersali tractat, modo quidem, & fine operandi, & sub habitu perfectè practico solum numerantur prudentia, & ars, sub imperfecto verò numerantur in primis habitus practicorum principiorum (quem synderesim vocant) deinde omnes scientiæ practicæ, quæ ab eo deriuantur per media diuersa.

Duplex accepuo praxis.

75.

Ad tertium argumentum, initio positum.

Et iuxta hanc doctrinam ab Arist. D. Thom. cæterisq; interpretibus approbatam hoc modo soluendum est argumentum in principio positum, vt scientias practicas non sub habitibus perfectè practicis artis, & prudentiæ collocemus, sed sub scientia, quæ speculatiuum habitum, & practicum complectitur, sic scientiam speculatiuam, & practicam, practicum quidem habitum, qui circa operabilia in vniuersali versatur, & ideò imperfectè practicum, sed simpliciter, & habitum etiam simpliciter speculatiuum, & sub intellectu, qui est habitus principiorum, collocatur etiam habitus speculatiuorum, ac practicorum principiorum, qui dicitur synderesis, quem simpliciter esse practicum euidenter probauimus, licet imperfectè, quia circa operabilia in vniuersali versatur, & ita nihil aduersus sufficientiam diuisionis probat argumentum, cũ constet nullum esse habitum, aut virtutem intellectualem, cui non sit in ea locus concessus.

76.

Ad testimonium D. Thom.

77.

Testimonium autem D. Thomæ tres priores habitus intellectus, sapientiæ, & scientiæ speculatiuos vocat, quia maiori ex parte speculatiui sunt, nam pauci sunt practici comparatione speculatiuorum: vel per se speculatiuos vocat respectu prudentiæ, & artis, nam licet nonnulli sint inter eos practici, imperfectè tamen, & qui comparatione earum speculatiui quodammodo appellari possint.

* * *

TRACTATVS SECVNDVS.

De primo habitu, seu virtute intellectuali, quæ vocatur intellectus.

Primum locum inter membra huius diuisionis tenet habitus principiorũ, quem & diuisio sub nomine intellectus designauit Arist. 1 lib. post. cap. 26 & l.b. 2. cap. 28. & 6. Ethic. cap. 3 ea fortassis de causa, quia nobilior virtus non alio nomine, quam ipsiusmet potentiæ insigniri debuit, vel certè, quia duplicem modũ seruat potentia intellectiua in suis operationibus: aut enim ex aliquibus principijs ratiocinatur, aut discurrit, & ex tali modo operãdi vocatur ratio, vel certè simplici quodam intuitu veritatem percipit per solam terminorum notitiam, ex quo vocatur intellectus, & assimilatur valde modo intelligendi Angelorum, & quia principia hoc modo intelligit, meritò vocatur intellectus ipsemet habitus, quo ad ea percipienda inclinatur. De quo quatuor sese offerunt discutienda. Primũ an sit? hoc est, an præter potentiam intellectiuam alia sit ponenda qualitas, aliusúe habitus, seu virtus intellectualis, per quam intellectus determinetur, atque inclinetur ad assensum primorum principiorum, vel solus ipse intellectus absque habitus adminiculo valeat talem assensum præstare, vbi etiam explicabitur, quid talis habitus sit, quemúe modũ operandi habeat, si ponendus sit. Secundò, An iam quod necessario requiratur, ipsamet natura cum tribuerit intellectui, ita vt innatum habeat, vel non nisi proprijs actibus comparatum, quemadmodum intellectus ipse, voluntas, & appetitus per frequentem vsum virtutum moralium habitus sibi comparant, & siue vno, alteroúe modo habeatur, discutiendum erit tertio, an vnus sufficiat pro vniuersis principijs, vel iuxta eorum diuersitatem necesse sit plures, specieque diuersos habitus ponere, non secus ac plures habitus diuersarũ scientiarum. Et vt absoluta sit principiorum cognitio, in controuersiam demum vocandum erit, an per tales habitus dumtaxat cognoscantur, vel aliquando etiam per inductionem, vt capite huius operis vltimo docuit Aristoteles.

Intentum, & diuisio tractatus.

1.

2.

QVAESTIO I.

An præter potentiam intellectiuam necesse sit habitum ponere ad cognoscenda prima principia.

Explicatio quæstionis.

PRæsupponit iam controuersia hæc illud, quod quæst. 2. præcedentis tractatus, aduersus Capreolum, & Senzinatem statuimus, habitum videlicet intellectualem non
3. esse plurium specierum intelligibilium collectionem, sed aliam qualitatem speciebus superadditam, de qua inquirimus, an necessario ponenda sit in intellectu, præter principiorum species.

Negatiua sententia suadetur.

Prima opinio negatiua.

NEgabunt quidem præfati authores, cum nullum talem habitum intellectualem admittant, nec solum ipsi, sed ex alijs, qui nobiscum ponunt habitus scientiæ, sapientiæ, prudentiæ, & artis, negant aliqui ponendum esse ad cognoscenda prima principia, sed sufficere sibi intellectum, cuius naturalis inclinatio vocari sæpè solet habitus inditus: sic loquitur M. Sotus 1. lib de iustitia, & iure quæst. 4. artic. 2. non procul à fine agens de lege naturali: & prius talem habitum, tanquam minus necessarium abstulit
4. Durandus in 3. dist. 23. quæst. 1. ad finem, vbi principia ait esse in duplici differentia, quædam sunt prima simpliciter, quæ ex alijs non deducuntur: alia vera ex his deducta, tanquam conclusiones, sed ex quibus aliæ conclusiones deducuntur, quarum respectu principia etiam suo modo appellantur, pro quibus habitus est necessarius in intellectu, nequaquam pro alijs. Vnde cum posteriora hæc principia simpliciter sint conclusiones solum habitum scientiæ agnoscit Durandus, principiorum verò omnino negat, naturalem facultatem intellectus pro assensu eorum sufficere arbitratus.

Prima ratio Durandi.

Pro hac etiam sententia referuntur Nominales, sed probant Doctores isti singulis rationibus suam sententiam, Durandus quidem, quia intellectus merè naturaliter assentitur primis principijs, ita vt proposito obiecto non
5. possit non assentire, quemadmodum oculus obiecto visibili præsenti non potest non videre, sed pro actibus omnino naturalibus, ac necessarijs nullus habitus ponitur, quia habitus debet esse in potentia aliquo modo libera respectu illius actus, pro quo eliciendo ponitur, cum propria sit habitus conditio, vt eo vtamur, cum volumus, ergo pro ijs principijs nō solum non requiritur habitus, sed nec possibilis est, cum potentia sufficiat ad assensum eorum præstandum, sicut quæcunque alia naturalis ad proprium actum.

Secunda ratio M. Soti.

Argumentum Magistri Soti non est multum ab hoc diuersum. Habitus ponuntur in potentijs indifferentibus ad contraria, vt per 6.
eos determinentur ad vnum, quo pacto appetitus sensitiuus per habitum temperantiæ determinatur ad bonum virtutis, cum possit ad malum intemperantiæ declinare, sed potentia intellectiua respectu principiorum non est indifferens ad actum oppositum, videlicet ad errorem, qui est malum eius, sed naturaliter amplectitur eorū veritatem, ad quam ex propria conditione determinata est, ergo non indiget habitu pro eorum assensu.

Confirm.

Et confirmari potest, quia potentijs naturalibus nullam facilitatem præbet frequens suorum actuum vsus: non comparat facilita- 7.
tem oculus ex frequenti exercitio videndi: nō potentia vegetatiua ex consuetudine conuertendi alimentum in substantiam aliti, cuius ea est pulchra ratio, quia facilitas habitus requiritur ad superandam difficultatem ad eliciendum actum, sed potentia naturalis nullam ex se difficultatem sentit in exercitio proprij actus, quem maxima suauitate perficit, cessat igitur in his potentijs (de quarum numero est intellectus respectu primorum principiorum) necessitas facilitatis, vel habitus.

Tertia ratio.

His argumentis tertium adiungere placet ex similitudine voluntatis deductum. Sic se habet intellectus ad prima principia, sicut vo- 8.
luntas ad vltimum finem: nam quemadmodum intentio finis est primus actus voluntatis circa bonum, quod est proprium obiectum, à quo deriuantur omnes electiones mediorum, sic assensus principiorum est primus actus intellectus circa verum, à quo deriuantur omnes assensus conclusionum, sed voluntas circa vltimum finem non indiget habitu, quia ad operandū circa proprium obiectum, (ad quod potentia sufficienter est inclinata) non requiritur, ergo neque intellectus ad assensum principiorum aliquo habitu indigebit. Ad hæc, in potentijs apprehensiuis nul-

Confirm.

lus posuit

lus posuit habitum, sed de se reputantur sufficientes ad apprehendendum quodcunque obiectum, ergo, cum intellectus sit potentia apprehensiua perfectissima, propria virtute poterit apprehendere, & percipere obiectum adeo sibi proportionatum, ac sunt prima principia per se vera, per se necessaria, ac per se intelligibilia, quibus per se, hoc est, sine vllo medio expositis terminis mox assentitur.

Opposita sententia Aristotelis prefertur, & explicatur.

INdubitabilis est sententia Arist. quod præter potentiam intellectiuam ponendus sit habitus principiorum, qui dicitur intellectus, per quē determinetur ad assensum principiorum.

Probatur. Probatur euidenter ex duobus locis superius memoratis: nempè 2. lib. post. cap. 26. & 6. Ethic. cap. 3. vbi inter virtutes intellectuales enumerat intellectum, non quidem pro potentia naturali, qua intelligimus, quæ longè est à ratione virtutis, nam virtutes potentijs superadduntur, vt ad speciales quosdam actus determinentur, modumque eis ponant, vnde, cum in potentijs recipiantur, necesse est qualitates ab eis esse diuersas, & secundū speciem, cum diuersa sit species qualitatis habitus à naturali potentia, & secundum entitatem realem, cum tota entitas realis potentiæ ab ipsa natura fuerit rebus concessa, virtutes autem per frequentem vsum comparentur, vnde D Thom vt euidenter ostenderet, non de potentia intellectiua, sed de habitu principiorum ei superaddito loqui Aristotelem, hæc verba scripsit in eiusdem loci commentarijs, *Accipitur autem hic intellectus non pro ipsa intellectiua potentia, sed pro habitu quodam, quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter cognoscit principia indemonstrabilia.* Quibus etiam profitetur talem habitum, qui sit virtus intellectualis, ponendum esse præter intellectiuam potentiā ad cognoscenda prima principia, sicut ponitur habitus scientiæ ad assensum conclusionum: quod etiam professus est postea 1. 2. quæst. 9. art. 1 & quæst 94. art 1. quem his verbis clausit. *Principia indemonstrabilia in speculatiuis non sunt ipse habitus principiorum, sed sunt principia, quorum est habitus.* Synderesim etiam ponit D Thom intellectum principiorum practicorum in intellectu practico tanquam habitum distinctum, & superadditum ipsimet intellectui practico, in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 4. his verbis *Patet qualiter differant synderesis, lex naturalis, & conscientia, quia lex naturalis nominat ipsa vniuersalia principia iuris: synderesis verò nominat habitum eorum, seu potentiam cum habitu, conscientia verò nominat applicationem quandam legis naturalis ad aliquid faciendum per modum conclusionis cuiusdam, &c.* Quo etiam modo loquitur in cunctis locis quæst. vlt. præcedentis tractatus inductis in fauorem nostræ sententiæ ponentis synderesim esse habitum practicum distinctū ab ipsomet intellectu practico. Eandem amplectuntur sententiam qui sequuntur patroni. Henricus quodlibet 5. q. 18. Caiet. 1 2 quæst. 51 art. 1. atq; ibidem Conradus & 2. 2. quæst. 47 art. 6. Ferrariensis 1. contra Gent. cap 94. Medina 1. 2. q. 49. art 2 Viguerius tractatu de habitibus.

Præcipuum fundamentum huius veritatis est communis necessitas ponendi habitum respectu alicuius actus, vel obiecti in potentia indifferenti, nempè vt, cum indifferens sit ad benè, vel malè operandum circa illud, per habitum determinetur ad modum operationis, est namque habitus (vt ex Aristotele attulimus) dispositio subiecti, per quam benè, vel malè se habet secundum propriam naturam, vel in ordine ad aliud, nempè ad obiectum, vel operationem, sed intellectus circa prima principia indifferens est ad benè, vel malè operandū duobus modis, primo, quia circa multa errare potest, per habitum tamen determinatur ad benè operandum, ita vt à periculo errandi liberetur. Secundo, quia intellectus noster secundum se imperfectus est, & minus quam oporteret ad intelligendum quouis obiectum expeditus: vnde experientia sæpè nos docuit, in principio difficilem se præbere ad intelligendum vniuersalissimas etiam veritates, difficultas autem intelligendi malum quoddam est, vnde ad illam superandam bona quadam inclinatione, bono quodam, atq; efficaci determinante indiget, & eiusmodi est habitus facilitatem ei intelligendi principia conferens I. Ratio.

Et confirmari experientia potest, nam per frequentationem actuum experimur intellectum, facilius præstare assensum quibuslibet principijs. Hanc ergo facilitatem (quæ verè, & propriè est habitus) & quam prius non habebat, vsu comparat. Confirmatur.

Secundo probatur, quia assensu principiorum præsupposito, propria virtute assentitur Secunda ratio.

intellectus

intellectus conclusioni ex eis necessario deductæ, cum obiectum scientiæ necessarium sit, per principia igitur determinatur ad assensum cōclusionis, ad quid ergo indiget habitu scientiæ, nisi vt perfectè determinetur ad benè operandum, hoc est sine erroris periculo, ac sine difficultate, vtrumq; enim malum quoddam est in operationibus intellectus, sed eadem indiget determinatione ad operandū circa prima principia ad vtrunque malum vitandum (vt ostendimus) ergo non minus indiget habitu intellectus pro principijs, quā habitu scientiæ pro conclusionibus.

17.

Natura habitus, qui versatur circa prima principia, exponitur.

PRiusquam opposita argumenta diluantur paucis explicare oportebit, quod nam sit proprium obiectum huius habitus, quis nam proprius actus? & quis modus tendendi, ex quibus propria eius essentia ab ijs accipienda constabit.

18.

Quid obiectū habitus. Proprium obiectum est veritas immediata, hoc est propositio, cuius prædicatum absque vllo medio inhæret subiecto, siue vniuersalissima sit, siue particularis, vtraque enim sub ratione formali obiectiua huius habitus comprehenditur.

Actus huius habitus quis. Actum eius duplicem ponunt, apprehensionem videlicet terminorum, & iudicium, quanquam primus, quasi materialis dici possit, formalis secundus, nam apprehensio propter iudicium est, ad quod sua natura ordinatur.

Modus tendendi in obiectū huius habitus. Modus autem tendendi in obiectum, à quo formalis ratio eiusdem habitus accipitur, est per immediatam comparationem ad ipsam veritatem rei, & immediatam euidentiam, & claritatem, ita vt quemadmodum cæteri habitus intellectuales, & vniuersaliter cognitiones quæcunque constituuntur in proprijs rationibus, & separantur ad inuicem, per tale, vel tale medium, rationis videlicet, seu discursus euidentis, aut probabilis, seu etiam authoritatis, aut testimonij, sic principiorū cognitio, vel habitus talis est in se, à cæterisque separatur, quia ad veritatem proximè comparatur, & actus per se, & immediate euidens est, & ex his elicitur.

19.

Definitio huius habitus. Definitio huius habitus, quæ talis esse potest, intellectus est virtus intellectualis per quam potentia intellectiua determinatur ad assensum principiorum per se euidentem, facileque eliciendum. 20.

Sed huius facilitatis explicatio desiderari à multis solet intelligere cupientibus, in quo nam consistat? quidam facilius intellectum assentire, vel iudicare, arbitrantur cum habitu, quam sine illo, quia necesse est intellectum sine habitu operantem maiorem conatum ponere ad difficultatem superandam, sed habitu iam adquisito cessat difficultas, cessatq; proinde necessitas concurrendi cum tanta intensione: vnde facilitas non erit apud hos aliud, quā releuatio quædam potentiæ ab illo maiori conatu adhibendo, efficereque, vt si sola eliciebat actum adhibens conatum, vt quatuor, satis sit vt simul cū habitu concurrens adhibeat conatum, vt duo, quod tali exemplo declarant. Si quispiam difficilè sustineat centū pondus adiutus ab alio, illud idem maiori conatu adhibito facilè sustinebit, ergo facilitas non est aliud, quam releuatio ab illo maiori concursu adhibendo. 21.

Refutatur præcedens explicatio. Sed mihi non probatur talis explicatio facilitatis, neque arbitror in eo consistere, quod est potentiam minorem adhibere conatum naturalem ad operandum cum habitu, quam sine illo: nam fieri potest, & aliquando contingit, vt maiori cū conatu concurrat potentia habitu informata, quam dum sine illo operatur, & tunc intensius quidem operabitur, atque etiam facilius, cum prius non sine difficultate operaretur, quapropter non releuatur potentia ab intenso illo conatu, quem adhibebat sine habitu operans, sed maiorem adhibet, ergo facilitas nō consistit in tali releuatione, vel in eo, quod potentia minorem cō.cursum adhibeat: quod vsque adeò verum est, mo, vt si vnus intellectus sine habitu operans concursum vt quatuor adhibeat, alius verò operans ex habitu æqualem, non minus intensum actum producat ille, quam iste, sed hoc tantum discrimen erit, quod cum ambo eliciant actum æqualis intensionis, cum difficultate ille, cum facilitate iste operetur. AEqualis autem intensio actus probatur, quia substantiam habitus efficit conatus ipsius potentiæ, habitus verò modum facilitatis præbet, ergo conatus maior efficiet substantiam perfectiorem, hoc est, intensiorem, quanquam non facilem, cum iste sit proprius effectus habitus. 22. 23.

Propria facilitatis explicatio. Dicendum igitur est, facilitatem non esse aliud, quam modum quendam expeditam efficientem potentiam ad operationem, & cum natura-

naturaliter inclinetur potentia in obiectum, expeditio promptitudinem confert, & delectationem: prompta quidem esset potentia ad operandum, circa proprium obiectum, in quod naturaliter inclinat, & ex naturali inclinatione operans cū delectatione operaretur,
24. sed vtrumque modū impedit difficultas, quam superat habitus, & simul cum facilitate promptitudinem confert, ac delectationem, & sic potentia habitu informata, ac per eum expedita, facilè promptè, ac delectabiliter operatur.

Soluuntur argumenta partis negatiuæ.

VNum argumentum diximus negantes omnino naturaliter intellectum assentire primis principijs, sed aliquo mo-
25. do dependenter à voluntate, ita vt quamuis naturalis sit actus, quantum ad specificationem, quia si elicitur necesse est assensum esse, & repugnat esse dissensum, sed elici potest, ac suspendi etiam obiecto proposito, cum sit in potestate voluntatis, sicut applicare intellectum ad assentiendum, sic etiam distrahere, vel diuertere, vt assensum suspendat, quam libertatem non habent sensus, & ideò neque alicuius habitus, vel facilitatis capaces sunt:
26. & ratio huius differentiæ est innata nobilitas intellectus, ex qua habet, vt totius libertatis radix, & origo sit, à quo in voluntatem deriuatur, quemadmodum libertas formalis à voluntate (cui primo conuenit) in omnes potentias, & primo in intellectum, tanquam in potentiam nobilissimam, vt suo loco dicetur.

Ad secundum. Argumento etiam Magistri Soti, negandum est intellectum non esse indifferentem circa prima principia, habet enim indifferentiam triplicem, prima est ad verum assensum, & erroneum, nam licet errare non possit, circa vniuersalissima quędam cunctis explorata, sed circa minus vniuersalia non repugnat, secunda, quia licet non posset errare, haberet nihil-
27. ominus indifferentiam libertatis per dependentiam à voluntate, quantum ad exercitium actus, quæ sufficeret, vt capax habitus esset, sed habet insuper tertiam ad benè, vel malè, hoc est, facilè, vel difficilè operandum, indiget ergo habitu determinante ad facilè, promptè, & cum delectatione operandum, non solum in ordine ad aliqua principia, sed ad omnia: nam in principio, cum aliquali assentitur difficultate cunctis principijs, licet minori longè, quam conclusionibus, cum sine 28.
vllo medio illis assentiatur. Et rursus, inter principia cū minori longè difficultate assentitur vniuersalissimis, sed absque dubio cum aliquali, ad quam superandam necessarius est habitus, minus tamen quam ad assentiendum principijs particularibus, & minus ad assentiendum his quam conclusionibus: in cæteris autem potentijs naturalibus, de quibus procedit confirmatio, similes indifferentiæ non reperiuntur, ac propterea alicuius habitus, vel facilitatis minimè capaces sunt.

Tertium argumentum diluit discrimen maximum inter intellectum, & voluntatem, quantum ad modum operandi, hæc enim per simplicem inclinationem in obiectum, quasi ipsam ad se rapiens operatur, & quidem ab alio quasi manu ducta, videlicet ab intellectu proponēte bonum, quod si vniuersalissimum sit, similitudinem principiorum tenens, absque vlla difficultate trahit ad se voluntatem, vbi autem nulla est difficultas, nec locum habet facilitas, vel habitus, propria autem operatio intellectus est iudicium, & propria virtute ferendum, quod non caret difficultate, neque errandi periculo, vt igitur sine errore, & cum facilitate fiat, necessarius est habitus intellectum ad vtrumq; determinans. Quamuis ergo voluntas in ordine ad vltimum finem non egeat habitu, eget profecto intellectus etiam in ordine ad primas veritates propter diuersum modum operandi: quæ de fine naturali, & vniuersali intelligi debent: nam circa finē supernaturalem indiget habitu voluntas, atque etiam circa fines naturales particularem materiam continentes. Ad tertiū. 29. 30.

QVAESTIO II.

Sit ne habitus principiorum naturalis intellectui, vel per proprios actus ab eo comparetur.

ABsolutis quæstionibus an sit, & quid sit circa intellectum, petit quęstio præsens modum, quo in nobis fiat, nempè an simul cùm ipsa potentia intellectiua insit animæ à primo instanti suæ conditionis, eodem pacto, quo insunt nobis propriæ passiones Explanatio tituli quæstionis. 31.

siones à primo instanti generationis, in quo eas simul cum essentia, à qua oriuntur, accipimus, vel nudum prorsus intellectum omni habitu, sicut omni specie accipiamus, ita vt non minus de habitibus, quam de speciebus prolata fuerit sententia illa Aristotelis, quod veluti tabula rasa sit, in qua nihil prorsus depictum est, sed quemadmodum decursu temporis species omnes intelligibiles ei imprimuntur officio, ac beneficio intellectus agentis, pari ratione vsus ei conferat omnes habitus, & præsertim intellectum.

Habitum principiorum esse inditum à natura probatur.

Opinio prima.

INgerit autem specialem dubitandi rationem pro affirmatiua parte communis modus loquendi naturalem vocans talem habitum,
32. nō solum intellectus ad asserendum primis principijs speculabilibus, sed synderesis ad assentiendum practicis, & vtrunque posuit naturalem D. Thom. intellectum quidem 1. 2. quæst. 49. art. 1. ad 3. vt ex his verbis licet colligere. *Eo quod habitualiter inest, quandoque aliquis vti non potest, propter aliquod impedimentum, sicut homo non potest habitu vti scientiæ propter somnum, & similiter puer non potest vti habitu intellectus principiorum, vel etiam lege naturali, quæ ei habitualiter inest propter defectum ætatis, &c.* Etenim si puero ante vsum rationis talis habitus inest, cum nondum valuerit eum proprijs actibus sibi comparare, habebit à natiuitate simul cum ipsa natura acceptum, & quæst. 51. art. 1. docet intellectū principiorum
33 esse homini naturalem secundum inchoationem, quid autem sit esse naturalem quoad inchoationem explicans ait. *Quia naturale est homini cognito quid est totum, & quid pars, cognoscere, quod omne totum est maius sua parte,*
34 *sed quid sit totum, & quid pars cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, &c.* Si ergo apprehensis terminis statim vtitur intellectus habitu principiorum, habebit illum ante omnem actum, atque adeò non per actus adquisitum, sed ab ipsa natura concessum. De synderesi verò tantundem sentit in 2. distinct. 24. quæst. 2. art. 3. in corpore, vbi ita ait. *Synderesis à ratione practica distinguitur, non quidē per substantiam potentiæ, sed per habitum qui est quodammodo innatus menti nostræ ex ipso lumine intellectus agentis, sicut & habitus principiorum speculatiuorum.* Et in solutione ad tertium. *Habitus naturalis (qui) nunquā amittitur, sicut patet de habitu principiorū speculatiuorum, quē semper homo retinet, & simile est etiam de synderesi.* Et expressius 1. part. quæst. 79. art. 12. vbi hæc verba legimus. *Principia operabiliū nobis naturaliter indita nō pertinent ad specialē potentiam,* 35.
sed ad specialem habitū naturalem, quem dicimus synderesim. Patet ergo quod synderesis non est potentia, sed habitus naturalis.

Et ratio videtur idem conuincere, nam talis I. Argum.
est processus nostræ cognitionis, vt omnis doctrina & disciplina fiat ex præexistenti alia notitia, vt docuit Aristoteles in huius operis principio, cum ergo non sit procedendum in infinitum, deuenire oportet ad aliquam notitiam, non iam adquisitam, sed naturalem, sed similis est ordo inter actus, & habitus, ergo sicut in actuali cognitione deuenitur ad naturalem, tanquam omnium primam, sic etiam in habituali, dabitur ergo naturalis habitus, qui sit principium primæ notitiæ, & talis erit intellectus, à quo procedit notitia primorum principiorum naturalis.

Secundo: sicut natura non abundat in su- II. Argum.
perfluis, ita non deficit in necessarijs, sed cunctis tribuit, quæ necessaria sunt, non solum ad essendum, sed ad operandum, vt testantur res naturales insensibiles, viuentes, ac sensu predi- 36.
tæ, quibus præbuit simul cū esse naturali principia, atque instrumenta operandi iuxta naturalem inclinationem, quæ non minus homini dedisse credendum est, cum sit cunctorum viuentium, ac sensibilium perfectissimus, & propter quem cætera omnia naturalia constituit, sed ad intelligendum primas veritates nō solum indiget potentia intellectiua, sed habi-
tu intellectus, vt quæst. præcedenti statutum 37.
reliquimus, ergo à principio eum sibi natura concessit, quemadmodum Angelis à prima conditione infusæ sunt omnium rerum species ad intelligendum necessariæ, & ideò excellenti eorum naturæ debitæ.

Propter hæc, & similia amplectuntur hanc Patroni hu-
partem Conradus 1. 2. quæst. 94. art. 1. & no- ius sentent.
uissime M. Bannes 1. part. q. 1. art. 6. notab. 3.

Opinio Caietani medium tenens.

CAietanus verò 1. 2. quæst. 51. art. 1. dub. II. Opinio.
1. hanc sententiam sic voluit temperare, vt neque cum natura concessus sit eiusmodi habitus, neque per actus adquisitus, sicut habitus scientiarum, & virtutum, sed medium

medium

I. Ratio. medium quasi teneat inter naturalem, & adquisitum: nam in principio suæ generationis
38. nudum intellectum accipit homo, non solum speciebus, sed habitibus, at cum primo peruenit ad vsum rationis species rerum sibi comparat beneficio intellectus agentis eas à phantasmatibus accipientis, vel abstrahentis: & cum primum speciebus primarum veritatum informatur, quibus prima principia apprehendit, fluit statim naturaliter ad præsentiam earum habitus intellectus ab ipsamet natura intellectiuæ potentiæ, per quem possit de eisdem principijs iudicium ferre, itaque neque à nuda fluit natura, vt affirmat præfata opinio, nec per actus adquiritur, sed præsentibus speciebus, ante omnem tamen iudicatiuum actū naturaliter emanat, quod exemplo nutritiuæ potentiæ, & actus eius declarat, nutrire enim, & augere actus naturales sunt potentiæ vegetatiuæ, in quos tamen videmus non prodire, nisi præsente alimento decocto, quod quasi obiectum talis virtutis est, pari ergo ratione existimandum est, habitum principiorum à natura ipsa intellectus prodire, non statim, sed ad præsentiam obiecti per species repræsentati, & hoc sibi voluisse D. Thom. in eodem artic. affirmat, dum ait, habitum principiorum partim esse à natura, partim ab exteriori principio, quasi dicat à natura fluere, non nisi præsentibus speciebus ab extrinseco prouenientibus, hoc est, per operationem intellectus agentis productis ex phantasmatibus, in appetitiuis autē potentijs tale principium extrinsecum non est, ideò nullus habitus ab eis fluit naturaliter, sed omnes sibi per proprios actus comparant.

Vera sententia affirmans habitum principiorum esse adquisitum.

Opinió vera. Postrema sententia, quæ nobis videtur longè probabilior, nullū ponit habitum à natura concessum in intellectu, neque in voluntate, vel appetitu, sed omnes adqui-
40. sitos per proprios actus potentiarum, idemq; de intellectu principiorum profitetur: cuius
Primū fundamentū. fundamentum est, quia natura non concedit, nisi ea quæ ad essendum, & operandum simpliciter sunt necessaria, quæ verò ad melius, vel facilius operandum propria industria, vel labore comparanda relinquit, sufficientibus tamen principijs operandi concessis, quib^9 simpliciter operari possant, & per operationes, vel actus, habitus sibi ad melius, vel facilius operandum necessarios comparare, & hac de causa non concessit hominibus habitus virtutum, quia non requiruntur ad simpliciter operandum, & per naturalem virtutem potentiarum simpliciter operantium eos adquirere possunt, sed intellectus principiorum (de quo loquimur) nō est necessarius ad simpliciter operandum: circa prima principia, sed sufficit potentia intellectiua, informata speciebus ergo non est à natura concessus, sed per actus propria virtute potentiæ elicitos comparabilis Probatur minor (nam cætera sunt nota) assensus principiorum nō excedit virtutem intellectiuæ potentiæ, cum versetur circa obiectum sibi proportionatum, nempè circa veritates per se euidentes, ergo apprehensis terminis per species intelligibiles poterit absque alterius adminiculo eum producere. 41.

Et confirmatur. Quia non habet minorem proportionem cum intellectu speciebus principiorum informato primus assensus principiorum, quam primus assensus scientificus cum eodem per species principiorum determinato, sed primum assensum scientificum elicit intellectus sine habitu scientiæ, quem per illum sibi comparat, poterit ergo elicere primum assensum principiorum, ac per eum sibi habitum intellectus comparare, qua propter non erit naturális, sed adquisitus, sicut habitus scientiæ. Confirm. 42.

Secundo, quia habitus naturales, vel morales, non ponuntur ad operandum simpliciter, sed ad talem modum operandi, videlicet facilè, prompte, vel cum delectatione. per potentias enim operari simpliciter possunt res quælibet, ergo potentia intellectiua propria virtute poterit circa suum obiectum operari, per habitus verò consequitur perfectionem operandi, ergo propria virtute poterit elicere assensum principiorum, simul cum specieb. ex parte obiecti concurrentibus, qua propter non indigebit habitu naturali, quem ad facilè operandum potest per proprios actus sibi adquirere. Secundum argument. 43.

Et confirmari potest, quia naturalia non intenduntur per vsum, vel exercitium operandi: non enim perfectior fit intellectus, nō visus, non quilibet alius sensus per frequentem vsum sentiendi, sed experientia nos docet intellectum faciliorem reddi per continuum vsum assentiendi primis principijs, ergo si gnum est habitū ad ea inclinantem nō esse na- Confirm. 44.

turalem, sed per eosdem actus adquisitum.

Ex Arist. probatur. Ita sentit planè Aristoteles cap. vltimo huius operis, vbi de modo, quo in nobis generetur habitus principiorum loquens ait: *Neque itaque insunt determinati habitus, neque ab alijs habitibus fiunt notioribus, sed assensu, &c.* Quid clarius dici potuit? vt intelligeremus habitum principiorum non inesse, hoc est, non esse à natura, neque ex alijs notioribus fieri ad instar habitus scientiæ, qui ex alio notiori, videlicet ex intellectu principiorum generatur, sed per assensum vniuersalium veritatum experientia singularium comparatum, hic est enim primus assensus, potens generare habitū saltē quantū ad inchoationem, nam ipsemet postmodum se ipsum perficit per futuros actus.

45.

Ex D. Tho. In eadem fuit sententia absque dubio D. Thomas 1. 2. quæst 51. art 1. docens, habitum principiorum fieri in nobis ab intellectu agente: expressius tamen eum non esse naturalem ostendit, sed ex sensibilibus generari operatione intellectus agentis media 2. contra gent. cap. 78. ratione 3. vbi sic legimus *Habitus principiorū est acceptus à sensibilibus, vt probat Arist. in 2. posteriorum, & si oportet, quod sit effectus intellectus agentis, cuius est phantasmata, quæ sunt intellecta in potentia facere intellecta in actu, &c.*

46.

47. Quæ verba egregiè expendit, ac declarat Ferrariens. in eorum commentarijs, adquisitum, & non naturalem esse talem habitū sentiens: ex quibus intelligimus habitū principiorum non fluere in intellectu ab ipsamet natura animæ nude considerata, sicut fluunt proprię passiones, vt tenet in prima sententia, sed neque ad præsentiam specierum intelligibilium, vt excogitauit Caietan. & licet vtrumque efficaciter probatum sit testimonijs Aristot & D. Thom. libet tamen Caietani sententiam, tanquam nouam, ac singularem nouis etiam rationibus impugnare, atq; ostendere, quam sit à mente vtriusque aliena.

48. Et in primis ostendo præsentiam specierum intelligibilium non esse necessariam ad emanationem habitus naturalem, vnde fiet, vt si naturaliter fluit ab anima in intellectum, prorsus sit naturalis, vt profitetur prima sententia iam impugnata.

Prima ratio contra Caietanum. Non minus dependet potentia ab obiecto in sua operatione, quam habitus, ab eodem. enim obiecto, tam illa, quam iste specificantur, sed vt potentia fluat ab anima, non est necessaria præsentia obiecti, vel specierum eius, ergo nec erit necessaria, vt habitus naturaliter oriatur, sed si naturaliter fluit, erit omnino naturalis, sicut intellectus ipse naturaliter inest animæ.

Secunda ratio. Secundo, habitus non ponitur ad simpliciter operandum, sed ad operandum, promptè, & facilè: nam cum actus, & obiectū propriam virtutem potentiæ non excedant, potest sine habitus adminiculo elicere primū assensum, atque adeò primam apprehensionem ad assensum requisitam, sed prima apprehensio fit per præsentiam specierum, ergo non necessario fluit habitus ipsis præsentibus, vt voluit Caiet. sed per primum assensum producitur, vt profitetur nostra scientia. 49.

Tertia ratio. Postremo Idem probare possumus, exemplum Caietani, vtpote valdè dissimile, refutantes: anima vegetatiua nō nutrit, neque auget, nisi præsente alimento, quia est materia, circa quam operatur ad introductionē animæ, concurrit namq; alimentum ad tales operationes in genere saltem materialis causæ, sed præsentia specierū intelligibilium nullam habet causalitatem, nullū concursum ad emanationem habitus, cuius esse nullo modo ab eis dependet, sed cum posset esse prius, quam operari poterit, etiam esse prius, quam obiectum coniungatur potentiæ per præsentiam specierum, & longè melius poterit fieri, vel emanare: friuola est ergo, & absq; vllo rationis fundamento posita talis præsentia, tanquā necessaria, vt fluat habitus: & modus iste emanationis naturali productioni habituum intellectualium aduersatur, nam cum constet cæteros omnes per primum actum generari, nulla necessitas cogit nouum, atque inusitatum modum ponere in generatione huius, de quo loquimur. 50.

Nota. Sed quā sit à mente Arist & D Thom alienus intelliget facilè, qui perpenderit verba vtriusq; nuper à nobis relata, aiunt enim primum assensum principiorū experimento sæpè fieri, & ex tali assensu generari habitum, quæ stare minimè possunt cum sententia Caietani ponentis ante omnem assensum, ad solam specierum præsentiam fluere.

Rationes in contrarium adductæ soluuntur.

Nota ex D. Thom. SEd vt iam ad solutionem argumentorum deueniamus, explicare oportet, quid habeat speciale intellectus principiorum inter omnes habitus intellectuales, propter quod à D. Thom. & communi modo loquendi naturalis. 51.

turalis dicatur, supposito, quod non simul cum natura conceditur, sed per actus est conquisitus.

Exponere hoc cœpit D. Tho 2. contra gentes c 78. dicens ex sensibilibus fieri, & esse effectum intellectus agentis, perficit autem Ferrariens. eius mentem aperiés in cō ment. eiusdem cap. hisce verbis *Adnotandum hic, quod ex verbis D Tho. apparet habitus primorum principiorum, qui dicuntur naturales, & inesse à natura, nō sic dici naturales, & inesse à natura, quasi naturaliter sint cogniti, & ab ipsa natiuitate nobis inditi, nā si essent in nobis à generatione, non adquirerētur ex sensibilibus, vt inquit D Tho. hic, sed dicūtur nobis naturales, quia non causantur ex discursu, & argumentatione, sed immediate ex intellectu agente, qui quidē intellectus, & nobis inest ab ipsa natiuitate, & naturaliter cum phantasmatibus terminorū, quæ omnibus insunt, ipsos habitus in intellectu possibili operatur*: hæc Ferrar. ex quibus hoc discri-

Discrimen inter intellectionem principiorū, & cæteros habitus 52 mēvalde notandum colligitur inter intellectū principiorum ex vna parte, & cæteros habitus intellectuales ex altera, quod habitus iste circa primas veritates versatur, ideo sine medio, sine discursu, per simplex iudicium intellectus, sola terminorum apprehensione præsupposita, in nobis gignitur, cæteros verò eo mediante, propria industria, proprio discursu, ac labore adquirimus, itaque ad generatio nem huius habitus solum cōcurrit intellectus agens species terminorum ex sensibilibus abstrahens, easque intellectui possibili imprimens, vt apprehensione terminorum facta statim sequatur iudicium, & assensus intellectus possibilis habitum generans: & cum operatio intellectus agētis sit naturalis, atque adeò productio specierum, terminorumque apprehensio, quam statim sine vllo discursu, vel industria intellectus sequitur iudicium, propterea generari naturaliter habitus dicitur ad differentiam cæterorum, qui nō nisi conquisitis medijs, adaptatisq; in formā discursus per vsū artis fiunt.

Ratio discriminis. 53 Accedit alia ratio eiusdem discriminis non contemnenda, nam assensus principiorum elicitur per immediatam comparationem luminis intellectualis ad veritatem, tanquam ad proprium obiectum, quæ cum naturalis sit, naturalis merito vocatur habitus per eum genitus, at cæteri habitus non gignuntur in nobis per immediatā cōparationem intellectualis luminis ad veritatem, sed medio discursu, nō enim comparatur intellectus ad veritatem conclusionis nisi media veritate, & assensu principiorum, & medio discursu, seu demonstratione, ex principijs dispositis, & accommodatis constituta, ideò naturalis iure vocatur principiorum habitus, & nomine ipsius potentiæ intellectiuæ, vel naturalis luminis insignitur.

Merito etiam D Thom. eiusmodi habitum partim à natura, vel principio intrinseco gigni docuit, partim ab extrinseco, cū ad generationem eius præter operationem intellectus agentis, & possibilis concurrant species tanquam virtutes obiecti, quod vere extrinsecum principium est: merito denique non omnino naturalem vocat, sed quantum ad inchoationem, quia principia eius naturalia sunt, sed per nostrum actum simpliciter generatur, & ex hac parte adquisitum vocari potest. Quod autem affirmat in puero ante vsum rationis reperiri: quātum ad principium etiam, & inchoatione exponendum est: non quantum ad substantiam ipsius habitus: lumen namque intellectus agentis in puero repertum intellectus principiorum vocari potest, cum sit prima radix, & origo eius, quo tamen non vtitur species abstrahens, terminos apprehendens primumque assensum principiorum eliciens, per quem habitus secundum substantiam in eo fieret ob defectum ætatis, & hunc esse illorum verborū germanum sensum, probant cætera testimonia à nobis inducta, in quibus hoc modo generari habitum principiorū docuit ex professo D Thom. & solum esse naturalem, quantum ad inchoationem, in quo sensu in puero esse ante vsum rationis sentit.

Solutio locorum D. Thom. 54.

Nota.

55.

Ad 1. arg. 1. sent. 56. Primum argumentum primæ sententiæ probat quidem in processu scientifico, sicut in quocunque alio intellectuali, deueniendum esse ad aliquem primum assēsum, ad aliquem primum habitum, qui ex alio non generetur, & talem actum, & habitum esse naturalem, hoc est, non adquisitum per discursum, vel medium assentiendi, sed per immediatam proportionem luminis naturalis ad primas veritates elicitum, ac genitum, & talem esse primum assensum principiorum talem item esse intellectum principiorum, admittimus, ad quos totus processus scientificus terminatur, non tamē est necessariū naturalem esse habitū hoc est, à natura concessum ante omnem eius actū, vt contēdit prima sententia, quia cū non sit

sit simpliciter necessarius ad assentiendum primis principijs, non oportuit vt simul cum natura traderetur, quem per proprios actus poterat ipsamet natura sibi comparare.

Ad secundum. Secundum argumentum ex nostro fundamento soluitur, etenim si habitus principiorũ esset necessarius ad assentiendum simpliciter eisdem principijs, datus esset homini cum ipsa natura, cui debita sunt principia, atque instru-
57. menta operandi. Cæterum cum non ponatur, nisi ad melius operandum, vt est à nobis constitutum, non oportuit esse congenitum, sed proprijs actibus ad quirendus relinqui debuit.

QVAESTIO TERTIA.

An habitus principiorum sit vnus genere, vel specie Atoma.

Explicatio titulo. Constituto iam modo, quo intellectus principiorum in nobis fit, de eius vnitate, ac distinctione essentiali agere oportet, definireque, an vnus sit habitus pro cun-
58. ctis principijs, quemadmodum vna est potentia visiua pro cunctis visibilibus, vel certe diuersi, pro diuersis: similitudine scientiarum, quarum habitus distinguimus, pro diuersitate conclusionum circa diuersam materiam, alium namque pro conclusionibus Philosophicis ponimus, alium pro Mathematicis, &c. Vbi illud est constans apud omnes, non esse eundem habitum speculabilium principiorũ, ac practicorum, sed diuersum, illumque vocari intellectum, hunc vero synderesim, quos distinctos posuit Diu. Thom. multis suæ doctrinæ locis, sed præsertim 1. p. q. 79. artic. 12. Etenim cum Synderesis finem præstituat cunctis virtutibus moralibus, principiumque sit conscientiæ, quæ est dictamen practicæ rationis de prosequendo, vel fugiendo, repugnat esse habitum speculatiuum, & rursus habitus
59. principiorum non habet tantam extensionem à potentia intellectiua, vt possit sub eadem ratione obiectiua vniuersali practicum, & speculatiuum comprehendere, ita vt accidentales sint ei ambæ rationes, sed in eas diuiditur tanquam genus in species, & differentias: vtrumq; autem habitum comprehendisse
60. Aristotelem sub nomine intellectus in generali diuisione virtutum intellectualium 6. ethic. cap. 3 posita, circa quam modo versamur, testantur vniuersi interpretes eiusdem loci, & ita est, quod licet diuersis nominibus nuncupentur appellationes, tamen intellectus vterq; significari potest, cum eodem modo versentur circa propria obiecta, videlicet per simplicem assensum sine discursu.

Totum dissidium in eo est positum, an omnium speculabilium principiorum, vnus, idemque sit habitus, alius vero omnium practicorum, vel certe pro cuiuslibet scientiæ principijs, tam speculatiuis, quam practicis ponendus sit diuersus habitus, sicut diuersum ponimus pro earum conclusionibus. 61. Status quæstionis

Esse vnum genere suadetur.

Et videtur Aristot. plures posuisse cap. vltim. huius lib. vbi in plurali numero de eis loquitur dicens: *vtrum habitus eorum non insint, sed fiant, acquiranturque, an vero insint quidem, sed lateant, &c.* Sed rationibus probatur esse plures. Habitus scientiarum distinguũtur specie, ergo & habitus principiorum. Probatur sequela: scientiæ distinguũtur per diuersa principia, vt in tractatu sequenti ostēditur, ergo principia diuersa sunt, petunt igitur assensum diuersum secundum speciem, atque adeo diuersum habitum, nam idem habitus non potest habere actus specie distinctos, nec satis fit, si forte dicatur, differre quidem principia diuersarum scientiarum materialiter: nam essensus eorum, in quantum ex terminis habentur, & immediatam veritatem continent, sunt rationes formales assentiendi conclusionibus, ergo ab eis formaliter acceptis sumitur specifica distinctio scientiarum, quare necesse est esse specie diuersos, diuersosque constituere habitus. I. Sentent. I. argum. 62.

Secundo: in hoc distinguũtur habitus & potentia, vt docet D. Tho. 1. 2 q. 4. art. 1. q hæc se habet, sicut materia per diuersas formas determinabilis à diuersis agentibus, vnde à diuersis obiectis, quæ diuersa agentia sunt, determinatur per diuersos habitus, qui se habent respectu illius per modum formarum, & ex hoc habent minorem longe extensionem, vel ambitum, quam potentia, quemadmodum forma magis est determinata, quam materia, nec possunt nisi ad vnum actum secun- II. Argum. D. Thom. 63.

cundum speciem sese extendere, quia forma vnius determinati actus rationem habet, constat autem assensus principiorum huius, & illius scientiæ specie distingui, vt Philosophiæ, & Geometriæ, quia diuersam lōge certitudinem, & euidentiam sortiuntur ex propria conditione, ergo repugnat sub eodem habitu contineri, sed non minus diuersos postulabunt, quam conclusiones earundem.

III. argum. Probatur tandem, quia habitus ponuntur in potentijs ad superandam difficultatem in

64. eliciendis actibus circa talia obiecta occurrentem, vbi ergo occurrit noua difficultas, ibi erit necessarius nouus, ac distinctus habitus, sed circa materiam diuersarum scientiarum noua occurrit difficultas quantum ad principia, ipsamet experientia testante, nam qui vnam aliquam comparauit scientiam, noua instructione indiget circa principia alterius, quam addiscere parat, noua ei occurrit difficultas in assentiendo principijs eius, ac si alteram nunquam didicisset, quia noua sibi videntur omnia, nempè obiectum, principia, & conclusiones, ergo quemadmodum nouum postulat habitum noua difficultas assentiendi conclusionibus, pari ratione nouum postulabit noua difficultas circa principia: & si forte dixeris, nouum postulare habitum conclusiones, propter diuersum medium assentiendi, vrget difficultas primi argumenti, quia cum medium assentiendi sint principia, si diuersa sint hæc nouum profectò habitum requirent.

Esse habitum vnum specie probatur.

II. Sent. OPPOSITAM sententiam vnicum constituentem habitum pro cunctis principijs speculabilibus, alterum pro

65. cunctis practicis, videtur D. Thom. innuere. 1 p. q. 79 art. 12. hisce verbis. *Prima autem principia speculabilium nobis naturaliter indita nō pertinent ad aliquā specialem potentiam, sed ad quendam specialem habitū, qui dicitur intellectus principiorum, vt patet in 6. Ethicor. vnde, & principia operabiliū nobis naturaliter indita, nō pertinent ad specialem potentiam sed ad specialē habitum naturalem, quem dicimus synderesim, &c.* Ecce specialem vtrumque habitum vocat, ergo censet esse vnum specie atoma.

Caietanus. In hanc etiam partem declinare videtur Caietanus 2. lib. poster. cap. vltim. dicens A-

66. ristotelem connumerasse habitum principiorum in plurali, quoniam speculabilium, & agibilium non sunt eadem principia, quasi dicat, practicum dumtaxat, & speculatiuum habitus principiorum separare.

Sed argumentis non infirmis certè fulcitur hæc sententia. Primò, quia habitus separā- I. Ratio.
tur per diuersam rationem formalem obiectiuam, sicut & actus, sed eadem est hæc in assen- 67
sibus omnium principiorum, ergo non distinguuntur specie, nec proinde habitus specie distinctos constituunt. Probatur minor, nam ratio assentiendi cunctis principijs, accipitur per immediatam comparationem intellectualis luminis ad eorum veritatem sine vllo medio perceptam, ergo non adest ratio vlla formalis à qua distingui possunt, sed sub eadem ratione vniuersali obiectiua assentiendi sine medio comprehensa ad eundem habitum erunt omnino referenda. Nec tollit hanc vnitatem diuersa materia principiorum, Philosophica videlicet, Mathematica, vel Metaphysica, aut etiam diuersa earundem abstractio, nam vtraque quasi materialiter se habet, ad vniuersalem rationem obiectiuam huius habitus, sub qua fertur in omnia principia.

Secundo, vniuersale principium est in schola receptum, multisque exemplis corroboratū, II. Ratio.
vnita esse in superioribus quæ in inferioribus reperiuntur dispersa, vel separata, virtus ete- 68
nim sensitiua externa in diuersas potentias sensitiuas dispersa inuenitur, cum pro quolibet sensibili proprio, nempe visibili, tangibili, ac cæteris, vnus sensus constituatur, sed in virtute sensitiua interna vniuersa hæc sensibilia vniuntur, siquidem eadem potentia, quam communem sensum vocamus pro eis sufficit, iudicare valens de diuersis omnium conditionibus: æstimatiua etiam vna pro sensatis, & insensatis sensibilibus ponitur, differentiam inter ea sufficienter constituens. Ac demum cum virtus sensitiua interna, & exter- 69
na non nisi singularia sensibilia percipiat, vnus intellectus satis est ad percipiendum, non solum singularia sensibilia, atque spiritualia, sed etiam vniuersalia ab vtrisque abstracta, quamuis libet circa diuersas materias, & in diuersis abstractionibus inueniantur, sed similis ratio inuenitur in habitibus, cum quidam sint vniuersaliores cæteris ex propria conditione, ergo non mirum est, si vniuersaliores habeant rationem formalem obiectiuam plura comprehendentem, & sub qua materialiter solum distinguantur, quæ respectu alterius inferioris, & limitatæ rationis

nis formaliter sunt diuersa, sic se habet habitus principiorum respectu scientiarum, cuius vniuersalissima ratio est assentiendi immediate quibuscunque veritatibus, hoc modo cognoscibilibus, vnde licet principia huius, vel illius scientiæ per comparationem ad earum conclusiones diuersa sint, & ideò tanquam diuersa ratio formalis assentiendi diuersas demonstrationes, diuersos assensus scientificos, diuersos denique habitus cōstituere valeant, sed comparata ad intellectum, cuius formalis ratio obiectiua assentiendi sine medio omnia comprehendit, quasi materaliter distinguūtur quemadmodum visibile, audibile, & tangibile ad extremam virtutem sensitiuam comparata essentialiter separantur, si verò ad internam sensus communis referantur, cuius vniuersalior est ratio obiectiua, atque latius patens, quasi materialis erit differentia.

70.

III. Ratio. Probatur demū, quia habitus principiorū in modo assentiendi similitudinē fidei humanæ, vel diuinæ tenet, sicut enim Diuina fides sine discursu assentitur veritatib' reuelatis, sic habitus principiorū assētitur primis veritatib', ergo sicut diuersę propositiones diuersarū materiarum, & abstractionū sub eadem ratione formali diuinæ, vel humanæ testificationis comprehenduntur, & propter vnitatem eius, quam participant, non diuersum, sed eundem fidei habitum constituunt, quasi materialem solum differentiam sub eo habentes, eodem modo de cunctis propositionibus per se notis, vel primis veritatibus, alioquin diuersis iudicandum est sub eadem ratione formali immediatę veritatis, hoc est, sine medio perceptibilis cōuenire, atque adeò sub eodem intellectu principiorum, cuius est propria, contineri, suo quo non formalem, vel essentialem differentiam, sed quasi materialem habere necessum est, ideoque habitus minime separare:

71

Prior sententia præfertur, quæ multiplicem esse habitum principiorum secundum speciem docet.

Difficultas quęstionis. QVID in hac re satis ancipiti decernēdum sit, non est facile iudicare, nec video antiquos, aut modernos expositores Aristotelis verbū de vnitate, vel distinctione horum habituum facere: nihilominus mihi videtur distinguendos esse secundum speciem, vt prior sententia tenet, quam probabiliorem posteriore iudico, vt autem præcipuum eius fundamentum iaciamus memoria repetendum est discrimen inter potentias habituum capaces ex vna parte & habitus ipsos ex altera, quod potentiæ vniuersaliores sunt maioremque ambitum habent vt ex eorum rationibus obiectiuis plane colligitur, habitus verò magis ex propria conditione sunt limitati, vnde eadem potentia specifica plures actus, & habitus specie distinctos habere potest, at vnus habitus nequit ad plures actus specie diuersos se extendere, sed solo numero gratia exempli, intellectus, qui est potentia cognoscitiua, ad plures habitus extenditur specie distinctos, per quos, actus etiam specie distinctos, elicere potest, quia sub vniuersaliori ratione sui obiecti comprehenduntur diuersæ rationes obiectiuæ habituum, & actuum, at habitus quisque non nisi ad actus eiusdem speciei extenditur, quia eis commensuratur, & quia ratio eius obiectiua contractior est circa quam non nisi actus eiusdem conditionis elici possunt, vt ostendit scientificus actus, cuius omnes conclusiones, quas pro actibus habet, eiusdem sunt conditionis essentialis: & doctrina hæc præsertim vera est in habitibus, & actibus humani intellectus in corpore existentis, maioremque limitationem habentis in suo modo operandi, cum in habitibus etiam voluntatis, & appetitus absque vlla limitatione à cunctis admittatur. Ex qua infero habitum principiorum, si vnus est secundum speciem, non posse habere actus, vel assensus specie diuersos, sed eiusdem speciei omnes Quibus suppositis primum argumentum efficio ad probandum habitum principiorum non esse vnum, sed plures species diuersos pro diuersis principijs. Assensus principiorum Geometrię, specie distinguuntur ab assensibus principiorum naturalis Philosophiæ, vel Dialecticæ, ergo nequit idem habitus secundum speciem ad vtrosque se extendere, sed diuersi ponendi sunt: probatur antecedens: tam ex parte eorundem assensuum, quam rationis formalis assentiendi: nam assensus ipsi diuersæ sunt veritates essentialiter, cum circa obiecta valde diuersa, & in materia diuersa constituta versentur, ecquis enim negare potest distinctum specie veritatem esse hanc: *Natura est principium motus, & quietis, ab illa à quolibet puncto in quodlibet punctum potest linea duci.* Producent igitur assensus specie distinctos in intellectu, & distincti assensus secundum speciē postu-

Discrimen inter potentias, & habitus.

71

Illatio veræ sententiæ.

I argum. veræ sent.

74.

72.

Cõfirmat. postulant habitus specie distinctos, tales igitur
75 per hos assensus producentur principiorum habitus: quod ex diuerso modo abstrahendi à materia eorundem obiectorum efficaciter ostendi potest, nam vnum abstrahit à materia sensibili, vt Geometricum, aliud vero, vt Philosophicum eam concernit, ergo distinctas veritates, distinctosque specie assensus imprimēt in intellectum, quia repugnat eandem veritatem, eundem vt assensum adeò diuersam abstractionem à materia habere. Quod vero ex ratione assentiendi diuersi sint assensus, hinc colligitur, nam veritatibus per se notis, quales sunt principiorum, nō assentitur intellectus per aliud mediū, sed ex immediata notitia terminorum, ergo veritates ipsę sibi sunt rationes, ac media assentiendi, hoc est enim principia esse per se nota, vt omnes affirmant, quasi non per aliud medium nota, sed quamlibet esse sibi rationem assentiendi, sed veritates ipsæ sunt specie diuersæ, ergo diuersæ erunt assentiendi rationes, diuersosque assensus, & habitus producent.

Probatur II Secundò probatur ex distinctione scientiarum, quas specie distinctas esse ostēdemus tractatu sequenti per diuersa principia, quæ sunt rationes assentiendi cōclusionibus, ergo ita ar
76 guo: assensus conclusionum distinguūtur specie per diuersas rationes assentiendi, quæ sunt principia, seu assensus eorum, necesse est ergo ponere assensus principiorum specie distinctos, qui sint rationes assentiendi diuersis cōclusionibus: alioqui, si omnes assensus principiorum eiusdē rationis formalis sunt, nequibunt profectò assensus cōclusionum specie diuersos ex eis deduci, nam vbi rationes assentiendi eiusdem sunt conditionis, necesse est assensus eiusdem etiam conditionis esse. infero ergo iuxta specificam distinctionem scientiarum, diuersa esse specie principia, atque adeò diuersos assensus, & habitus generare in intellectu.

Dubium. Sed si multiplicandi sunt habitus principio-
77. rum pro diuersis principijs, diceet aliquis, eruntne tot habitus principiorū distinguendi, quot habitus scientiæ? Respondeo sic esse multiplicandos, vt pro principijs cuiuslibet scientiæ,
Solaitur. vnus sit habitus principiorum constituendus: nam, vel illa principia eiusdem sunt conditionis in se, vel propter dependentiam vnius ab altero, vt de principijs Dialecticæ suo loco ostendimus, quod satis est, vt vnus, idemque habitus posset se ad omnia extendere, vt colligitur ex 1. lib. posterior. cap. 24. pro vniuersalioribus autem principijs (quæ dignitates vocauit Aristoteles) si in diuersa materia sint, aut certe diuerso modo à materia abstrahant, etiam sunt multiplicandi habitus secundum speciem, vt probant præfata argumenta: & hic est modus distinguendi horum habituum, quę facile quisque ad particularia principia accōmodare potest, & ex eo intelligere, pro quibus sit distinctus habitus ponendus, & qui habitus ad plura se extendant.

Diluuntur argumenta posterioris sententiæ.

NEC difficile est oppositis argumentis obuiam ire: nam D. Thom. in genere loquitur de vtrisque principijs, speculatiuis, & practicis, quo pacto singuli habitus eis conceduntur non numero, nec specie, sed genere, non secus ac si dicamus, scientiam practicam distinctam esse à speculatiua, erit generica locutio, ex qua non licebit inferre, vnum tantum esse habitum speculatiuę scientiæ, vel practicæ, quia generica locutio, licet indefinita, vel modū singularis habens, nō tollit multitudinem specierum, sub quolibet genere contentam: pariter ergo licet indefinita sit locutio D. Tho. de habitibus principiorum practicis, atque speculatiuis, non tollit distinctionem specificam plurium habituum, sub eodem genere contentorum. Ad testim. D. Thom. resp. 78.

Eadem fere est solutio primi argumenti: nā ratio assentiendi primis principijs eādem est in genere accepta, nempe sine medio, vel per se eis assentire, at in specie diuersa est iuxta diuersitatem veritatis principiorum, quæ libi est ratio assentiendi: quemadmodum ratio assentiendi conclusionum eadem est in genere, videlicet assensus principiorum, propter quæ, eis assentitur intellectus, nihilominus diuersa est in specie iuxta diuersitatem principiorum specificam. Quod vero additur, ō distingui principia formaliter, aut specifica distinctione, ex eo quòd sint in hac, vel illa materia, nempe Physica, vel Mathematica, aut ex eo quod diuerso modo abstrahant à materia, sed has esse rationes materiales, falsum est, quia materia Physica, vel Mathematica, & diuersa abstractio eis adiuncta formale obiectum assensus, & habitus constituunt non minus in principijs, quam in scientijs, ac propterea non minus habitus principiorum spe- Ad I argu. 79. Ad confir.

cie distinguunt, quam scienti rum.

Ad 2 arg. 80 Id autem quod assumit secundum argumentum, nempe vnita esse in superioribus, quæ in inferioribus reperiuntur dispersa, verum est, quia superiora diuersi ordinis ab inferioribus esse præsupponit, vt intellectum à sensibus, & sensus internos ab externis, ex hoc enim diuersum modum essendi, & operandi habent, & quasi vniuersales causæ respectu particularium se habent: quo autem vniuersaliores sunt res existentes in suo modo essendi, vel operandi, plura in se colligunt sub vnitate: quod non est verum in habitibus: nam licet aliquem modū operandi diuersum habeant, per actus tamen & obiecta sic ex propria conditione limitantur, vt neque at vnus, idemque habitus ad plures actus specie diuersos se extendere, sunt enim ordinis inferioris respectu potentiarum, inter quas adhuc etiam reperitur discrimen maximum: nam quæ inferioris ordinis sunt, vt sensitiuæ, etiam limitantur ad actus eiusdē speciei: ita vt specie distinctos habere nequeant, etiam si inter eas quædam habeant modum operandi, vel attingendi obiectum alijs perfectiorem, cuius exemplum habemus in sensitiuis, ex quibus internæ vniuersalius obiectum habent, & perfectiorem modum attingendi illud, nihilominus habere non possunt actus specie distinctos, sed id solum conceditur potentijs superioribus, vt intellectui, & voluntati, atque etiam appetitui sensitiuo, ob quandam participationem earum. Sic igitur de habitibus iudicandum est, omnes esse eiusdem ordinis, & eiusdem conditionis, quātum ad limitatum modum operandi, cum sint qualitates quædam intellectui, vel voluntati superadditæ ad facile eliciendum talem actum circa tale obiectum: vnde iuxta distinctionem actuum, & obiectorum multiplicantur: & hāc rationem attulit Diu. Thom. ad probandam multiplicitatem habituum in eadem potentia 1.2. quæstio. 54. articul. 1. iuxta quam non minus oportet habitus principiorum multiplicare, vbi adsunt principia diuersa, diuersique assensus eorum, quam habitus scientiarum, nam limitatio habitui intrinseca, non permittit eidem circa obiecta, & actus specie diuersos posse operari: ergo ad formam argumenti admittendum est, vnita esse in superioribus, quæ in inferioribus sunt dispersa, quia superiora sunt diuersi ordinis, habitus vero quantum ad modum operandi limitatum, omnes

Exemplum

81.

D. Thomæ ratio.

sunt eiusdem ordinis, licet quidam perfectius, quam alij operentur, & vniuersalius obiectum habeant: quare eodem modo multiplicantur iuxta diuersitatem actuum, & obiectorum, explicatam. Sed huic solutioni obstare videtur tertium argumentum, opponens habitum Diuinæ fidei, atque etiam humanæ (si esse meretur rationem habitus) qui non multiplicatur secundum speciem, sed vnus, idemque ad assentiendum diuersis veritatibus extenditur, idque propter vnam, eandemque rationem formalem assentiendi, quæ est diuinum, vel humanum testimonium. Respondeo peculiarem esse rationem de habitu fidei, propter medium prorsus extraneum assentiendi, quod habet, extraneum voco respectu veritatum, quibus per talem habitum assētitur intellectus, nam testimonium, vel authoritas testificantis, propter quod credimus, non pertinet ad naturam veritatum quæ creduntur, imo nec est causa earum naturalis, vel propria, sed omnibus modis extranea, quare non multiplicatur, nec diuersum est iuxta diuersitatem veritatum, sed sicut à testificante procedit, ita ab eo capit vnitatem: & cum in fide diuina sit idem Deus, eademque prima veritas testimonium perhibens, idem est testimonium, eadēque proinde ratio formalis credendi, sub qua colliguntur omnes veritates quantum libet in se diuersæ, idemque est habitus Diuinæ fidei ab hac vna ratione assentiendi vnitatem specificam accipiens, & pariter in fide humana, nā licet multi sint, ac diuersi homines testimonium perhibentes, eorum tamen fallibile testimonium eiusdem rationis, & conditionis est, & assensus humanæ fidei eiusdem speciei sunt, sicut assensus fidei Diuinæ quare idem quoque habitus ponitur secundum speciem, in habitu autem principiorum, & scientiæ, diuersa est ratio, nam principia intrinsecam habent rationem assentiendi, cum veritas per se nota, quæ est obiectum, sibi sit ratio assentiendi, & cum hæc sit adeo diuersa (vt ostendimus) diuersū postulat assensum, diuersumque proinde habitum: & suo etiam modo in scientia, nam ratio assentiendi conclusionibus sunt principia, à quibus tanquam à causis naturalibus deriuantur: pro eorum igitur diuersitate, diuersi sunt scientifici assensus, diuersosque habitus producere apti.

Ad formā argum. 82

Ad 3. arg.

Quare Diuina fides sit vnus habitus.

83 Et etiam fides humana.

Non vero habitus principiorum.

QVAE-

QVAESTIO QVARTA.

An prima principia cognoſcantur per inductionem.

Explicatio tituli. HOC ſolum diſcutiendum ſuper erat circa modum cognoſcendi prima principia, nam ſi verum eſt, quod in huius operis initio conſtituit, atque probauit
84. Ariſtot. omnem doctrinam, vel diſciplinam ex præexiſtenti alia cognitione fieri, & in proceſſu ſcientifico ſtatus ſit in primis principijs, quorum notitia ex alijs principijs non generatur, merito dubitauit in vltimo capit. quo nam modo in nobis prima notitia eorum generetur, vt tali modo explicato finis totius operis initio coniungatur.

Doctrina Ariſtotelis, & argumenta contra illam.

HVNC autem modum cognoſcendi principia ad experientiam reduxit idem Ariſtot. dicens ex ſenſu, hoc eſt, ex ſenſitiua notitia ſingulari memoriam fieri, & ex multis memorijs, id eſt notitijs ſingularibus in memoria ſenſitiua reſeruatis experimentum, quod eſt quaſi notitia quædam vniuerſalis ex eiſdem ſingularibus notitijs collecta, eo modo quo per inductionem ſolemus vniuerſale ex ſingularibus colligere, eiuſmodi
85. autem notitia vniuerſalis eſt cognitio principiorum, exempli gratia ad cognoſcendum vniuerſale hoc principium, *Omne totū eſt maius ſua parte*, ſic procedimus, vt per ſenſum cognoſcamus, ita ſe rem habere in hoc, vel illo corpore humano, capite, vel manu maiori, & ex hac notitia ſenſitiua fit memoria, in quantum in potentia memoratiua reſeruatur, & multiplicatis ſimilibus notitijs ſenſitiuis multiplicantur memoriæ, ex multis autem memorijs colligit intellectus vniuerſalem notitiā, nempè quod omne totum ſit maius ſua parte, & hæc eſt prima notitia vniuerſalis, per quam proximè generatur habitus principiorum, quem vocamus intellectum: eundem modū
86 repetit multis ſuæ doctrinæ locis, ſed præſertim cap. eodem vltimo, vbi rem concludens ſic ait: *Planū itaq; quod nobis prima inductione cognoſcere neceſſarium eſt ſenſus etenim ſic vniuerſale facit*. Et 1. lib. prioris reſolutionis cap. 31. *Quo circa cuiuſq; principia tradere experientiæ eſt, dico autem exempli cauſa Aſtrologiam experientiam Aſtrologorum ſcientiæ eſſe.*

Videtur autem non ſolum non eſſe neceſſarium hoc modo principia cognoſcere, ſed plane impoſſibile: probatur primum, quia naturale lumen intellectus ſibi ſufficiens eſt ad cognoſcenda prima principia, ita vt apprehenſis terminis nullo indigeat ad aſſentiendū hoc eſt enim principia eſſe primas, & immediatas veritates, hoc etiam eſſe per ſe nota ad differentiam ſcientiæ, quæ alia indiget prævia notitia principiorum, ex qua deducatur, hoc demum eorum notitiam habere per immediatam comparationem intellectualis luminis ad veritatem, ergo non eſt neceſſaria inductio, vel experientia ad primā eorum cognitionem. I. argum. contra Ariſtotelem. 87.

Probatur ſecundo, quod impoſſibile ſit hoc modo generari, quia cognitio principiorum perfectiſſima eſt, ſcientificam certitudinem, atque euidentiam vincens, experimentalis vero fallax, cum ſæpe deceptio contingat in ſenſitiua cognitione, per quam adquiritur: decipiuntur namq; ſenſus etiam circa propria ſenſibilia, vel quia non ſunt debite approximata, vel quia organum non eſt bene diſpoſitū, alijs ve de cauſis, ergo impoſſibile eſt per experientiam generari cognitionē adeò certam: adde inductionē inter probabilia argumenta cōnumerari ſæpe ab Ariſtotele, per quā repugnat profecto certā ex ſingularibus notitiam colligi, præſertim cum omnia ſufficienter enumerare (quod requiritur ad illationem vniuerſalis) nunquam fere ſit poſſibile. Secundum. 88.

Poſtremo multa ſunt principia à materia ſenſibili abſtrahentia, vt Mathematica, atque Metaphyſ. quorum proinde notitia per experientiam ſingulariū ſenſibiliū nō erit generabilis, & vniuerſaliſſima principia (qualia ſunt de quolibet verum eſt affirmare, aut negare, & de nullo vtrumq; ſimul verum eſſe poteſt) remotiſſima sūt à ſenſu, quo igitur pacto poſſibile erit per ſingularium ſenſibilium experientiam, vel inductionem primam eorum notitiam comparare. Tertium. 89.

Variæ ſententiæ referuntur.

ARgumenta hæc in varias ſententias diſtraxerūt interpretes Ariſtotelis quidā I. Sentent. etenim triplicem actum in cognitione 90. principiorū diſtinguūt, videlicet ſimplicem apprehenſionem terminorum: & rurſus comple

xam terminos coniungentem ſub forma propoſitionis, ac tandem iudicium, quod fit in- tellectus de propoſitione apprehenſ., & experientiam, vel inductionem neceſſariam duntaxat eſſe ad ſimplicem apprehenſionem arbitrantur, ex qua dependet complexa, atque iudicium: ſi enim decipiamur in apprehendendis terminis, bene componere, aut iudicare non poſſumus, & hoc ſibi voluiſſe Ariſtotelem dicunt, dum principiorum notitiam per experientiam in nobis fieri docuit, hunc modum dicendi tenet Ioannes Andreas Scoti ſectator. 5. l. meta q 9.

Secunda ſentent. 91. Caie a. vero c. poſtremo huius operis, dub. 5 prædictam ſententiam tanquam diminutam reiiciens addendum eſſe cenſet experimentum eſſe neceſſarium ad compoſitam apprehenſionem, qua tamen facta ſufficit ſibi naturale lumen intellectus ad iudicium ferendum eſſe autem neceſſarium ad compoſitam apprehenſionem probat: quia hæc eſt, ſupra quam proxime cadit iudicium, & aſſenſus, hæc proinde à qua rectitudo illius dependet, nec tamen arbitratur ad quamlibet apprehenſionem compoſitam neceſſarias eſſe apprehenſiones ſingularium ſenſibilium, ſed ad primā ſolum modo ad generationem habitus concurrentem: quo genito non erit amplius neceſſaria experientia.

Tertia ſent. P. Tol. 92. Toletus noſter cap eodem. quæſt. vnica, duo genera principiorum diſtinguenda cenſet: nam quædam communiſſima ſunt, alia vero particularium ſcientiarum propria, ex quibus ſuis concluſiones demonſtrant, cuiuſmodi ſunt definitiones, aut etiam ea, in quibus vna paſſio de altera ſub proxima enunciatur: ad aſſentiendum igitur primis nullo modo requiri experientiam docet. nam cum notiſſima ſint, naturale lumen ſufficit eis aſſenſum probare, particularia vero ſæpe numero ſunt nobis ignota, quibus proinde, vt principio aſſentiamur, experientia ſingularium indigemus, vt explorata melius eorum conditione naturale lumen munus ſuum exequatur, quod præſertim in principijs ſcientiarum materiam ſenſibilē cōcernentiū, quales ſunt philoſophia naturalis, & moralis verum eſt, eiuſmodi enim maximè ab experientia pendent, & de his particularibus principijs accipienda ſunt, quæ Ariſtoteles tradit de neceſſitate inductionis ad illa cognoſcenda, nō de communiſſimis, quæ non alia ratione ab experientia pedent, niſi in quantum apprehenſio terminorum (quia habita cognoſcuntur ab intellectu) non ſine ſenſu fit.

Vltimam ſententiam extremā quidem tenuit. P. Fonſeca 1. lib ſuæ metap c 1 quæſt 4. Quarta P. Fonſ. 93
ſect 3. qui duplicem in primis habitum principiorum ponit, apprehenſiuum, & iudicatiuū ad vtramque operationem facile exercendam nempe apprehenſionem terminorum, ac iudicium, deinde ad apprehenſionem tam ſimplicem, & compoſitam non eſſe neceſſarium experimentum docet, ſed ſufficere aliquam ſenſus apprehenſionem multiplicatam, vel repetitā, ad iudicium autem ferendum tam de vniuerſaliſſimis principijs, quam de particularibus neceſſarium omnino eſſe.

I. Probatio primæ partis huius quartæ ſententiæ aduerſus primā & ſecūdam ſentētiam. Probat primum aduerſus primam, & ſecundam ſententiam: quia experimentum (vt plane docet Ariſtoteles cap. vltimo huius operis) non ex ſola apprehenſione ſenſitiua terminorum, ſed etiam ex iudicio, vel (vt proprius loquamur) ex multis ſimul iudicijs ſenſitiuę partis in memoria ſenſitiua reſeruatis fit, ex eis namque elicit intellectus vniuerſale iudiciū: ſed apprehenſio ſimplex, vel compoſita non pendet ex iudicio, quod naturaliter præcedit, 94
ergo neque ab experimento dependere poteſt.

II. argum. Secundo, quia ſi aliquo experimento opus eſſet ad apprehenſionem intellectiuam terminorum ſimplicem, vel complexam, maximè illo, quod importat connexionem extremorum in rebus ſingularibus, vt quod totum ſit maius ſua parte, ſi de hoc principio ſit ſermo, ſed hoc non eſt neceſſarium, nam multi 95
apprehendunt terminos vniuerſalium propoſitionum, qui nullum vnquam tulerunt experimentale iudicium de eorum connexione in ſingularibus, vt patet in his, qui audiunt huiuſmodi propoſitionem, omnis Crocodilus mouet ſuper orem mandibulam, nec tamen vnquam Crocodilum viderunt.

III. argum. Poſtremo, quia multæ ſunt queſtiones, de quibus neutram in partem iudicamus, veluti ſint ne ſtellæ pares, an impares, & ſimiles, pro quarum vtraque parte paria ſunt momenta rationum, & quarum cum habeamus habitus apprehenſiuos, nunquam tamen experientiam 96.
habuimus, ergo hæc non requiritur ad apprehenſionem intellectiuam, ſed ſola apprehenſio ſenſibilis repetita ſufficit, niſi enim in memoria ſenſitiua extet per modum habitus notitia alicuius iudicij, aut plurimum non poſſumus vti habitu apprehenſiuo terminorum,

Primum argumentū quo probatur secunda pars quartæ sententiæ.

tum, quem circa principia, vel conclusiones habemus.

Ad probandum autem secundum, quod ad generationem iudicatiui habitus principiorum semper sit necessarium experimentum, vtitur testimonijs Aristotelis à nobis in prin-
97. cipio quæstionis recensitis, deinde rationibus. Primo, quia si quis auditis, atq; perceptis terminis alicuius principij, vt quod totum sit maius sua parte, assensum præbere velit, prius quam in aliquibus singularibus veritatem eius sit expertus, periculo errandi se exponit, temeritatisque proinde vitium incurrit, vt igitur cordatè assentiatur, experientiam expectare oportet, quam idcirco necessariam esse Aristoteles iudicauit, vt debito modo procedat intellectus in prima generatione habitus principiorum.

Secunda ratio.

Secundo, quia non contingit transitus ab vno in aliud extremum, nisi per medium, sed inter iudicium vnius propositionis singularis, & iudicium vniuersalis principij medium
98. est experimentum, siquidem singulare iudicium ad vnum tantum singulare terminatur, vniuersale ad omnia, experimentum verò, ex quibusdam collectum est, ergo non transit intellectus ab illo in hoc extremum, nisi per medium experientiæ: & certè experientia ipsa idem ostendit: ecquis enim assentitur his principijs, omne totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia, qui non millies ea, cum puer esset, expertus sit in singularibus: de principijs autem particularibus scientiarum, labor ipse ea inueniendi, atque examinandi satis apertè indicat, quanta prius experientia opus sit, cum à posteriori, & longo effectorum experimento, ac iudicio colligi soleant.

Tertia ratio.

Postremo, quia certitudo abstractiuæ cognitionis, qualis est notitia vniuersalium indiget examine intuitiuæ, quam nos in hac vita sine sensu haudquaquam habere possumus, quod quidem examen, quia Plato cum alijs pluribus philosophis prætermisit, sæpenumero in rebus grauissimis hallucinatus est, plus speculationi, quam rerum experientiæ credens.

Resolutio Quæstionis.

Prima assertio.

AVditis aliorum sententijs his assertionibus explicamus propriam. Prima, quemadmodum in scientia non poni-
99. tur distinctus habitus pro apprehensione, & iudicio conclusionis, pariter in principijs non est ponendus duplex habitus apprehensiuus, & iudicatiuus, sed vnus pro vtroque actu sufficit: iuxta quam doctrinam hoc modo generatur habitus principiorum, vt primo apprehendantur termini, ex quibus composita apprehensio formatur, supra quam cadit iudicium, & per iudicium generatur habitus apprehensionibus præsuppositis, quæ suo modo ad generationem cōcurrunt, & habitus iste deseruit apprehensioni, ac iudicio.

Prima ratio.

Quod autem non sit ponendus pro apprehensione specialis habitus ex eo probatur, quia apprehensio non est propter se, sed præcisè propter iudicium, cuius materia, & quasi obiectum est, ergo ex propria conditione aliquid 100.
iudicij est, vnde quamuis sit distinctus actus, pro eodem tamen reputatur, atq; adeò vnus, idemq; habitus ab vtroque generatur, & vtrique deseruit.

Secunda ratio.

Secundo, ad apprehendendum simpliciter non requiritur habitus, sed sufficiunt species intelligibiles, solum ergo necessarius esse potest ad benè apprehendendum, hoc est, ordinare, ac facilè, sed apprehensio ordinata nō fit nisi propter iudicium, cuius quasi pars mate- 101.
rialis est, ergo non producit habitum nisi adueniente iudicio, nec alio indiget habitu ab eo, quod per iudiciū producitur: sed iste tanquam eidem actui vtrique deseruit: vbi enim vnum præcisè propter alterum est, ibi vnum etiam quasi pars est alterius, ibi vnum duntaxat esse iudicamus, pro quo vnū habitum ponere sufficiet: idq; inductione cæteros omnes habitus intellectuales percurrentes confirmari potest. Ecquis enim duplicem habitū scientiæ posuit, apprehensiuum, & iudicatiuum, duplicem prudentiam, & artem, aut duplicem fidem humanam, vel diuinam? nullus certè, sed omnes intelligunt eundem habitum pro iudicio, & apprehensione sufficere: idem etenim scientiæ habitus docet nos principia disponere, & ordinare in modo, & figura, quod ad apprehensionem pertinet, & rursus iudicare de conclusione ex eis illata, sicque de cæteris habitibus intellectualibus sentire oportet, potius quam ea duplicare sine necessitate.

Secunda assertio.

Quo præsupposito asserit secunda assertio primos assensus principiorum vniuersalium, vel particularium, non indigere experimento, 102.
vel inductione singularium, ita vt ei ex propria innitantur conditione.

Ratio.

Quam efficaciter probant tria illa argumenta in

ta in principio quæstionis proposita: etenim cum principia sint veritates per se notæ, hoc est absque vllo medio cognoscibiles, ad quas proximè comparatur lumen naturale, tanquam ad obiectum sibi proportionatum, ei soli innituntur, & non alteri cognitioni præsertim experimentali, quam ipsamet principia certitudine, atque euidentia facilè superant:
103. neq; Aristoteles vnquam posuit primam notitiam principiorum per experimentum fieri tanquam per proprium medium, cui innitatur, hoc enim pugnat planè cum simplicitate, ac perfectione eius.

Tertia assertio. Tertia assertio, ad primam nihilominus principiorum notitiam, tam vniuersalium, quam particularium, nō solum quantū ad eius apprehensionem simplicem, atque compositam, sed proprius, ac verius quantum ad iudicium requiritur experimentum, tanquā medium quoddam extrinsecum, & quoad nos tantum necessarium, qui experientia sensuum indigemus ad veritatem principiorū capiendam, licet non sit eadem in cunctis necessitatis causa.

Probatur prima pars huius assertionis. Assertio hæc per partes est explicanda simul, & confirmanda: & prima eius pars affirmat, non solum requiri experimentum ad primam notitiam principiorum, quantum ad vtramque eius apprehensionem, sed proprius quantum ad iudicium, quia experimentum iudicium sensuum præsupponit, quemadmo-
104. dum ipsummet iudicium intellectus ex multis singularib' iudicijs sensuum est collectum, qui iure vocantur memoriæ ab Aristotele, quia in memoria sensitiua reseruantur: iudicium autem sensus suam etiam apprehensionem sensitiuam singularium præsupponit, quemadmodū iudicium intellectus, vnde fit, experimentum, quod vniuersale iudicium intellectus est, & quasi conclusio inductionis, iudicia etiam sensus requirere simul cum apprehensionibus, ita vt apprehensio singularium sensibilium pro apprehensione vniuersali, & iudicium singulare pro iudicio vniuer-
105. sali requiratur: dum autē iudicium sensus audis, nō intelliges propriè in sensibus iudicium reperiri (etiam solus intellectus propriè iudicat) sed per quandā similitudinem, & analogiam ad iudicium intellectus. Exemplo possumus hanc doctrinam illustrare: vt si quis primum assensum eliciat huius principij vniuersalis, omne totum maius est sua parte, indiget experientia sensuum, hoc est, notitijs quibusdam, per quas sensib' percipiat hoc, & illud totum, & aliquas eorum partes apprehendens simul, & iudicans (eo modo, quo possibile est per sensus iudicare) maius esse quodlibet totum eisdem suis partibus, ex quibus notitijs in memoria sensitiua reseruatis intellectus apprehendens, & iudicans, vniuersale hoc iudicium elicit, omne totū maius est sua parte, & tunc simul idemmet iudicium per immediatam comparationem naturalis luminis ad veritatem eius ex terminis cognoscibilem elicit, quod vocamus primum assensum talis principij ex terminis habiti, præcedente tamen experimento: per eundemque assensum generatur habitus principiorum in esse quidem imperfecto, quem vsus postea intendit, ac perficit, sed simpliciter est habitus in eadem prima generatione propter efficaciam causæ, quem admodum de habitu scientiæ inferius constabit, eiusmodi enim habitus per vnum actum generari in esse simpliciter, licet non in esse perfecto censemus. 106.

Secunda pars eiusdem assertionis est, ad primum assensum quorumcunque principiorum suo modo requisitum esse tale experimentum, ac postremo non esse eandem necessitatis causam in omnibus, quas simul explicare, & probare oportebit, cum ex vna alterius veritas dependeat, notum est lumen intellectuale nostrum (vtpote animæ informantis, atque existentis in corpore) quasi corpori esse cum eadem anima immersum, & ex hac immersione debile, atque infirmum ad operandum, & minus, quam oporteret expeditum, non enim ita clare, ac perspicue veritatem inspicit, nec facilè potest eam percipere, ac lumen intellectus angelici, quod nullo corpore præpeditur, nec retardatur: vnde fit, in principio non posse adeò firmum, stabilemque assensum elicere, neque à periculo errandi liberum: sed duobus iuuari debet, altero ex parte obiecti, quo reddatur fortius: altero ex parte ipsiusmet potentiæ, quo expeditius: ex parte quidem obiecti iuuabitur, si eandem veritatem principiorum in singularibus sensibilibus experiatur, eiusmodi autem experimento notior, atque accommodatior fit, magisque proportionata, quo securius, ac firmius ei inhærere possit: ex parte autem potentiæ iuuat habitus per primum assensum genitus: quo viens intellectus torporem excutit, expeditiorq; fit ad operandum. — Secunda pars probatur atq; etiā tertia. — 107. — 108.

dum, ac tandem facilè, prompte, & cum delectatione eisdem veritatibus assentitur: his autẽ pręsidijs indiget ad primos assensus principiorum, non autem ad scientiam, cum iam sit eisdem assensibus principiorum quasi munitus, ac roboratus, & eiusdem scientia habitu per primum actum comparato expeditior fiat.

Alia ratio ad vniuersalia principia.

Et rursus alia est ratio huius necessitatis quantum ad vniuersalia principia non prætermittenda, quantumlibet enim vniuersalissima explicatis etiam terminis negari à proteruis possunt, & quamuis me non lateat id, quod ab Aristotele dicitur, non posse negari mente
109. etiam ab his, sed sola voce, adhuc tamen, vt voce non negentur, refert multũ experimentum singularium sensibilium: quod etiam voce non potest sæpè præ pudore negari: oportet autem sapientem paratum esse, sufficienterq; instructum, etiam circa vniuersalissima principia, quorum veritatem ad sensum, & quasi digito possit ostendere.

Alia ratio pro particularib⁹ principijs.

Rationes autem istæ, quibus comprobatur necessarium esse experimentum ad notitiam primam principiorum communes sunt vniuersalibus principijs, & particularibus scientiarum, sed pro his est alia specialis, quia multa sunt, quorum veritas, aut nos latet omnino, aut certè confusa solum notitia cognosci-
110. tur: pro quibus explicandis, vel etiam à posteriori probandis necessaria est experientia singularium, & eiusmodi ferè sunt, quæ materiam sensibilem concernunt, vt principia vtriusque philosophiæ naturalis, & moralis, nec mirum est harum scientiarum principia à posteriori esse probanda ab effectis, cum & conclusiones eorundem experientiæ sæpè innitantur, quod non tã ex imperfectione scientiarum euenire credendum est (nam ex propria conditione principijs per se notis constant, ex quibus conclusiones à priori deriuantur) quam nostri intellectus, qui maiori ex parte res philosophicas pro hoc statu, non nisi per sensuum experientiam cognoscit.

Nota.

Ecce quo pacto non est eadem causa necessitatis in vtrisque principijs, sed neque in eodem gradu necessarium est experimentum:
111. nam ad communissima principia non est simpliciter necessarium, neque vt tale reputatur ab Aristotele, sed valdè vtile, & (vt aiunt) ad melius esse: quod enim expositis terminis naturale lumen sufficiat ad assensum eliciendum dubitandum non est, cum id conuincant tria illa argumenta in principio quæstionis à nobis proposita, experientia tamen deficiente non erit adeò firmus assensus, nec à periculo erroris liber, quod satis est vt necessaria iudicetur iuxta primam necessarij acceptionem pro valde vtili, non iuxta strictiorem alteram pro simpliciter necessario, at respectu particularium principiorum, non quidem omnium, sed multorum, simpliciter necessaria est experientia, vel inductio, siquidem alia via non constat eorum veritas.

Dubium sitne inductio probabile, necessariumúe argumentũ.

An verò inductio ex propria forma sit probabile, vel necessarium argumentum ex modo procedendi iudicandum est, nam si imperfectè fiat, quibusdam enumeratis singularibus, & quidem in materia probabili, vel contingenti, apertum est probabile duntaxat argu-
mentum fore: in quo sensu inter probabilia argumenta refertur aliquando ab Aristotele, & in eodem argumentũ Rhetoricum, & quasi à coniectura ductum vocatur: cæterum si pro dignitate, ac certitudine materiæ enumeratio fiat singularium non certè omnium, sed quorundam, ex quibus euidenter constat sic rem se habere in cæteris, necessarium est argumentum, quo euidenter probantur (licet à posteriori) principia scientiarum non pauca, & sic inductionem accipit Aristoteles, capit. huius operis postremo: dum principia per eam docet esse cognoscenda, & iuxta sensum nostrarum assertionum loquitur. Albert. Magnus, de necessitate experimenti 5. metaph. tit. 1. cap. 6. 112.

Ad argumenta.

Ex adnotatis igitur pro explanatione, & confirmatione nostrarum assertionũ soluuntur argumenta à nobis proposita pro negatiua
parte quæstionis, atque etiam quæ pro confirmatione proprię sententiæ attulit D. Fonseca, cunctis namque ea dedimus, quæ aliqua ex parte probare possunt: quod verò in cæteris, quæ probare contendunt, deficiant, quasi digito ostendimus. 113.

Respondet ad testimonia Aristotelis.

Testimonia item Aristotelis sic interpretati sumus, vt semper, ac pro cunctis principijs necessarium esse experimentum intelligat, nõ tamen in eodem gradu pro omnibus, sed pro cunctis valdè vtile, & pro multis particularibus simpliciter necessarium.

TRACTA-

TRACTATVS TERTIVS.

De ſecunda virtute intellectuali, quam vocamus ſcientiam.

Intentum, & diuiſio.

SEcundum locum ſcientiæ concedimus, non tam dignitatē eius attendentes (nam ſapientia dignior eſt, vt de ea mox differentes videbimus) quam intimam dependentiam ab habitu principiorum, cuius conſiderationem nuper abſoluimus: occurrunt autem ſex conſideranda de ſcientia, primum pertinens ad neceſſitatem eius, ſecundum ad quidditatem, nempè an euidentia ſit ei intrinſeca: tertium, & quartū ad vnitatem, & diſtinctionem: quintum, & ſextum ad obiectum: nonnulla autem ex his ſuis locis prioris, ac poſterioris libri diſcutere optauimus, opportunius tamen viſum nobis fuit vniuerſa, quę ad ſcientiam, cæterosque intellectuales habitus pertinent, in hunc locum ſeparare, vt controuerſijs ſimul agitatis, ſingulorū rationes capiantur melius.

QVAESTIO I.

An præter habitum principiorum ponendus ſit pro concluſionibus alter ab eo diſtinctus.

Explicatur quæſtio.

NOua videbitur controuerſia hæc quia à nemine hucuſque videtur in dubium reuocatum, an pro concluſionibus, & principijs multiplicandi ſunt in intellectu habitus diuerſi, ita vt intellectus ille, ſcientia verò iſte appelletur Moderni tamen non vulgaris authoritatis, & eruditionis dubiam rem ſecerunt, duo genera principiorum cum Ariſtotele, & vniuerſa ſchola diſtinguentes, vniuerſaliſſima cunctis ſcientijs præſuppoſita, vt de quolibet affirmare, aut negare verum eſt, & ſi quæ ſunt alia huius conditionis, quæ dignitates ſolent appellari, & particularia ſingulis ſcientijs propria, ex quibus proximè deducuntur concluſiones, ſub nominibus poſitionis, & ſuppoſitionis deſignata ab Ariſtotele capite ſecundo prioris libri: huius generis ſunt definitiones, ex quibus proprietates obiectorum demonſtrantur, & quædam ... proximam concluſionum cauſam continentia, vt in Mathematicis diſciplinis exploratum eſt: & pro vtriſque docent habitum eſſe ponendum in intellectu, quo ſine vllo diſcurſu, ſed ex ſola terminorum notitia eis aſſentiatur, diuerſa tamen ratione, nam pro vniuerſaliſſimis omnino diſtinctum ab eo, qui pro concluſionibus ponitur, & ſcientia vocatur, pro particularibus verò nō diſtinctum, ſed eundem, qui poſtquam aſſenſus principiorū elicuit, ad concluſiones extenditur: itaq; pro principijs naturalis philoſophiæ v. g. ponitur habitus, quo aſſenſum eorū ex terminis producit intellectus, pro concluſionibus verò eiuſdem ſcientiæ nō eſt multiplicandus alter, quem ſcientificum vocare ſolent, ſed per eundem habitum principiorum eis aſſentitur intellectus, vnde talis habitus licet principiorum ſit, extenſione fit ſcientificus, & huius extenſionis aliud exemplum in ſcientijs ſatis clarum producunt, in quibus per aſſenſum primæ concluſionis gignitur habitus, per nouas verò concluſiones ſuperuenientes non multiplicatur alius, iuxta veriorem ſententiam ſtatuentem quamlibet ſcientiam eſſe vnum ſimplicem habitum, & vnam ſimplicem qualitatem, ſed idem met ad earum aſſenſus extenditur, modo ergo ſimili cenſendum eſſe aiunt de habitu particularium principiorum, ita vt ad omnes concluſiones eiuſdem ſcientiæ ex eis elicitas extendatur, hæc eſt opinio modernorum.

Quid doceant aliqui.

Quam ex mente Ariſt. in primis eſſe oſtendunt, nam 6 lib. Ethicorum vbi intellectuales enumerauit habitus de ſapientia docuit eſſe ſcientiam, & intellectum ſimul eorum, quæ honorabiliſſima ſunt, eam vocans ſcientiam quatenus eſt concluſionum, intellectum verò quatenus eſt principiorum eiuſdem facultatis, putat igitur eſſe eundem habitum circa principia, & concluſiones, magis tamen extenſum, cum ſapientiam pro vno, eodemque habitu connumeret. Verba autem Ariſtot. ex cap. eius libri ſeptimo, vbi ſpecialiter de ſapientia differit, hæc ſunt, *ſapientem ergo non ſolum ea ſcire, quæ ex principijs cognoſcuntur, ſed etiam circa principia dicere vera oportet, quare ſapientia intellectus eſt, & ſcientia, & (vt caput habet) ſcientia rerum earum, quæ ſummis afficiuntur honoribus*: Quod hac etiā vniuerſali ratione ſe conuincere putant: aſſenſus, quorū vnus præſupponit intrinſece alterum, nequeunt diuerſos generare habitus, quia diuerſi habitus independentes

Suadetur ex Ariſt.

Fundamentum huius ſententiæ.

Margin numbers: 2 (beside "rò iſte appelletur"), 3 (beside "vtriſque docent"), 4 (beside "lis philoſophiæ"), 5 (beside "enumerauit habitus"), 6 (beside "generare habitus").

dentes sunt, sed assensus conclusionum intrinsece præsupponunt assensum, & habitū principiorum, ergo alium habitum gignere nequeunt, & huius rei est appositissimum exemplum in scientijs præsertim vniuersalioribus, vt in dialectica, ac philosophia naturali, quarum conclusiones diuersæ sunt, diuersa est enim conclusio in prædicamentis deducta ab ea, quam in resolutionibus priori, & posteriori deducimus, diuersa quoque, quam philosophus in libris de cœlo, & mundo, & in libris de ortu, & interitu colligit, pro quibus nō multiplicantur habitus, quia vna præsupponit intrinsece alteram, imo in principijs earundem scientiarum res est notissima, cum definitiones vnius partis præsupponantur necessario definitionibus alterius, & nihilominus pro cunctis sufficiet idē habitus per assensum primigenitus, & ad assensus posteriorum extensus, ergo par erit ratio de habitu principiorum particularium, quē intrinsece præsupponunt conclusiones eiusdem scientiæ.

Exemplū.

Antiquior scholæ sententia præfertur, ex doctrina Aristotelis deducitur, & corroboratur.

Vera sententia. 7. HAEc tamen sententia non video quo pacto cum doctrina Aristotelis cohærere possit, eodem namque sexto libro Ethicorum omnes intellectuales habitus ex proprijs rationibus separauit, vbi verò de intellectu, qui est habitus principiorum ex professo disseruit, cum non quomodocumque separauit à cæteris, sed cum nullo eorum coincidere docuit hisce verbis ex capite sexto eiusdem libri desumptis: *Intellectus, nec est scientia, nec ars, nec prudentia, scientia, quia ipsum scibile demonstrabile est, ars, & prudentia: quia in his versantur, quæ se se aliter habere possunt, at neque sapientia est: est enim sapientis, de quibusdam demonstrationem habere, quod si ea quibus verum dicimus, & numquam falsum in his, quæ possunt, aut non possunt aliter se habere, & hæc sunt scientia, prudentia, sapientia, intellectus: horum autem trium habituum nullus esse potest, atque tres dico, prudentiam scientiam, sapientiam, restat intectum esse principiorum.* Ex quibus planè infertur non posse ad conclusiones scientificas se extendere,
8. sed alium omnino habitum pro eis ponere oportebit, nec enim locum habet hac in parte distinctio principiorum vniuersalium, & particularium eiusdem scientiæ, qua vtitur præfata sententia, quia Aristoteles aperte distinguit habitum quorumlibet principiorum ab habitu scientiæ dicens, intellectū esse eorum quorum nōn est demonstratio, scientiam verò scibilium demonstratorum, ergo nec vt particularium principiorum cuiuslibet scientiæ est, cum scientia conclusionum confundi permittit: quod rursus ita probo, nā vel principijs particularibus assentitur intellectus ex terminis, aut per demonstrationem à priori, hoc secundum non dabis, alioqui procedendum erit in infinitum, cum particularia principia nequeant per demonstrationem ad vniuersalissimā reuocari, nisi velis ea in demonstratione includere, quod repugnat: necessarium igitur erit primum: ex quo infertur, assensum eorum gignere habitum, quem Aristoteles vocat intellectum, dum ait non esse eorum, quæ demonstrantur, sed talem habitum negat cum scientia coincidere asserens, hanc esse scibilium demonstratorum, ergo opposita sententia, eum cum scientia confundens, per extensionem ad scientificas conclusiones nequit in doctrina Aristoteles sustineri.

Ratio Arist.

9.

Sed rationibus iam ostendo distinctum esse habitum particularium principiorum ab habitu conclusionum, quod tenet communis sententia, & negat opposita: habitus intellectuales sicut cæteri distinguuntur per actus, & obiecta, sed habitus principiorum particularium, & conclusionum habent actus, & obiecta specie diuersa, ergo distinguuntur specie, quare nequibunt in idem coincidere: probatur minor, assensus distinguuntur specie per diuersas rationes formales assentiendi se habentes quasi obiecta formalia, sed diuersæ sunt rationes assentiendi in principijs, & conclusionibus: nam illis per se immediate assentitur intellectus, sola notitia terminorum præsupposita, his verò non nisi per medium demonstrationis, ergo diuersi erunt assensus, atque adeò diuersos secundum speciem gignent habitus: de diuersitate autem obiectorum res est notior, cum habitus principiorum circa veritatem per se cognoscibilem versetur, scientia verò circa demonstrabilem. Nec minuetur vis argumenti, si dicatur, habitus separari per actus, & obiecta adæquata, præfatos autem assensus, & obiecta formaliter quidem diuersa esse, inadæquata tamen respectu talis habitus ex principijs geniti, & ad conclusiones extensi, ac propterea non gignere diuersos habitus, sed ad eundem pertinere posse. Hoc

Ratio prima.

10.

Occurritur solutioni.

inquam non minuit difficultatem argumen-
ti: nam si inadæquata sunt respectu talis habi-
tus, necesse erit aliquam rationē communem
adæquatam designare, sub qua comprehen-
11. dantur, quæ adæquata sit habitui, à qua vnita-
tem specificam capiat, alioqui vnus non erit,
sed talis ratio est impossibilis, cum non possit
designari alia nisi assensus necessarij, & eui-
dentis, aut necessaria, & euidens veritas, quæ
vnum habitum constituere nequit: nisi velis
pro cunctis principijs, & conclusionibus eun-
dem ponere habitum, nam sub tali ratione
cōmuni assensus, & obiecti principia omnia,
& conclusiones comprehenduntur, & verè
cum talis ratio diuersos modos assentiendi
comprehendat, ex quibus diuersitas habituum
intellectualium desumitur, nequit vnum ha-
bitum constituere: vt ostendi potest in fide,
cuius ratio assentiendi testimonium est. Cæ-
terum quia sub testimonio comprehendun-
tur diuinum, & humanum, diuersi sunt habi-
tus humanæ, ac diuinæ fidei, pariter ergo di-
uersi erunt habitus sub ratione assentiendi ne-
cessaria, & euidenti, sub qua comprehendun-
tur immediata veritas, & per medium demon-
strabilis: vnde nequibit habitus ab illa genitus
se extendere ad conclusiones.

Secunda ratio.

Quod secundo, nec minus efficaciter pro-
bari potest, nam assensus principiorum parti-
12. cularis scientiæ præcedit assensus conclusionū
eiusdem, cum isti ex eo gignantur, sed per as-
sensum principiorū, qui sine medio elicitur,
gignitur habitus proximæ veritatis, hoc est si-
ne medio cognitæ, ergo iste habitus solum in-
clinat ad talem veritatem cognoscendam, at
veritas conclusionum nō est huius conditio-
nis, sed mediū intrinsece postulans, ergo ne-
quit idem habitus ad illā extendi, sed alterū ab
eo diuersum pro eis multiplicare oportebit.

Tertia ratio.

His accedit tertia ratio ex necessitate multi-
plicandi habitus in qualibet potentia acci-
pienda: habitus ponitur in potētia ad superan-
dam difficultatem circa obiectum occurren-
tem, vt fatentur omnes, vnde si potentia sit
sufficienter ad aliquod obiectum inclinata, nō
indiget habitu, vt circa illud operetur, vt visus
ad videndum colorem, at vbi noua occurrit
13. difficultas, nouo indiget habitu, sed assensu
principiorum particularium elicito, habituq;
ex eo producto, noua restat difficultas circa
assensum conclusionum, quam in scientijs
perdiscendis non solum omnes ponunt, sed
experiuntur, ergo ad talem difficultatem su-
perandam distinctus habitus requiritur, qui
scientia appellatur At dices, etiam habita pri-
ma conclusione scientifica nouam difficulta-
tem superesse in alijs perdiscendis, ad quam
euincendam non indigemus nouo habitu, sed
satis est noua extensio præcedentis per assen-
sum primæ conquisiti, ergo licet noua supersit
difficultas in assentiendis conclusionibus, suf-
ficiet pro ea superanda extensio habitus per
proprium assensum principiorum geniti, qua-
re non erit necessarium multiplicare alium.
Longè tamen diuerso modo res se habet in
vno, & altero exemplo, quare non fit satis ar- 14.
gumento, estque ratio discriminis satis clara,
nam in assensu conclusionū superuenientium
adquisito iam habitu scientiæ per primam,
noua quidem occurrit difficultas, eiusdem ta-
men rationis, & speciei: quia eodem prorsus
modo, ac medio formali demonstrationis est
assentiendum est, & circa idem obiectum sci-
bile operandum per habitum, & idcirco diffi-
cultas superabitur per extensionem eiusdem
habitus: quod vsque adeò verum est, vt per ha-
bitum superari nequeat: difficultas verò oc-
currens circa conclusiones habito principio-
rum particularium assensu, & comparato per
eum habitu, non solum noua est, sed longè di-
uersæ rationis, quare per extensionem eius-
dem habitus non superatur, sed per habitum
distinctum: quod ita ostendo, partes gradua- Probatio.
les intensionis eiusdem specifici habitus, eius-
dem speciei sunt cum his quas iam habet ha-
bitus, qui intenditur, aut extenditur, vt omnes
gradus caloris per intensionem conquisiti, o-
mnesúe partes productæ per extensionem, 15.
eiusdem speciei sunt, sed conclusiones sunt di-
uersæ rationis à principijs etiam proprijs eius-
dem scientiæ, non solum materiali ratione,
sed formali, & specifica propter medium as-
sentiendi, ergo extensio habitus principio-
rum ad illas nō erit eiusdem, sed diuersæ con-
ditionis formalis, atque specificæ, ac propter-
ea penitus impossibilis, cum ex illa fiat, eun-
dem numero habitum, & in eadē atoma spe-
cie constitutum habere partes intrinsecas di-
uersæ speciei.

Vltima ratio.

Probatur tandem falsitas eiusdem senten-
tiæ ex assensu Theologico, quem non ad habi-
tum scientiæ, sed diuinæ fidei proximè perti- 16.
nere consequenter affirmat, habet enim se ha-
bitus fidei ad Theologiam nostram in via ac-
quisitam, sicut habitus principiorum ad con-
clusiones, ac propterea docent pro Theologi-
cis con-

eis conclusionibus, nõ esse ponendum vllum habitum, sed ad assensus earum se extendere habitum diuinæ fidei, hoc autem probo esse falsum, quia ratio formalis, & proxima assentiendi in habitu fidei diuinum testimonium est, ita vt non innitatur rationi probabili, aut euidenti, sed conclusionibus Theologis, vt talibus non assentitur proximè intellectus per testimonium, sed demonstratione conuictus fide supposita, ergo non per habitum fidei, sed per alterum diuersæ rationis, quod iterũ probari potest, quia conclusio Theologica non habet eandem certitudinem, itno neque eiusdem speciei, cum diuina fide, cui non proximè innititur, sed demonstrationi, & aliquando etiam alteri præmissæ naturalis scientiæ, constat autem minorem longè certitudinem habere medium demonstratiuum, & præmissam naturalem, & alterius conditionis, cum naturalis sit hæc, certitudo verò diuinæ fidei supernaturalis, ergo repugnat conclusionibus Theologicis assentire intellectũ proximè per habitum fidei, sed præter illum necesse erit pro eis ponere alterum diuersæ speciei: sicut
17. ratio assentiendi, & certitudo earum diuersæ conditionis, atq; ordinis est: vt autem de hoc vltimo non dubitetur, sic potest conuinci. Causa assensus Theologici non est assensus fidei diuinæ secundum se, sed in quantum modificatus per demonstrationem: sed hæc est minus certa quam fides: & certitudine naturali (quæ inferioris ordinis est) prædita, ergo nequit habitus fidei assensum Theologicæ conclusionis proximè elicere, sed medio habitu Theologiæ.

Probatur testimonium.

Explicantur fundamenta oppositæ sententiæ.

Ad primũ oppositæ sententiæ ex Arist.

PRimum fundamentum oppositæ sententiç accipitur ex quodam testimonio Aristotelis capite septimo, sexti libri Ethicorum, vbi de sapientia ait esse intellectum, &
18. scientiam, cum sit idem habitus, quod testimonium præclare exposuit D. Thom. non solum in commentarijs eiusdem capitis, sed 1.2. quæst. 57 articulo primo ad secundum, vbi sapientiam propriè sumptam, de qua sermonem ibi instituit Aristoteles, quendam designare habitum docet, verè quidem scientificum, nam circa conclusiones versari docet, sed qui scientias communes, & principiorum habitus excellit: quia nõ solum de conclusionibus, sed de principijs earum diiudicat, considerat enim ex vna parte altissimas causas, ad quas reducuntur inferiores, ex altera verò vniuersalissimas rationes entis, vt esse, essentiam, totum, partem, ac similia, à quibus principia, & conclusiones particularium scientiarũ dependent, quare ab ea quasi stabiliuntur, & formantur, robur que accipiunt, deinceps verò principia particularium scientiarum quodammodo ostendit, ac demonstrat saltem per extrinsecas rationes, vel ad impossibilia ducentes eos qui illa negarent, supereminet igitur principijs, & conclusionibus, & ideò tã scientijs, quam principiorum habitu essentialiter perfectior est, ac propterea asseruit Aristoteles, verum dicere non solum circa conclusiones, sed etiam circa principia, esseque intellectum, & scientiam, quod in duplici sensu accipi potest. In primo quidem, ita vt esset vnus quidam habitus, per quem intellectus assentiretur principijs, & conclusionibus proprijs, in posteriori verò, ita vt solis duntaxat conclusionibus proprijs assentiens, robur & firmitatem præstaret non solum conclusionibus, sed etiam principijs aliarũ scientiarum, & in hoc sensu accipitur à D. Thoma, & alijs illius loci interpretibus. In priori verò à nullo, quem ego viderim. Præterquam à modernis oppositæ sententiæ patronis: & vt exemplum naturalis sapientiæ afferamus, ipsam esse metaphysicam scientiam docuit Arist. primo libro metaphysicæ, de qua vera sunt, quæ diximus, sed nihil aduersus communem sententiam, quam defendimus continens, negandum igitur est, ita docuisse Aristotelem, quod metaphysica sit intellectus, & scientia respectu suorum principiorum, & conclusionum, sed solũ respectu principiorum aliarum scientiarum, quorum rationem reddit: & quibus robur, ac firmitatem adijcit, constituit autem membrum distinctum ab intellectu, & scientia in illa diuisione, quia ita est scientia, vt quodammodo sit intellectus omnium principiorum, vnde non est communis scientia, qualis esse censetur illa, quæ constituit alterum membrum, nec est habitus principiorum sicut ille qui constituit aliud, sed eminentiorem quandam rationem super vtrumque habitum sortitur. Et licet daretur sapientiam suorum principiorum, & conclusionum habitum esse, cum hoc ei per excellentiam attribuat Aristoteles, non potest ex hoc testimonio probari, quod cæteris scientijs conueniat, iam enim sapientiæ proprium non esset dicere

19. (right margin, beside "modo ostendit, ac demonstrat saltem per extrinsecas")
20. (right margin, beside "ego viderim. Præterquam à modernis oppositæ")
21. (right margin, beside "esse censetur illa, quæ constituit alterum")

dicere verum circa principia, & concluſiones, aut eſſe intellectum, & ſcientiam: itaque ſi in hoc ſenſu verba Ariſtotelis accipienda forent, potius eis infertur nullum habitum ſcientificum eſſe ſimul intellectum principiorum, ſed ſolum ſapientiam aduerſus præfatam ſententiam id concedentem cunctis habitibus particularium principiorum.

Ad ſecundum fundamentum. 22. Aliud fundamentum intrinſecam dependentiam concluſionum à principijs, & habitus ſcientiæ ab habitu principiorum obijciebat, quam nec volumus, nec poſſumus negare, ſed id ſolum quod ex ea infertur, nempè eundem habitum propter eam efficere: etenim cum dependentia hæc diuerſam veritatem principiorum, & ſcientiæ, diuerſamque rationem aſſentiendi non tollat, nec tollere poteſt diſtinctionem aſſenſuum, & habituum, quos generant, dependet quidem intrinſece ſubalternata ſcientia ſecundũ ſtatum, ac perfectionem ſcientiæ à ſubalternante, & ſecundum obiectum, quod ex obiecto illius conflatur, & ſecundum principia ab eo probata, & nihilominus diſtincta ſcientia ab ea eſt propter diſtinctionem obiectorum: dependet item intrinſece cauſa ſecunda à prima, quam neceſſario præſupponit, & ſine cuius influxu, nec eſſe, nec operari poteſt, nec tamen dependentiæ

23. iſtæ tollunt earum diſtinctionem, ergo licet ſcientia præſupponat intellectum, ab eoque dependeat, non propterea cenſebitur idem habitus, de concluſionibus verò, ac principijs Dialecticæ, & naturalis Philoſophiæ, aliarumque ſcientiarum, verum eſt, quod quædam præſupponantur alijs, videlicet concluſio concluſioni, & principium alteri etiam principio, ac propterea pertinent ad eundem habitum ſcientiæ concluſiones, quia eiuſdem conditionis ſunt, veritatemque demonſtrabilem habent omnes, & pariter principia à cuiuſlibet ſcientia pertinebunt ad eundem habitũ principiorum, quia veritate per ſe, hoc eſt ſine medio cognoſcibili prædita ſunt, principia verò quanquam præſupponantur concluſionibus, & iſtæ ab illis dependeant, longè diuerſæ conditionis ſunt, longeque diuerſam veritatem continent, illa quidem per ſe, aut ſine medio cognoſcibilem, iſtæ verò demonſtrabilem, quo circa eundem habitum gignere nequeunt.

* * *

QVÆSTIO II.

An euidentia ſit ſcientiæ intrinſeca?

CVm ad quidditatẽ ſcientiæ ſpectet controuerſia hæc, præſupponit abſque dubio ſcientiam eſſe, & noſtris actibus Præſupponuntur aliqua.
comparari, vt Ariſtoteles non ſolum docuit, 24.
ſed euidenter probauit in huius operis principio aduerſus Platonem, cæteroſque antiquos philoſophos vtrumque negantes quærit autem, an euidentia ſit ei eſſentialis, vel propria paſſio, ſeu commune accidens, eſt autem ſermo de ſcientia propriè accepta pro habitu concluſionum, quæ ex certis principijs per demonſtrationem deducuntur, vt interim reliquas eius acceptiones, communes, ſeu impropias omittamus.

Explicatur definitio ſcientiæ, & titulus quæſtionis.

SEd priuſquam ad rem veniamus, quia de quidditate ſcientiæ agitur, definitionem Definitio ſcientiæ.
eius afferre oportet, eamq; pro regula prędicatorum eſſentialium aſſumere, Ariſt. cap. 2. libri prioris hiſce verbis videtur definiſſe
ſcientiam ſub nomine conc[illegible]o: *Scire eſt rem per cauſam cognoſcere, & quod illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere*, quæ licet vocis duntaxat ſignificationem videantur explicare, ad normam propriæ, ac quidditatiuæ definitionis hoc poſſunt modo referri: ſcientia eſt cognitio vera, & certa rei neceſſariæ per propriam cauſam, vbi cognitio ponitur pro genere abſtracto, illo verbo cognoſcere, ab Ariſtotele deſignata: poteſt autem pro actuali, vel habituali accipi, quoniam per modum actus, & habitus definibilis eſt ſcientia, reli- 25.
quæ particulæ ponuntur pro differentia, per 26.
quas à cæteris habitibus, vel cognitionibus ſeparatur: nam particula, *vera*, eam ſeparat ab errore, particula, *certa*, ab opinione, cæteriſq; cognitionibus, quibus ex propria conditione non repugnat ſubeſſe falſum, per *rem neceſſariam*, ſeparatur à prudentia, & arte, quæ verſantur circa contingentia: particula demum, *per cauſam* diſtinguit ſcientiam à notitia, aut habitu intellectus, quæ non habetur per medium, aut cauſam, ſed ex ſola apprehenſione termino-

terminorum, siue naturalis, vel supernaturalis sit, vbi clauditur diuina fides, quam per eandem vocẽ excludere possumus, has autem oẽs particulas cæteris verbis suæ definitionis comprehendit, videlicet, *rem per causam, & quod illius est causa, & quod non contingit aliter se habere,* nam hoc vltimo verbo necessitatẽ ex parte obiecti tetigit, discursum vero alijs, & omnibꝰ simul certitudinem ex parte intellectus, certa namque erit eius notitia, si sit rei necessariæ per propriam causam cognitam, vt talem.
27.

Sed an completa sit definitio, vel deficiat adhuc particula, *euidens*, expresse addenda, & in definitione Aristotelis subintelligenda, status est præsentis controuersiæ, quem vt meliꝰ intelligamus tria hæc explanare necessarium est, videlicet certitudinem, necessitatem, atque euidentiam: & à certitudine incipientes sic eã definire solẽt scholastici Doctores in 3 distin. 26. præsertim D. Tho. q. 2. art. 4. & D. Bonauent. q. 4. quos Duran. sequitur in 4 dist. 37. q. 8. est firma adhæsio intellectus alicui obiecto absque dubitatione, vel formidine inhærentis est tamen duplex, apparens, & vera, contingit namque intellectum non habentem firmum vel infallibile fundamentum, seu principium determinans, sed solum apparens ex propensione, & efficaci applicatione voluntatis tenaciter inhærere obiecto, & talis firma adhærentia non vera, sed apparens certitudo est, de qua vulgatum illud ab Arist. 7 ethic. cap. 3 cęterisque sapientissimis philosophis prolatũ, & in schola frequenter vsurpatum intelligitur: ita firmiter adhærent nonnulli suis opinionibus falsis, aut erroribus, sicut alij scientificis veritatibus, quod experientia compertum est in hæreticis, reliquisque peruersis hominibus.
Status quæstionis.
28.
Quid sit certitudo.
Certitudo duplex altera apparens altera vera.
29.

Vera autẽ certitudo est qua intellectus solido cuidam, firmoque fundamento rationis, vel infallibilis auctoritatis innitens veritati adhæret, cuius diuersi sunt gradus, quos ad tres nunc referre possumus: primus est Metaphysicæ, vel Mathematicæ veritatis, quam nullam potentiã mutare posse intelligimus, cum eius oppositũ manifestam contradictionem inuoluat, vt D.ũ esse infinitum, æternum, &c. tria, & quatuor sũt septem.
Vera certitudo.
30.

Secundus gradus est eius, quæ nũquã prorsus deficit, nec deficere secundam potentiam naturalem, vel ordinatam potest, vt hominem esse risibilem, vel grauem lapidem: potest enim tales potentias ab eis separare absoluta Dei potentia.

In tertio gradu collocatur certitudo rerum naturalium, quæ vt plurimum deficere non potest, sed raro: & infimum tenet moralis ex eo desumpta, quod secundum communem hominum consuetudinem euenire solet: hoc enim certum moraliter vocamus, & si aliquando contingat oppositum: vnde fit, vt præsentem & præcedentem gradum sub eodem possimus comprehendere, qui sit in ordine tertius, dicentes infimam certitudinem esse rei aliquando deficiẽtis, licet raro, siue ex morali, vel naturali causa proueniat: alijs etiam modis possemus certitudinem diuidere, quas diuisiones suis locis explicandas relinquimus. 31.

Necessitas in vniuersali considerata est determinatio ad vnum, & si sit rei simplicis, vel incomplexæ, erit determinatio ad esse, propositionis vero determinatio ad veritatem, eamque propositionem necessariam vocabimus, quæ ita est vera, vt repugnet esse falsã, in quo sensu scientiam docet Aristot. esse eius, quod impossibile est, aliter se habere: quasi dicat esse obiecti simplicis omnino determinati ad esse, cui repugnat non esse, & propositionum, quibus repugnat falsitas: habet autem necessitas eosdem gradus, ac certitudo, quos ideò prętermittimus, quia ex eis sunt manifesti.
Quid sit necessitas.

Euidentia addit supra firmam adhæsionem certitudinis, manifestationem veritatis sub aliquo lumine, quo illustratum obiectum, clarũ, atque perspicuum fiat, & sub tali claritate à potentia perceptibile: hanc autem claritatem habent principia scientiæ ex se, quia proxime, & sine vllo medio illustrantur lumine naturali intellectus: conclusiones verò non nisi medijs principijs, vnde principia per se sunt euidentia, conclusiones nõ nisi eorum participatione.
Quid sit euidentia.
32.

Quibus prælibatis sensus nostræ quæstionis est, an euidentia, hoc est, clara, atque perspicua manifestatio veritatis scientificæ, sub participatione luminis intellectualis, quo intellectus assentitur principiis, sit de intrinseca ratione scientiæ.
Sensus quæstionis.

Proponitur, & refellitur sententia Masij, negantis euidentiam esse de essentia scientia in communi.

MAGISTER Masius in controuersijs. 26. cap q 3. concl 1 & 2 propterea tenet
Secũda opinio Masij.

33· tenet euidentiam non esse sciẽtiæ in communi consideratæ intrinsecam, quia non conuenit subalternatis scientijs, quæ vere scientiæ sunt, quidquid autem alicui inferiori non conuenit, non potest esse superiori intrinsecum, sed quod subalternatis minime conueniat, his argumentis conuincere putat.

I. argum. Primo ex principijs habitis per fidem non potest inferri euidentia conclusionis, nã causa non est deterioris cõditionis quã effectus, sed in sciẽtia subalternata principia habentur per fidẽ, cum habeantur per auctoritatem eius, qui habet scientiã subalternantem, vt docet Aristot. 10. cap. prioris libri, cui vniuersi interpretes consentiunt, ergo scientia sub alternata, non solum non habet euidentiam, sed ei plane repugnat.

II. argum. 34 Secundo, qui habet euidentiam conclusionis, nouit principia eius, vsque ad prima referre, sed scientia subalternata nescit referre sua principia, vsq; ad prima, cum munus hoc subalternantis sit scientiæ, ergo non habet euidentiam suarum conclusionum.

III. argum. Tertiò: conclusiones Theologiæ ex eo nõ sunt euidentes, quia eliciuntur ex principijs Diuinæ fidei ineuidentibus, & obscuris, sed principia ex quibus subalternata scientia procedit, sunt humanæ fidei, ergo repugnat conclusiones esse euidentes, quare solius scientiæ subalternantis intrinseca est euidentia, nõ scientiæ in communi, cum multis nullo modo conueniat.

Refutatio. Hæc tamen sententia apertam quandam contradictionem inuoluit: ex qua falsitas eius euidenter deducitur, contradictio eiusmodi est, quia ex vna parte affirmat multis scientijs non conuenire euidentiam, nempè subalternatis:
35. ex altera vero eis propterea non conuenire, quia principia habent per solam auctoritatem superioris scientis accepta atque adeò fide humana credita: hæc autem duo plane contraria esse sic probo. Nam si principia harum scientiarum non sunt euidentia sed per solam auctoritatem humanam accepta, & per fidem humanam credita, cum hæc sit incerta, & fallibilis, sequitur euidenter incertas esse cõclusiones, atque adeò non generare scientiam sed opinionem, vel humanam fidem, & si ita est, nulla subalternata erit vera scientia: quomodo ergo stare potest, euidentiam non esse scientiæ in communi intrinsecam, quia non omnibus scientijs, nempe subalternatis conuenit.

I. Illatum contra sententiã Masij Miror profectò virum non infimæ doctrinæ in tam apertam contradictionem incidisse: ex qua primo infero falsam esse eius sententiam affirmantem, hac de causa euidentiam non esse scientiæ intrinsecam, quod rursus probo.

Probatur. Quia falsum est euidentiam non conuenire subalternatis scientijs, scientia subalternata vt scientia subalternata est, continuatur cum subalternante: sic autem continuata habet principia euidentia, atque adeò conclusiones 36. ergo euidentia non est eis extranea: probo vtramque partem antecedentis hoc exemplo, si Arithmeticus sit etiam Musicus, habebit vtramque scientiam, subalternantem, & subalternatam (nam etiam dum continuantur, sunt specie diuersæ, vt cap 10. lib. prioris ostẽdi, cum diuersum obiectum in diuersa abstractione, diuersaque principia habeat coniũcta, licet cum principijs superioris) & vtramque euidentem, cum principia inferioris vsq; ad prima referat, ergo euidentia intrinseca est vtrique, quanquam inferiori non conueniat, nisi ex participatione superioris, cui subordinatur, tunc enim statum scientiæ habet, vt autem ab ea separetur, per solam fidem humanam principia accipit, nequaquam scientia est, sed opinio.

Illatum 2. Ex quibus infero secundo, euidentiam cuilibet scientiæ subalternatæ esse intrinsecam, atque adeò scientiæ, vt à subalternata, & subalternante abstrahit: neque vnquam Aristot. 37. somniauit, quod scientia subalternata sit vera scientia, vt habet principia per solam auctoritatem superioris accepta, cum id plane sit falsum, & principijs eius contrarium, sed subalternatam vocat scientiam, in quantum subalternanti coniungitur, aut ei continuatur, tunc enim principia eius vsque ad prima referuntur, quod apprime necessarium est ad verã scientiam, atque adeò ad veram scientiam sub alternatam: & sic sentiunt vniuersi interpretes Aristotelis.

Obiectio. Sed si ita est, dicet aliquis, non habebit locum præsens quæstio, sed certa erit affirmatiua eius pars.

Solutio. Cui respondemus, locum habere propter Theologiam in via adquisitam, cuius principia non sunt euidentia, sed fide Diuina obscura credita: vnde si vera scientia sit, fiet scientię 38 in communi consideratæ nõ esse intrinsecam euidentiam.

Duob' modis considerat Theologia nostra Primo modo. Sed potest duobus modis considerari Theologia nostra, vno in quantum continuatur cũ Theologia Beatorum: hoc est cum clara visione Dei, per quam clare vident in Diuina essentia mysteria fidei, quæ nos credimus, quo pacto principia eius euidentia sunt in lumine superioris scientiæ.

Secũdo modo. Altero, vt à nobis habetur sine superiori, sub qua consideratione principia eius solummodo sunt credita, in quãtum accipiuntur per

39. auctoritatem videntis, hoc est, Christi Domini, qui ea reuelauit iuxta illud Ioannis 1. *Deum*

Ioan. 1. *nemo vidit vnquam, vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Et duplex hæc consideratio similis est ei, quam in scientijs subalternatis distinximus: nam perspectiuã considerauimus, in quantum continuatur cum Geometria, à qua eius principia probantur à priori. & etiam in quantum in aliquo reperitur sine superiori per solam auctoritatem principia accipiente,

40. & modo priori diximus, veram esse scientiam, eiusque principia euidentia esse sub lumine superioris, posteriori vero nequaquam, sed opinionem, cum ex fide humana principiorum deriuetur: id tamen discriminis est inter Theologiam, vt est in nobis, & subalternatam, vt est sine subalternante: quod principia illius habentur per infallibilem auctoritatem, ideò licet obscura sint, certiora tamen principijs cuiuslibet alterius scientiæ, vnde conclusiones, quæ ex eis deriuantur, infallibilem certitudinem habent: at principia subalternatæ, solum habentur per auctoritatem superioris scientis: cui à priori sunt euidentia qui cum homo sit, & fallibilis eius auctoritas, fides etiam humana, & fallibilis est, notitia principiorum in eo, qui subalternatam habet disiunctam à subalternante, ac propterea conclusiones, ex talibus principijs ab eo illatæ in certitudinem opinionis non excedunt.

Theologia primo modo accepta est scientia. An vero Theologia nostra scientia sit, vt continuatur cum visione beatorum, modo non disputamus, sed tanquam certum præsupponimus, quo pacto citra dubium est euiden-

41 tem esse, sed solum an vt est in nobis à scientia

De II. dubitatur in præsenti. beatorum disiuncta, eiusque principia per diuinum testimonium credita veram habeat rationem scientiæ.

Nota. Circa quod, illud secundo adnotare oportet, quod eius conclusiones, non ex solis principijs fidei procedunt, sed maiori ex parte, ex vna præmissa Diuinæ fidei, & altera euidenti, 42.
vt syllogismus iste ostendit, duas naturas rationales, vel intellectuales consequuntur duæ voluntates, Christus Dominus habet duas naturas tales, ergo habebit etiam duas voluntates: ecce maior syllogismi euidens, sed minorem sola fide tenemus, vnde fit, nec naturalem esse, nec supernaturalem omnino, sed facultatem ex vtraque mixtam, nam si euidens naturaliter est vna præmissarum, & ad principia lumine naturali nota reducibilis, altera vero ad supernaturalem fidem pertinet, vtramque conditionem participabit conclusio, naturalem, & supernaturalem: quærimus ergo, an conclusio sit vere scientifica, & habitus ex ea genitus vera scientia.

Singularis est illorum positio, quam tetigit Durand. quæst 1 prologi. numer. 50. & 53. affirmans conclusiones Theologicas esse euidentes, quia non ex sola fide, sed ex altera præmissa euidenti deriuantur, ergo euidentiam talis præmissæ participare debent, & non obscuritatem fidei, vel certe non est maior ratio, ob quam obscuræ dicantur ratione vnius præmissæ, quam euidentes ratione alterius. II. Sent.

Reijcitur autem à Durando ipso, & cæteris scholasticis, tanquam manifeste falsa, hac potissimum ratione: maior extremitas coniungitur minori in conclusione syllogismi ratione medij, ergo non potest nobiliori modo coniungi, quam medio eidem minori extremitati in minori præmissa, sed medium obscure coniungitur minori extremitati prædicti syllogismi Theologici, cum hæc propositio, Christus habet duas naturas non sit euidens, sed Diuinæ fidei, ergo obscure coniungetur eidem maior extremitas in conclusione, asserẽte, Christum habere duas volũtates: implicat ergo contradictionem cõclusionem esse euidentem eius syllogismi, cuius altera præmissarum obscura est. Eam reijcit Durand. 43.

Proponitur opinio Durandi negantis Theologiam viatoris esse scientiam.

HAc igitur positione exclusa, tenuit ipse Durandus Theologiam, vt à nobis viatoribus adquisitam ex principijs fidei, non esse vere, ac propriè scientiam, sed æquiuoce. III. Sent.

Et si ab eo quæsieris, quemnam habitum in intellectu producant conclusiones eius.

Re-

Respondet nullum, sed augere habitum Diuinæ fidei, cum sint sicut fides ipsa obscuræ.

Idem visus est sentire Scotus in 4. quæst. prologi, quamuis obscure adeo loquatur, vt vix possit placitum eius ex tota illa quæstione certo colligi: in eandem sententiam videretur aliqui abijsse Magister Sotus 1. lib. poster. cap. 2. quæstione 2. in solutione confirmationis septimi argumenti, vbi probans assensum
45. Theologicum non esse euidentem sic arguit: assensus Theologicus infertur ex articulis fidei, & adhuc non per consequentiam euidentem, (nam qui sequuntur per consequentiam euidentem itidē sunt assensus fidei) ergo Theologia non potest esse clarior, quam assensus fidei, &c. quo argumento profitetur assensum deductum, ex principijs fidei per consequentiam euidentem non posse esse scientificum, sed Diuinæ fidei, deductum vero per consequentiam in euidentem non posse esse, nisi opinionem, ergo Theologia nunquam, & scientiam: at in fine solutionis eiusdem confirmationis, quasi dictum corrigens expresse docet eandem Theologiam esse scientiam simpliciter, licet imperfectam propter euidentiæ defectum, hisce verbis. *Sicut in scientiis naturalibus assensus principiorum dicitur intellectus, & assensus conclusionis dicitur scientia, ita & hic assensus principiorum dicitur fides, & Theologia dicitur scientia, non quidem perfectissima sicut scientiæ euidentes, sed quodammodo imperfecte, nihilominus simpliciter est scientia, &c.*

Durandum sequitur Gabriel.

Sententiæ Durandi subscripsit omnino Gabriel 7. quæstione prologi, vbi cum definisset Theologiam non esse scientiam ait, si quæris, quem habitum, vel actū adquirit studēs Theo-
46. logiæ? Respondetur, quod Theologus per studium Theologiæ augmentat habitum fidei adquisitæ, si præfuit, aut adquirit, si non præfuit, subscripsere etiam Gregorius, & Ioannes Maior. in 5. quæstione eiusdem prologi: & hac nostra tempestate moderni satis docti.

I. Ratio.

Potissima ratio Durandi, ac cæterorum est: scientia vt definit Aristotel. 1. libro posterio. cap. 2. procedit ex veris, primis, notioribus,
47. prioribus, causisque conclusionis, prima autē (vt statim ipsemet exponit) sunt principia per se nota, vel quæ ad talia reduci possunt: sed Theologia non procedit ex principijs per se notis, neque ex his, quæ ad per se nota reducūtur, sed ex propositionibus per solam auctoritatem reuelantis acceptis, ergo non est vere scientia, sed eiusdem rationis cum habitu Diuinæ fidei, qui eidem auctoritati, vel testimonio innititur.

Secundò, idest discriminis inter intellectū, qui est habitus principiorum, & scientiam (vt nos ipsi nuper tradidimus) quod habitus ille versatur circa veritatem per se euidentem, scientia vero circa veritatem non per se euiden- 48.
tem, sed in eisdem principijs, ex quibus euidenter deducitur, sed nec fides Diuina, quæ se habet ad Theologiam, tanquam habitus principiorum, versatur circa veritatem vllo modo euidentem, sed omnino obscuram, nec Theologia proinde circa veritatem euidentē in principijs, ergo non erit vllo modo scientia. II. Ratio.

Tertio, vera scientia est virtus intellectualis inter cæteras enumerata ab Aristo. 6. ethic. cap. 3 (vt vidimus) sed Theologia non est virtus intellectualis, cum nō sit dispositio perfecti ad optimum, non enim, perducit intelle-
ctum ad euidentiam conclusionum, quæ est 49
optimum intellectus, ergo nec veram rationem scientiæ habere potest, sed erit fides quædam, vel opinio, sicut de scientia subalternata à subalternante præcisa superius statutum est. III. Ratio.

Postremo. Theologia, sicut & fides, versatur circa multa singularia, & contingentia, quæ non possunt esse obiecta scientiarum, cū hæc vniuersalia, & perpetua esse opotteat omnino, ergo non habebit conditiones ad veram scientiam necessario requisitas. IV. Ratio.

His argumentis conuincere putant prædicti authores Theologiam ob euidentiæ præsertim defectum, non esse scientiam, pro certo ducentes intrinsecam conditionem cuiuslibet scientiæ esse euidentiam.

Contraria sententia D. Thom. præfertur, & probatur.

Melius tamen sentit Diu. Thom. iuxta dignitatem Theologiæ, quam Sancti Patres sacram doctrinam appellarunt, esse videlicet scientiam simpliciter licet imperfectam 1. par. quæst. 2 articul. 2 & 2. 2. quæst. 1. articul. 5. ad secundum, quem sequitur vniuersa eius Schola. Capreol. quæst 1. prolo-
gi Caietan. in commentarijs loci prioris, vbi 50.
probabilem reputat primam sententiam. Magister Sotus vbi supra. Canus 12. libro de locis cap. 2. vbi ea egregie exponit, efficaciterque con-

IV. Sent. D. Thom.

confirmat, & ex antiquioribus scholasticis Richardus in secunda quæst. prologi.

I. Probatur. Probaturque à sufficienti diuisione habituum intellectualium posita ab Aristotele. 6. ethic. cap 3. vbi habitum intellectualem, quo medio intellectus semper dicit verum, diuidit in quinque illa membra, videlicet, intellectũ, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem, sed Theologia à nobis adquisita est habitus semper verus, cui omnino repugnat subesse falsum, ergo refertur ad aliquod membrum ex quinque, non est prudentia, neque ars, quæ versantur circa singularia, neque est intellectus, cum per discursum ex principijs fidei deducatur, superest ergo vt sit sapientia, vel scientia, non est sapientia, quia hæc non solum circa conclusiones, sed circa principia omnium scientiarum quodam modo versatur, ergo erit scientia, cum non sit aliud membrũ diuisionis, sub quo possit comprehendi, & simpliciter comprehendatur sub diuiso.

Varie occurritur argum. Huic argumento diuersis vijs obuiam ire contendunt aduersarij, quas & referre, & refutare oportebit, conueniunt autem inter eos ad nullum membrum præfatę diuisionis reducẽdam esse Theologiam nostram, quia solam co-

In quo cõueniant omnes. gnitionẽ semper verã naturali lumini innitentem pro diuiso assumpsit Arist. & eam partitus est in diuersos habitus eodem pacto naturales, à quibus Theologia valde differt, cum

52. non innitatur principijs lumine naturali notis, sed supernaturali Diuinę fidei, & ego quidẽ ita sentio, Arist. nec cognouisse, nec sub diuisione comprehendere voluisse talem cognitionem, aut habitum ex ea genitum, puto tamen necessarium ad aliquod membrum reducendam esse, cum non supersit aliud genus intellectualium habituũ, quo intellectus semper verum dicat præter illa quinque: quod probare contendam relatis aduersariorum sententijs.

Qualis nã sit assensus Theologic⁹ A quibus si quæsieris, qualis nam sit assensus Theologicę cõclusionis, & qualẽ gignat habitum, diuersis modis respondent. Aureolus

Aureoli responsio. quidem, quem retulit Ochamus in prologo sententiarum q. 2. affirmat non esse habitum adhæsiuum, sed declaratiuum, hoc est, non incli-

53. nare intellectum ad assentiendum conclusioni, vel adhærendum vni parti cõtradictionis, sed solum ad actum declarandi, & explicandi mysteria fidei: quod vt hoc verbo explicemus, actum huius habitus censet non esse assensum, sed actualem declarationem alicuius mysterij, idque probat, quia si habitus assentiendi foret, cum non sit scietia, esset opinio, quod falsum esse probat, quia ad opinionem pertinet formido oppositæ partis, ab assensu Theologico, si daretur, extranea: nam cum principijs Diuinæ fidei inniteretur, repugnaret ei subesse falsum. Probatio eius.

Displicuit tamen hic modus dicendi Ochamo vbi supra, Gabrieli quæstione 7. prolog. articul. 1. notabil. 2. Gregorio quæstione 1. articul 4. conclus. 2. 3 & 4. & Maiori quæst. 4. post medium, & merito: nam conclusiones Theologicæ deducuntur ex duabus præmissis diuinæ fidei, aut ex vna præmissa fidei, & altera naturalis scientiæ dispositis in modo, & figura, quibus assentitur intellectus: sed posito assensu præmissarũ euidẽtis syllogismi, sequitur necessario assensus cõclusionis, ergo Theologia nostra habitus adhæsiuus erit, & non solum declaratiuus, vt verbis, & modo loquendi Aureoli vtamur. Vim huius rationis exprimit hoc argumentum Theologicum, omnis homo est capax disciplinæ, Christ⁹ est homo, ergo erit disciplinæ capax, quod constat esse in secundo modo primæ figurę, & maiorem eius præmissam euidentem in scientia naturali: minorem vero articulum fidei, quibus proinde Christianus Philosophus assentitur, ergo necessario quoque assentietur conclusioni, haud dubie quin per habitum nostræ Theologiæ ex repetitione similium assensuum genitum. Nonnullis id, & merito displicet. 54. Ratio. Argument. Theologicum.

Propterea Ochamus, Gabriel, Maior, & Gregor. eisdem locis pro certo ducẽtes Theologiam nostram, non solum esse habitum declaratiuum, quo vtitur Theologus, quando per vnum mysterium fidei, & per vnum scripturæ locum declarat aliud, & hoc exercitio comparat sibi, vel intendit habitum Theologiæ, sed etiam adhæsiuum inclinantem intellectum ad assensum conclusionum Theologicarum, asserunt non esse scientiam neque opinionem vt dicebat Aureolus, sed fidei adquisitæ, qui per discursus Theologicos denuò adquiritur, atque intenditur: hos tamen authores, non minus à veritate aberrasse existimo, ac Aureolum, quos eadem ferme ratione falsitatis possumus conuincere: nam argumentum Theologicum procedit ex præmissis certissimis, & in syllogismo euidenti dispositis, vt probat exemplum nuper allatum, ergo assensus conclusionis certus erit, ac necessarius, sed fides acquisita cum sit humana, testimonio etiam Gabr. Mai. & Gregor. responsio. 55. Impugnatur. Ratio. 56.

humano, ac fallibili innititur, ergo non est certa, sed talis, cui ex proprio medio assentiē di non repugnat subesse falsum: pugnat igitur
Confirm. cum certitudine Theologici assensus, aut habitu, ex eo geniti esse fidem acquisitam: cui accedit quod negans propositionem fidei adquisitæ, nullam erroris notam incurrit, sed negans conclusionem Theologicam ab errore non liberatur, ergo valde diuersus est assensus Theologiæ, & habitus ab eo genitus, à fide adquisita.

Cani, & Andr. Vegæ resp. Tertio loco refero Magistrum Canum, sexto libro de locis, & Andream Vegam libro 9. super Concilium Tridentinum capite 39. non longè à principio adstruentes assen-
57. sum Theologicum ad fidem Diuinam proxime, atque ex directo pertinere, ita vt statim, ac conclusionem Theologicam percipimus, per habitum Diuinæ fidei inclinemur ad eius assensum, non minus quam ad ea, quæ Ecclesiæ definitione determinata sunt. Videntur autem hi authores duplicem assensum ponere, circa eandem conclusionem Theologicam: primum, quo intellectus assentitur ei vt per discursum elicitæ, qui assensus quasi præuia, ac necessaria conditio est, qua posita inclinat habitus fidei Diuinæ ad assensum eiusdem conclusionis, quem statim intellectus elicit. Vniuersaliter namque verum est ad
58. assensum Diuinæ fidei præsupponi humanam qua credimus propositionem credendam in scriptura contineri, vel ab Ecclesia definitam esse, & argumentum Theologicum, hoc idem præstat, nempe, vt intelligamus conclusionem deductam, in principijs fidei contineri, quo cognito statim prorumpit habitus fidei in assensum eiusdem conclusionis: hæc Canus, & Vega.

Improbatur. Quæ etiam ita explicata nullo modo probare possum, nam licet eis demus duplicem assensum eiusdem conclusionis, & posteriorem proxime, ac directe elici ab habitu Diuinæ fidei, euidenter in primis sequitur hunc
Rationes. non esse assensum Theologicum, sed specie ab eo distinctum, quod primo probatur argumento ad hominem. Vos dicitis assensum Theologicum præuium esse respectu assensus fidei, ita vt eo habito inclinet habitus fidei ad assensum eiusdem conclusionis, ergo assensus fidei non erit, sed conditio ei præsupposita, de qua superest difficultas, quam speciem assensus habeat.

Sed probatur secundo ex ipsa rei natura, nam Diuina fides inclinat ad assensum propter testimonium Dei, sed assensus Theologicus non innititur proximè testimonio, sed euidenti discursui, ergo repugnat quod talis assensus proxime eliciatur a fide Diuina.

Modernj igitur non infimæ notæ distinguendum putant, nam vel assensus Theologi- Aliorum responsum.
cus elicitur ex præmissis humana, seu adquisita fide creditis, vel Diuina, & si ex illis de- 59
ducatur, erit opinio, vel humana fides, si vero ex his, nec erit assensus Diuinæ fidei, quia nō innititur proxime testimonio diuino, sed discursui euidenti ex præmissis fidei confecto, vel ex vna saltem Diuinæ fidei, & altera naturalis scientiæ, nec erit opinio, aut humana fides, nec scientia, sed constituet mediū quoddam genus assensus inter fidem Diuinam, humanam, scientiam, & opinionem, quare &
medium quoque habitum gignet. Partim probatur.

Hunc modum dicendi, in quantum assensum Theologicum cum assensu Diuinæ fidei humanæ, aut opinionis non confundit, vt fecerunt præcedentes iam refutati, verum esse reputamus, quanquam ad eundem habitum
Diuinæ fidei pertinere affirment, sicut con- 60.
clusiones cuiuslibet scientiæ ad habitum principiorum eiusdem, quod quæstione præcedenti falsum esse ostendimus, non tamen eū probamus, in quantum scientificum esse ne-
gat, nam cum argumentum Theologicum e- Partim nō probatur.
uidens sit in forma, & figura dispositum, & procedat ex primis, veris, notioribus, causisq; conclusionis certissimis quidem, licet non e
uidentibus, non video qua ratione sciētificus 61.
esse desinat ob solum defectum euidentiæ, quam licet pro conditione ad sciētiam necessaria posuerit Aristot. hoc ideo fecit, quia solam scientiam cognouit, quæ naturali lumine innititur, si autem Theologicum agnouisset argumentum cæteris conditionibus a se designatis præditum, veram profecto demonstrationem vocasset vocabulo paulo plus extenso, & ex consequenti assensum conclusionis, eius scientificum, habitumque ab eo genitum veram scientiam, & si non adeò perfectam: quod ex similitudine fidei ita ostendo: nam Aristoteles solam fidem cognouit, quæ humano, ac visibili testimonio innititur,
& idcirco de intrinseca ratione fidei esse pu- Nota.
tauit, quod fallibilis sit: eique ex parte medij assentiendi non repugnet subesse falsum, vnde inter habitus, quibus intellectus semper dicitur verus eam non enumerauit: vt ex

6. ethi-

6. ethicorum capite 3 constat: vnde si iuxta regulas eius iudicandum esset, assensus, qui innititur inuisibili testimonio, atque etiam infallibili, cui non potest falsum subesse, non esset fides, quod tamen a ratione alienum est? quemadmodum ergo Christiani Philosophi, ac Theologi fidem supernaturalem longe ab humana diuersam agnoscentes vocabulum fidei plusquam Aristotel. extendunt, quia assensus supernaturalis ex Diuino testimonio ad aliud genus cognitionis pertinere non potest,
62. pari ratione demonstrationis vocabulum scientificum assensum, & habitum scientiæ argumentum Theologicum, sacramque doctrinam per ipsum deductam extendere possunt, ac debent, cum ad aliud genus argumenti, aut cognitionis ex assignatis etiam ab Aristotel. pertinere nequeant. Et extenderunt absque dubio Sancti Patres, Aristotelicas regulas non ignorantes D. Augustinus in primis 14 lib. de Trinitate. ca. 1, vbi postquam dixerat huic scientiæ attribui egregios illos effectus, nempe quod per eam fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, ac roboratur: hæc verba subiecit. *Hac scientia non pollent plurimi fideles, quãuis fide polleant plurimi*. Et D. Hieronymus in
63 epistola ad Paulinum *Discamus* (ait) *in terris, quorum scientia nobiscum perseueret in cælis*. Constat autem eos nõ loqui de fide, sed de sciẽtia, quam discursus ex principijs fidei deducit, eodem modo loquuntur plures alij ex Sanctis Patribus, quos consulto prætermitto.

Probatur ex scriptura Prouerb 13. Sapient 7 Et 10. cap.

Sed quod caput est, extendit sacra pagina his præsertim locis. Prouerb or 15. *Labia sapientum disseminabunt scientiam* Et Sapient 7. *Ipse dedit mihi horum quæ sunt, veram scientiam*. Et ca. 10. de iusto dicitur. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Quæ non de scientia sub vniuersali acce-
64 ptione intelligantur, vt interpretatur Durandus: quo pacto non solum vera scientia, sed fides, & quælibet alia cognitio vocatur sciẽtia, vt ex alijs scripturæ locis est manifestum: sed sub particulari, & propria, prout à fide distinguitur, vt distinguit plane D. Paulus 1 ad Corinthios 13. *Si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero fidem, ita vt montes transferam, &c.* Et cap. 12 *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides in eodem spiritu* Et capi. 8. *Abundatis, fide: sermone, & scientia*: proprie igitur etiam in prioribus locis accipitur scientia, prout a fide distincta, iuxta vniuersalem regulam interpretandi scripturam, quæ vbi iuxta propriam verborum significationem intelligi potest, non licet eam diuertere ad metaphoras, vel improprios sensus, ex quibus plane intelligitur quã sit efficax argumentum à sufficienti diuisione habituum desumptum, cui præfatæ solutiones minimè satisfaciũt, quamquam probabilem efficiant sententiam D. Thomæ.

D Paulus 1. Corin. 13.

Et cap. 8.

Resolutio quæstionis luculenter explicans eandem sententiam.

HANC sententiam veram quidem, & Theologiæ dignam his assertionibus modificandam censeo, vt veritas eius illustrior fiat. Assertio prima est. Theologia à nobis ex principijs fidei conquisita non est scientia perfecta, nec scientiæ statum habet, sed quasi inchoata tendens ad perfectionem, velut puer dicitur homo secundum inchoationem non habens hominis statum. Assert. 1.

Et huius ratio est. Quia dum diuinas veritates in hac vita per obscuram fidei reuelationem accepimus, quasi mysterijs fidei initiamur, & modo geniti in vita spirituali dicimur iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 13. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus cũ autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est, cum essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus sum vir euacuaui, quæ erant paruuli, videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autẽ cognoscam, sicut & cognitus sum, &c.* 66
Perfecta igitur erit eorũdem mysteriorum notitia, dum reuelata facie in Diuina essentia clare videamus, quæ nunc in ænigmate fidei credimus: & tunc habebit Theologia nostra statum scientiæ, quemadmodum habet scientia 67
subalternata, dum continuatur cum subalternante: quod enim principijs obscure cognitis innitatur, non est ei essentiale, vnde nec diuersa erit essentialiter, dum innitatur claræ eorundem visioni, quemadmodum vir nõ est alius essentialiter à seipso puero. Vnde fit iudicandũ esse de Theologia quantũ ad statum scientię, & inchoationẽ sicut iudicamus de scientijs subalternatis, quarum similitudine vsus est D. Tho in primo testimonio: quẽadmodum ergo scientia subalternata, secundum se sumpta continuatur cum subalternante, à qua principia eius probantur, & ideò ex tali

Ratio.

D. Paulus. 1. Corin. 13.

continuatione habet rationem scientiæ, quia
68. principia eius euidentia sunt in lumine supe-
rioris, à qua demonstrantur, pari ratione Theo
logiæ viæ quasi continuatur cum scientia bea-
torum, quibus mysteria fidei, quę sunt princi-
pia Theologiæ, euidenter constãt, atque adeo
conclusiones, quas ex eis deducit, & ex tali cõ
tinuatione assequitur statum scientiæ, quem
adquirit in Beatis.

Theologia nostra, & beatorũ, nõ se habent omnino sicut scientia subalternata, & subalternans.

Sed quantum ad hoc (nisi ego fallor) ma-
gnum est etiam discrimen inter subalternan-
tem, & subalternatam ex vna parte, & Theo-
logiam viæ, & patriæ ex altera, quod subalter
nata semper est scientia specie distincta a sub-
alternante etiam si cum ea continuetur, cum
sit ita diuersa abstractione (vt cap. 10. libri
prioris ostendimus, & constat euidenter in
Perspectiuo, Geometrico, vel in Aritmetico
Musico: at Theologia viæ, dum continuatur
cum sciẽtia Beatorum, eadẽ cũ ea permanet. nõ
solo specie, sed numero, idẽ habitus Theo
logiæ in via adquisitus, dum ad patriã Theo-
logus euolat, licet nõ maneat fides, sed eius lo-
69. co succedat visio Patriæ, permanere autem nõ
posset idem numero habitus, imo neq; specie,
si eius foret intrinsecu ex fide deduci, cum con-
stet fidem nec secundum actum, nec secundũ
habitum in patria perseuerare Sublatis autem
principijs quibus scientia innititur, & scienti-
am ipsam auferri necesse est, permanentiã au-
tem voluit absque dubio explicare D. Hiero-
nymus (vt nuper retulimus) dicens *Discamus*
in terris, quorum scientia nobiscum perseueret in cæ
lis. vnde intelligimus Theologiam nostram fi
dei tanquam habitum principiorum inniti,
ex inchoatione habere, & ideo quasi acciden
tale ei esse, non secus ac homini accidentales
sunt pueritiæ proprietates, sine quibus vir iam
factus perseuerat.

Illatum.

Ex qua differentia videtur mihi plane dedu
ci Theologiam viæ non esse subalternatam
scientiæ beatorum sed eiusdem speciei cum ea
in quam plane vertitur, sicut puer in virum
perfectæ ætatis, qua similitudine vsus est ad
explicandam rationem sacræ doctrinæ, quam
nos prosequentes, Theologiam, prout in via
à nobis ex principijs fidei adquisitam sic se ha-
bere arbitramur, sicut se haberet scientia sub-
alternata sine subalternante existens: cuius ta-
mẽ principia per infallibilẽ auctoritatem eius
qui habet subalternantem credita essent: vt
70. si quispiã Musicæ peritus, & Arithmeticæ ig-
narus, Musicæ principia acciperet ab Arith A similia.
metico, infallibilem auctoritatem habẽte, vel
certe per diuinam reuelationem in quo casu
Musica absque dubio simpliciter esset scientia
licet imperfecta. Quod probatur: nam si talis
haberet eadem principia Musicæ per experien
tiam nota, ex quibus conclusiones deduceret
(vt contingere potest) haberet scientiam sim 71
pliciter (vt cap 10 prioris libri ostendimus) cũ
ergo non minus sibi essent certa, quæ per Diui
nam reuelationem acciperet: (licet ineuiden-
tia) haberet etiam simpliciter scientiam, quã-
quam imperfectam.

II. Assertio.

Secunda assertio, si definitio Aristotelis, &
præcepta ab eo tradita de conditionibus de-
monstrationis, & scientiæ accipiantur iuxta
mentem, vel intentionem eius, solum cõpre-
hendunt scientias naturales hoc est, ex princi-
pijs lumine naturali notis deductas, vnde iux-
ta eas sic acceptas Theologia nostra nõ est ve-
re, & propriè scientia, sed alterius longe condi
tionis, vt egregie D. Thom. in 3 dist. 33. q. 1. quæst.
1. ar. 2. quæstione 4.

Ratio.

Probatur plane, quia Aristoteles non cog-
nouit aliam demonstrationem præter eã, quæ
procedit ex principijs per se notis vel certe ex
his, quæ ad per se nota per euidentem con-
sequutionem reducuntur, quales nec sunt
demonstrationes Theologicæ, nec articuli fi-
dei, quibus innituntur, solam igitur euidẽtem
scientiam definire voluit, & eius præcepta tra
dere.

Reijcitur quorundã opinio.

Nec enim vllum habet fundamentũ, quod
à quibusdam fingitur in contrarium, nempe
Aristotelem constituisse aliquam scientiam
sine euidentia principiorum, dum ait demon-
strationem procedere ex primis, aut ex his,
quæ per prima fidem acceperunt. 1 Top. cap. 1. 73
& rursus eum, qui habet scientiam, magis
principijs eius, quam conclusionibus credere,
quibus verbis statuere videtur satis esse, si prin
cipia scientiæ credita sint, præterea ca. 10 1. lib
post. videtur concedere veram scientiam esse
subalternatam in eo, qui per solam auctorita
tem superioris scientis principia eius credit,
quæ si vera sunt, verum erit Theologiam no-
stram iuxta mentem eius, definitiones, ac præ
cepta veram esse scientiam.

Ratio.

Hoc certe friuolum est, & absque vllo fun-
damento confictum, cum Aristoteles nullam 74
fidem præter humanam, & fallibilem cogno
uerit,

uerit, ex qua non nisi fallibiles, atque incertæ conclusiones deduci possunt, nō ergo cognouit scientiam, cum obscuritate certam, sed dum nomine fidei, ac credulitatis vtitur, de notitia principiorū loquens, vel de reductione conclusionum ad principia, non propriè fidem accipit pro notitia, vel cognitione, quæ testimonio dicentis innititur, sed iuxta communem acceptionem pro euidenti cognitione, qua aliquid credere nonnunquā dicimur, de subalternatis autem scientijs solum docet non demonstrare propter quid, sed solū quia, quod ita accipiendum esse docuimus in controuersijs illius capitis, vt intra propriam latitudinem non demonstrent propria principia, (quod necessarium esset, vt propter quid conclusionum traderent) sed superiori scientiæ demonstranda relinquant, solū de ipsis tradentes, quia, quod adhuc per veram demonstrationem non præstant, nisi superiori scientia instructus sit sciens, vel per experientiam certè principia nouerit.
75.

Tertia assertio. Tertia assertio affirmat Theologiam nostram esse scientiam simpliciter, cui definitio, atque præcepta Aristotelis accommodari possunt, sunt namq; Theologicæ demonstrationes euidentes syllogismi ex veris, primis, prioribus, causisq; conclusionis procedentes, nam prima appellari possunt mysteria fidei, ex quibus tanquā ex principijs deducuntur conclusiones, cū sint veritates, quibus sine discursu per solam auctoritatem reuelantis, atq; adeo quasi ex terminis assentimur, vnde suo modo appellari possunt principia per se nota, hoc est, non ex alijs deriuata, quæ cum causam proximam conclusionum contineant, priora, & notiora iure vocantur, & cum hæc sit posterior definitio demonstrationis, ex ea infertur prima, videlicet esse syllogismos scire facientes, & ex vtraque definitio scientiæ, scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & non contingit aliter se habere.
76.

Quarta assertio. Ex his tribus assertionibus colligitur vltima ex directo satisfaciens quæstioni, quæ talis est: de ratione scientiæ in communi sumptæ, hoc est, abstrahentis à naturali, vel quæ ex principijs supernaturalibus deducitur, non est euidentia, quanquam intrinseca sit scientiæ naturali, quam definiuit Aristoteles, & cuius præcepta tradit.
77.

Probatur primo. Huius assertionis vtramque partem satis efficaciter probat doctrina totius quæstionis: etenim si verum est intrinsecum esse scientiæ naturali, vt ex principijs lumine naturali notis deriuetur, cum eiusmodi sint ab intrinseco euidentia, eandem euidentiam participabit scientia: hanc autem solam ab Aristotele ex intentione definitā esse apertè ex verbis ipsius ostendimus.

Ratio. Et rursus, si vera, ac propria ratio scientiæ licet imperfecta, saluatur in ea, quæ ex certissimis, licet ineuidentibus principijs veram causam conclusionis reddentibus procedit, euidenter infertur, communem rationem scientiæ simpliciter ab euidentia, atque ineuidentia abstrahere, atque adeò non pertinere ad rationem eius intrinsecam euidentiam, sed definiendam esse, sicut in principio quæstionis definita est, euidentia in definitione minime posita: cæterum si eam duntaxat scientiam, quam Aristoteles ex intentione tradere voluit definiamus, addenda est præfatæ definitioni euidentia, dicendumque scientiam esse habitum certum, atque euidentem rei necessariæ per demonstrationem.
78.

Soluuntur argumenta adducta pro sententia Durandi.

Respondetur ad primum arg. NVnc autem argumenta pro sententia Durandi proposita soluenda sunt, & primo occurrimus admittentes Theologiam non procedere ex principijs per se notis lumine naturali, ideò non esse scientiam talem, qualem Aristoteles definire voluit, sed satis esse, vt ex certissimis quanquam obscuris procedat, vt simpliciter sit scientia, & non fides, vt contendit Durand. fides namque soli auctoritati innititur, & Theologia non innititur auctoritati proximè, sed euidenti discursui: vnde euidens est etiam conclusionem Theologicam non pertinere ad fidem, sed ad alium habitum certum per demonstrationem genitum, qui non potest esse alius, ac scientia.
79.

Ad II. Modo simili soluitur secundum, cum procedat ex conditionibus scientiæ ab Aristotele traditis, quæ ad naturalem (quam ipse solum agnouit) coarctantur, qualis non est Theologia, sed ex naturali, & supernaturali principio mixta, certissimis quidem, licet non omnino euidentibus, quod satis est, vt sit simpliciter scientia, quamuis ob defectum euidentiæ imperfecta.
80.

Ad III. Ad 3. negamus Theologiam non esse virtu-

 tem

tem intellectualem, non licet nam faciat optimum omnino actum, facit tamen optimū, qui haberi potest in via, circa conclusiones ex certissimis principijs per euidentem syllogismum deductas, & cum sit habitus, per quem intellectus semper dicit verum, satis est, vt sit virtus intellectualis simpliciter, licet imperfe-
81. cta, non secus, ac subalternata scientia à subalternante disiuncta, cuius principia per experientiam sunt nota, vera scientia est, sed imperfecta, cum eius principia non probentur à priori, nec reducantur ad prima: nec tamen est virtus intellectualis perfecta, quia non facit vltimum simpliciter, sed optimum, quod potest in illo statu semper tamen dicens verum.

Ad vltimū. Ad vltimum respondetur, singularia, & contingentia reperiri in fide, & ex consequenti in Theologia, sed cum ex diuina reuelatione habeantur, certissima sunt, quod in naturalibus non est simile, nam cum causa contingentium non sit per lumen naturale certo cognoscibilis, nec certa notitia eorum haberi potest, vel aliorum, quæ ex eis deducuntur:
82. diuina autem reuelatio procedit ab eo, qui causas eorundem infallibiliter nouit, & singularia omnia sibi præsentia ab æterno prospexit, ideò quædam ex eis sic cognitis possunt euidenter deduci, quod facit Theologia: sed præcipua eius conditio est, quod ex vniuersalibus principijs procedit ea alicui singulari applicans, nempè Deo optimo, vel Christo domino, qui maiorem longè perpetuitatem, quam vniuersalia (circa quæ versantur naturales scientiæ) habet: & similis est ratio de alijs singularibus à Deo optimo vel Christo institutis, qualia sunt Sacramenta: ex quibus, vt stant sub diuina reuelatione, quędam proprietates, vel effectus per euidentem syllogismum deduci possunt, generantem absque dubio scientificam notitiam.

QVAESTIO III.

Habeant ne scientiæ vnitatem, & quænam illa sit.

Titulus quæstionis. POst quidditatem, & simplicitatem scientiæ vnitas, ac distinctio eius exquirenda est, & prius vnitas, quam distinctio,
83. quemadmodum prius est aliquid esse in se vnum, quam ab alijs distinctum, quanquam in vnitate aliquid distinctionis necessario admisceatur, & in distinctione quoque aliquid vnitatis, vnde necesse est secundum hanc, & tertiam quæstionem sequentem quodammodo esse permixtas.

Variæ sententiæ inter se, & Aristotelis oppositæ referuntur.

CIrca vnitatem scientiarum diuersas, imo extremas sententias, reperio, quidam in primis tantam esse volunt vnitatem, vt principiorum omnium, & conclusionum vna sit scientia: distinguunt isti habitum principiorum, & conclusionum, imo plures habitus pro diuersis conclusionibus, sed ex vtrisq; habitibus eandem constare scientiam arbitrantur, & ideò vnam esse scientiam cunctorum principiorum, & conclusionum, quæ ex eis deducuntur per diuersas demonstrationes. Huius positionis meminit Durand. quæst. 4. prologi num. 7. quam magna ex parte ex mente Ocham probauit Gabriel. quæst. 3. eiusdem prologi tenens cum eo aliquando posse eundem habitum scientiæ versari circa principia, & conclusiones. Prima sententia. 84.

Cuius hæc est ratio, quia tota demonstratio ex principijs, & conclusione est vna quædam propositio hypothetica, ergo per vnum actum intellectus ei assentimus, sed vnus actus, vel assensus vnum generat habitum, ergo vnus habitus sufficiet pro conclusione, & principijs. I. Ratio.

Et probari potest secundo, quia vnico actu scientiæ assentimur conclusioni propter principia, ergo simul assentimur conclusioni, & principijs, & non per diuersos actus, atque adeò nec per per diuersos habitus in ea intendit intellectus, vbi enim vnum propter alterum est, ibi non duo, sed vnum duntaxat esse iudicamus, vnius ergo obiecti rationem habent principia, & conclusiones, ergo vnus actus, & habitus pro omnibus debet poni: & esto ponerentur diuersi, tanquam partes certè eiusdem se haberent, quemadmodum principia, & conclusio tres propositiones distinctæ sunt, sed quasi partes eiusdem demonstrationis propter ordinem compositionis, quem inter se se habent, talis igitur erit ordo inter actus, & habitus, idcirco modum vnius totalis habebunt ex diuersis partibus compositi. II. Ratio. 85.

Alij verò habitum principiorum, & conclusio- II. Sentent.

86. clusionum distinguentes vnã duntaxat scientiam pro cunctis rebus posuere, quemadmodum vnus est habitus omnium principiorum: eiusmodi autem vna scientia est, quæ de ente vniuersalissimo disserit, & quam nos Metaphysicam appellamus, composita quidem ex multis habitibus partialibus pro diuersitate particularium scibilium, ac principiorum, diuersas autem scientias à philosophis fuisse separatas, aiunt, non ex earum natura, sed propter commoditatem nostram, quo enim distinctius de diuersis rebus disseritur, eo melius earum rationes à nobis capiuntur.

I. Fundam. huius opinionis Durandi. Huius positionis meminit etiam Durand. quæst. 4. prologi, cuius etiam potissimũ fundamentũ hisce verbis insinuauit: *Omnes scientiæ conueniunt inter se in formali modo tendendi in obiecta sua, quia omnis tendit in suum obiectum sine formidine, & necessario, propter quod differentia, quam habent scientiæ ex parte obiectorum non est adeo formalis, etiam tamen habere non possunt, & ideò dicuntur differre formaliter per sua obiecta, quæ tamen differentia magis assimilatur differentiæ partium in modo suo toto, quam diffe-*
87. *rentiæ specierum sub genere, & istud sit dictum gratis de differentia habituum ad præbendum alijs occasionem amplius cogitandi, &c.* Ex quibus hoc argumentum deducitur ad probandam talem veritatem. Distinctio essentialis scientiarum accipitur ex modo tendendi in obiectum, sed iste in omnib⁹ est idem, ergo omnes sunt vna scientia totalis, probatur minor, quia omnes tendunt in obiecta cum certitudine, & euidentia.

Ex eo deducitur prima ratio.

II. Ratio.
88. Secundo probatur, ideò fides est vna, quia sub eadem ratione formali diuinæ auctoritatis creduntur omnia: sed vniuersis conclusionibus assentitur intellectus per idem medium demonstrationis, ergo omnes sunt eiusdem speciei, quam ex medio assentiendi accipiunt, pertinebunt ergo omnes ad eundem habitum, nam sicut actus ex medio capiunt speciem, sic habitus ex actibus, & quod demonstrationes, vel principia sint in diuersis materijs, vel diuerso modo ab eisdem abstrahant, solum erit differentia materialis.

III. Ratio Arist. Tertio eadem est scientia de genere, ac speciebus, vt docet planè Aristoteles li 1. post. cap. 8. & 10. eadem Geometria agit de triangulo, de Isochele, gradato, & cæteris, eadem de animali, homine, leone, & equo: vnde ad eandem scientiam pertinere docet agere de
89. vniuersalissimo ente, ac de generibus, & speciebus eius 4. Metaph. text. 2. hisce verbis: *Quare entis quoque quot species sunt, & species specierum, speculari vnius scientiæ genere est*: sed omnia obiecta scientiarum sunt species quædam entis, ergo ad eandem scientiam vniuersalem rationem entis considerantem pertinebunt, & hæc vna sciẽtia sufficiens erit pro cunctis obiectis particularibus, cuius quasi partes erunt speciales scientiæ, ea considerantes. 89.

Hanc tenuere positionem Crassus, vt Cicero retulit 4. lib. de oratore, & Antonius Mirandulanus, lib. 13 de euersione singularis certaminis sect. 6 & 7. Huius opinionis sectatores.

Ex opposito verò affirmat omnium Nominalium turba, non solum esse plures scientias, sed tot, quot sunt demonstrationes, & conclusiones, ita vt vnus sit habitus scientiæ de homine pro demonstratione ostendente primã passionem, alius pro ostendente secundam, sicque de cæteris, fauet huic positioni Scotus in 3. dist 24. quæst. 1. § ad secundũ quæsitum, vbi hæc verba scribit: *Si alia explicita in scientia considerentur sub proprijs rationibus in se non autem, vt continentur in aliquo vno primo subiecto, forte tot sunt habitus, quot conclusiones distinctæ specie sunt demonstratæ.* III. Sent. 90.

Fundamentum eius videtur attigisse Gabriel vbi supra in hæc verba: *Semper habitus proportionatur actibus, ex quibus generatur secundum identitatem, & diuersitatem, ita quod semper tanta est identitas, & diuersitas in habitibus, quanto in actibus ex quibus generãtur, vel augmentantur, &c.* quibus potissimã etiam rationem, eadẽ sententia innititur insinuat, nam proximum distinctiuum habituum sunt actus, sicut distinctiua actuum obiecta, sed conclusio per quam demonstratur prima passio distinguitur specie ab ea, per quam demonstratur secunda, quemadmodum passiones ipsæ distinguuntur specie, vt capacitas disciplinæ ab admiratione, & hæc à risibilitate, ergo & habitus cuiuslibet conclusionis erit diuersus. I. Ratio. 91.

Et confirmatur, quia plus differunt assensus diuersarum conclusionum, quam eiusdem in diuersis intellectibus, vel in eodem diuersis temporibus multiplicati, sed assensus eiusdem conclusionis distinguuntur numero, ergo diuersæ conclusiones distinguuntur specie: nam cum non sit medium inter differentiam numericam, & specificam, quæcumque maior numerica specifica erit, generabunt ergo diuersos habitus scientiæ, quia quælibet per se habet virtutem producendi habitum. Confirm. 92.

Secundo,

II. Ratio. Secundo, generalis est oppositorum regula, quod si aliquid alicui opponitur cũ omnibus, quæ sunt eiusdem speciei, habet eandem oppositionem: frigidum opponitur calido, & ideò omnibus calidis propter specificam identitatem: sed contingit sæpè numero errorem opponi alicui conclusioni, & non alteri, ergo non erunt eiusdem, sed diuersæ speciei: probatur minor, quia benè potest quispiam errare circa vnam conclusionem philosophiæ, non circa alias, & talis error non omnibus, sed ei soli erit oppositus: vnde infertur specifica earum differentia, atque habituum, quos in intellectu generant, pro hac sententia.

Vera sententia Aristotelis explicatur.

IIII. Sententia Arist. MEdia incedit via Arist. inter præfata extrema, & cum eo vniuersa Peripateticorum schola, separans in primis
93. intellectum, quem vocat habitum principiorum, à scientia, quæ est habitus conclusionum: deinde diuersas scientias, non solum practicas, quæ versantur circa operabilia, & speculatiuas circa speculabilia, sed diuersas etiam speculatiuas, & diuersas quoq; practicas, & id quidem multis suæ doctrinæ locis, sed
Arist. præsertim 6 lib. Metaph text. 2. vbi postquam practicas à speculatiuis separauit, tria speculatiuarum genera distinguit iuxta triplicem modum abstrahendi à materia hisce verbis: *Quare tres vtique erunt speculatiuæ Philosophiæ, Mathematica, Naturalis, Theologia.* Et adhuc sub his generibus diuersas separat species, text. 5. sic inquiens: *Non enim est vna species, neque in scientijs Mathematicis etiam, sed Geometria & Astrologia sunt alicuius naturæ, &c.* I
94. etiam libro de posteriori resolutione cap præsertim 8. & 23. non solum diuersas esse scientias statuit, sed radicem, ac fundamentum necessariæ separationis tradit sic loquens: *omnis enim demonstratiua scientia circa tria est, & quæcunque esse ponuntur, hæc autem sunt genus, cuius per se passionum est speculatiua, & communia, quæ dicimus dignitates, ex quibus primo demonstrant, & tertium passiones, quarum quid significat vnaquaque accipit, &c.* Verba sunt 8 capitis, ad cuius finem hæc etiam subiungit: *Communicant autem omnes scientiæ sibi inuicem secundum communia autem dico, quibus vtuntur, tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant, &c.* & cap. 23.
95. scientiarũ etiam distinctiua clarius designans ait: *Altera vero scientia est ab altera, quarumcunque principia, neque ex eisdem, neque alteris sunt, huius autem signum cum ad indemonstrabilia venerit, oportet enim ipsa in eodem genere esse cum his, quæ demonstrantur.*

Ex quibus testimonijs tale huius sententiæ fundamentũ elicitur: tribus continetur completa ratio scientiæ, subiecto videlicet, quod appellamus scibile, circa quod tanquam circa scopum versatur, passionibus naturam eius consequentibus, ac de eo demonstrabilibus, & principijs, ex quibus demonstrationes construuntur, easdem passiones de eodem subiecto ostendentes, & nihil aliud præter hæc reperitur, quod ad substantiam scientiæ spectare possit, sed tria hæc valdè diuersa sunt in diuersis rerum generibus, ergo scientias essentialiter distinguunt. Probatur minor, diuersa subiecta sunt ens naturale, linea, & numerus, ex quibus diuersæ valde passiones procedunt, & longè ab his diuersa sunt entia omnino immaterialia, motusque expertia, vt Deus optimus, ac substantiæ separatæ, quibus diuersa attributa, ac proprietates conueniunt, lineæ etenim, & numeri proprietates sensibilem materiam, vel motum non concernunt, cum tamen motus proprietas sit entis naturalis ex materia, formaque intrinsece compositi, & separatæ substantiæ, sicut horum omnino expertes sunt, sic proprietatibus, atque attributis spiritualibus decorantur: vnde fit, principia ex eorundem subiectorum natura desumpta non minus esse diuersa: considera obsecro Mathematica principia in primis vniuersalia, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & super quamlibet datam lineam licet triangulum constituere: & rursus specialia, vt definitiones, lineæ, & numeri, & inuenies valde diuersa esse à definitionibus naturæ, & motus, quæ propria sunt principia Philosophiæ Naturalis, ac demum principia Metaphysicæ, cuius est considerare separata à materia, vniuersaliora sunt, & longè ab vtrisque diuersa, ex subiecto autem diuerso, quod est diuersum scibile, à quo diuersæ prodeunt passiones, ex diuersis item principijs diuersæ conclusiones deducuntur, & ex eis diuersi habitus generantur.

I. Ratio.

96.

97.

II. Ratio. Accedit secunda ratio ex virtutum similitudine desumpta, quæ ex diuersis bonis rectæ
98. rationi consentaneis distinguuntur specie, sed sic se habet scibile respectu intellectus, sicut

bonum

99. num rationis respectu voluntatis, ergo non minus scientias distinguit specie, præsertim cum sint virtutes intellectuales, quibus perficitur intellectus, quemadmodum virtutibus moralibus perficitur voluntas, quæ etiam est vniuersalis potentia, habens pro obiecto adæquato totam latitudinem boni, quemadmodum intellectus totam latitudinem veri, par igitur ratio debet esse de distinctione habituum, & virtutum vtriusque potentiæ.

Vltima ratio. Postrema ratio (nisi ego fallor) duarum præcedentium fundamentum est, colligiturque ex propria cōditione scientifici habitus, quam ponit D. Thom. 1 2. quæst. 54. art. 1. vbi intellectum ait esse potentiam passiuam, quæ comparatur ad actum vnius speciei, sicut materia ad formam vnam, vnde sicut hæc determinatur ad formam vnius speciei à tali agente, & ab alio diuerso determinatur ad formam alterius speciei, sic intellectus determinatur à tali agente, quod est obiectum, ad actum talis speciei, & à diuersis obiectis determinatur ad diuersos actus, sed habitus sunt quædam formæ inhærentes potentiæ per modū dispositionis determinantes eam ad talem actum, quemadmodum dispositiones determinant materiam ad talem formam, ergo quemadmodum diuersæ sunt dispositiones inductæ à diuersis agentibus pro diuersis formis, & non vna pro omnibus: pari ratione sunt diuersi habitus, quibus intellectus disponitur ad actus scientiæ diuersos iuxta agentia diuersa, quæ sunt diuersa obiecta, vel scibilia.

Confirmando. 100. Et confirmatur hæc ratio, quia habitus intellectuales sunt quasi radij quidam lucis ab intellectuali lumine ordine quodam deriuati: ita vt quo proximius deriuantur, eo sint perfectiores, atque adeò vniuersaliores: vnde fit, vt intellectus principiorum, qui sine medio aliquo ab eo procedit, & sine medio etiam in proprium fertur obiectum, vniuersalior sit, scientiæ verò ab eo iam procedentes magis à primo lumine elongantur, quasi radij magis distantes, vnde minoris virtutis, atque extensionis sunt ad illustrandum obiecta, quæ proinde minus longè vniuersalia esse necesse est: & habitus ipse scientificus contractior, ita vt non valeat vnus ad scibilia omnia se extendere, sed pro diuersis scibilibus separentur diuersi habitus, quemadmodum in vniuersis rerum generibus, quæ magis distant à primo principio imperfectiora sunt, magisque inter se se diuisa: considera virtutem sensitiuam cognoscitiuam, & videbis quo minus materialem, & magis ad immaterialitatem intellectus accedentem perfectiorem esse, maiorisque proinde extensionis, & idcirco magis vnitam: quo autem magis ab eadem immaterialitate elongatur, debilior, imperfectior, contractior est, magisque diuisa: vna phantasia, vel imagitiua obiecta omnia diuersarum potentiarum inferiorum percipere valet, nempè cogitatiuæ, memoratiuæ, sensus communis, &c. Vnus sensus communis obiecta omnia exteriorum sensuum: sed iam sensitiuam virtutem exteriorem in quinque potentias diuisam cernimus: sic igitur de scientijs iam longè quasi à fonte distantibus necessario dicendū est, minorem extensionem habere, maioremque proinde distinctionem postulare. 101.

De habitu principiorū clara sententia Arist. De habitu autem principiorum luce clarior est sententia Aristotelis, quod à scientijs distinguatur, cum sit earum causa: etenim principia, quibus per talem habitum assentimur, ratio formalis sunt, propter quam assentimur conclusioni, ergo eorum habitus tanquam necessario presuppositus distinctus est à scientijs. Adde hunc habitum inclinare ad assentiendum principijs sine medio, nam obiectum eius veritas est immediata, habitus autē scientiæ inclinat ad assentiendum eis mediantibus: hæc igitur ratio conuincit distinctionem specificam horū habituum, sicut præcedens realem distinctionem. 102.

Respondetur ad primum primæ sententiæ arg. Neque argumenta primæ positionis probare possunt eorum vnitatem, nam ad formam primi dicendum est, partes cuiuslibet demonstrationis duobus modis esse considerabiles: vno, prout sunt tres propositiones necessariæ, in modo, & figura dispositæ, & iuxta præcepta demonstratoriæ artis compositum quoddam artificiatum constituentes, quod vocatur demonstratio, & iuxta hanc considerationem modum vnius habent principia, & conclusio, ad eundemque habitum Logicæ docentis pertinent, cuius est vsus in omnibus scientijs: alio modo considerantur, vt principia continent veritatem immediatam, cui intellectus ex terminis assentitur, conclusiō verò mediatam, cui assentitur propter eadem principia, quo pacto diuersorum habituum obiecta, & actus sunt, intellectus videlicet, & talis, aut talis scientiæ, iuxta materiam, in qua 103.

inueniuntur: tres itaque habitus concurrunt ad demonstrationes singulas cuiusli bet scientiæ: Logicæ in primis, quo vtimur ad eam fa-
104. bricandam, habitus intellectus, qui principiorum, & particularis scientiæ, iuxta materiam, ex qua fabricata est, vt Philosophiæ, vel Metaphysicæ, qua distinctione percepta facilè intelligitur compositionem demonstrationis ex tribus propositionibus non tollere distinctionem particularium habituum principiorum, & conclusionis, ad quos iuxta determinatam materiam (in qua reperiuntur) pertinent.

Ad 2. arg. Secundum etiam argumentum diluit alia distinctio: principia demonstrationis duobus modis accipimus, vt quod videlicet, & vt quo: vt quod considerantur, quatenus eis sine medio assentitur intellectus, vt quo verò, in quan
105. tum assensus eorum sine medio iam ab intellectu productus est ratio formalis, propter quā assentitur conclusioni, & sub consideratione priori euidens est non pertinere ad habitum scientiæ, cuius assensum omnibus modis præcedunt, & per modum formalis obiecti producunt, sed ad proprium certè, quem vocamus intellectum, benè tamen sub posteriori, quia ratio formalis obiectiua ad eundem actum, & habitū pertinet cum obiecto, quod, ex vtroq; siquidem vnum totale efficitur specificans actum, & habitum: exemplum vtriusque
Exemp. habemus in luce, quæ accepta, vt quod, mouet visum, obiectum est per se vnius actus videndi, cæterum vt est ratio illuminatiua coloris ad alium pertinet actū distinctum, quem color in ipse illuminatus terminat, itaque eodem assensu, eodemq; habitu scientiæ fertur intellectus in conclusionem propter principia, ad quem principia ipsa pertinent, vt sunt propter quid conclusionis, at secundum se accepta ad alium distinctum scientificum præcedentem, & producentem.

Soluuntur fundamenta aliarum opinionum.

Respondetur ad primam secundæ. 106. PRimum argumentum secundę positionis solum probat eundem esse modum generalem procedendi omnium scientiarum, certum, & euidentem, specialem tamen valdè diuersum, quemadmodum principia, ex quibus procedunt, diuersa sunt, diuersa autē principia diuersos assensus conclusionū generant & isti diuersos habitus scientiæ, non solū partialiter, sed totaliter, cū multa sint principia, quæ neq; ex alijs, neq; ex alterutris fiunt, vnde nullo modo conueniunt cum alijs, sed omnino diuersa sunt, vt docuit Aristoteles, atque ex consequenti conclusiones generant diuersos, diuersasque habitus scientiarum.

De fide autem diuersa est ratio, cuius me- Ad 2. arg.
dium assentiendi extrinsecum est, id est, non desumptum à natura credibilium, nempè di- 107.
centis testimonium, & idcirco idem respectu omnium cuiuscunque sint conditionis: medium autem scientiarum intrinsecum est, in quo tanquam in causa propria, & proxima continentur assensus conclusionum, & à quo etiam deriuantur: vnde fit, iuxta diuersam naturam obiecti, & assensus scientifici, diuersa esse principia, à quibus tanquam à medio formali assentiendi, speciem, vnitatem, & distinctionem capiunt, vt quæstione sequenti fiet manifestum.

Solutionem tertij argumenti quæstione præ- Ad vltim.
cedenti attingere cœpimus adnotantes nō esse vsquequaque verum eandem esse scientiam 108.
de genere, atque speciebus, vel de communi, & particularibus sub eo contentis, nisi cum hac limitatione, videlicet in quantum habent eandem rationem scibilis cum eo, hoc est, in quantum cadunt sub eandem rationem formalem obiectiua sed in quantū habent diuersam, per diuersa principia cognoscibilia sunt, diuersumque postulant habitum scientiæ: vtrumq; cernimus in diuersis exemplis, nam in generibus proximis ferè semper contingit eandem esse rationem formalem scibilis absolute, sub qua tam genus, quam species con- 109.
tinetur, constat in animali, figura, & numero, vnde eadem est scientia de animali, homine, leone, & boue, eadem de numero, ac de ternario, & quaternario, eadem de figura, triangulo, & quadrangulo, Isochele, & gradato, in obiectis autē vniuersalissimis, qualia sunt ens, & ens naturale, non sic, cum multa non solum specie, sed prædicamento diuersa comprehendant, sub ente comprehenditur ens mobile, linea, & numerus, quorum diuersissima est ratio scibilis ab vniuersalissima entis, hæc namque à materia omnino abstrahit, cum spiritualia comprehēdat, at ens naturale materiam sensibilem ab intrinseco concernit, linea, & numerus saltem intelligibilem: vnde fit, diuersa principia ab eis procedere, à quibus etiam 110.
diuersæ.

proportionibus differentes, quæ omnia licet vere sint sensibilibus cõiuncta, sic profecto cõ
128 siderantur, ac si essent ab eisdem penitus separata, materialem nihilominus conditionem habentia: si demq; ad Metaphysicam, negare non possumus ex ea parte, ab omni gradu materiæ realiter abstrahere, qua separatas contẽplatur intelligentias, ex altera, qua communissimam rationem entis, saltem secundũ considerationem: quemadmodum enim, qui animal definit, ac considerat, vt equo, ac leoni cõmune, ab vtroque abstrahere dicitur, quia in tali consideratione speciales eorum differentiæ, ac rationes actu non clauduntur, pari ratione, qui communissimam rationem entis, vt corporeis, atque spiritualibus rebus cõmunẽ contemplatur, nihil profecto de materia sensibili, vel intelligibili, vt tali, considerat: quamuis aliquando sint res vere materiales.

Explicatur & probatur sententia Pauli Sonzinatis, de ratione formali obiecti in esse rei.

I. opinio Soncinat. 123. EX horum notabilium doctrina primam sententiam sic explicãt eius Patroni, duplex est ratio obiectiua, per quam res aliqua pertinet ad scientiam, vna circa quam versatur scientia, quam propterea vocare solent rationẽ, quę, talis est mobilitas, vel motus in Philosophia naturali, linea in Geometria, in Arithmetica numerus & in Metaphy. entitas: altera est ratio non considerata à scientia, sed sub qua consideratur præfata ratio, quę atque adeò obiectum ipsum, circa quod scientia versatur: quæ ideo dicitur ratio obiectiua sub qua, & hæc est, quæ constituit obiectum in esse obiecti, quam aiunt esse abstractionem à materia, nunc ergo rationem, quæ, separare scientias volunt non rationẽ, sub qua, vel (quod idem est) obiectum in esse obiecti: itaq; Metaphysica non distinguitur à Mathematicis, vel naturali Philosophia per entitatem, vt omnino abstrahentem à materia sed per solã entitatem, tanquam per rationem formalem, quæ, nec Philosophia per entitatẽ concernentẽ materiam sensibilẽ, sed per mobilitatẽ, vel motũ secundũ se sumptũ, sicq; de Mathematicis disciplinis, cæterisq; specialibus scientijs cẽ
124 sendum est, tot videlicet esse specie distinctas, quot sunt rationes formales diuersæ, quę cõsiderantur, ita tamen, vt q :ę ad eandem referũtur, vel sub ea comprehenduntur, sub eadem etiam comprehendantur scientia.

Huic sententiæ fauet Scotus in 3 dist 35. q. 2. §. ad secundum quæsitum, vbi hæc verba scribit. *Quilibet habitus intellectualis, habet vnitatẽ, ex vnitate sui primi obiecti, in quo habitus virtualiter cõtinetur, sicut in sua causa partiali, sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, &c.* Fauet etiã Durandus in 3 q. prologi, nõ longe à principio: vbi ait scientias propriè dictas à solis obiectis, de quibus sunt, distinctionẽ accipere: adscribitur etiã Nominalibus, sed eã explicat, sequitur, & cõfirmat Paulus Sorzinas 6. meta. q 8. concl 3. cuius hæc sunt verba. *Vnitas specifica scientiarũ non sumitur ex formali ratione obiecti, in quantum est obiectũ, sed ex ea, quæ sibi conuenit in quantum est res quędã, &c.* Et magna etiam ex parte D. Tolet. 1. lib poster. q. vnica conclusione secunda affirmante scientias specie distingui, quę de diuersis rebus sunt cum eadem abstractione, vel de eadem re sub abstractione diuersa.

Patroni Scotus. Durand. 125 Sonzin. P. Toletus.

Fauet etiam in primis huic opinioni triplex testimonium Arist. quorũ primum habetur 1. lib. posterio c 23 hisce verbis *Vna autẽ scientia est, quæ est vnius generis, quæcumq; ex primis cõponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Vnius autẽ generis subiectũ vocatur absque dubio ratio vna formalis, quã participant vniuersa, quæ in scientia considerantur, & ab eius vnitate sortitur scientia ipsa vnitatem, ac distinctionem specificam.

Cõfirmat. 1. testimon. Aristot. 126.

Secundum testimonium habetur 3. lib. de anima tex. 38. vbi iuxta rerũ cõsideratarum diuisionẽ secari docet scientias, & sensus in verba. *Secatur autẽ sciẽtia, & sensus in res, quæ quidẽ potentiæ est in eas, quæ sunt potentia, quæ verò actu in eas, quæ sunt actu.* Secari autem idem est, ac distingui, sentit ergo Arist. rationem formalem consideratam seclusa quacumq; abstractione à materia distinguere scientias.

Probatur 2. testimonio Aristot.

Postremum testimonium cõtinetur 4. lib. metaph. in princip. Metaphysicam tanquam vniuersalem scientiam distinguens à particularibus, hac sola ratione, quia vniuersalissimã rationem entis contemplatur, cum tamen particulares circa aliquã eius partẽ, nempe circa aliquam particularem entitatem versentur, vt Grãmatica, ait, circa voces, sicque de reliquis. Quod testimonium exposuit D. Tho. in fauorem eiusdem sententiæ, ex sola rerum diuersitate, nulla prorsus mentione abstractionis facta distinguentis scientias.

Probatur 3. testimonio D. Thom.

Sed afferamus iam rationes eiusdem Sonzina-

inueniuntur: tres itaque habitus concurrunt ad demonstrationes singulas cuiusli bet scientiæ: Logicæ in primis, quo vtimur ad eam fa-
104. bricandam, habitus intellectus, qui principiorum, & particularis scientiæ, iuxta materiam, ex qua fabricata est, vt Philosophiæ, vel Metaphysicæ, qua distinctione percepta facilè intelligitur compositionem demonstrationis ex tribus propositionibus non tollere distinctionem particularium habituum principiorum, & conclusionis, ad quos iuxta determinatam materiam (in qua reperiuntur) pertinent.

Ad 2. arg. Secundum etiam argumentum diluit alia distinctio: principia demonstrationis duobus modis accipimus, vt quod videlicet, & vt quo: vt quod considerentur, quatenus eis sine medio assentitur intellectus, vt quo verò, in quan
105. tum assensus eorum sine medio iam ab intellectu productus est ratio formalis, propter quã assentitur conclusioni, & sub consideratione priori euidens est non pertinere ad habitum scientiæ, cuius assensum omnibus modis præcedunt, & per modum formalis obiecti producunt, sed ad proprium certè, quem vocamus intellectum, benè tamen sub posteriori, quia ratio formalis obiectiua ad eundem actum, & habitũ pertinet cum obiecto, quod, ex vtroq; siquidem vnum totale efficitur specificans actum, & habitum: exemplum vtriusque
Exemp. habemus in luce, quæ accepta, vt quod, mouet visum, obiectum est per se vnius actus videndi, cæterum vt est ratio illuminatiua coloris ad alium pertinet actũ distinctum, quem color in ipse illuminatus terminat, itaque eodem assensu, eodemq; habitu scientiæ fertur intellectus in conclusionem propter principia, ad quem principia ipsa pertinent, vt sunt propter quid conclusionis, at secundum se accepta ad alium distinctum scientificam præcedentem, & producentem.

Soluuntur fundamenta aliarum opinionum.

Respondetur ad primam secundæ. 106. PRimum argumentum secundę positionis solum probat eundem esse modum generalem procedendi omnium scientiarum, certum, & euidentem, specialem tamen valdè diuersum, quemadmodum principia, ex quibus procedunt, diuersa sunt, diuersa autẽ principia diuersos assensus conclusionũ generant & isti diuersos habitus scientiæ, non solũ partialiter, sed totaliter, cũ multa sint principia, quæ neq; ex alijs, neq; ex alterutris fiunt, vnde nullo modo conueniunt cum alijs, sed omnino diuersa sunt, vt docuit Aristoteles, atque ex consequenti conclusiones generant diuersos, diuersasque habitus scientiarum.

De fide autem diuersa est ratio, cuius medium assentiendi extrinsecum est, id est, non Ad 2. arg.
desumptum à natura credibilium, nempè dicentis testimonium, & idcirco idem respectu 107.
omnium cuiuscunque sint conditionis: medium autem scientiarum intrinsecum est, in quo tanquam in causa propria, & proxima continentur assensus conclusionum, & à quo etiam deriuantur: vnde fit, iuxta diuersam naturam obiecti, & assensus scientifici, diuersa esse principia, à quibus tanquam à medio formali assentiendi, speciem, vnitatem, & distinctionem capiunt, vt quæstione sequenti fiet manifestum.

Solutionem tertij argumenti quæstione præ- Ad vltim.
cedenti attingere cœpimus adnotantes nõ esse vsquequaque verum eandem esse scientiam 108.
de genere, atque speciebus, vel de communi, & particularibus sub eo contentis, nisi cum hac limitatione, videlicet in quantum habent eandem rationem scibilis cum eo, hoc est, in quantum cadunt sub eandem rationem formalem obiectiua sed in quantũ habent diuersam, per diuersa principia cognoscibilia sunt, diuersumque postulant habitum scientiæ: vtrumq; cernimus in diuersis exemplis, nam in generibus proximis ferè semper contingit eandem esse rationem formalem scibilis absolute, sub qua tam genus, quam species con- 109.
tinetur, constat in animali, figura, & numero, vnde eadem est scientia de animali, homine, leone, & boue, eadem de numero, ac de ternario, & quaternario, eadem de figura, triangulo, & quadrangulo, Isoschele, & gradato, in obiectis autẽ vniuersalissimis, qualia sunt ens, & ens naturale, non sic, cum multa non solum specie, sed prædicamento diuersa comprehendant, sub ente comprehenditur ens mobile, linea, & numerus, quorum diuersissima est ratio scibilis ab vniuersalissima entis, hæc namque à materia omnino abstrahit, cum spiritualia comprehẽdat, at ens naturale materiam sensibilem ab intrinseco concernit, linea, & numerus saltem intelligibilem: vnde fit, diuer- 110.
sa principia ab eis procedere, à quibus etiam diuersæ.

297

proportionibus differentes, quæ omnia licet
122 vere sint sensibilibus cõiuncta, sic profecto cõsiderantur, ac si essent ab eisdem penitus separata, materialem nihilominus conditionem habentia: si demq; ad Metaphysicam, negare non possumus ex ea parte, ab omni gradu materiæ realiter abstrahere, qua separatas contẽplatur intelligentias, ex altera, qua communissimam rationem entis, saltem secundum considerationem: quemadmodum enim, qui animal definit, ac considerat, vt equo, ac leoni cõmune, ab vtroque abstrahere dicitur, quia in tali consideratione speciales eorum differentiæ, ac rationes actu non clauduntur, pari ratione, qui communissimam rationem entis, vt corporeis, atque spiritualibus rebus cõmunẽ contemplatur, nihil profecto de materia sensibili, vel intelligibili, vt tali, considerat: quamuis aliquando sint res vere materiales.

Explicatur & probatur sententia Pauli Sonzinatis, de ratione formali obiecti in esse rei.

I. opinio Soncinat. 123. EX horum notabilium doctrina primam sententiam sic explicãt eius Patroni, duplex est ratio obiectiua, per quam res aliqua pertinet ad scientiam, vna circa quam versatur scientia, quam propterea vocare solent rationẽ, quę, talis est mobilitas, vel motus in Philosophia naturali, linea in Geometria, in Arithmetica numerus & in Metaphy. entitas: altera est ratio non considerata à scientia, sed sub qua consideratur præfata ratio, quę atque adeò obiectum ipsum, circa quod scientia versatur: quæ ideo dicitur ratio obiectiua sub qua, & hæc est, quæ constituit obiectum in esse obiecti, quam aiunt esse abstractionem à materia, nunc ergo rationem, quæ, separare scientias volunt non rationẽ, sub qua, vel (quod idem est) obiectum in esse obiecti: itaq; Metaphysica non distinguitur à Mathematicis, vel naturali Philosophia per entitatem, vt omnino abstrahentem à materia sed per solã entitatem, tanquam per rationem formalem, quæ, nec Philosophia per entitatẽ concernentẽ materiam sensibilẽ, sed per mobilitatẽ, vel motũ secundũ se sumptũ, sicq; de Mathemati-
124 cis disciplinis, cæterisq; specialibus scientijs cẽsendum est, tot videlicet esse specie distinctas, quot sunt rationes formales diuersæ, quę cõsiderantur, ita tamen, vt quę ad eandem referũtur, vel sub ea comprehenduntur, sub eadem etiam comprehendantur scientia.

Huic sententiæ fauet Scotus in 3 dist 35. q. 2. §. ad secundum quæsitum, vbi hæc verba scribit. *Quilibet habitus intellectualis, habet vnitatẽ, ex vnitate sui primi obiecti, in quo habitus virtualiter cõtinetur, sicut in sua causa partiali, sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, &c.* Patroni Scotus. Fauet etiã Durandus in 3 q. prologi, nõ longe à principio: vbi ait scientias propriè di- Durand.
ctas à solis obiectis, de quibus sunt, distinctionẽ accipere: adscribitur etiã Nominalibus, sed 125
eã explicat, sequitur, & cõfirmat Paulus Sonzinas 6. meta. q 8. concl. 3. cuius hæc sunt verba. Sonzin. *Vnitas specifica scientiarũ non sumitur ex formali ratione obiecti, in quantum est obiectũ, sed ex ea, quæ sibi conuenit in quantum est res quædã, &c.* Et magna etiam ex parte D. Tolet. 1. lib. poster. q. vnica conclusione secunda affirmante scientias specie distingui, quę de diuersis rebus sunt cum eadem abstractione, vel de eadem re sub abstractione diuersa. P. Toletus.

Fauet etiam in primis huic opinioni triplex testimonium Arist. quorũ primum habetur 1. lib. posterio c 23 hisce verbis *Vna autẽ scientia est, quæ est vnius generis, quæcumq; ex primis cõponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Cõfirmat. 1. testimon. Aristot. Vnius autẽ generis subiectũ vocatur absque dubio ratio vna formalis, quã participant 126.
vniuersa, quæ in scientia considerantur, & ab eius vnitate sortitur scientia ipsa vnitatem, ac distinctionem specificam.

Secundum testimonium habetur 3. lib. de anima tex. 38. vbi iuxta rerũ cõsideratarum diuisionẽ secari docet scientias, & sensus in verba. *Secatur autẽ sciẽtia, & sensus in res, quæ quidẽ potentia est in eas, quæ sunt potentia, quæ verò actu in eas, quæ sunt actu.* Secari autem idem est, ac distingui, sentit ergo Arist. rationem formalem consideratam seclusa quacumq; abstractione à materia distinguere scientias. Probatur 2. testimonio Aristot.

Postremum testimonium cõtinetur 4. lib. metaph. in princip. Metaphysicam tanquam vniuersalem scientiam distinguens à particularibus, hac sola ratione, quia vniuersalissimã rationem entis contemplatur, cum tamen particulares circa aliquã eius partẽ, nempe circa aliquam particularem entitatem versentur, vt Grãmatica, ait, circa voces, sicque de reliquis. Probatur 3. testimonio Quod testimonium exposuit D. Tho. in fauorem eiusdem sententiæ, ex sola rerum diuersitate, nulla prorsus mentione abstractionis facta distinguentis scientias. D. Thom.

Sed afferamus iam rationes eiusdem Sonzina-

inueniuntur: tres itaque habitus concurrunt ad demonstrationes singulas cuiusli bet scientiæ: Logicæ in primis, quo vtimur ad eam fa-
104. bricandam, habitus intellectus, qui principiorum, & particularis scientiæ, iuxta materiam, ex qua fabricata est, vt Philosophiæ, vel Metaphysicæ, quia distinctione percepta facilè intelligitur compositionem demonstrationis ex tribus propositionibus non tollere distinctionem particularium habituum principiorum, & conclusionis, ad quos iuxta determinatam materiam (in qua reperiuntur) pertinent.

Ad 2. arg. Secundum etiam argumentum diluit alia distinctio: principia demonstrationis duobus modis accipimus, vt quod videlicet, & vt quo: vt quod considerentur, quatenus eis sine medio assentitur intellectus, vt quo verò, in quan-
105. tum assensus eorum sine medio iam ab intellectu productus est ratio formalis, propter quã assentitur conclusioni, & sub consideratione priori euidens est non pertinere ad habitum scientiæ, cuius assensum omnibus modis præcedunt, & per modum formalis obiecti producunt, sed ad proprium certè, quem vocamus intellectum, benè tamen sub posteriori, quia ratio formalis obiectiua ad eundem actum, & habitũ pertinet cum obiecto, quod, ex vtroq; siquidem vnum totale efficitur specificans actum, & habitum: exemplum vtriusque
Exemp. habemus in luce, quæ accepta, vt quod, mouet visum, obiectum est per se vnius actus videndi, cæterum vt est ratio illuminatiua coloris ad alium pertinet actũ distinctum, quem color in ipse illuminatus terminat, itaque eodem assensu, eodemq; habitu scientiæ fertur intellectus in conclusionem propter principia, ad quem principia ipsa pertinent, vt sunt propter quid conclusionis, at secundum se accepta ad alium distinctum scientificum præcedentem, & producentem.

Soluuntur fundamenta aliarum opinionum.

Respondetur ad primam secundæ. 106. PRimum argumentum secundæ positionis solum probat eundem esse modum generalem procedendi omnium scientiarum, certum, & euidentem, specialem tamen valdè diuersum, quemadmodum principia, ex quibus procedunt, diuersa sunt, diuersa autẽ principia diuersos assensus conclusionũ generant & isti diuersos habitus scientiæ, non solũ partialiter, sed totaliter, cũ multa sint principia, quæ neq; ex alijs, neq; ex alterutris fiunt, vnde nullo modo conueniunt cum alijs, sed omnino diuersa sunt, vt docuit Aristoteles, atque ex consequenti conclusiones generant diuersos, diuersasque habitus scientiarum.

De fide autem diuersa est ratio, cuius medium assentiendi extrinsecum est, id est, non desumptum à natura credibilium, nempè dicentis testimonium, & idcirco idem respectu omnium cuiuscunque sint conditionis: medium autem scientiarum intrinsecum est, in quo tanquam in causa propria, & proxima continentur assensus conclusionum, & à quo etiam deriuantur: vnde fit, iuxta diuersam naturam obiecti, & assensus scientifici, diuersa esse principia, à quibus tanquam à medio formali assentiendi, speciem, vnitatem, & distinctionem capiunt, vt quæstione sequenti fiet manifestum. Ad 2. arg. 107.

Solutionem tertij argumenti quæstione præcedenti attingere cœpimus adnotantes nõ esse vsquequaque verum eandem esse scientiam de genere, atque speciebus, vel de communi, & particularibus sub eo contentis, nisi cum hac limitatione, videlicet in quantum habent eandem rationem scibilis cum eo, hoc est, in quantum cadunt sub eandem rationem formalem obiectiua sed in quantũ habent diuersam, per diuersa principia cognoscibilia sunt, diuersumque postulant habitum scientiæ: vtrumq; cernimus in diuersis exemplis, nam in generibus proximis ferè semper contingit eandem esse rationem formalem scibilis absolute, sub qua tam genus, quam species continetur, constat in animali, figura, & numero, vnde eadem est scientia de animali, homine, leone, & boue, eadem de numero, ac de ternario, & quaternario, eadem de figura, triangulo, & quadrangulo, Isoschele, & gradato, in obiectis autẽ vniuersalissimis, qualia sunt ens, & ens naturale, non sic, cum multa non solum specie, sed prædicamento diuersa comprehendant, sub ente comprehendntur ens mobile, linea, & numerus, quorum diuersissima est ratio scibilis ab vniuersalissima entis, hæc namque à materia omnino abstrahit, cum spiritualia comprehẽdat, at ens naturale materiam sensibilem ab intrinseco concernit, linea, & numerus saltem intelligibilem: vnde si, diuersa principia ab eis procedere, à quibus etiam diuersæ, Ad vltim. 108. 109. 110.

proportionibus differentes, quæ omnia licet
122 vere sint sensibilibus cōiuncta, sic profecto cō siderantur, ac si essent ab eisdem penitus separata, materialem nihilominus conditionem habentia: si demq; ad Metaphysicam, negare non possumus ex ea parte, ab omni gradu materiæ realiter abstrahere, qua separatas contēplatur intelligentias, ex altera, qua communissimam rationem entis, saltem secundum considerationem: quemadmodum enim, qui animal definit, ac considerat, vt equo, ac leoni cō mune, ab vtroque abstrahere dicitur, quia in tali consideratione speciales eorum differentiæ, ac rationes actu non clauduntur, pari ratione, qui communissimam rationem entis, vt corporeis, atque spiritualibus rebus cōmunē contemplatur, nihil profecto de materia sensibili, vel intelligibili, vt tali, considerat: quamuis aliquando sint res vere materiales.

Explicatur & probatur sententia Pauli Sonzinatis, de ratione formali obiecti in esse rei.

I. opinio Soncinat. 123. EX horum notabilium doctrina primam sententiam sic explicāt eius Patroni, duplex est ratio obiectiua, per quam res aliqua pertinet ad scientiam, vna circa quam versatur scientia, quam propterea vocare solent rationē, quę, talis est mobilitas, vel motus in Philosophia naturali, linea in Geometria, in Arithmetica numerus & in Metaphy. entitas: altera est ratio non considerata à scientia, sed sub qua consideratur præfata ratio, quę atque adeò obiectum ipsum, circa quod scientia versatur: quæ ideo dicitur ratio obiectiua sub qua, & hæc est, quæ constituit obiectum in esse obiecti, quam aiunt esse abstractionem à materia, nunc ergo rationem, quæ, separate scientias volunt non rationē, sub qua, vel (quod idem est) obiectum in esse obiecti: itaq; Metaphysica non distinguitur à Mathematicis, vel naturali Philosophia per entitatem, vt omnino abstrahentem à materia sed per solā entitatem, tanquam per rationem formalem, quæ, nec Philosophia per entitatē concernentē materiam sensibilē, sed per mobilitatē, vel motū secundū se sumptū, sicq; de Mathematicis
124 disciplinis, cæterisq; specialibus scientijs cē sendum est, tot videlicet esse specie distinctas, quot sunt rationes formales diuersæ, quę cōsiderantur, ita tamen, vt quę ad eandem referūtur, vel sub ea comprehenduntur, sub eadem etiam comprehendantur scientia.

Huic sententiæ fauet Scotus in 3 dist. 35. q. 2. §. ad secundum quæsitum, vbi hæc verba scribit. *Quilibet habitus intellectualis, habet vnitatē, ex vnitate sui primi obiecti, in quo habitus virtualiter cōtinetur, sicut in sua causa partiali, sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, &c.* Fauet etiā Durandus in 3 q. prologi, nō longe à principio: vbi ait scientias propriè dictas à solis obiectis, de quibus sunt, distinctionē accipere: adscribitur etiā Nominalibus, sed eā explicat, sequitur, & cōfirmat Paulus Sonzinas 6. meta. q 8. concl. 3 cuius hæc sunt verba. *Vnitas specifica scientiarū non sumitur ex formali ratione obiecti, in quantum est obiectū, sed ex ea, quæ sibi conuenit in quantum est res quædā, &c.* Et magna etiam ex parte D. Tolet. 1. lib poster. q. vnica conclusione secunda affirmante scientias specie distingui, quę de diuersis rebus sunt cum eadem abstractione, vel de eadem re sub abstractione diuersa. Patroni Scotus. Durand. 125 Sonzin. P. Toletus.

Fauet etiam in primis huic opinioni triplex testimonium Arist. quorū primum habetur 1. lib. posterio c 23 hisce verbis *Vna autē scientia est, quæ est vnius generis, quæcunq; ex primis cōponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Vnius autē generis subiectū vocatur absque dubio ratio vna formalis, quā participant vniuersa, quæ in scientia considerantur, & ab eius vnitate sortitur scientia ipsa vnitatem, ac distinctionem specificam. Cōfirmat. 1. testimon. Aristot. 126.

Secundum testimonium habetur 3. lib. de anima tex. 38. vbi iuxta rerū cōsideratarum diuisionē secari docet scientias, & sensus in verba. *Secatur autē sciētia, & sensus in res, quæ quidē potentia est in eas, quæ sunt potentia, quæ verò actu in eas, quæ sunt actu.* Secari autem idem est, ac distingui, sentit ergo Arist. rationem formalem consideratam seclusa quacumq; abstractione à materia distinguere scientias. Probatur 2. testimonio Aristot.

Postremum testimonium cōtinetur 4. lib. metaph. in princip. Metaphysicam tanquam vniuersalem scientiam distinguens à particularibus, hac sola ratione, quia vniuersalissimā rationem entis contemplatur, cum tamen particulares circa aliquā eius partē, nempe circa aliquam particularem entitatem versentur, vt Grāmatica, ait, circa voces, sicque de reliquis. Quod testimonium exposuit D. Tho. in fauorem eiusdem sententiæ, ex sola rerum diuersitate, nulla prorsus mentione abstractionis facta distinguentis scientias. Probatur 3. testimonio D. Thom.

Sed afferamus iam rationes eiusdem Sonzina-

inueniuntur: tres itaque habitus concurrunt ad demonstrationes singulas cuiusl bet scientiæ: Logicæ in primis, quo vtimur ad eam fa-
104. bricandam, habitus intellectus, qui principiorum, & particularis scientiæ, iuxta materiam, ex qua fabricata est, vt Philosophiæ, vel Metaphysicæ, qua distinctione percepta facilè intelligitur compositionem demonstrationis ex tribus propositionibus non tollere distinctionem particularium habituum principiorum, & conclusionis, ad quos iuxta determinatam materiam (in qua reperiuntur) pertinent.

Ad 2. arg. Secundum etiam argumentum diluit alia distinctio: principia demonstrationis duobus modis accipimus, vt quod videlicet, & vt quo: vt quod considerantur, quatenus eis sine medio assentitur intellectus, vt quo verò, in quan-
105. tum assensus eorum sine medio iam ab intellectu productus est ratio formalis, propter quā assentitur conclusioni, & sub consideratione priori euidens est non pertinere ad habitum scientiæ, cuius assensum omnibus modis præcedunt, & per modum formalis obiecti producunt, sed ad proprium certè, quem vocamus intellectum, benè tamen sub posteriori, quia ratio formalis obiectiua ad eundem actum, & habitū pertinet cum obiecto, quod, ex vtroq; siquidem vnum totale efficitur specificans actum, & habitum: exemplum vtriusque
Exemp. habemus in luce, quæ accepta, vt quod, mouet visum, obiectum est per se vnius actus videndi, cæterum vt est ratio illuminatiua coloris ad alium pertinet actū distinctum, quem color in ipse illuminatus terminat, itaque eodem assensu, eodemq; habitu scientiæ fertur intellectus in conclusionem propter principia, ad quem principia ipsa pertinent, vt sunt propter quid conclusionis, at secundum se accepta ad alium distinctum scientificum præcedentem, & producentem.

Soluuntur fundamenta aliarum opinionum.

Respondetur ad primam secundæ. 106. PRimum argumentum secundę positionis solum probat eundem esse modum generalem procedendi omnium scientiarum, certum, & euidentem, specialem tamen valdè diuersum, quemadmodum principia, ex quibus procedunt, diuersa sunt, diuersa autē principia diuersos assensus conclusionū generant & isti diuersos habitus scientiæ, non solū partialiter, sed totaliter, cū multa sint principia, quæ neq; ex alijs, neq; ex alterutris fiunt, vnde nullo modo conueniunt cum alijs, sed omnino diuersa sunt, vt docuit Aristoteles, atque ex consequenti conclusiones generant diuersos, diuersasque habitus scientiarum.

De fide autem diuersa est ratio, cuius medium assentiendi extrinsecum est, id est, non Ad 2. arg.
desumptum à natura credibilium, nempè dicentis testimonium, & idcirco idem respectu 107.
omnium cuiuscunque sint conditionis: medium autem scientiarum intrinsecum est, in quo tanquam in causa propria, & proxima continentur assensus conclusionum, & à quo etiam deriuantur: vnde fit, iuxta diuersam naturam obiecti, & assensus scientifici, diuersa esse principia, à quibus tanquam à medio formali assentiendi, speciem, vnitatem, & distinctionem capiunt, vt quæstione sequenti fiet manifestum.

Solutionem tertij argumenti quæstione præcedenti attingere cœpimus adnotantes nō esse Ad vltim.
se vsquequaque verum eandem esse scientiam 108.
de genere, atque speciebus, vel de communi, & particularibus sub eo contentis, nisi cum hac limitatione, videlicet in quantum habent eandem rationem scibilis cum eo, hoc est, in quantum cadunt sub eandem rationem formalem obiectiua sed in quantū habent diuersam, per diuersa principia cognoscibilia sunt, diuersumque postulant habitum scientiæ: vtrumq; cernimus in diuersis exemplis, nam in generibus proximis ferè semper contingit eandem esse rationem formalem scibilis absolute, sub qua tam genus, quam species con- 109.
tinetur, constat in animali, figura, & numero, vnde eadem est scientia de animali, homine, leone, & boue, eadem de numero, ac de ternario, & quaternario, eadem de figura, triangulo, & quadrangulo, Isochele, & gradato, in obiectis autē vniuersalissimis, qualia sunt ens, & ens naturale, non sic, cum multa non solum specie, sed prædicamento diuersa comprehendant, sub ente comprehenditur ens mobile, linea, & numerus, quorum diuersissima est ratio scibilis ab vniuersalissima entis, hæc namque à materia omnino abstrahit, cum spiritualia comprehēdat, at ens naturale materiam sensibilem ab intrinseco concernit, linea, & numerus saltem intelligibilem: vnde fit, diuer- 110.
sa principia ab eis procedere, à quibus etiam diuersæ.

proportionibus differentes, quæ omnia licet
122 vere sint sensibilibus cōiuncta, sic profecto cō siderantur, ac si essent ab eisdem penitus separata, materialem nihilominus conditionem habentia: si demq; ad Metaphysicam, negare non possumus ex ea parte, ab omni gradu materiæ realiter abstrahere, qua separatas contēplatur intelligentias, ex altera, qua communissimam rationem entis, saltem secundum considerationem: quemadmodum enim, qui animal definit, ac considerat, vt equo, ac leoni cō mune, ab vtroque abstrahere dicitur, quia in tali consideratione speciales eorum differentiæ, ac rationes actu non clauduntur, pari ratione, qui communissimam rationem entis, vt corporeis, atque spiritualibus rebus cōmunē contemplatur, nihil profecto de materia sensibili, vel intelligibili, vt tali, considerat: quamuis aliquando sint res vere materiales.

Explicatur & probatur sententia Pauli Sonzinatis, de ratione formali obiecti in esse rei.

I. opinio Soncinat. 123. EX horum notabilium doctrina primam sententiam sic explicāt eius Patroni, duplex est ratio obiectiua, per quam res aliqua pertinet ad scientiam, vna circa quam versatur scientia, quam propterea vocare solent rationē, quę, talis est mobilitas, vel motus in Philosophia naturali, linea in Geometria, in Arithmetica numerus & in Metaphy. entitas: altera est ratio non considerata à scientia, sed sub qua consideratur præfata ratio, quę atque adeò obiectum ipsum, circa quod scientia versatur: quæ ideo dicitur ratio obiectiua sub qua, & hæc est, quæ constituit obiectum in esse obiecti, quam aiunt esse abstractionem à materia, nunc ergo rationem, quæ, separare scientias volunt non rationē, sub qua, vel (quod idem est) obiectum in esse obiecti: itaq; Metaphysica non distinguitur à Mathematicis, vel naturali Philosophia per entitatem, vt omnino abstrahentem à materia sed per solā entitatem, tanquam per rationem formalem, quæ, nec Philosophia per entitatē concernentē materiam sensibilē, sed per mobilitatē, vel motū secundū se sumptū, sicq; de Mathematicis
124 disciplinis, cæterisq; specialibus scientijs cē sendum est, tot videlicet esse specie distinctas, quot sunt rationes formales diuersæ, quę cōsiderantur, ita tamen, vt quę ad eandem referūtur, vel sub ea comprehenduntur, sub eadem etiam comprehendantur scientia.

Huic sententiæ fauet Scotus in 3 dist. 35. q. 2. §. ad secundum quæsitum, vbi hæc verba scribit. *Quilibet habitus intellectualis, habet vnitatē, ex vnitate sui primi obiecti, in quo habitus virtualiter cōtinetur, sicut in sua causa partiali, sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, &c.* Fauet etiā Durandus in 3 q. prologi, nō longe à principio: vbi ait scientias propriè dictas à solis obiectis, de quibus sunt, distinctionē accipere: adscribitur etiā Nominalibus, sed eā explicat, sequitur, & cōfirmat Paulus Sonzinas 6. meta. q 8. concl. 3. cuius hæc sunt verba. *Vnitas specifica scientiarū non sumitur ex formali ratione obiecti, in quantum est obiectū, sed ex ea, quæ sibi conuenit in quantum est res quædā, &c.* Et magna etiam ex parte D. Tolet. 1. lib poster. q. vnica conclusione secunda affirmante scientias specie distingui, quę de diuersis rebus sunt cum eadem abstractione, vel de eadem re sub abstractione diuersa.

Patroni Scotus. Durand. 125 Sonzin. P. Toletus.

Fauet etiam in primis huic opinioni triplex testimonium Arist. quorū primum habetur 1. lib. posterio c 23 hisce verbis *Vna autē scientia est, quæ est vnius generis, quecumq; ex primis cōponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Vnius autē generis subiectū vocatur absque dubio ratio vna formalis, quā participant vniuersa, quæ in scientia considerantur, & ab eius vnitate sortitur scientia ipsa vnitatem, ac distinctionem specificam.

Cōfirmat. 1. testimon. Aristot. 126.

Secundum testimonium habetur 3. lib. de anima tex. 38. vbi iuxta rerū cōsideratarum diuisionē secari docet scientias, & sensus in verba. *Secatur autē sciētia, & sensus in res, quæ quidē potentia est in eas, quæ sunt potentia, quæ verò actu in eas, quæ sunt actu.* Secari autem idem est, ac distingui, sentit ergo Arist. rationem formalem consideratam seclusa quacumq; abstractione à materia distinguere scientias.

Probatur 2. testimonio Aristot.

Postremum testimonium cōtinetur 4. lib. metaph. in princip. Metaphysicam tanquam vniuersalem scientiam distinguens à particularibus, hac sola ratione, quia vniuersalissimā rationem entis contemplatur, cum tamen particulares circa aliquā eius partē, nempe circa aliquam particularem entitatem versentur, vt Grāmatica, ait, circa voces, sicque de reliquis. Quod testimonium exposuit D. Tho. in fauorem eiusdem sententiæ, ex sola rerum diuersitate, nulla prorsus mentione abstractionis facta distinguentis scientias.

Probatur 3. testimonio D. Thom.

Sed afferamus iam rationes eiusdem Sonzina-

II. Ratio. Secundo, generalis est oppositorum regula, quod si aliquid alicui opponitur cũ omnibus, quæ sunt eiusdem speciei, habet eandem oppositionem: frigidum opponitur calido, & ideò omnibus calidis propter specificam identitatem: sed contingit sæpè numero errorem opponi alicui conclusioni, & non alteri, ergo non erunt eiusdem, sed diuersæ speciei: probatur minor, quia benè potest quispiam errare circa vnam conclusionem philosophiæ, non circa alias, & talis error non omnibus, sed ei soli erit oppositus: vnde infertur specifica earum differentia, atque habituum, quos in intellectu generant, pro hac sententia.

Vera sententia Aristotelis explicatur.

IIII. Sententia Arist. MEdia incedit via Arist. inter præfata extrema, & cum eo vniuersa Peripateticorum schola, separans in primis
93. intellectum, quem vocat habitum principiorum, à scientia, quæ est habitus conclusionum: deinde diuersas scientias, non solum practicas, quæ versantur circa operabilia, & speculatiuas circa speculabilia, sed diuersas etiam speculatiuas, & diuersas quoq; practicas, & id quidem multis suæ doctrinæ locis, sed
Arist. præsertim 6 lib. Metaph text. 2. vbi postquam practicas à speculatiuis separauit, tria speculatiuarum genera distinguit iuxta triplicem modum abstrahendi à materia hisce verbis: *Quare tres vtique erunt speculatiuæ Philosophiæ, Mathematica, Naturalis, Theologia.* Et ad huc sub his generibus diuersas separat species, text. 5. sic inquiens: *Non enim est vna species, neque in scientijs Mathematicis etiam, sed Geometria & Astrologia sunt alicuius naturæ, &c.* t
94. etiam libro de posteriori resolutione cap præsertim 8. & 23. non solum diuersas esse scientias statuit, sed radicem, ac fundamentum necessariæ separationis tradit sic loquens: *omnis enim demonstratiua scientia circa tria est, & quæcumque esse ponuntur, hæc autem sunt genus, cuius per se passionum est speculatiua, & communes, quæ dicimus dignitates, ex quibus primo demonstrant, & tertium passiones, quarum quid significat vnaquaque accipit, &c.* Verba sunt 8 capitis, ad cuius finem hæc etiam subiungit: *Communicant autem omnes scientiæ sibi inuicem secundum communia autem dico, quibus vtuntur, tanquam ex his demonstrantes, sed non de quibus monstrant, neque quod monstrant, &c.* & cap. 23.
95. scientiarũ etiam distinctiua clarius designans ait: *Altera vero scientia est ab altera, quarumcunque principia, neque ex eisdem neque alteris sunt, huius autem signum cum ad indemonstrabilia venerit, oportet enim ipsa in eodem genere esse cum his, quæ demonstrantur.*

Ex quibus testimonijs tale huius sententiæ fundamentũ elicitur: tribus continetur completa ratio scientiæ, subiecto videlicet, quod appellamus scibile, circa quod tanquam circa scopum versatur, passionibus naturam eius consequentibus, ac de eo demonstrabilibus, & principijs, ex quibus demonstrationes construuntur, easdem passiones de eodem subiecto ostendentes, & nihil aliud præter hæc reperitur, quod ad substantiam scientiæ spectare possit, sed tria hæc valdè diuersa sunt in diuersis rerum generibus, ergo scientias essentialiter distinguunt. Probatur minor, diuersa subiecta sunt ens naturale, linea, & numerus, ex quibus diuersæ valde passiones procedunt, & longè ab his diuersa sunt entia omnino immaterialia, motusque expertia, vt Deus optimus, ac substantiæ separatæ, quibus diuersa attributa, ac proprietates conueniunt, lineæ etenim, & numeri proprietates sensibilem materiam, vel motum non concernunt, cum tamen motus proprietas sit entis naturalis ex materia, formaque intrinsece compositi, & separatæ substantiæ, sicut horum omnino expertes sunt, sic proprietatibus, atque attributis spiritualibus decorantur: vnde fit, principia ex eorundem subiectorum natura desumpta non minus esse diuersa: considera obsecro Mathematica principia in primis vniuersalia, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & super quamlibet datam lineam licet triangulum constituere: & rursus specialia, vt definitiones, lineæ, & numeri, & inuenies valde diuersa esse à definitionibus naturæ, & motus, quæ propria sunt principia Philosophiæ Naturalis, ac demum principia Metaphysicæ, cuius est considerare separata à materia, vniuersaliora sunt, & longè ab vtrisque diuersa, ex subiecto autem diuerso, quod ex diuersum scibile, à quo diuersæ prodeunt passiones, ex diuersis item principijs diuersæ conclusiones deducuntur, & ex eis diuersi habitus generantur.

I. Ratio. 96. 97.

Accedit secunda ratio ex virtutum similitudine desumpta, quæ ex diuersis bonis rectæ rationi consentaneis distinguuntur specie, sed sic se habet scibile respectu intellectus, sicut bonum II. Ratio. 98.

99. num rationis respectu voluntatis, ergo non minus scientias distinguit specie, præsertim cum sint virtutes intellectuales, quibus perficitur intellectus, quemadmodum virtutibus moralibus perficitur voluntas, quæ etiam est vniuersalis potentia, habens pro obiecto adæquato totam latitudinem boni, quemadmodum intellectus totam latitudinem veri, par igitur ratio debet esse de distinctione habituum, & virtutum vtriusque potentiæ.

Vltima ratio. Postrema ratio (nisi ego fallor) duarum præcedentium fundamentum est, colligiturque ex propria cōditione scientifici habitus, quam ponit D. Thom. 1 2. quæst. 54. art. 1. vbi intellectum ait esse potentiam passiuam, quæ comparatur ad actum vnius speciei, sicut materia ad formam vnam, vnde sicut hæc determinatur ad formam vnius speciei à tali agente, & ab alio diuerso determinatur ad formam alterius speciei, sic intellectus determinatur à tali agente, quod est obiectum, ad actum talis speciei, & à diuersis obiectis determinatur ad diuersos actus, sed habitus sunt quædam formæ inhærentes potentiæ per modū dispositionis determinantes eam ad talem actum, quemadmodum dispositiones determinant materiam ad talem formam, ergo quemadmodum diuersæ sunt dispositiones inductæ à diuersis agentibus pro diuersis formis, & non vna pro omnibus: pari ratione sunt diuersi habitus, quibus intellectus disponitur ad actus scientiæ diuersos iuxta agentia diuersa, quæ sunt diuersa obiecta, vel scibilia.

Confirmando. 100. Et confirmatur hæc ratio, quia habitus intellectuales sunt quasi radij quidam lucis ab intellectuali lumine ordine quodam deriuati: ita vt quo proximius deriuantur, eo sint perfectiores, atque adeò vniuersaliores: vnde fit, vt intellectus principiorum, qui sine medio aliquo ab eo procedit, & sine medio etiam in proprium fertur obiectum, vniuersalior sit, scientiæ verò ab eo iam procedentes magis à primo lumine elongantur, quasi radij magis distantes, vnde minoris virtutis, atque extensionis sunt ad illustrandum obiecta, quæ proinde minus longè vniuersalia esse necesse est: & habitus ipse scientificus contractior, ita vt non valeat vnus ad scibilia omnia se extendere, sed pro diuersis scibilibus separentur diuersi habitus, quemadmodum in vniuersis rerum generibus, quæ magis distant à primo principio imperfectiora sunt, magisque inter se se diuisa: considera virtutem sensitiuam cognoscitiuam, & videbis quo minus materialem, & magis ad immaterialitatem intellectus accedentem perfectiorem esse, maiorisque proinde extensionis, & idcirco magis vnitam: quo autem magis ab eadem immaterialitate elongatur, debilior, imperfectior, contractior est, magisque diuisa: vna phantasia, vel imagitiua obiecta omnia diuersarum potentiarum inferiorum percipere valet, nempè cogitatiuæ, memoratiuæ, sensus communis, &c. Vnus sensus communis obiecta omnia exteriorum sensuum: sed iam sensitiuam virtutem exteriorem in quinque potentias diuisam cernimus: sic igitur de scientijs iam longè quasi à fonte distantibus necessario dicendū est, minorem extensionem habere, maioremque proinde distinctionem postulare. 101.

De habitu principiorū clara sententia Arist. De habitu autem principiorum luce clarior est sententia Aristotelis, quod à scientijs distinguatur, cum sit earum causa: etenim principia, quibus per talem habitum assentimur, ratio formalis sunt, propter quam assentimur conclusioni, ergo eorum habitus tanquam necessario præsuppositus distinctus est à scientijs. Adde hunc habitum inclinare ad assentiendum principijs sine medio, nam obiectum eius veritas est immediata, habitus autē scientiæ inclinat ad assentiendum eis mediantibus: hæc igitur ratio conuincit distinctionem specificam horū habituum, sicut præcedens realem distinctionem. 102.

Respondetur ad primum primæ sententiæ arg. Neque argumenta primæ positionis probare possunt eorum vnitatem, nam ad formam primi dicendum est, partes cuiusl bet demonstrationis duobus modis esse considerabiles: vno, prout sunt tres propositiones necessariæ, in modo, & figura dispositæ, & iuxta præcepta demonstratoriæ artis compositum quoddam artificiatum constituentes, quod vocatur demonstratio, & iuxta hanc considerationem modum vnius habent principia, & conclusio, ad eundemque habitum Logicæ docentis pertinent, cuius est vsus in omnibus scientijs: alio modo considerantur, vt principia continent veritatem immediatam, cui intellectus ex terminis assentitur, conclusiō verò mediatam, cui assentitur propter eadem principia, quo pacto diuersorum habituum obiecta, & actus sunt, intellectus videlicet, & talis, aut talis scientiæ, iuxta materiam, in qua 103.

proportionibus differentes, quæ omnia licet vere sint sensibilibus cõiuncta, sic profecto cõ
122 siderantur, ac si essent ab eisdem penitus separata, materialem nihilominus conditionem habentia: si demq; ad Metaphysicam, negare non possumus ex ea parte, ab omni gradu materiæ realiter abstrahere, qua separatas contẽplatur intelligentias, ex altera, qua communissimam rationem entis, saltem secundum considerationem: quemadmodum enim, qui animal definit, ac considerat, vt equo, ac leoni cõmune, ab vtroque abstrahere dicitur, quia in tali consideratione speciales eorum differentiæ, ac rationes actu non clauduntur, pari ratione, qui communissimam rationem entis, vt corporeis, atque spiritualibus rebus cõmunẽ contemplatur, nihil profecto de materia sensibili, vel intelligibili, vt tali, considerat: quamuis aliquando sint res vere materiales.

Explicatur & probatur sententia Pauli Sonzinatis, de ratione formali obiecti in esse rei.

I. opinio Soncinat. 123. EX horum notabilium doctrina primam sententiam sic explicãt eius Patroni, duplex est ratio obiectiua, per quam res aliqua pertinet ad scientiam, vna circa quam versatur scientia, quam propterea vocare solent rationẽ, quę, talis est mobilitas, vel motus in Philosophia naturali, linea in Geometria, in Arithmetica numerus & in Metaphy. entitas: altera est ratio non considerata à scientia, sed sub qua consideratur præfata ratio, quę atque adeò obiectum ipsum, circa quod scientia versatur: quæ ideo dicitur ratio obiectiua sub qua, & hæc est, quæ constituit obiectum in esse obiecti, quam aiunt esse abstractionem à materia, nunc ergo rationem, quæ, separare scientias volunt non rationẽ, sub qua, vel (quod idem est) obiectum in esse obiecti: itaq; Metaphysica non distinguitur à Mathematicis, vel naturali Philosophia per entitatem, vt omnino abstrahentem à materia sed per solã entitatem, tanquam per rationem formalem, quæ, nec Philosophia per entitatẽ concernentẽ materiam sensibilẽ, sed per mobilitatẽ, vel motũ secundũ se sumptũ, sicq; de Mathematicis disciplinis, cæterisq; specialibus scientijs cẽ
124 sendum est, tot videlicet esse specie distinctas, quot sunt rationes formales diuersæ, quę cõsiderantur, ita tamen, vt quę ad eandem referũtur, vel sub ea comprehenduntur, sub eadem etiam comprehendantur scientia.

Huic sententiæ fauet Scotus in 3 dist 35. q. 2. §. ad secundum quæsitum, vbi hæc verba scribit. *Quilibet habitus intellectualis, habet vnitatẽ, ex vnitate sui primi obiecti, in quo habitus virtualiter cõtinetur, sicut in sua causa partiali, sicut Geometria dicitur vnus habitus ex vnitate lineæ, &c.* Fauet etiã Durandus in 3 q. prologi, nõ longe à principio: vbi ait scientias propriè dictas à solis obiectis, de quibus sunt, distinctionẽ accipere: adscribitur etiã Nominalibus, sed eã explicat, sequitur, & cõfirmat Paulus Sonzinas 6. meta. q 8. concl 3 cuius hæc sunt verba. *Vnitas specifica scientiarũ non sumitur ex formali ratione obiecti, in quantum est obiectũ, sed ex ea, quæ sibi conuenit in quantum est res quędã, &c.* Et magna etiam ex parte D. Tolet. 1. lib poster. q. vnica conclusione secunda affirmante scientias specie distingui, quę de diuersis rebus sunt cum eadem abstractione, vel de eadem re sub abstractione diuersa. Patroni Scotus. Durand. 125 Sonzin. P. Toletus.

Fauet etiam in primis huic opinioni triplex testimonium Arist. quorũ primum habetur 1. lib. posterio c 23 hisce verbis *Vna autẽ scientia est, quæ est vnius generis, quæcumq; ex primis cõponuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Vnius autẽ generis subiectũ vocatur absque dubio ratio vna formalis, quã participant vniuersa, quæ in scientia considerantur, & ab eius vnitate sortitur scientia ipsa vnitatem, ac distinctionem specificam. Cõfirmat. 1. testimon. Aristot. 126.

Secundum testimonium habetur 3. lib. de anima tex. 38. vbi iuxta rerũ cõsideratarum diuisionẽ secari docet scientias, & sensus in verba. *Secatur autẽ scientia, & sensus in res, quæ quidẽ potentia est in eas, quæ sunt potentia, quæ verò actu in eas, quæ sunt actu.* Secari autem idem est, ac distingui, sentit ergo Arist. rationem formalem consideratam seclusa quacumq; abstractione à materia distinguere scientias. Probatur 2. testimonio Aristot.

Postremum testimonium cõtinetur 4. lib. metaph. in princip. Metaphysicam tanquam vniuersalem scientiam distinguens à particularibus, hac sola ratione, quia vniuersalissimã rationem entis contemplatur, cum tamen particulares circa aliquã eius partẽ, nempe circa aliquam particularem entitatem versentur, vt Grãmatica, ait, circa voces, sicque de reliquis. Quod testimonium exposuit D. Tho. in fauorem eiusdem sententiæ, ex sola rerum diuersitate, nulla prorsus mentione abstractionis facta distinguentis scientias. Probatur 3. testimonio D. Thom.

Sed afferamus iam rationes eiusdem Sonzina-

I. Ratio. Sonzin. zinatis, quibus eam confirmat: diuersæ scien-
tiæ, ait, secundum speciem conueniunt in ea-
dem ratione formali obiecti, in quantũ est ob-
iectum, hoc est, in eadẽ abstractione à materia
ergo ex ea non distinguuntur specie: probatur
128 antecedens in Arithmetica, & Geometria spe-
cie diuersis, & eodem modo abstrahentibus
à materia sensibili: atq; etiam in scientia libro-
rum de cœlo, ac de generatione, quarum vtra-
que concernit materiam sensibilem, & mo-
tum.

II. Ratio Et ex hac prima ratione colligit secundã. Scientiæ distinguuntur ex ratione formali obiecti, vt cum Aristot. fatentur omnes, non ex ratione formali, sub qua, vt probat ratio præcedens, ergo ex ratione formali, quæ, nam præter has non est alia ratio obiectiua.

III. Ratio. Probat tertio: nam cum demonstratio ge-
neret scientiam, ab eodem erit accipienda di
stinctio specifica scientiarum, à quo sumitur
specifica distinctio demonstrationum: sed de-
129 mõstrationes distinguũtur specie per diuersa
principia, ex quibus scientifica deducitur con
clusio, ergo ab eisdem erit accipienda distin-
ctio scientiarum. Tunc vltra: diuersa principia
oriuntur ex diuersa ratione formali obiecti,
quæ consideratur, ergo hæc est, quæ primo di-
stinguit scientias: probatur vltimum antece-
dens, quia ratio formalis obiecti est ipsa e-
ius quidditas, ipsaque eius definitio, quæ pri-
mum principium est, per quod demõstrantur
passiones de subiecto: & certe à ratione forma-
li obiecti, quæ cõsideratur, oriuntur passiones,
vt ab entitate vnitas, & bonitas, à rationalita-
te capacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas
hæc igitur, & non alia est formale obiectum
distinguens scientias.

Opinio Capreoli, & aliorum sumens vnitatem scientiæ à diuerso modo abstrahendi à materia.

II. opinio. OPinio secunda ex diametro pugnat cũ
prima statuens, non sufficere ad distin-
ctionẽ scientiarũ specificam diuersam
rationẽ formalem, quæ, nisi accedat diuersa ra
tio, sub qua, cõstituens eandem in ratione for-
130 mali obiecti scibilis, quæ proinde, si diuersa
sit, diuersum obiectum scibile constituet, etiã
si eadem sit ratio, quæ consideratur: hanc au-
tem rationem, sub qua, affirmat esse abstracti o
nem a materia sicut præcedens opinio: vnde
infert, diuersas esse sciẽtias, iuxta diuersam ab-
stractionem à materia, diuersa est Metaph. à
Philosophia naturali, quia ab omni materia
abstrahit, & hæc à Mathematicis disciplinis,
quia materiam sensibilem concernit.

Huius sentẽtiæ sunt Capreolus q. 3 prolog. Huius sent. Patroni.
concl 2. & 3. Deca Hispalens. ibi. art. 1. & 3 not.
5 & 6. Caie 1. l. post. cap. 22 q 1. & 1. p. q. 1. art. 3.
Sot. itẽ q. 3. prooemiali 1 lib. poster. c. 25. q. vni-
ca, & 1. Physicorum q. 2. Iabellus 6. metap. qu. 7
Patres demum Conimbricenses in prooem.
physicorum qu. 1 art. 3. & 4 & aliqua ex parte
P. Toletus vbi sup. in quantũ abstractionem à
materia cõcurrere docet ad scientiarũ distin- 131.
ctionẽ: pro eadẽ suo modo refertur à quibus-
dam Sonzinas 6. Metaph. q 8. sed quam longe
sit ab ea, oppositam expresse tenens, iam vi-
dimus.

Aduersus prædicta proponitur obiectio.

CAEterum quia statim posset quis aduer- Obiectio. sus hanc sententiam obijcere, tres dumtaxat esse scientias specie distinctas, cũ triplex sit solum abstractio à materia, nempè Metaphysicam, naturalem Philosophiam, & Mathematicam, quæ vna erit, Geometriam, & Arithmeticam sub vnitate comprehẽdens, siquidem vna est earum abstractio à materia sensibili, quod multis modis falsum ostendi potest.

Occurrũt Patres Conimbricenses huic ob- Solutio.
iectioni dicẽtes, esse quidẽ tres gradus generà-
les scientiarum iuxta triplicem gradum abstra 132.
ctionis etiã generalẽ, sed alias esse speciales ab
stractiones, vt in Mathematicis disciplinis re-
peritur abstractio a materia sensibili, qua Geo-
metria continet, & maior alia, nẽpe à materia
intelligibili, in qua constituitur Arithmetica:
nã proportiones numerorũ, non solũ in rebus
corporeis, sed etiã in spiritualibus repeniũtur,
ergo scientia, quę eas contemplatur, non solum
à materia sensibili, sed etiam intelligibili ab-
strahit: de quib' alij id saltẽ verũ esse docẽt in-
tra latitudinem abstrahẽdi à materia sensibili
magis abstrahere Arithmeticam: quia cũ nume-
rus fiat ex diuisione cõtinui tanquã ex materia
abstrahit ab eiusdẽ cõtinuis materialitate: sciẽ-
tię itẽ mediæ inter pure Mathematicas, & natu 133
ralẽ Philosophiam, in media etiã abstractione
versantur, vt Perspectiua, & Musica, nam ex ea
parte, qua obiectũ subalternatæ scientiæ clau-
dũt, à materia sensibili abstrahere necesse est,
ex ea verò, qua sensibilẽ conditionẽ ei adiun-

gunt,

diuersæ conclusiones, & scientiæ, diuersæ, inquam, ex æquo, & nō sicut diuersæ partes eiusdem totius, quia in nullo conueniunt (vt vidimus) negandū est ergo eandem semper esse scientiam de vniuersali obiecto, ac de particularibus sub eo contentis, ac proinde, quod vna sit omnium rerum, nec pro simplice habitu, nec pro composito ex multis partibus.

QVAESTIO QVARTA.

A quo scientiarum vnitas, atq; distinctio accipienda sit.

Titulus quæstionis. SI ita est, vt quæstione præcedenti fuit constitutum, quod scientiarum vnitas non est omnimoda, ita vt vnica sit omnium

111. rerum scientia, sed nec tanta distinctio, vt pro singulis conclusionibus singuli habitus scientiarum ponendi sint: oportebit indiuisibilem (vt ita loquamur) metā statuere, quam vnitas, & distinctio sic attingant, vt non transgrediantur, atque ita fiat, vt certo sciamus, quænam scientiæ sint distinctæ, & quæ sub vnitate comprehendantur, & eiusmodi constitutiuum, ac distinctiuum quærit titulus quæstionis.

Triplex vnitas ac distinctio scientiarū. Quam metam vt notiorem efficiamus, triplex vnitas, ac distinctio scientiarum distinguenda est: possunt namque distingui scientiæ sicut res quælibet numero, specie, & genere,

112. & quidem de distinctione numerica dissidium nullum est inter Doctores cunctis affirmantibus à subiecto esse accipiendam, non secus, atque in cæteris accidentibus, ita vt vna numero sit scientia, quæ in eodem est intellectu, distinctæ verò, quæ in diuersis inhærent: distincta numero est Dialectica Petri ab ea, quam Ioannes adquisiuit, sicut diuersa numero albedo vtrique inest: controuersia igitur non procedit de hac vnitate materiali, sed de formali generica, aut specifica, & de hac præsertim vltima, quæ sola talis simpliciter vocatur: distincta etenim formaliter communi totius scholæ voce dicuntur, quæ specie distinguuntur, & vnum simpliciter vnitate formali, si eandem specificam essentiam participent, solum secundum quid, quæ eiusdem generis sunt: constitutiuum igitur, ac distinctiuum scientiarum secundum speciem primo inuestigamus, consequenter genericum, quia vtrumque suo modo necessarium est.

Nota. Vnum est in doctrina Aristotelis certum, (quod ab vniuersis opinantibus recipitur) videlicet scientiarum vnitatem, atq; distinctio- 113.
nem genericam, & specificam ex diuerso actu, & obiecto secundum genus, vel speciem accipiendam esse, non secus, ac vnitatem, & distinctionem potentiarum: de vtrisque enim potentijs scilicet, & habitibus accipitur ab vniuersis interpretibus illud, quod habetur primo lib. de anima text. 10. & lib. 2 text 33 vbi de potentijs animæ acturus Aristoteles, prius de actibus, atque obiectis earum statuendum sibi, tanquam de prioribus, à quibus essentialem rationem accipiunt, hisce verbis decernit: *Si autem oportet dicere quid vnumquodque ipsorum, vt quid intellectiuum, aut sensitiuum, aut vegetatiuum, prius adhuc dicendum, quid sit intelligere, & quid sit sentire: priores enim potentijs actus, & operationes secundum rationem sunt, si autem sic, his autem adhuc priora obiecta oportet considerasse, de illis primum vtique oportebit determinare propter eandem causam, vt de alimento, & sensibili, & intelligibili, &c.* quæ elucidans D. Thom. quæst 2 de virtutibus, art. 4. ita ait: *Vnitas cuiuslibet potentiæ, vel habitus ex obiecto consideranda est, & hoc ideò, quia potentia hoc ipsum quod est, dicitur in ordine ad possibile, quod est eius obiectum, & sic ratio, & species potentiæ ex obiecto accipitur, & similiter est de habitu, qui nihil est aliud, quam quædam dispositio potentiæ perfectæ ad suum obiectum, &c.* Arist. 114.

Notabilia ad explicandam quæstionis difficultatem, & diuersitatem opinionum.

Notabilia. SEd hinc ortum habuit opinionum diuersitas, quia non ex eodem principio, sed ex diuerso posuerunt diuersi interpretes Aristotelis accipiendam esse distinctionem actuum, & obiectorum, & ex consequenti habituum, atque scientiarum. 115.

Quidam enim non ex alio, sed ex propria eius natura, & conditione

Tria consideranda in obiecto potentiæ primum ubicabile. Quorum sententiam vt intelligamus obseruandum est: primo tria esse consideranda in obiecto alicuius potentiæ vel habitus, primum id, quod pure materiale est, secundo formam, quam in eo percipit potentia ipsa, vel habitus, tertio rationem sub qua percipitur, vt in obiecto potentiæ visiuæ consideramus

Aliorum solutio. gunt, sensibilem etiam materiã concernunt.

Quibus addunt alij, qui naturalẽ Philosophiam in plures scientias secãt, nẽpe in scientiam de ortu, & interitu, de cœlo, & mundo, & de anima, quãlibet harũ diuerso modo concernere materiã sensibilem: minus namq; scientia de anima, tali materiæ immersa est, magis

134 scientia de cœlo, & vtraq; materialior scientia de generatione: & ex diuersa participatione huius gradus generalis concernẽtis materiam sensibilem diuersas rationes scibiles habere earũ obiecta, sufficientes distinguere scientias, atque ita fit, vt in quibuscunq; diuersis scientijs, diuersa quodam modo abstractio à materia reperiatur.

Fundamenta eiusdem sententiæ afferuntur.

Patet primo testimonio Aristot. QVibus expositis primum fundamentũ huius sententiæ est celebre illud Aristo. testimonium 6 meta. tex. 2. & 3. eos gradus abstractionis distinguẽs: & iuxta illud scientias, quod vsq; adeò efficax est, vt hãc sententiam distinguentẽ sciẽtias iuxta diuersum modum abstrahendi à materia primũ in scholam inuexisse videatur, fauet etiam eidem sententiæ D. Tho eosdem gradus, candẽq; distinctio-

135 nem scientiarum penes illos approbans multis suę doctrinæ locis, præsertim opusc. illo 70. & 1. lib physic. lect 1.

I. Ratio. Sed rationibus non infirmis probatur. Primo, quo sciẽtia abstractior est, certior est, atq; euidentior, ergo distincta specie ab ea, quæ minus abstrahit, vnde diuersa abstractio cõstituet diuersam scientiam: antecedens reperitur expressum apud Arist 1. lib. poster c. 23 in princ. vbi sic loquitur. *Scientia autẽ est certior, & prior sciẽtia quæ ipsius quod. & propter quid est, & quæ nõ de subiecto est ea quæ de subiecto, &c.* Scientiã autẽ de subiecto vocat (vt in expositionibus eiusdẽ capitis adnotauimus) eam, quæ materiã

136 sensibilem concernit, scientiam autem non de subiecto, quę a tali materia abstrahit, vt etiam exemplũ de Arithmetica, & Musica statim subiunctũ ostendit: illa enim, vt pote abstractior, certitudine Musicã superat materiæ sensibili immersam: probatur idem antecedens eiusdem ratione, nã quo scientia abstractior est, minus subditur mutationibus, ergo habet, obiectum magis immutabile, magisq; proinde certum, ac necessarium.

II. Ratio. Secundo, scientia capit speciem ab obiecto formali, quemadmodum potentia, sed obiectũ formale scientiæ est scibile, sub ratione formalis scibilis, à quo ergo cõstituitur obiectũ in esse scibilis, ab eo constituetur scientia, in esse 137 talis scientiæ à cæteris distinctæ, sed eiusmodi est abstractio à materia, hæc igitur tribuet vnitatem, ac distinctionem specificam scientijs: probatur minor (nã cætera satis constat) intellectus est potẽtia immaterialis, ergo immateriale quoq; debet esse eius obiectum, ex modo saltem, quo ab ea percipitur: scibile igitur aliquid est in quantum immateriale, & rursus in quãtum incorruptibile, atque perpetuum, sed omnes has conditiones sortitur, in quantumà materia abstractũ, vt constat, ergo per abstractionem à materia tribuit speciem scientiæ, & per diuersam abstractionem vnam scientiam distinguet ab altera.

Tertia opinio sumens vnitatẽ obiecti scientiæ ab obiecto formali in esse scibilis.

TErtia sententia cõcurrere quidem diuersam abstractionem ad distinctionẽ sciẽ- Tertia sent. tiarum specificam arbitratur, vt præcedens posuit, sed non esse rationem formalem 138 distinguentem, nisi addatur diuersum lumen, à quo illustratum obiectum cõstituitur in ratione formali scibilis, & si diuersum sit lumen, diuersa erit ratio scibilis, diuersaque proinde constituetur sciẽtia, itaque obiectum sub tali abstractione consistens, in quantum tali illustratur lumine, constituit talem scientiam, 139 ac distinguit ab alijs, quia sub tali lumine cognosci est ratio, sub qua, obiectiua distinguuntur autem lumina iuxta diuersos gradus abstractionis, ita vt illud obiectum, quod concernit materiam sensibilem, sub lumine externorum sensuum cognoscatur, à quibus initium sumit scientifica rerum sensibilium notitia, & hoc appellant lumen Physicum, sub quo cognitum obiectum materiam sensibilem concernens, naturalem scientiam constituit, ac distinguit à cæteris: obiectum autem abstrahens à materia omnibus modis, sub lumini intellectuali (quod Metaphysicum vocant) innititur, ideo huic scientiæ speciem confert, & ab alijs separat: illud demum, quod à materia sensibili abstrahens intelligibilem concernit, innititur lumini interioris sensus, videlicet imaginatiuæ potentiæ, quod Mathematicum 140 vocatur, nam constitutio, ac proportio figurarum, & numerorum à Mathematicis disciplinis considerata ex interiorũ sensuum viribus

bus potius, quam ab exterioribus profecta est: merito ergo sub tali lumine illustratum obiectum Mathematicis disciplinis speciē tribuere dicitur.

Hanc sententiam sic explicatam primus inuenisse dicitur M. Bañes. 1 part. quæst. 1. articul 3 quem sequitur ibidem Zumel, quæst. 2. notabil. 2.

Vnicum fundamentum huius tertiæ sententiæ.

Fundamentum huius sententiæ.

CVius illud (nisi ego fallor) potissimum fundamentum est, quod obiectum in tantum est cognoscibile, in quantum aliquo lumine illustratur, cum cognitio quælibet quasi quædam illuminatio sit, ergo in tan-
141. tum erit scibile, in quantum lumine scientifico illustratur: lumen autem intellectuale scientificum generale cum sit, diuerso modo obiectum illustrat, atque in esse scibilis constituit per comparationem ad sensus, quorum ministerio iuuatur, quo ergo obiectum magis, vel minus sensibilibus permixtum est, perfectius, vel minus perfecte illustratur, perfectioremq; rationem scibilis consequitur, vel minus perfectam, ac de primo ad vltimum nobiliorem, vel minus nobilem constituit scientiam: & si omnino sit à sensibilibus abstractum, perfectissimam, qualis est Metaphysica: valde igitur consentaneum est scientiarum naturæ, vt à nobis sensuum ministerio comparantur, specie distingui per diuersa lumina sic explicata.

Vltima, & vera sententia, vnitatem scientiæ petens ex diuersitate principiorum.

Quarta sententia, & vera.

POstrema tandem sententia tenet scientias distingui specie per diuersa principia, quæ sic explicanda est. principia scientiæ duplicia sunt, incomplexa quidem, atque intrinseca, eiusmodi sunt partes subiecti essentia-
142 les, ex quibus componitur, vt materia, & forma, seu genus & differentia, quibus carebit, si sit omnino simplex, sicut Deus Optim. alia sũt principia complexa, & quasi extrinseca, in hoc sensu, quod non pertinent ad quod quid est subiecti, sed sunt propositiones per se notæ, & quasi primæ veritates, in quibus continentur conclusiones, & à quibus per demõstrationes deriuantur, & ab his principijs accipitur distinctio scientiarum iuxta hanc sententiam, non à primis, nam idem esset ab eis distingui, atque 143.
ab obiecto materiali, siue à ratione formali, quæ consideratur in scientia, hæc namque essẽtia ipsius subiecti est, cuius intrinseca principia sunt partes essentiales, Itaque illæ censentur distinctæ scientiæ secundum speciem, quarum sunt distincta principia, vt Metaphysica distincta à naturali propter principia vtriusq; diuersa.

Expressa D. Tho. mens.

Hæc est expressa sententia D. Tho. 2 lib posterior. lect. 41. & 1. 2. quæst. 54. art. 2. ad 2. vbi ita loquitur. *Tota virtus demonstrationis, quæ est syllogismus faciens scire, dependet ex medio, & ideo diuersa media sunt sicut diuersa principia actiua, secundum quæ habitus scientiæ diuersificantur, &c.* Quẽ sequũtur Ferrar. 2. contra gentes, ca. 4 &
Paulus Venetus tractatu de syllogismo demonstratiuo cap. 12. pro hac etiam sententia referuntur Scotus, Durand & Gabriel, cum cæteris Nominalibus in prologo sententiarum, quæst. 144
3. & 8. sed quam longe sint ab ea, videbit, qui eos his locis consuluerit: quid autem Scotus, & Durandus de hac re al js in locis senserint, in fauorem profecto primæ opinionis eam referentes attulimus.

Reputatur in primis hic modus distinguendi scientias ab Aristotele inuentus, atque expressus. lib. posterior. cap. 23 tex. 43 vbi de vni- 145.
tate, ac distinctione scientiarũ ex professo disserens duas præscribit regulas, vtranq; cognoscendi, priorem quidem pro vnitate, his ce verbis contentam *Vna autem scientia est, quæ est vnius generis, quæcumque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se, &c.* Posteriorem vero pro distinctione sic habentem. *Altera vero scientia est ab altera quarumcunque principia, neque ex eisdem, neque alteræ ex alteris sunt. huius autem signum, cum ad indemonstrabilia venerit, oportet enim ipsa in eodem genere esse cum his, quæ demonstrantur. signum autem, & huius est ea, quæ monstrantur per ipsa, in eodem genere sint, & cognata, &c.* Ex his duabus regulis, non minus certe difficilimis intellectu, quam veris, hausit D Tho. propriam sententiam, quam nõ solum vt probabilem, sed tanquam veram amplectimur, germanum in primis vtriusq; regulæ sensum ex his, quæ D. Tho. in earundem explicationem attulit lect. 41. commentariorum elicientes, ait autem sic. *Sciendum est, quod materialis diuersitas obiecti non diuersificat habitum,* 146.
sed solum formalis: cum ergo scibile sit proprium obiectum scientiæ nõ diuersificabuntur scientiæ secundum

dum diuersitatem materialem scibilium sed secundum diuersitatem eorum formalem sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur. ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. & ideò
147 *quantumcunq; sint aliqua scibilia diuersa per suam naturam, dummodo per eadẽ principia sciantur, pertinent ad vnam scientiam, quia nõ erunt iam diuersa in quantũ sunt scibilia: sunt enim per sua principia scibilia sicut patet, quòd voces humanæ multũ differunt secundum suã naturam à sonis inanimatorum corporũ, sed quia secundũ eadem principia attẽditur consonantia in vocibus humanis, & sonis inanimatorũ corporũ, eadem est scientia Musicæ, que de vtrisq; considerat si vero sint aliqua eadem secũdum naturã, & tamen per diuersa principia considerentur, manifestũ est, quod ad diuersas scientias*
148 *pertinent, sicut corpus Mathematicũ non est separatũ subiecto à corpore naturali quia tamẽ corpus Mathematicũ cognoscitur per principia quantitatis, corpus autẽ naturale per principia motus, non est eadẽ sciẽtia Geometria, & naturalis patet ergo, quod ad diuersificandum scientias sufficit diuersitas princi-*
149 *piorum, quã comitatur diuersitas generis scibilis, ad hoc autẽ, quod sit vna scientia simpliciter vtrunque requiritur. & vnitas subiecti, et principiorum, &c.* Hæc D.Tho. pro scientiarum distinctione.

Triplex conditio, vt aliquid sit vnum genus subiecti.

SED pro vnitate docuit Aristot. vnam esse scientiã, quæ est vnius generis subiecti, vt autem explicet, quid sit vnum genus subiecti, adnotat secundo triplicem conditionem posuisse, quã necesse est concurrere, vt aliquid tale dicatur.

Prima. Prima est: vt habeat aliqua priora, per quæ aliquid de eo demonstrari possit: quasi dicatur,
150. quod talis sit conditionis, vt ab eius essentia aliqua principia accipi possint priora eis, quæ de eo demonstranda sunt: cuius conditionis talem rationem attulit D.Tho. quia processus noster scientificus, quidam motus rationis est ex prioribus, & notioribus procedens ad posteriora, & minus nota ostendenda.

Secunda. Secunda cõditio est, vt habeat partes, essentiales quidem vt materiam, & formã vel saltẽ subiectiuas, nam aliquando contingit simplex adeò esse obiectum scientiæ, vt neq; ex materia, & forma, neq; ex genere, & differẽtia sit cõpositum, vt de vniuersalissimo ente patet, sed tunc habet partes subiectiuas, id est, per inferiora, ratio eius participatur: & ex hac duplici cõditione sat apertè colligitur loqui Aristot. 151.
de sola scientia à nobis adquisita, & rerum quidem aliquo ex his modo compositarum: nam substantiæ separatæ veram de se ipsis scientiã habent, & non per discursum ex communibus principijs procedentem, sed per quandam simplicem, atque intuitiuam notitiam, per quam vnico quasi intuitu, essentiam, & proprietates, vel attributa cognoscunt, & quidem valde similem visioni nostræ corporeæ, quæ simplex est etiam, atque intuitiua notitia rei visibilis, ex vniuersalioribus, vel prioribus principijs minime procedens.

Posterior conditio est, & ad quã totus processus scientificus terminatur, quod subiectum scientiæ passiones, vel proprietates habeat à propria essentia emanantes, eaque proinde posteriores, ac de se per propria, & vniuersaliora principia demonstrabiles: neque enim alio modo comprehensiuam alicuius rei notitiam assequimur, nisi his proprietatibus hoc modo à priori cognitis, res igitur cũ his tribus conditionibus desumpta vnius generis scibilis vocatur ab Aristotele, non quod vere genus sit prædicabile, cum sæpe numero in atoma specie reperiantur, sed per similitudinem ad genus prædicamentale, quod quasi caput est, à quo tota ipsa coordinatio prædicamentalis deriuatur, vt substantia, quantitas, &c. & pariter ab obiecto secundum essentiam desumuntur principia, deriuantur passiones certo quodã ordine, prima videlicet proxime, & ea mediante secunda, vsque ad vltimam, vnde ex subiecto principijs, & passionibus fit quædam coordinatio scientifica prædicamentali similis, cuius caput, videlicet subiectum, iure vocatur genus scibile, licet aliquando sit atoma species, quemadmodum caput prædicamenti genus prædicamentale, ex cuius vnitate, tanquam ex obiecto formali, vnitas scientiæ desumitur, & quia formalem ratione scibilis habet ex principijs per quæ notitia scientifica cognoscitur, merito ex principiorum diuersitate scientias distingui specie docuit Aristotel. quæ si diuersa fuerint, diuersa erit essentia rei saltem formaliter, à qua desumuntur diuersæ passiones demonstrabiles, atque adeò diuersum genus scibilis, vt bene etiam aduertauit D.Tho.

Tertia. 152
153.

(..)

Quomodo concurrat abstractio ad unitatem scientiæ.

ABstractio autem à materia, tanquam conditio necessaria concurrit ad constitutionem obiecti formalis constituentis, ac distinguentis scientias: non secus, ac apprehensio finis, tanquam necessaria conditio requiritur ad obiectum, atque actus voluntatis, & quemadmodum ex diuerso modo
154. apprehendendi finē variatur bonitas obiecti, ratio, atque essentia actus voluntatis, cuius nihilominus vnitas, ac distinctio specifica non ex apprehensione, sed ex apprehensa bonitate accipitur: pari ratione variata abstractione variantur principia, & passiones, variatur res ipsa, secundum formalem rationem scibilis,
155. ac denique scientia ipsa, cuius nihilominus vnitatem, ac distinctionem specificam non ex abstractione, sed ex formali ratione, atq; vnitate obiecti scibilis desumpsere Aristoteles, & D. Thom.

Explicatur dubium quoddam. Quod autem dicimus, variata abstractione variari scientiam, de gradu essentiali, seu formali eiusdem abstractionis, non accidentali, accipiendum est: gradum autem essentialem vocamus triplicem, illum, quem Arist. constituit abstrahendi à materia singulari, sensibili, & intelligibili, quia verè est triplex diuersus modus formalis abstractionis: accidentalem verò quando habet maiorem, vel minorem abstractionem intra latitudinem singulorum graduum, contingit enim intra latitudinem abstrahendi à sola materia singulari, & con-
156. cernenti sensibilem, aliquid esse magis, vel minus abstractum, vt inter partes Philosophię in isto gradu abstractionis constitutas, quodammodo magis abstrahit tractatus de anima, quam de cœlo, & iste magis quam tractatus de ortu, & interitu, cum minus materialia sint cœlestia corpora, quam corruptibilia: sed non propterea diuersas scientias, vel habitus etiam partiales constituunt, vt quæstione sequenti ostendetur, cum obiectū totius Philosophiæ, sub quo continentur, vnitatem specificam atomam habeat in genere scibilis, & huius ratio manifesta est. Quia sicut magis, & minus in rebus latitudinem gradualem ha-
157. bentibus, non variat speciem, pari ratione neque intra latitudinem eiusdem gradus rationem formalem abstractionis, vel modi abstrahendi non variat magis, vel minus abstrahere, sed accidentalis duntaxat differentia est per omnia similis ei, quam efficit magis, & minus intra latitudinem albedinis: vnde fit, talem differentiam abstractionis accidentalem non posse distinguere essentialiter scientias, etiam si dicatur per diuersam abstractionem separari.

Corollarium. Hinc est quod Geometria, & Arithmetica, Perspectiua, & Musica, non sunt diuersæ scientiæ, propter aliquam maiorem abstractionem 158.
à materia (si eam habent) nam gradualis hæc differentia, cum reperiatur intra eundem modum formalem abstrahendi à materia sensibili, vel certè intra eundem modum formalem abstractionis mediæ, quem posteriores scientiæ participant, non variat speciem, vel modum essentialem abstrahendi, atque adeò nec scientias ipsas essentialiter distinctas ostendit: sed ex eo distinguuntur, quia sub eodem modo formali abstractionis diuersa principia habent, à quibus diuersum genus scibilis sortiuntur obiecta, vnde fit, vt quando dicimus variato modo formali abstrahendi variari quoque scientiam, non sit in eodem sensu accipiendum, vt dum non variatur, non distinguantur scientiæ, hoc enim planè falsum esset, cum sufficiat principiorum diuersitas adhuc sub eodem gradu abstractionis scientias essentialiter separare: eodem namque modo à materia abstrahunt naturalis Philosophia, & 159.
Theorica, Medicina eodem item moralis Philosophia, de quarū essentiali distinctione nemo dubitat.

Resolutio quæstionis duplici assertione statuitur, & stabilitur.

Resolutio difficultatis. EX vniuersa hac doctrina iuxta mentem Aristotelis, & D. Thom. exposita deducitur duplex assertio propositæ quęstioni satisfaciens.

I. Assertio. Prior est per diuersos gradus formalis abstractionis à materia, separantur gradus essentiales scientiarum, in quo sensu posset dici genericam distinctionem scientiarum sumi a diuersis abstractionibus.

II. Assertio. Posterior. Propriè loquendo, nec genere, nec specie distinguuntur scientiæ per diuersas abstractiones, aut per diuersa lumina, aut di- 160.
uersa obiecta in esse rei, sed per diuersa principia, vel quod idē est, per diuersum genus subiecti, vt eisdem verbis Aristotelis vtamur.

Assertio

Assertio prima quantum ad vtramque partem satis est apud Aristotelem, & vniuersam eius scholam manifesta. Aristoteles enim 6. Metaphys. text. 2. per diuersos modos abstrahendi à materia triplicem gradum speculatiuæ scientiæ separauit, sub quorum primo collocauit Metaphysicam tanto vniuersaliorem cæteris, quanto abstractiorem à materia: sub secundo Mathematicam, in Arithmeticam, & Geometriam diuisam, ac sub tertio naturalem Philosophiam, ad hos autem tres gradus cæteræ omnes referuntur speculatiuæ scientiæ: nam ad Metaphysicam reducitur Dialectica modo simili à materia abstrahens: licet enim circa omnium scientiarum materiã vagetur, in quantum vocatur vtens, sed in quãtum docẽs est (quo pacto proprijssime est scientia) propriam habet materiam, videlicet operationes intellectus, quas ordinat, ac dirigit, & quarum naturam simul speculatur, & ex conditione priori vere, & proprie est scientia practica: ex posteriori vere speculatiua, sed vtrumque habet sub quadam ratione superiori, atque eminenti (vt suo loco stabilitum reliquimus) ad naturalem Philosophiam refertur Medicina Theorica eodem modo abstrahens à materia singulari, & concernens sensibilem: atque etiam mediæ scientiæ ex ea parte, qua obiecta Mathematicarum disciplinarum determinant ad materiam sensibilem, vt Perspectiua, & Musica, & si quæ sunt aliæ his similes, quæ ex parte etiam reduci possunt ad easdem Mathematicas, in quantum earum obiecta claudunt: & quia gradus isti scientiarum generales sunt, sub quibus non repugnat diuersas scientias speciales contineri, in hoc sensu dici posset per diuersam abstractionem à materia genere distingui scientias.

Probatur I. assertio ex Arist.

161

162

Sed quod propriè loquendo, nec genere, nec specie distinguantur scientiæ per diuersum modum abstrahendi à materia (quod primo affirmat assertio posterior:) probatur de distinctione generica (quam plane in scientijs impossibilem reputamus) nam genere distinguuntur diuersa genera diuersorum, vel vel eiusdem prædicamẽti in varias species per differentias essentiales diuisa, sed nulla datur scientia, nullusvè habitus, qui in plures distinctos specie diuidatur: ergo nulla datur scientia genere vna, nec proinde genere distincta ab alijs. Probatur minor, quia & si materiale obiectum scientiæ genus esse possit, vel quid generibus vniuersalius, vt constat de ente, & ente mobili, formaliter tamen consideratum, vel in esse scibilis, quo pacto vnitatem, ac distinctionem ei conferre potest, specificam habet, atomamvè vnitatem, à qua necesse est vnam esse sciẽtiam etiã vnitate speciei atomæ: quælibet enim sciẽtia, quantumlibet vniuersalis, determinata, atque specialia habet principiã, & in alia minimè diuisibilia, ex quibus speciales inferuntur conclusiones, & à quibus cum materiale obiectum accipiat rationem formalem scibilis, necesse est specificam, & nõ genericam accipere vnitatem, & eandem conferri ipsimet sciẽtiæ: & vt rem in pauca conferam, si quælibet scientia quantumlibet vniuersalis est vna vnitate speciei atomæ, & repugnat esse vnam vnitate generica, pugnabit profecto cũ scientiarum natura, & vnitate dari sciẽtias genere distinctas, quanquam sub diuersis gradibus generalibus collocentur: & ratio hæc non solum probat impossibile esse dari vnam sciẽtiam genere in plures alias specie totali diuisam, quod necesse esset, vt vna genere simpliciter vocaretur: sed nec in plures species partiales, quatũ ratione diceretur vna genere secundum quid, nam principiorum, & obiecti scibilis formalis, & specifica vnitas prorsus tollit distinctionem specificã partium, vt copiosius ostendimus quæst. proœmiali 3.

Quod nõ distinguãtur sciẽtiæ nec genere, nec specie per abstractionem probatur.

164

Probatur scientias non distingui genere per abstractionem.

SED iam quod talis vnitas scientiarum generica daretur: probatur efficaciter non distingui scientias genere per diuersam abstractionem à materia: quia abstractio à materia non est formalis ratio obiectiua, quæ, neque sub qua, non quæ, cum nec sit res considerata scientia, nec de qua probantur passiones, sed de entitate, de linea, & numero: nec etiam, sub qua, nam quemadmodum ratio sub qua obiecti intellectus est intelligibilitas, & visus visibilitas: sic ratio sub qua obiecti scientiæ est scibilitas (vt sic liceat loqui) sed res nõ est formaliter scibilis per talem abstractionem à materia (licet hæc tanquam conditio requiratur) sed in quantum sub talibus principijs cognoscitur, vt bene adnotauit D Thom. ex mente Aristotelis, ergo ab eis, & non à tali abstractione capit rationem formalem, sub qua, obiectiuam, atq; specificantem sciẽtiam. 165

166

Scientias non distingui specie penes abstractione probatur.

Et eadem ratio efficacius probat specificam distinctionem scientiarum non esse ex diuersa abstractione à materia accipiendam: quod est secundum in nostra conclusione assertum, & probatur.

Secundo, quia sub eodem gradu abstractionis reperitur diuersitas scientiarum specifica, ergo abstractio non separat scientias esse specie. Probatur antecedens: quia sub infimo gradu reperiuntur, naturalis, & moralis Philosophia, & medicina, sub eodem etiam gradu abstractionis à materia sensibili Geometria, & arithmetica, & sub abstractione media Perspectiua, & Musica: quod enim hac in parte affirmant patroni secundæ opinionis, videlicet scientias pure Mathematicas, quales sunt Geometria, & Arithmetica: diuerso modo abstrahere à materia, nam Geometria, solum abstrahit à materia sensibili, Arithmetica vero à materia intelligibili, quia proportiones numerorum considerat, quæ non solum in numero magnitudinum, sed etiam rerum spiritualium reperiuntur. Aristoteli in primis contrarium est, qui vtramque Mathematicam in secundo gradu abstractionis à materia sensibili collocauit, in quo etiam vniuersa schola eas collocat. Deinde aduersatur rationi, quia si Arithmetica non solum à materia sensibili abstraheret, sed etiam à materia intelligibili, in eodem gradu abstractionis, ac Metaphysica constitueretur, & si verum est, specificam distinctionem scientiarum ex diuersa abstractione à materia accipiēdam esse, vt profitetur eadem sententia, sequitur planè non distingui specie Arithmeticam à Metaphysica, cum idem sit modus abstrahēdi a materia vtriusque scientiæ, supremus videlicet, à materia sensibili, & intelligibili, quod patet esse falsum. 167

Occurritur solutioni contrariorum.

Nec soluitur argumentum, si dicatur, adhuc in his aliqualem diuersitatem inueniri, quia intra latitudinem abstractionis à materia sensibili abstractior est numerus, vtpote a materialitate continui, ex quo fit, abstrahens, & intra latitudinem mediæ abstractionis abstractior est numerus sonorus, quam visualis linea.

Hæc inquam solutio non satisfacit, primo quia in primis tribus scientiis, vtraque videlicet philosophia, & Medicina, non est talis differentia, sed neque in scientiis medijs, nam & si numerus secundum se abstrahat à materia sensibili, vt sonoro coniunctus (quo pacto Musicæ obiectum est) nullo modo abstrahit, sed eam omnino consequitur, linea etiam secundum se abstrahens, vt visui iuncta pertinens ad Perspectiuam, cohæret: quemadmodum animal secundum se abstrahit ab homine, equo, & leone, sed vt coniunctum differentijs minime, in Metaphysica vero magis abstrahuntur à materia Deus Opt. & Angeli etiam, vt à nobis intelliguntur per similitudinem rerum materialium, quam res aliæ, quæ vere sunt materiales, quia de illis adhuc hoc modo conficientes propriū conceptum immaterialitatis formamus: de Deo Opt. concipimus esse actum purum, esse immutabilem, atque æternum, vnde vtroque modo dicuntur a materia abstrahere, re, & ratione, cætera vero, quæ ab eadem scientia considerantur, sola ratione, siquidem re ipsa materialia sunt, & tamen nullus distinxit vnā Metaphysicam pro illis, alteram pro his, etiam secundum speciem partialem diuersam, cuius ea profecto ratio est tam in his, quam in cæteris, quia magis, vel minus abstrahere intra latitudinem eiusdem gradus nō variat modum formalem abstractionis: quemadmodum magis, & minus in quibusuis rebus gradualem latitudinem admittentibus non variat speciem, ergo nec constituit distinctum obiectum formale, sed accidentaliter solum diuersum: cum tamen communi omnium concessu firmatum sit, tales scientias specie differre, & certe maior illa abstractio numeri, quia ex diuisione continui fieri solet, non pertinet ad numerum, vt numerus est, cum constet non quēlibet numerum fieri ex diuisione continui, & licet omnibus conueniret numeris, materialis est, & ideo impertinens ad scientiarum distinctionem 168

Quomodo Deum concipiamus. 169

Probatur tandem eadem pars, nam euidēs est sub quocunque gradu abstractionis a materia contineri principia scientiæ, conclusiones scientificas, atque etiam opiniones: & tamen sunt diuersi habitus, quod stare non posset, si specifica differentia esse à tali modo abstrahendi à materia accipienda: nullus enim habitus potest cum altero in differētia essentiali communicare, nec vna scientia cum altera, nec scientia cum opinione, vel habitu principiorum.

Distinctionem specificam scientiarum non esse sumendam penes diuersa lumina interiorum, aut exteriorum sensuum, neque ab obiecto materiali.

TER-

Quid III. eadem assertio affirm. TErtium, quod eadem assertio affirmat, est distinctionem scientiarum specificam non esse à diuersis luminibus, intellectuali, imaginatiuo, ac exteriorum sensuum desumendam, vt contendit secunda opinio.

I. Ratio. Et probatur primo. Quia quod obiectum nostræ scientiæ lumini sensus innitatur, vel secus, conditio solum est ex parte obiecti se tenens, non ratio formalis constituens ipsam in esse scibili, vel talis scibilis: & quidem remota in quantum per notitiam sensuum cognoscuntur singularia sensibilia, à quibus abstrahitur vniuersale, circa quod versatur proximè scientia, ergo non distinguuntur scientiæ ex his luminibus: probatur euidēter antecedens, quia nullus sensus externus, vel internus percipit vniuersalia, neque vlla proinde scientia versatur proximè circa obiectum, vt sensatum: ergo neque ab eo genus scientiæ, vel eius species accipitur: & licet versaretur, non haberet formalem rationē scibilis ab eo, vt tali: sed à principijs, per quę demonstrantur conclusiones de eo: vnde quamuis conditio esset, non ratio specificans actum scientiæ, vel habitum, & hæc ratio vniuersaliter probat de omnibus scientijs.

II. Ratio. Sed probatur secundo specialius de puris Mathematicis, Geometria; & Musica, quæ formaliter abstrahunt à materia sensibili, siquidem earū obiecta linea, & numerus non considerantur, vt sensibilibus qualitatibus
127. coniuncta (quanquam verè non sint ab eisdem separata) ergo in quantum obiecta harum scientiarum non innituntur lumini sensitiuo, & etiam imaginationis: nam cum lumen istud circa obiecta sensibilia, vt sensu interno sensata versetur, abstrahere à materia sensibili nequaquam potest.

III. Ratio. Probatur tertio de scientijs medijs, Musica videlicet, ac perspectiua, quorum obiecta innituntur eidem lumini exteriorū sensuum: nam linea visualis lumini visiuæ potentiæ, & numerus sonorus lumini auditus innititur, sub eadem igitur specie collocabuntur cum scientia naturali, quod planè absurdum est.

IIII. Ratio. Quarto, aduersus hanc sententiam fortius militant duo argumenta postrema, quib^9 nuper à nobis refutata est sententia de abstra-
173. ctionibus: nam eidem lumini exteriorum sensuū innituntur obiecta moralis Philosophiæ, Naturalis, & Medicinæ, cum tamen sint scientiæ diuersæ: eidem etiam lumini imaginationis innititur vtraque Mathematica, quare ex eo non possunt distingui: eidem deniq; lumini exteriorum sensuum innituntur principia Philosophiæ, conclusiones, atq; etiam opiniones, quæ in illa materia sensibili circa multa versantur: & nihilominus distincti sunt actus, & habitus: intellectus, scientia, & opinio, quare potius dixerim lumini imaginationis inniti talem sententiam, quā ex his luminibus distingui scientias essentialiter.

Quartum, quod conclusio nostra asserit, est vnitatem, ac distinctionem scientiarum non esse accipiendam ab obiectis materialibus, seu ab vnitate, vel distinctione, quæ eis conuenit vt res quædam sunt, vt prima opinio contendebat. Non sumi distinctionē specificā scientiarum ab obiecto materiali.

Probatur quarta pars nostræ conclusionis.

PRobatur prima, quia idem est modus vnitatis, ac distinctionis scientiarum, ac V. Ratio.
potentiarum, vt in huius controuersiæ 174.
principio ex communi omnium concessu præmisimus: est enim habitus quasi facultas quædam, aut potentia eliciendi actum: sed nec intellectiua potentia, nec sensitiua capiunt speciem ab obiecto materiali, vel ratione formali obiectiua, quam percipiunt, sed omnes à ratione, sub qua: patet in potentia visiua (vt interim omittam cæteras) cuius vnitas, vel distinctio non à colore, vt qualitas 175.
passibilis est, accipitur: nam si ita esset, quemadmodum sunt diuersæ passibiles qualitates sub colore, vt albedo, & nigredo, essēt diuersæ potentiæ visiuæ: & rursus, quemadmodum distinguuntur specie: sic visiones earum distinguerentur: nec possent proinde ad eandē potentiam visiuam pertinere: sed à ratione, sub qua, visibilitatis cunctis coloribus, ac luci cōmunis vna potentia specialis vocatur à cæteris distincta: pari ergo ratione scientiæ non à ratione formali obiecti, quam considerant, sed à ratione sub qua, scibilitatis (vt sic loqui liceat) plures rationes formales cōsideratas, pluraúe materialia obiecta sub se comprehendente, vnitatem, ac distinctionem specificam capient.

Secundo, quia circa idem materiale obie- II. Ratio.
ctum, vel circa eandē rationem eius formalem consideratam versantur diuersæ scientiæ 176.
& ex opposito circa diuersas scientia eadem: ergo non erit sufficiens distinctiuum scientiarum:

 rum:

rum: probatur primum, nam circa rotunditatem terræ versatur naturalis scientia, illam per principia motus ostendens, atque etiam Astrologia eandem probans, quia per interpositionem eius circulariter eclipsatur luna: secundū probat exēplum nuper designatum de potentia visiua, quæ vna cum sit, rationem coloris, & lucis percipit sub vnitate visibilitatis.

Vltima sententia vberius explicatur, & confirmatur.

Nostra sētentia confirm. POSTREMVM Denique, in quo consistit sententia Aristotelis, D Tho. & nostra, nempè ab vnitate, vel diuersitate principiorum vnitatem, ac distinctionem scientiarum sumenda fore, probare iam rationibus oportebit. 177

I. Ratio. Sit ergo prima, potentiæ sortiuntur vnitatē ac distinctionem ex formali obiecto, intellectus ex intelligibili, visus ex visibili, sicque de cæteris: ergo scientiæ ex obiecto formali scibili, sed rationem formalem scibilis habet obiectum ex principijs, per quæ de eo demonstrantur passiones in scientia, ergo ab eis capiet vnitatem, & distinctionem: probatur minor, (nam cætera satis constant) per principia demonstrantur passiones de subiecto, ergo per principia sciuntur, per quæ proinde subiectum idem denominabitur formaliter scibile.

II. Ratio. Secunda. Potentia, habitus, ac scientiæ capiunt vnitatem, ac distinctionem ex actibus, vt ex mente Aristotelis (quam sequuntur omnes) attulimus: 178. sed actus scientiarum distinguuntur specie ex diuersis principijs, ergo & habitus: minorem euidenter ostendo, actus scientiarum sunt conclusiones demonstrationum, earumve assensus, sed assensus capiunt vnitatem, ac distinctionem ex principijs tanquam ex medio formali assentiendi, (vt constat) ergo ex eisdem distinguuntur habitus scientiarum, quos diuersi assensus pariunt.

Confirma. Et confirmatur, nam per principia non solum separantur scientiæ inter se se, sed à cæteris habitibus intellectualibus, imo à quacūque notitia actuali, vel habituali intellectus, vt opinionis, & fidei: 179 ab intellectu quidem principiorum separantur, quia per principia, tanquam per medium formale assentiendi, versantur circa obiecta scibilia, cum tamen habitus principiorum sine vllo medio procedat: à sapientia etiam, quia hæc non solum circa conclusiones per principia, sed circa principia versatur, scientia vero solum conclusiones ex principijs deducit: à prudentia, & arte, quæ circa singulares conclusiones versantur: scientia verò vniuersales conclusiones, ac necessarias ex vniuersalibus, ac necessarijs principijs ostendit, à fide demum, & opinione, quia medium formale assentiendi in vtraque tale est, cui non repugnat subesse falsum: & si diuina sit fides, testimonium DEI infallibile: scientia autem per principia tanquam per medium non solum necessarium, cui repugnat subesse falsum, sed euidens, 180 ac per se, procedit: sed nihil aliud sic separat scientias à cunctis intellectualibus cognitionibus, non obiectum materiale, non abstractio à materia cum intra eandem continentur non solum diuersæ scientiæ, sed habitus principiorum, conclusionum, & opinionum eiusdem, ergo sola principia, vel formale obiectum scibile ab eis, vt tale constitutum sufficiens erit scientiarum distinctiuum.

Probatur tandem, quia certitudo, & euidentia, sunt scientiæ intrinseca, ergo à quo scientia habet vtramq;, ab eodem capiet vnitatem, ac distinctionem specificam, sed à principijs habet quælibet scientia euidentiam, & certitudinem, & ex principijs euidentioribus, ac certioribus vna scientia est euidentior altera essentialiter, atque certior: vt ostendunt Mathematicæ disciplinæ, quarum demonstrationes sunt certiores ob certiora principia, ergo ab his desumenda erit vnitas scientiarum, atque distinctio Adde principia esse propter quę assentitur intellectus conclusionibus, quo circa totam euidentiam, ac certitudinem ab eis participabunt, distinguenturque per diuersa principia, sicut diuersam certitudinem & euidentiam.

Sed qualia esse oporteat principia, vt scientias separent, paucis explicare oportebit: vt melius nostra sententia intelligatur.

Duplicem conditionem designat Aristoteles omnino necessariam, & verbis illis ex cap. 23. primi libri Posteriorum nuper à nobis relatis contentam: prior est, vt ita sint diuersa, quod ex eisdem principijs communibus nō deriuentur: quam conditionem exposuit benè Paulus Venetus tractatu de syllogismo demonstratiuo cap. 12 181 distinguens principia in commūnia, seu dignitates, quæ extra scientiam vagantur, vel in particularia huius, vel illius

lius generis: affirmausq; non de illis communissimis accipiendam esse, sed de particularibus: nam ex communissimis dignitatibus principia omnium scientiarum dependent, in hoc igitur sensu præfatam conditionem accipere oportet, vt principia particularia, quibus separantur scientiæ, sic diuersa sint, vt non deriuentur, vel dependeant ex alijs prioribus in eodem genere scibilis, ratione cuius scientia de triangulo nō distinguitur à scientia de quadrato: nam licet per distincta principia demonstrentur passiones vtriusque, per proprias videlicet definitiones, vel quid simile, deriuantur tamen ex communibus principijs figuræ, vnde ad eandem scientiam Geometriæ pertinet consideratio vtriusque figuræ particularis cum consideratione figuræ communis.

182.

Secunda. Secunda consideratio est, vt principia eiusdem rei scibilis nō deriuentur, vel dependeant ex principijs alterius rei scibilis: qua de causa scientia de Isochele non est distincta a scientia de triangulo, quia principia illius ex principijs huius deriuantur.

183.

Secunda cōditio debet intelligi cum duplici limitatione. Conditio hæc cum duplici limitatione debet intelligi. Prior est, vt proxima sit dependentia, vel deriuatio non remota, nam si remota sufficeret, Metaphysica comprehenderet omnes scientias, ex cuius principijs earū principia dependent: sed quia remota quædam dependentia est, cum per eam non demonstrentur, idcirco distinctæ sunt: proximè autem deriuantur principia Isochelis ex principijs trianguli, & ideò nō efficiunt diuersam scientiam.

Secunda limitatio. Posterior limitatio est, vt totalis sit deriuatio, vel omnimoda dependentia: ita vt nullum sit principium vnius, quod ex principijs alterius non dependeat, vt cernimus in eodem exemplo Isochelis, aut gradati, quorum principia omnino dependent ex principijs trianguli: cæterum si partialis sit dependentia, ita vt principia ex parte dependeant ex principijs vnius scientiæ, & ex parte ex principijs alterius, vel certè vnum principium ab vna scientia, & aliud ab altera, non satis erit, vt sub aliqua earum comprehendatur: sed tertia quędam scientia, quasi ex vtraq; mixta erit, quemadmodum medius color vtroq; extremo participans, ab eoq; dependens, specie distinctus est: & ita se res habet in scientijs subalternatis. Perspectiua, & Musica: quarum conclusiones, & principia partim à scientia subalternante

184.

pure Mathematica, partim à Philosophia Naturalis dependent, cum non nisi ex vtriusque principijs simul in demonstratione dispositis inferantur, vnde ex parte probantur principia Perspectiuæ, ac propterea cum neutra coincidunt: sed mediæ quædam scientiæ vocantur specie distinctæ ab extremis, quamuis non tanta distinctione, quāta extrema ipsa inter se distinguantur: nā id, quod alteri subijcitur, nō omnino diuersum ab eo reputatur, cum modo aliquo eius naturā participet. Vel certè principia vnius scientiæ non dependere ab alijs oportet intra eandem abstractionem, vt diuersæ sint scientiæ: nam esto ab alijs deriuentur in diuersa abstractione consistentibus, diuersas scientias nihilominus separabunt, vt constat in scientijs subalternatis, quæ diuersæ sunt, licet principia subalternatæ deriuentur ex principijs subalternantis, & huius ratio est, quia licet abstractio à materia non sit ratio formalis obiectiua scientiæ, est tamen conditio necessaria, ex cuius variatione variatur obiectum, variantur principia, variantur conclusiones, & scientiæ, vnde quantumlibet principia vnius deriuentur ex principijs alterius, diuersam scientiam efficient, subordinatam tamen ob eandem deriuationem: vbi autem eadē abstractio est, eandem quoq; scientiam principia constituent, si ab alijs dependeant, & hæc fuit planè mens Aristotelis in conditione hac posteriori designanda. 185.

Ex eadem etiam limitatione inferre licet non satis esse, vt vna scientia cum altera coincidat, quod vnum, vel alterum eius principium ex eius principijs proximè dependeat, non coincidit Medicina cum Geometria, propterea quod vnum illud principium eius, circulare vulnus difficilius curatur, quā longum, per principia Geometriæ probetur, nempè quia litera circuli magis distant, sicque de cæteris scientijs (quarum principia hac sola ratione dependent à cæteris) iudicandum est. Ex principijs itaq; sic diuersis, vt duplex explicata conditio præscribit, distinguuntur scientiæ. Illatum. 186.

Sed cum audis eiusmodi diuersa principia separare scientias, non intelligas excludi materiale obiectum, quod pro distinctiuo posuit prima sententia, nec abstractionem à materia, quam posuit secunda, nam quodlibet horum suo modo concurrit ad scientiarū distinctionem, materiale quidem obiectum quasi fundamentum primum, abstractio item à materia, vt quædam conditio, nam talia principia Nota.

non nisi

non nisi ex natura talis obiecti, taliterq; abstrahentis à materia oriuntur.

Primae & secundae sententiae falsitas in quo consistat. Sed falsitas vtriusque sententiae consistit in eo, quod vnum, vel alterum pro sufficienti distinctiuo ponit, cum tamen insufficiens planè sit, & sola diuersitas principiorum sufficienter scientias separare essentialiter possit, & rursus cum hoc audis, non accipias tanquam diuersum distinctiuum principia, & formale obie-
187. ctum in esse obiecti scibilis, quia re ipsa verè idem prorsus sunt, vt acute satis doceant recensita verba D. Thom. nam res, circa quam versatur scientia, habet rationem formalem scibilis, in quantum per talia principia demonstrantur de ea passiones, cum apertum sit demonstrationem ex principijs compositam generare scientiam conclusionis, in qua passio enunciatur de subiecto: idem est ergo scientiam accipere vnitatem, ac distinctionem à principijs, & ab obiecto formali scibili, & quia ratio scibilis ex sola diuersitate principiorũ variatur, ideò Aristoteles ex principijs, & non ex alio docuit separari scientias: permanentibus namq; eisdem principijs, etiamsi
188. caetera varientur, eandem scientiam permanere necesse est, & his variatis, etiamsi caetera permaneant, materiale videlicet obiectum, abstractio, & lumen sensuum, impossibile est eandem esse scientiam.

Obiectio. Si autem dicat aliquis, principia esse diuersa per diuersam abstractionem à materia: nam ideò principia Philosophiae diuersa sunt à Metaphysicis, & Mathematicis, & haec inter se se, quia diuerso modo abstrahunt: ideò Metaphysica certissima sunt, quia ab omni materia abstrahunt, & Mathematica naturalibus certiora, quia magis sunt abstracta, haec demum infimum gradum certitudinis tenent, quia etiam abstractionis: cuius ea est euidens ratio,
189. quia materia mutationibus subiecta est, ergo quo magis obiectum est ei immersum, magis erit mutationibus subditum, minusque proinde necessarium, minusq; certum, cum certum sit, quod eodem modo se habet semper, & necessarium, quod impossibile est aliter se habere: & quo magis a materia elongatur, vel abstractum est, magis erit à mutationibus alienum, magis necessarium, magis certum: & si res ita se habet, non à principijs, sed ex diuersa abstractione à materia erit accipienda scientiarum vnitas, atque distinctio ex cuius diuersitate eorundem principiorum diuersitas capienda est.

Respondetur (vt superius admonuimus) abstractionem à materia conditionem esse, sine qua obiectum non erit scibile, cum scientia nõ sit nisi de vniuersalibus ab indiuiduis conditionibus abstractis: sed non semper necessaria est diuersa abstractio, vt scibilia distinguantur, cum saepè numero contingat diuersa esse scibilia sub eadẽ abstractione (vt vidimus) & quod de scibilibus dicitur, de principijs etiam accipiendum est, quorum respectu, non se habet abstractio tanquã formalis ratio distinguens, sed solùm vt conditio, & quidem non semper necessaria, cum sub eadem abstractione diuersa sint scientiarum principia, vt cernimus in Geometria, & Arithmetica, in Perspectiua, & Musica, in vtraque Philosophia, & Medicina, & eisdem exemplis conuincitur maiorem, vel minorem certitudinem principiorum nõ esse ab abstractione tanquam à ratione formali accipiendam. Solutio. 190

Quibus adde si placet, sub eadem abstractione à materia contineri principia, & conclusiones eiusdem scientiae, & tamen certiora esse principia conclusionibus: sed maior certitudo ex formali ratione eiusdẽ infirma adhaesione intellectus posita accipienda est: ita vt quemadmodum certiora sunt principia conclusionibus, quia firmius eis adhaeret intellectus, cũ propter se adhaereat, conclusionibus verò propter principia, sic certiora sint principia vnius scientiae, quam alterius, quia ex se habent, vt firmius eis adhaereat intellectus, conditio tamen est maior abstractio à materia. Et quemadmodum in principijs verum est abstractionem solùm esse conditionem, se ipsis verò distincta esse, pari ratione in scientijs distinctio à principijs sumitur, abstractio verò tantum vt conditio deseruit. Confirm.

Vnde ad formam argumenti negandũ est distincta esse principia per diuersam abstractionem: nam & si vbi est diuersa abstractio, necesse sit diuersa esse principia: non sequitur abstractionem esse ratione formalem distinguendi, sed principia se ipsis differunt, in quantum diuersam veritatem immediatam continent, negandum est etiam propter diuersam abstractionem, tanquam rationem formalem esse certiora, vel minus certa, sed ex se id habent, quamquam abstractio etiam tanquam conditio concurrat. Exemplum habemus in actibus visiuae potentiae, & voluntatis: perfectius videtur obiectum debite approximatum, quam si longè sit positum, imo aliquando vi- Ad form. argument. 191

dct.

243

detur ſicuti eſt, vel viſus circa eum fallitur propter debitam, vel indebitam approximationem, quæ tamen non eſt ratio formalis, à qua ſpecificantur viſiones, ſed ſolum conditio: ecce igitur ſol in conditionē tantopere variantem actus huius potentiæ: mirum ergo nō eſt, ſi in propoſito non benè inferatur, quo magis à materia obiectum abſtrahit, diuerſa ſunt, ac certiora principia, ergo abſtractio eſt ratio formalis diſtinctionis, vel maioris certitudinis ſatis eſt enim conditionem eſſe, vt ea variata varientur principia, atq; eorū certitudo, & ſimile eſt in actibus voluntatis: nam quo melius bonū cognoſcitur, intenſius ſolet diligi, imo ſi cognoſcatur tanquam bonum diligitur, ſi vt malum, odio habetur, cum tamen cognitio non ſit ratio formalis diligendi, neq; odio habendi, ſed bonitas, vel malitia apprehenſa, apprehenſio vero ſolum conditio. Ex quibus fit, diuerſa principia, tanquam rationem, ſub qua ſciuntur concluſiones, ſcientias ſeparare, nequaquam abſtractionē diuerſam, niſi vt conditionem, & nō omnino neceſſariam (vt conſtitutum eſt)

Diluuntur argumenta primæ opinionis.

Ad teſtimonia pro prima opinione. SVpereſt ſingulorum opinionū argumenta diluere: & vt à prima ordiamur, tria illa teſtimonia, quæ pro ſe affert, probant quidem materiale obiectū concurrere ad diſtinctionem ſcientiarum, nō tamen, quod vt materiale eſt, vel vt res quædam diſtinguat, ſed

194. ſub ratione ſcibilis formali, quā habere oſtendimus, in quantum ſub talibus principijs continetur, quo pacto habet rationem veluti generis ſubiecti, vnitatem ſcientijs præbens, vt primum teſtimonium docet: in quo etiam ſenſu affirmat Ariſt. in ſecundo, quod ſcientiæ ſecantur, ſicut res conſideratæ, abſque dubio ſub ratione formali obiecti ſcibilis, cum non poſſint alio modo ſpecificare ſcientias: & dum Metaphyſicam ſeparat poſtremum teſtimonium à cæteris ſcientijs per vniuerſalem

195. entitatem, non excludit rationem ſcibilis etiam vniuerſalem, quam habet ex proprijs principijs vniuerſalibus: quemadmodum qui diceret vniuerſalem entitatem eſſe obiectum intellectus diſtinguens eum à voluntate, ac cæteris potentijs, non tollit veritatem formaliter diſtinguentem tanquam rationem, ſub qua eiuſdem entitatis, & ſi eam abſtuleris, minimè poteris eum à voluntate ſeparare, ad quam eadem entitas pertinet, ſeparantur ergo per diuerſas rationes, ſub quibus, veritatem, videlicet, & bonitatem: & modo ſimili ſeparantur ſcientiæ per diuerſas rationes ſcibiles, quas ex principijs habent (vt vidimus.)

Ad primum negandum eſt diuerſas ſcientias conuenire in eadem ratione ſcibili obiectiua, nam & ſi in eodem modo formali abſtrahendi à materia aliquando conueniant (quod non negamus) non tamen ſumitur ratio formalis ſcibilis à tali abſtractione, ſed à talibus principijs, ſub quibus conuenire repugnat. Et pariter neganda eſt minor ſecundi argumenti, quod ſcientiæ ſeparentur ex ratione formali obiectiua, quæ, & non ex ratione, ſub qua, cum notum ſit, illam per hanc extendi, vel contrahi, atque adeò adæquari his, quæ in ſcientiā conſiderantur. — Ad 1. reſp. primæ ſententiæ. Ad 2. arg. 196.

Poſtremo argumento damus libenter duo illa, quæ aſſumit, videlicet per diuerſa principia ſeparari demonſtrationes, & rurſus diuerſa principia emanare ex diuerſis rationibus conſideratis, vel ex diuerſis obiectis materialibus, à quibus emanant paſſiones, quæ probantur in ſcientia: damus etiā conſequenter primam radicem diſtinctionis ſcientiarum eſſe materiale obiectum, ſi tale ſit, quod diſtinctas habeat paſſiones à cæteris, & diſtincta etiam principia ab eo oriantur, per quæ probari de eo poſſint, à quibus formalem rationem ſcibilis ſortitur diſtinctam à cæteris, atque adeò diſtinguere ſcientias valet, ſed hoc non eſt ſcientias diſtinctionem accipere ex materiali obiecto, ſed ex formali in ratione ſcibilis, quam cum ex principijs habeat, idem eſt etiam, ac per diuerſa principia ſeparari. — Ad 3. arg. 197.

Falſitas igitur oppoſitæ ſententiæ in eo conſiſtit, quod ex materiali obiecto, vt tali, hoc eſt excludente rationem formalem ſcibilis, diſtinguit ſcientias, veritas autem eſt concurrere ad vnitatem, & diſtinctionem, tanquam primum fundamentum principiorum, & paſſionum, & formaliter diſtinguere, vt ſub eis tanquam ſcibile conſideratur: vnde ſi ſub diuerſis principijs conſiderabile ſit: diuerſas ſortitur rationes ſcibilis, ad diuerſaſq; pertinebit ſcientias, vt de rotunditate terræ, & id genus alijs vidimus. — In quo conſiſtat falſitas primæ ſententiæ.

Satisfit argumentis ſecundæ ſententiæ

Impugnatur secunda opinio.

AD secundam opinionē veniamus ponentem, diuersas abstractiones à materia separare scientias, in qua illud planè falsum inuenio, quod à Patribus Conimbricensib⁹ dicitur, Geometriam, & Arithmeticam diuerso modo abstrahere à materia: quia illa à materia sensibili, hæc verò etiam ab intelligibili: hoc inquā falsum est, quia Arithmetica non considerat numerum abstractum à quacunque multitudine etiam rerum spiritualium, cum hæc metaphoricam dumtaxat numerationem habeat, sed specialius, prout proprijs dumtaxat numeris sub genere quantitatis discretæ, commmunis est: quemadmodum Geometria de proprijs dumtaxat figuris agit, ex diuersis angulis, vel lineis constitutis, in quibus diuersas proportiones considerat, & hoc modo Arithmetica diuersas proportiones quantitatiui numeri, sic autem esse limitatum obiectum Arithmeticæ ad numerum quantitatiuum docet expresse Aristoteles 1. lib posterior cap. 25. vbi Arithmeticam quodammodo simpliciorem esse Geometria docet, quia punctum, quod est principium lineæ à Geometria consideratæ, positionem habet in continuo, qua caret vnitas, quæ est numeri principium, circa quem versatur Arithmetica: quod nec verū esset, nec propriè dictum, si Arithmetica de multitudine etiam spiritualium rerum agens à materia sensibili omnino abstraheret: & certè si ita esset, euidenter sequeretur in eodem gradu abstractionis cum Metaphysica contineri, & ex consequenti non esse distinctam ab illa scientiam, si per abstractionem diuersæ scientiæ separentur.

198.

199.

Explicatio Arist.

Aristoteles igitur (vt argumentis eiusdem sententiæ occurramus) triplicem gradum abstractionis à materia distinxit, & secundum eum triplicem gradum vniuersalem scientiarum: sed earum vnitatem, ac distinctionem essentialem non ex abstractione, sed ex diuerso genere scibili, ex principijs desumpto, tanquam ex diuerso medio capiendam esse docuit (vt vidimus) quemadmodum in his libris posteriorum in Topicis, & in Sophisticis, triplicem materiam syllogismorum tradidit, necessariam, probabilem, & Sophisticam, ex quibus triplicem syllogismum constituere docuit longè diuersum, demonstratiuum videlicet, Topicum, & Sophisticum, quos tamen absq; dubio nō distinxit essentialiter per materiam, sed per diuersum medium inferendi conclusionem, per propriam videlicet, vel necessariam causam, aut effectum: per probabilem vlterius deriuationem ex præmissis, & per apparentem dumtaxat, nam cū diuersos secundum speciem generent assensus cōclusionum, satis absurdum esset, eos solum materialiter distinguere, (vt suo loco ostendimus) sicut ergo hic de materia syllogismorum, sic ibi de abstractione à materia iudicandū est, vtramque nimirum conditionem esse requisitam, & vt talem separare vniuersales gradus scientiarum, & syllogismorum, & neutram esse formale horum, vel earum distinctiuum, sed diuersum modum inferendi, vel diuersum genus scibilis, ex diuersitate principiorū desumptum, in quo etiam sensu semper D. Thom. accepit eandē diuisionem, vt facilè ex eisdem locis doctrinæ eius in argumento memoratis constare poterit.

200.

201.

Ad primū secundæ respond.

Primo argumento satisfecimus, statim post explicationem, & confirmationē nostræ sententiæ, docentes diuersa esse principia, vbi diuersa est abstractio à materia, diuersam etiam certitudinem eorundem principiorum, atque scientiarum, quemadmodum nuper dicebamus diuersos esse syllogismos, pro diuersitate materiæ, eam nihilominus non separare syllogismos, tanquā formale distinctiuum, sed modū inferendi: vnde nec abstractionem à materia scientias, sed diuersum genus scibilis ex diuersis principijs desumptum. 202.

Ad secundum.

Ad secundum maiori admissa, neganda est minor, quod diuersum genus scibilis sumatur ex diuersa abstractione à materia, cū sit apertum diuersa esse obiecta scibilia, atque adeò diuersas scientias eodem modo à materia abstrahentes: sed genus obiecti scibilis (vt docuerunt plane Aristoteles, & D. Thom.) accipitur formaliter ex principijs, suppositis partibus subiecti essentialibus, vel subiectiuis, ac passionibus, quæ de illo medijs principijs probantur: ab hoc igitur (vt voluit Aristoteles) vnitas, ac distinctio scientiarum accipienda est, non ex diuersa abstractione à materia, quę solum est conditio huius distinctionis, & non semper necessaria, etenim quod vniuersale esse oporteat obiectum scientiæ, & ideò perpetuum, atque incorruptibile (vt assumit argumentum) cum singularia sint in continuo motu, non est formalis ratio scibilis, sed conditio eius necessaria (vt omnes fatentur.) 203.

***

Explica-

Explicatur fundamentum tertiæ opinionis.

Resp. ad fundamentum tertiæ opinionis.

FVndamentum denuo tertiæ opinionis
de diuersis luminibus parum roboris ha-
bet, cum efficaciter ostensum sit in eius
impugnatione, quid remotum esse, & proin-
de nihil ad distinctionem scientiarum confer-
re diuersum lumen externorum, aut interno-
204. rum sensuum, à quibus obiectum abstrahitur:
negandum est ergo in tantum esse obiectum
scibile, in quantum hoc, vel illo modo illustra-
tur lumine sensuum, hoc enim ad summũ est
cõditio obiecti intellectus, & scientiæ, sed ra
tio eius formalis obiectiua, vniuersalior quidẽ
ex principijs sub intellectuali lumine proximè
contentis capienda est. Discussa vnitate, ac di
stinctione scientiarũ in generali, discutienda
foret nunc specialis, an videlicet scientia quæ-
libet sit vnus habitus, vnaúe simplex qualitas,
vel ex multis habitibus composita, ita vt ha-
beat vnitatem speciei atomæ, vel solum gene-
ricam; nisi hanc quæstionem inter proœmia-
les Dialecticæ copiose agitatã relinqueremus,
quocirca ne eadem bis repetantur, omittenda
erit.

QVAESTIO V.

An singulare posit esse obiectum scientiæ.

In quo sensu sermo sit de singulari, & scientia eius.

Explicatio tituli.

DVplici parte constat titulus quęstionis,
singulari, & scientia, seu obiecto scien-
tiæ, & vtranque explicare oportebit, vt
controuersia notior fiat.

205. Duobus modis singulare, aut indiuiduum
accipitur, in cõmuni, & in particulari, quem-
admodũ prima substãtia, suppositum, & perso-
na, in communi accipitur, prout à particulari-
bus abstrahit, & rationem singularitatis mul-
tis communem importat, vt si à Petro, Paulo,
& Ioanne singularitatem abstrahas, id solum
de eis concipiens, quod singulares homines
sunt, non conceptis proprijs singularitatibus
proprijs nominibus significatis, quemadmo-
dum naturam hominis concipientes in eis-
dem, communem rationem hominis abstra-
himus: alio modo accipitur vox singulare, in
particulari, prout singularitatem huius, vel il-
lius determinatam importat, quo pacto deter- 206.
minatum quoddam singulare vocatur Petrus,
atque etiam Ioannes: & quidem de singulari
primo modo non intelligitur titulus quæstio-
nis, nam siue primæ intentionaliter, vel se-
cundæ (vt aiunt) accipiatur, vtroq; modo defi-
nibile est, & ab Aristotele, & Porphyrio defi-
nitum, ab Aristotele quidem cap. de substan-
tia, vbi primam substantiam, quæ idem est ac
substantia singularis, ait esse eam, quæ nec in
subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur,
quã etiam sub nomine personę descripsit Boë-
tius, dicens personam esse rationalis naturæ
indiuiduam substantiam: quam definitionem
exponens D. Thom. 1. p. quæst. 29 art. 1. &
quæst. 30. art. 4. expresse docet personæ reali,
non huic, vel illi, sed a particularibus abstra-
ctæ competere indiuiduum secundæ intentio-
naliter sumptum, sed sub conceptu communi 207.
descripsit Porphyr. cap. de specie circa finem,
dicens esse illud, quod de vno solo enuncia-
tûr, vt Petrus, & quodlibet aliud singulare de
se ipso.

Superest ergo de singulari determinato con- *Singulare determinatũ est multiplex.*
trouersiam procedere, vt de Petro, vel Ioan-
ne, sed adhuc hoc modo sumptum multiplex
est, substantiale, accidentale, spirituale, & cor-
poreum, corruptibile, & corruptionis expers,
& quodlibet horum duorũ duobus adhuc mo- 208.
dis considerabile est: vel vt communem essen-
tiam genericam, aut specificam participat, vel
vt à cęteris per indiuidualem differentiam, seu
singularitatem separatur, Petrus (verbi causa)
accipitur primo in quantum cum cæteris con-
uenit hominibus in natura humana, quam
omnes participant: & secundo in quantũ per
proprietatem indiuidualem ab eisdem separa-
tur, quod est eum sumere, prout singularis ho-
mo est: & in prima acceptione non cadit sub
dubium, quod singulare obiectum possit esse
scientiæ, remotum saltem, & inadęquatum, in
quantum communes proprietates speciei pos-
sunt de eo consequenter demonstrari, vt ca-
pacitas disciplinæ, admiratio, & risibilitas, quę
adæquate, & proximè demonstrantur de ho- 209.
mine, & possunt quasi per applicationem de-
monstrari de quolibet homine singulari.

In quo sit status controuersiæ.

DIfficultas autem in eo posita est, an de Pe- *In quo sit difficultas.*
tro, vt singulari homine à cæteris per

propria singularitatem distincto, haberi possit scientia, & modo simili de quocunq; alio singulari.

Triplex acceptio scientiæ. Vox altera titulo quæstionis contenta, est scientia, triplicem acceptionem habens, (vt vniuersaliores alias, & minus proprias interim omittamus) nam primo accipitur pro quacumq; notitia euidenti alicuius rei intuitiua,

Prima. vel abstractiua, in qua acceptione euidens notitia intuitiua Petri, per quam eum præsentem intuemur, scientia vocatur, quā alio nomine experimentalem notitiam solemus appellare.

Secunda. Secunda acceptio proprior est pro euidenti notitia alicuius rei per propriam causam, & hæc est duplex, simplex, vel composita, seu

210. discursiua: simplicem voco, quā habent Deus Optimus, & Angeli, dum proprietatem alicuius rei cognoscunt per essentiam, à qua fit, vnico intuitu vtrumque cognoscentes, & hæc est perfecta scientia: alia est composita, seu discursiua, quam cognouit Aristoteles, & definiuit, cuius partes, & proprietates in toto hoc opere copiosè tradidit, quam denique demonstratiuam vocauit dicens, scire esse rem

Tertia. per causam cognoscere, & quod illius est causa, & quod impossibile est aliter se habere, & huiusmodi est tertia acceptio scientiæ intrinsecam cōtinens imperfectionem, cum importet cognitionem vnius post aliud, à qua nō solum Deus Opt. & Maxim. sed Angeli procul sunt, vnico quasi ictu intellectus essentiam & proprietatē penetrantes, humana igitur scientia est in nobis solum hominib⁹ sensuum ministerio, & quadam discursiua, ac successiua

212. morositate res cognoscentibus reperta.

Sed de scientia adhuc in secunda, & tertia acceptione non est dubium, quin possit versari circa illa singularia, quæ simul sunt species, cum veras habeant definitiones, veraque vniuersalia principia, per quæ proprietates eorum demonstrari possunt, tales sunt angeli, si verum est vnicos sub singulis speciebus esse, vnde non solum à semetipsis, sed à nobis erunt cognoscibiles per veram scientiam.

De quo singulari sit certum esse scientiam. De puris igitur singularibus dubitari potest, an obiecta scientiarum esse queant? de quibus adhuc est certum simplicem Dei Opt. & Angelorum scientiam circa illa versari, quod intelligetur facilè, si consideremus, quod quem-

213. admodū natura specifica habet speciales proprietates, vt homo capacitatem disciplinæ, admirationem ac risibilitatem ab eius essentia emanantes, pari ratione singularia (perfectæ saltem, vel substantialis naturæ) habent aliquā proprietatem indiuidualem ab indiuiduali essentia emanantem, cui si addideris simplicem Angelici intellectus intuitū in indiuidualem essentiam simul cum sua proprietate, vt ab ea emanante ferri, fateberis perfectissimā scientiam illius habere, cum perfectissima sit cognitio rei per suam causam talis notitia.

Status igitur præsentis controuersiæ ad imperfectam nostram scientiam reuocatur: an videlicet demonstratiua, ac discursiua, qualem cognouit, tradidit, atque explicuit Aristoteles in hoc posterioristico opere circa purè singularia, ac præsertim corruptibilia versari possit, vt circa Petrum, Ioannem, vel Franciscum, ita vt de singulis singulas quoque scientias dari possibile sit. Quæstion. status. 214. I I. Sentent.

Posse dari scientiam de singularibus suadetur.

NOn desunt moderni autores, à quibus pars affirmatiua defendatur, de quorū numero est Mag. Oña in prædicabilibus, cap. de specie quæst. 2. art. 2. vbi eam his argumentis confirmat. M. Oña. 215.

Primo, quodlibet indiuiduum habet proprium prædicatum essentiale præter communia prædicata speciei, à quo aliqua indiuidualis proprietas emanare potest, quæ de illo erit proinde demonstrabilis, & talis demonstratio verā pariet scientiam, antecedens sic probat, Petrus non distinguitur à Paulo solis accidentibus, nam tunc quilibet eorum esset ens per accidens, distinguuntur ergo substantialiter, quare necesse est suum habere quemlibet substantiale prædicatum præter generica, atq; specifica communia, à quo indiuidualis emanabit proprietas, de eodem singulari per tale prædicatum demonstrabilis, quemadmodum proprietates communes demonstrantur per communem essentiam.

Secundo, quodlibet singulare essentialiter est definibile per commune prædicatum specificum, & proprium indiuiduale, nam indiuidualis differentia substantialis est, non accidentalis, ergo per eam simul cum prædicato specifico nō minus erit essentialiter definibile quodlibet singulare, quā species per commune prædicatū genericum, propriamq; differentiā essentialē, per talē igitur definitionē demonstrabilis erit singularis proprietas de re ipsa singulari, sicut specifica demōstratur de specie per defi- II. Argum. 216.

per definitionem indiuiduis communem.

III. Argu. Confirmari potest tertio, quia singularissima res est Deus Opt. & Christus dominus quoque, in quantum homo, singularis persona est sed circa Deum Opt. vt principale obiectum
217 versatur Metaphysica, circa Deum, & Christũ hominem Theologia, & per veras quidem demonstrationes, ergo non est impossibile de singularibus, vt singularia sunt dari demonstratiuam scientiam,

Nihilominus asserunt secundo, indiuiduales differentias, atque etiam indiuiduales proprietates latere nos, & idcirco vix, aut nullo modo dabiles esse tales demonstrationes, vel scientias de indiuiduis, & hac de causa Aristoteles sæpe negauit de singularibus dari scientiam, & Diu. Thomas, cæterique eius interpretes quas tamen nunquam reputarunt impossibiles.

Vera sententia opposita præcedenti statuitur.

Sẽtentia vera. COMMVNIS tamen philosophorũ sententia est, non quod difficile sit singularia definire, vel scientiam illorum
218. habere, ex eo quod indiuiduales differentiæ, & proprietates sint nobis occultæ, sed penitus impossibile, quia earum conditio non est capax definitionis, vel scientiæ.

Ita sensisse Platonem refert Porphyrius capite de specie, qui singularia extra scientiam, & artem esse aiebat, cuius placitum, dum coordinationem prædicamentalem disponeret Porphyrius ipse, singularia ab ea reijciens approbauit.

I. Ratio ex Arist. Et Aristoteles. 1 libro. post capit. 8 text. 22. hisce verbis docet definibilia non esse: *Semper autem est omnis definitio vniuersalis non enim alicui oculo dicit salubre Medicus sed aut omne, aut*
219 *specie determinans*, & expressius adhuc. 7. metaphysi tex. 35. *Singulare vero ex vltima materia iam Socrates est, & de cæteris similiter horum inquam non est definitio sed intellectione, aut sensu cognoscuntur.*

De obiecto autem scientiæ scribens, c. 23. eiusdem libri tale ait esse debere, vt ab eo accipi possint vniuersalia principia, per quæ probentur passiones in hæc verba *Vna autem scientia, quæ est vnius generis, quæcunque ex primis componuntur, & partes sunt, aut passiones horum per se. &c.*

Et cap. 24. de singularium sensibilium notitia loquẽs docet expresse non posse esse scientificam, quia scientia nõ est nisi de vniuersalibus, quod adeo verum esse ait, vt etiam si aliquis esset supra lunam videns terram interponi inter solem, & ipsam, adhuc non haberet scientiam eclipsis. Quia & si euidenter cognoscat singularẽ, effectum per propriam causam 220
singularem id nequaquam sufficit, nisi in vniuersali cognoscatur. Verba illius hæc sunt: *Sed planum, quod & si esset sentire triangulum, quod duobus rectis æquales habeat angulos, quæreremus vtique demonstrationem; & non quemadmodum dicunt nonnulli sciremus, sentire quidem enim necesse est singulare, scire vero est in cognoscendo vniuersale. quare, & si supra lunam essemus, vt videremus obiectam terram, non vtique sciremus causam defectus, sentiremus enim nunc quod deficit, & non erat sensus ipsius vniuersalis, sed ex eo quod speculamur hoc plerumque contingere, vniuersale vtique venati demonstrationem habemus, &c.*

Et D. Thomas in eorundem locorum cõmentarijs vtrumque etiam cum natura singularis pugnare docet, sed expressius quæstione. II. Ex autoritate D. Thom.
9 de potẽtia. articulo 2 ad. 1. vbi ita loquitur: *illud vero nomen, quod in sua significatione includit determinatum indiuiduationis principium, non* 221.
est commune, neq. definibile, vt Socrates, & Plato, & 1 pate. quæstione 26 articulo. 1. ad. 5 *Hoc singulare, vel illud. inquit, definiri non potest. &c.*

Et si definitione caret, obiectum scientiæ nequaquàm esse poterit, cum definitio sit principium scientiæ, & hæc est communis totius scholæ vox, atque sensus.

Rationibus corroboratur eadem sententia.

SED rationibus probatur vtrumque, & primo quod singulare non sit propriè definibile vera, ac propria definitione (vt sæpè nos docuit Aristoteles) ea solum est, quæ ex genere, & differentia componitur, cuius partes sic esse inuestigandas docet 1. post. à textu. 17 vsque ad 22. vt genus diuidamus in differẽtias essentiales oppositas, vna vel pluribus diuisionibus, quousque ad atomas differentias 222 I. Ratio.
peruentum sit, vltra quas non est procedendũ, sed ex remotissimo genere adiunctis omnibus differẽtijs vsque ad vltimum, vel certè ex proximo genere superiores claudente, & atoma differentia constituenda erit definitio, vt in expositionibus huius loci exemplis ostendimus, & 7. metaph. tex. 41. eundem modum inuestigandi, & constituendi definitionem his

verbis repetit: *Oportet autem considerare de his, quae secundum diuisiones sunt definitionibus, nihil enim aliud in definitione est nisi primum, quod dicitur genus, & differentiae &c.* & tex. 35. expresse prohibet ad singularia descendere in inuestigāda definitione addens singularia iam non esse definibilia. Ecce verba illius valde notanda: *Totius vero vt circuli huius, & singularium alicuius sēsibilis, aut intelligibilis, dico autē intelligibiles quidem vt Mathematicos, sensibiles vero, vt aeneos, et ligneos, horum inquam non est definitio sed intellectione, & sensu cognoscuntur, &c.* at singulare nō est per genus, & differentiam definibile, sed ad summum per naturam specificam, & differentiam indiuidualem, ergo non habet propriam definitionem, ac propterea de proprio modo definiendi loquens Aristoteles omnino definiri negat.

Confirm. Et confirmatur, quia ex genere, & differentia essentiali proxime, & adaequate species componitur, differentia igitur indiuidualis naturam specificam determinat iam ex genere, & differentia compositam, vnde fit: proxime non componi, nisi ex natura specifica, & propria differentia indiuiduali, per quas, & non per genus, & differentiam definibile est, atque adeò non propria definitione.

224 Secundum argumentum euidenter probat falsum esse, quod à Magistro Oña caeterisque modernis dicitur, videlicet singulare vt tale habere propriam differentiam essentialem distinctam ab specifica, & proprium praedicatum esse itale distinctum a communibus naturae specificę. t. quidem ex doctrina Aristotelis expresse asserentis (vt vidimus) differentias essentiales vltra atomas non procedere hoc enim sibi vult atoma species hoc item atoma differentia, quod penitus indiuisibiles in alias differentias essentiales, hac enim de causa vltima species, & differentia vocantur, ponere ergo aliam differentiam essentialem in indiuiduo propriam: non solum impropria, sed planè falsa locutio est.

III. Ratio Deinde ratione, quia essentiales differentiae in ordine metaphysico non sunt aliud quam obiectiui quidam conceptus ex diuersis gradibus essendi physicis earundem rerum in quibus fundantur desumpti, tot igitur sunt essen-
225 tiales differentiae, vel essentialia praedicata, & non plura, quot sunt gradus essendi, sistuntur in eo, a quo differentia specifica atoma accipitur ergo sequitur euidenter vltra illam non esse alteram essentialem, ex qua essentialis definitio extrui possit, vel essentiale praedicatū singulari proprium desumi, minor ostenditur in homine, in quo quinque gradus essendi dūtaxat reperies, est enim in primis ens per se existens, hoc est independenter à quocunque alio ente creato, & hic est gradus substantię, & cum sit ex materia, & forma compositus, compositia etiam substantia est, item cum eius for-
ma sit vera anima, verusque actus corporis 226
physici, atque organici potentia vitam habentis, corpus physicum erit vita praeditum. Vlterius, cum eadem eius anima, non solum vitae, sed sensus principium sit, non solum viuum corpus, sed sentire potens erit, ac demum cum similitudinem angelorum teneat in gradu intelligendi, quem corpori etiam cōmunicat, vere intellectiuus est homo, sed per discursū, & iste est vltimus gradus essendi, quem habet, ex his igitur quinque gradibus essendi physicis accipit intellectus quinque illa praedicata essētialia, nēpe substantiā corporeā, animatā, sensi-
tiuam, & rationalē, genericū quidē primū, & 227
differētialia quatuor, ex quibus quidditatiuā eius definitionē extruendā esse docuit Aristoteles, & quod in homine cernimus, idē in quibuscūque alijs speciebus atomis praedicamēti substantiae, ac caeterorū secūdū eandē proportionem reperiemus: sequitur ergo euidenter nullum superesse gradum essentialem singulari proprium, nullam essentialem differentiam ei adaequatam, atque propriam, per quam possit quidditatiue, aut essentialiter definiri, sed naturam specificam, vel speciem atomam ad ipsum propriè deriuari: & quasi propriā fieri nō per alterā differentiā essentialē cum nulla supersit, sed per modū essendi particularē, & substantialē, quae indiuidualis eius differentia est, a qua praedicatū cuilibet indiuiduo propriū accipitur, nullo modo essētiale, nec substantiale naturae, sed modo, atq; adeò modale, quod vt bene Caietan. & plures alij cap. de specie non praedicatur de eisdem indiuiduis in quid, sed
in cuiusmodi, (vt sic loqui liceat) nec praedica- 228
tur in quale quid, sicut essentialis differentia, sed modo quodam simili ad praedicationem differentiae reducibili.

Sed iam secundum ostendere oportebit, videlicet purum singulare non posse esse obie- I.Argum.
ctum scientiae demonstratiuae: demonstratio (vt saepe Aristoteles docuit) debet procedere ex principijs vniuersalibus, sed a singulari, vt tali, non accipiuntur principia vniuersalia, ergo nec demonstratio vlla de eo constitui potest: probatur minor, quia ex principijs speciei appli-

applicatis ad singularia demonstrantur de illis communes proprietates, vt capacitas disciplinæ, admiratio, ac risibilitas de Petro per hæc principia, omnis homo est animal rationale, vel omne animal rationale est capax disciplinæ,
230 sed indiuidualis eius proprietas per hæc principia indemonstrabilis est, cum nō magis ex illis proprietas indiuidualis vnius singularis, quā alterius deducatur, quod est nullam determinate deduci: superest ergo per propriam definitionem ex natura specifica, & indiuiduali proprietate extructam demōstrari posse: sed hoc est plane impossibile, nam eiusmodi definitio non est principium vniuersale, sed cum eodem singulari cōuertitur, nec aliud est principium vniuersale, cui possit coniungi, cum non habeat necessariam connexionem, cum principijs vniuersalibus speciei, repugnat ergo talem definitionem singularis esse medium demonstrationis, per quod singularis proprietas ostendatur, repugnabitq; ex consequēti demonstratiuam scientiam circa singulare versari.

Nota. In quo deprehenditur manifesta horū modernorum deceptio, qui cum viderent indiuidualem essentiam esse propriam causam indi-
231 uidualis proprietatis, per quam à priori posset cognosci statim intulerūt talem notitiam esse scientificā, quod, & si verū sit, de simplici, atq; intuitiua scientia, quæ vnico intuitu in essentiam fertur, & proprietatem, sed planè falsum, & impossibile de discursiua, vel demonstratiua à causa vniuersali, vel effectu intrinsice procedēte, cognosceret namq; qui supra lunam es-
64 set, terræ interpositionem inter solem, & ipsā, intuēs singularē effectum per singularem causam, sed adhuc scientia illius habere negauit Aristoteles, quia eandem causam in vniuersali minime cognosceret: ergo licet cognoscibilis sit singularis proprietas per singularem essentiam, non per demonstratiuam scientiam, quia non est cognitio vniuersalis effectus per vniuersalem causam, in qua consistit demonstratiua scientia.

II. Argu. Secundò probatur argumento (vt aiunt) ad hominem: prædicatum illud essentiale indiuidui, à quo dimanat indiuidualis proprietas, & per quod demonstrari de eo potest, sibi pro-
232 prium est, alteri minime conueniens (vt ponunt isti) ergo non potest esse medium demōstrationis, cui intrinsece ut est vt docet expresse Aristoteles medio vniuersali constare, ex quo aliqua saltem præmissarum vniuersalis constituatur: nam ex solis terminis singularibus nulla demonstratio, imo nullus etiam expositorius syllogismus extrui potest: per commune autem prædicatum specificum, vel indiuiduale in communi acceptum repugnat talem proprietatem demonstrari etiam adiuncto prædicato singulari proprio, quia ex nullo prædicato communi infertur proprietas singularis determinata, sed solum vaga vt consideranti facile constabit.

Soluuntur argumenta prioris sententiæ.

Ad I. Solutio. Primo argumento occurrimus viam mediam inter duo extrema tenentes: vnum extremum est, indiuidua eiusdem speciei solis accidentibus differre, quia radicale principium indiuiduationis non est aliud, quam prima materia, quantitate, cæterisq; acciden-
223 talibus dispositionibus affecta, vel sygillata, in quam forma substantialis per generationem introducitur: aliud essentialiter esse diuersa per differentiam indiuidualem (quam essentialē vocat noua hæc modernorum opinio, si opinionis nomen meretur) nos vero neque accidentalem ponimus indiuidualem differentiam, neque essentialem, sed modum quendam extra specificam essentiam, per quem substantialiter modaliter determinatur ad hoc, vel illud singulare: non secus ac subsistentia extra
234 essentiam creatam cum sit, modus est substantialis eandemmet naturam determinans, vt in persona, vel supposito constituitur, & nihilominus non potest vocari accidens, sed modus quidam substantialis naturam determinans, pari ergo ratione de differentia indiuiduali censendum est: vnde fit prædicatum singulari proprium non esse vllo modo essentiale, nec accidentale, licet sit extra essentiam, sed substātiale modale, quia singulariter esse non est gradus naturæ præter specificum, sed modus specificæ naturæ: vnde fit ratione talis prædicati, seu differentiæ, nec propriam definitionem habere singularia, nec demonstratiuæ scientiæ obiecta esse posse.

Ad formā argum. Amisso igitur ad formam argumenti indiuidua non differre solis accidentibus, neganda est plane consecutio, quod essentialiter dif-
ferant, sed satis est medio quodam differre sūpte substantialiter modaliter. 235

Ad II. argu. Ex quibus etiam soluitur secundum argumentum de prædicato essentiali, nō minus negādo, quam essentialis differentia: præter communia namque prædicata solum habēt singularia pro-

proprium prædicatum, nec essentiale, nec accidentale, sed substantiale modale, quod nec propriam definitionem cum communi specifico componere, nec singulare ipsum demonstratiuæ scientiæ obiectum constituere potest.

Ad III. Vltimum argumentum efficaciter probat de singularissimo Deo Optimo atque etiam de Christo singularissimo homine demonstra
236 tiuam haberi scientiam, sed Deus Optimus longe diuersam rationem habet à cæteris singularibus, nam licet nec genus, vel species in eo sint propter summam eius simplicitatem, sed eminenter continet quidquid perfectionis est in generico, & specifico gradu: vnde ab eius essentia quam ad creaturarum similitudinem intelligimus, accipi possunt principia sibi, & creaturis per attributionem communia: habet præterea prædicata sibi propria ad modum proprietatum, quas attributa vocamus, vt potentiam, sapientiam, immutabilitatem, & æternitatem, licet singulares modum quẽdam vniuersalem habentes, in quantum sub communi conceptu à nobis concipiuntur, de quibus ita conceptis demonstrationes extruimus, non minus, quam de rebus verè vniuersalibus, & quibus medijs easdem proprietates de illo demonstramus, & vnam etiam per al-
237 teram, vt æternitatem per immutabilitatem. De Christo autem homine vera etiam habetur demonstratiua scientia supernaturalis Theologiæ per applicationem, in quantum communes proprietates humanæ naturæ per principia communia eiusdem de eo demonstrantur, vt quod sit admiratiuus, risibilis, vel quid simile, atque etiam diuina attributa, quæ ei conueniunt ratione naturæ diuinæ: itaque eiusmodi scientia, in quantum de Christo homine differit, quasi mixta censetur, ex scientia de homine, ac de Deo, quemadmodum Christus ipse in vtraque natura (sed absque vlla earum commixtione) subsistit, & nõ
238 videtur esse aliud, quam applicatio quædam harum scientiarum vniuersalium ad hoc singulare, quo pacto etiam admittimus de cæteris singularibus esse scientiam.

QVAESTIO SEXTA.

An de corruptibilibus, & contingentibus, entibusque per accidẽs detur scientia.

Si ita est, vt Aristoteles demonstrationis præcepta tradens capite 2. 4. & 7 libro, 239.
prioris docuit, quod ex necessarijs propositionibus, ac per se demonstratio extruenda omnino est: specialem habebit difficultatem vtraque controuersiæ pars, an contingentia, entiaque per accidens obiecta scientiarum esse valeant.

Prior controuersiæ pars, an sit scientia de contingentibus.

A Contingentibus igitur exordium controuersiæ sumendo videtur pars nega- I. Ratio.
tiua, ex definitione scientiæ euidenter 1. Sentent.
deduci: nam si scire est rem per causam cognoscere, & quod illius est causa, & impossibi-
le est aliter se habere, sequitur non versari cir- 240
ca contingentia, vel corruptibilia, nam vtraq; aliter se habere possunt, illa quidem per mutationem, hæc vero per omnimodam corruptionem, quod cernens Aristoteles 1 lib. post. cap. 24. vbi de obiectis scientiarum differebat fortuita, & quæ casu eueniunt, vel contingentia excusit affirmans, nullam scientiam circa illa versari, capit. etiam 26 eiusdem libri scientiam ab opinione separans testatur de rebus dumtaxat necessarijs esse.

Quod valde consonat dignitati scientiæ, ac II. Ratio.
demonstrationis, per quam producitur, demonstrationis quidem ex veris, primis, notioribus, causisque conclusionis procedentis, hoc est, ex principijs necessarijs, quæ sunt immediatæ propositiones, vnde fit conclusionem eius necessariam esse oportere, sed assensus cõclusionis est scientia, ergo etiam pugnat cum natura scientiæ, circa corruptibilia, aut contingentia versari.

Ex triplici namque parte contingit corrũ- Nota.
pi accidens semel genitum, ex parte causæ deficientis, à qua eius conseruatio depẽdet, quo
pacto lumen in medio productum definit esse 241.
per absentiam solis ex parte subiecti, quo deficiente necesse est cuncta accidentia, quæ ei inhærebant, deficere, vt Aristoteles capit. de substantia admonuit dicens, destructis primis substantijs impossibile est quidpiam aliorum remanere: definit esse mortuo homine calor naturalis, & similia, accidentia, quæ ei vt viuenti inhærebant: ac demum à contrario corrumpente, qua ratione frigiditas aquæ corrum-

rumpente, qua ratione frigiditas aquæ corrumpitur per calorem in ea productum à sole, vel igne, sed nullo ex his modis corruptibilis est scientia, ergo ex propria conditione est perpetua, atque adeò circa obiectum necessariũ, & perpetuum debet versari: probatur minor, nam causa scientiæ sunt principia necessaria
242 quidem, ac perpetua & ideò certa, vt Aristoteles 1 post. capit. 2. ad finem asseuerãter docuit, necessarium esse, vt aliquis habeat scientiam conclusionis non solum esse firmum in assensu principiorum, sed quod nihil magis falsum esse intelligat, quã illud, quod eis opponitur: subiectum item scientiæ est anima rationalis, cui medio intellectu inhæret, incorruptibilis, ac perpetua ex propria natura: contrario autem caret omnino scientia: aut si velis ei pro contrario errorem designare, impossibile est ab eo corrumpi, cum eius comparatione debilissimus sit, vsque adeò vt in præsentia eius subsistere minime possit: etenim si aliquis circa aliquam conclusionem errauerit, licet error ob diuturnam consuetudinem quasi in na-
243 turam sit conuersus, vnica oppositæ conclusionis demonstratione superueniente deletur, neque amplius præualere vllo modo aduersus scientiam potest, & multo minus opinio contraria, quam assensum esse debilem dinoscimus, cui non repugnat subesse falsum.

Contraria sententia præfertur.

HANC partem quæstionis rerum corruptibilium, & contingentium tetigit Diu Thom. 1. part. quæstione 86.
244 artic. 3 cui his distinctionibus præmissis respondet.

Corruptibilia, & contingentia duobus modis considerari possunt: ex parte materiæ, quæ totius contingentiæ, & corruptionis radix est: vel ex parte formæ, à qua necessario absq; dubio essent, quia cum forma sit actus, ex propria conditione determinatur ad esse: materia vero cum sit potentia, quandam habet indifferẽtiam ad esse, vel non esse, in determinata saltem specie, vel indiuiduo, & cum sit principium indiuiduationis, ex parte eius prouenit rebus materialibus quædam possibilitas essendi ante quam sint, & non essendi postquam sunt.

Alia eorũdem diuisio. Sed adhuc possunt duobus modis considerari, in singulari, aut in communi prout à singularibus abstracta, & quidem si primo modo accipiantur, nihil necessitatis habent, sed omnino contingentia sunt, si vero in communi pro 245
quidditatiuis eorum prædicatis, eorumdemq; connexionibus, vere sunt necessaria, & quibus aliter se habere repugnat: exempli gratia, iste homo singularis, lapis iste, aut lignum modo sunt, & statim esse desinunt, sed essentia hominis, lapidis, vel ligni perpetua est, & connexio prædicatorum eius semper eodem modo se habet: quodlibet ens naturale generationi, & corruptioni obnoxium passim mutatur, moxque statim desinit esse, sed quidditas entis naturalis, definitio naturæ, & motus res sunt necessariæ, & cum scientia naturalis abstrahat à materia singulari, res quidem corruptibiles, & contingentes contemplatur, non tamen sub ratione, aut modo se habendi cor-
ruptibili, vel contingi, sed necessario, vt in casu adhuc, & fortuna cernimus: nam quod iste, 246
vel ille terram effodiens thesaurum inueniat, res est fortuita, & omnino per accidens contingit, de qua proinde scientia non habetur, sed quod fortuna sit causa per accidens in his, quæ agunt propter finem, raroque contingũt, non est contingens, sed necessarium: & quid est magis contingens, quam actus liber voluntatis ad vtrumlibet indifferentis, & nihilominus ratio, vel essentia eiusdem est necessaria ad scientiam moralem pertinens: nam virtutes, quas moralis Philosophia per se contemplatur, non nisi in actibus liberis voluntatis reperiuntur.

De rebus igitur corruptibilibus, & contingentibus in singulari non datur scientia, quia contingentia contingenter sunt (vt sic liceat Conclusio D. Tho.
loqui) bene tamen de eisdem datur in com- 248
muni consideratis, quia non sunt contingentia contingenter, sed modum necessarium habent, & hæc est sententia Diu Thom quam vt veram amplectimur: sapienter enim protulit Doctor Sanctus eodem loco nihil esse ita contingens, quod sub aliqua consideratione non sit necessarium.

Solutio argumentorum.

ILlud autem admittimus (vt argumentis fiat satis) quod in definitione scientiæ dicitur, rem, circa quam versatur, non posse aliter se habere, à qua conditione quamuis aliena sit res corruptibilis, vel contingens in particulari considerata, sed quidditas eius, & prædicatorũ connexio necessaria est, & nõ po- I. Argum. Solutio.

 test

test aliter se habere (vt ostedimus) in quo sensu non negat Aristoteles obiecta scientiarum esse posse, cum ipsemet fortuita, & casualia non solum consideret, sed definiat. 2. libro physic. de causarum per se, & per accidens natura scientificã tractationem instituens. Discrimen etiam inter scientiam, & opinionem ex parte obiectorum admittimus adhuc in rebus corruptibilibus, & cõtingentibus, quæ vt scientia considerantur, necessariæ sunt, & per necessaria principia probantur earũ passiones, à quo semper opinio deficit per medium contingẽs in eisdem procedens.

II. Solutio. Reliquum est (vt argumento de incorruptibilitate scientiæ) occurramus verum esse cõsirentes, quod in natura scientiæ omnia reperiantur, ideòque non posse vllo modo ex

249 directo, & per se corrumpi, posse tamen indirecte, & quasi per accidens, desuetudine ianuã intellectus errori contrario aperiente, à quo destruatur, quod hoc modo fieri non repugnat, licet raro contingat: per diuturnam cessationem enim ab actu potest contingere, vt quisp͂iã demonstrationes, vel media, quę ex principijs ordinatis componuntur, obliuioni tradat: nã etsi simplices eorum species non corrumpantur, cessat tamen earundem ordinatio, & cõpositio, memoria ad effectum ordinandi, & componendi demonstrationem ex eis, deficiente, quo præsupposito intellectus multitudine specierum diuersarum quasi obruitur, inter quas locum habere solent species oppositæ

250 opinionis, ex quibus propositiones formãtur: eisque nullo iam impediente assentitur intellectus, nam & si permaneat habitus, deest tamen medium, per quod eis facile possit obsistere, & habitus sine medio non est nisi quædam veluti mortua qualitas nõ resistens, neq; vllum opponens impedimentum contrarijs actibus: per frequentem igitur vsum falsæ opinionis, aut erroris scientiæ cõtrarij, destruitur absque dubio habitus scientiæ, quẽadmodum cæteri per habitus contrarios, non tamẽ directe, & per se, quia ex directo non posset error, vel opposita opinio aduersus scientiam prępualere, imo nec locum habere in intellectu aliquis eorum actus, vel assensus habitu ipso per medium obsistente.

Ad formã Argum. Ad formam igitur argumenti dicendum est, quod cum scientia per se sit incorruptibilis, & perpetua circa necessarium obiectum, & semper eodem modo se habens versari debet,

251 & talia sunt corruptibilia, & contingentia, in quantum à scientia considerantur, abstracta quidem à materia singulari, quæ totius cõtingentiæ, & corruptionis radix est, sed eiusmodi adhuc in cõmuni considerata definiri potest, atque obiectum scientiæ esse.

Quid sit ens per accidens explicatur, & de eo posse dari scientiam suadetur.

Sed ad secundam quæstionis partem iam deueniam⁹ oportet inquirentẽ an de ente per accidens possit esse scientia. De ente per accidens.

Vulgata satis in schola est distinctio entis in ens per se, & per accidens tradita ab Aristotele 6. metaphysi. textu 5 6 & 7. ens per se 252

illud dicitur, quod ex rebus per se cohærentibus, vel vnum aliquid per se constituentibus coalescit (in solis etiam compositis locũ habet distinctio hæc, nam de Deo Optimo qui simplicissimus est, constat esse ens per se) vt ex actu, & potentia substantiali, vel certe ex his, quæ per se ordinantur, si ratione solius ordinis ad vnum aliquid constituendum cõueniunt: excẽplum primi habes in homine, ac cæteris compositis substantialibus, secundi vero in diuersis rebus ab eadem scientia consideratis sub vna aliqua ratione formali, ad quã ordinantur, vel cuius formalem rationem aliquo modo participant: diuersa sunt prædicamenta substantiæ, & accidentium, & nihilominus ad vnum per se obiectum metaphysicæ pertinent, quia sub vniuersalissimo ente eius obiecto per se ordinatur, substantiæ per se attributo, accidentibus vero per ordinem ad substantiam, 253

adquam ordinatur quodlibet iuxta propriam conditionem.

Ens per accidens est illud, quod ex diuersis non per se, sed accidentaliter conuenientibus, vel ordinatis consurgit, accidens non per se inhæret substantiæ, sed accidentaliter, cum sit res diuersi prædicamenti, idcò ex vtroque non consurgit per se, sed per accidens vnum, 267

quale est homo albus, clarius in homine per accidens vnum, quale est homo albus, clarius in homine per accidens cõcurrunt albũ & musicum, & ideò ens per accidens est hominem album esse musicum.

De ente igitur per se non venit in dubium quod obiectum scientiæ esse possit cum sit causa per se proprietatum, quæ de illo demonstrari in sciẽtia possũt per principia ex propria eius natura desumpta, at de ente per accidens De quo sit quæstio.

meritò

merito dubitatur, nã cum ex diuersis per accidens concurrentibus sit constitutum, non videtur quo pacto vnam habeat essentiam vnica finitione explicabilem, nec determinatas proprietates & principia, per quę de eo possint demonstrari.

I. Opinio. Tenent nihilominus affirmatiuam partem nonnulli ex modernis, qui viua voce Ar. stotelem interpretantur eadem distinctione vtentes, qua nos vsi sumus circa corruptibilia, &
254 contingentia, asseuerantesque de ente per accidens in particulari non dari scientiam, quia vna definitione explicatur, neque determinatas habet proprietates, vel principia, ex quibus demonstrentur: cæterum quidditas eius, ac prædicatorũ essentialiũ connexiones tales per se sunt, & obiecta scientiarũ esse nõ repugnat.

Probant exemplari quadam inductione, nam de numero, qui est ens per accidens datur Arithmetica, de numero sonoro Musica, de linea visuali Perspectiua, de Republica, quæ nõ est aliud, quam multorum hominum congeries, Politica, militaris de exercitu, de quatuor qualitatibus bene temperatis physica, aut Medicina, & de integra argumentatione ex
255 aggregatione trium propositionum composita Dialectica, ergo bene poterit esse obiectum scientiæ ens per accidens prædicto modo consideratum.

Negatiua sententia præfertur, & affirmatiua refellitur.

Aristotel. sententia. Partem vero negantem definit expresse Aristoteles. 6. libro metaphysi text. 5 6 & 7. vbi de natura entis per accidens copiose differens, non solum negat de illo dari sci-
256 entiam, sed ex professo probat: verba autem eius inter alia hæc sunt: *Quod autem scientia nõ est accidentis palam*, & rursus sententiam vltimi textus quasi per modum epilogi claudens ait. *Quid quidem igitur est accidens, & propter quã causam, & quia scientia non est eius dictum est*: & probat duplici argumento.

I. Ratio. Arist. Primo. Siue ens per accidens fiat ex concursu aliquo ratione temporis, vt quod fuerit hyems sub cane, id est, æstiuum tẽpus frigidũ,
257 ac pluuiosum, siue ratione subiecti, in quo cõcurrunt duo accidẽtia, vt in eodẽ homine albũ, & Musicum, vel ratione causæ, vt ædificator, & Musicus, vel demum ratione effectus, vt quod obsopios, seu coquus obsonium præparet delectabile simul, ac salubre præter eius artem, quęcumque, inquam, modo fiat prẹter communem cursum naturæ contingit, vnde non est necessarium, nec frequenter contingẽs, de quibus scientia esse potest, sed quasi defectus eius, quod est frequenter euenire, vnde non solum non est obiectum scientificum, sed quasi defectus, vel priuatio eius.

Secundo. Scientia habetur de re aliqua, in quantum eius definitio medium est demonstrandi proprietates, vel passiones, sed ens per accidens non habet definitionem, ergo nec obiectum scientiæ vllo modo esse potest. II. Argu. 259.

Probat minorem, ens per accidens fit ex aggregatione rerum ad diuersa prædicamenta spectantium, vt homo albus, ædificator musicus, ergo non est sub vno, sed multiplici genere, cum ergo ex genere, & differentia definitio sit extruenda, sequitur euidenter non posse vna definitione explicari, quæ sit medium demonstrandi passiones.

Aristotelicum hoc argumentum duabus vijs conatur soluere moderni: priori, quantum attinet ad definitionem, posteriori vero ad scientiam: asserunt igitur quantum ad primum vno è duobus modis intelligendum esse Aristotelẽ, dum ait ens per accidens non esse definibile, ita vt nõ de omni, sed de aliquo genere eorum loquatur, constat enim quædam eorũ definiri, vt numerum, & reliqua in primo argumento enumerata, de quibus proinde Aristoteles ipse varias habuit scientias, quæ idcirco entia per accidens vocantur physicè, quia ex illis non fit vnum per se per vnionem intrinsecam, sicut fit ex materia, & forma, aut ex partibus integrantibus vna quantitas continua: & secundo specialius loquendo intelligi potest de his, quorum extrema nullam habent connexionem inter se se, neque efficiunt aliquid vnum, sed omnino per accidens, & impertinenter coniunguntur: vt homo albus, ædificator musicus: de quibus bene admitti potest non esse definibilia vllo modo, secus est de alijs aliquo modo efficientibus vnum, vt numero, exercitu, republica, ac cæteris huius conditionis, quorum extrema licet non per se vniantur, eo tamen fine concurrunt, vt fiat aliquid vnum, eiusmodi enim vna aliqua definitione explicari possunt. I. Solutio quorundã. 260

Quod vero infertur ex negatione definitionis negatio scibilitatis (vt sic loquamur) distinctione etiam indiget, nam duplex est definitio, & iuxta eam duplex scientia, exacta quidem ex genere, & differentia, quam habet II. Solutio. 261.

 solum

solum ea res, quæ est per se vna, atque etiam species vnius prædicamenti: imperfecta vero altera, quæ solum est descriptio quædam, vel rudis explicatio, nunc vero circa ea solum, quę primo definiuntur modo, exacta scientia versatur proprietates demonstrans, vel passiones, per quidditatiuam definitionem, at circa ea, quæ imperfecte definiuntur, qualia sunt ex entibus per accidens non pauca, licet exacta scientia non versetur, nihil prohibet imperfectam versari.

I. Solutio reijcitur. 262 Vtraque tamen solutio nullius momenti est, nec potest nondum argumenti soluere: prima, quia pronunciatum illud ab Aristotele communi totius scholæ consensu receptum, ens per accidens non est definibile, non de vno, vel altero, sed de omni ente per accidens in quantum tale euidenter accipitur: etenim cum ens per accidens, vt tale, importet aggregationem plurium entium in actu, ex quibus non fit aliquid vnum, vt probant homo albus ædificator musicus, & id genus alia, impossibile est vna definitione explicari non solum quidditatiua, sed nec descriptiua, vel alio modo imperfecta: nam quo pacto potest vna aliqua explicatio dari nisi de vno aliquo, vel ratione vna, cum ergo ens per accidens non sit vnum, sed multa, ac diuersa, non poterit vna definitione explicari.

Impugnatur adhuc. 263. Et quod rursus de omnibus intelligatur, probatur euidenter (nisi ego fallor) argumento ad hominem: illa omnia, quæ resultant ex multis per se ordinatis ad efficiendum aliquid vnum, qualia sunt, quæ ab aduersarijs in primo argumento enumerantur, non sunt entia per accidens, sed per se in suo ordine, & gradu: de cæteris autem resultantibus ex his, quæ omnino per accidens, & impertinenter concurrunt, fatentur non esse definibilia, ergo vere nullum ens per accidens definiri potest: probatur antecedens, nam ex multis per se concurrentibus ad constitutionem vnius necesse est vnum per se resultare, sed vnū per se, quod ex multorum in cōcursu resultare potest, duplex 264 est iuxta duplicem modum concurrendi: videlicet vnitate naturæ, vel ordinis: illud dicitur vnum vnitate naturæ, quod vnam naturā importat ex multis partibus compositam, vt homo, lapis, vel lignum, & quodlibet compositum ex materia, & forma, vnū vero vnitate ordinis, per se ordinatis coalescit, quod licet nō habeat vnitatem naturæ, habet tamen vnitatem ordinis sufficientem, vt vnum per se in suo genere appelletur, vnum videlicet per se ordinatum, quod satis est, vt vna definitione explicabile sit: satis etiam vt proprietates habeat illam vnam essentiam consequentes, vt habeat etiam principia, per quæ demonstrari de eo possint.

Deceptio primæ sententiæ. In hoc igitur decepti inueniuntur priores sententiæ auctores, quod solum vnum per se posuerunt, quod in esse naturæ vnum est, vnitatem ordinis non considerantes, ac propterea inter entia per accidens enumerarunt omnia, quæ talia sunt secundum esse, quanquam per se ordinentur: cum tamen vtrumq; modum vnitatis per se tanquam necessarium recipiat vniuersa schola, & tanquam sufficientem ad cōstituendum vnum aliquid per se scibile, ac definibile: quemadmodum enim nō requiritur in obiectis scientiarum eadē necessitas, sed vnum est magis necessariū quā aliud, pari ratione de vnitate censendum est, nō esse necessarium, vt obiectū summā habeat vnitatem: sed satis est, vt in suo genere, vel gradu sit per se vnū vnitate naturæ, vel ordinis sufficiēti quidem vt vna possit definitione explicari, & cōsiderari ab vna scientia: quam vnitatem per se illa omnia habere certissimum est, nam licet multa sint entia in actu secundum esse, quæ ad eorum constitutionem cōueniunt: sed in ratione ordinis, quædam se habent, vt potentia per se, ac necessario alijs præsupposita, alia vt actus, à quo determinantur, vndè sicut ex potentia, & actu secundum esse naturæ coalescit vnum in esse naturæ, pari ratione ex potentia, & actu in ratione ordinis coalescit vnum vnitate ordinis. 265 266

Exemplū. Exemplum numeri pro cunctis sufficiat, cuius vnitates licet sint multa entia in actu in genere quantitatis cōtinuæ, sic tamen ordināntur, vt prima, & secunda in ternario per se præsupponantur tertiæ, à qua etiam per se determinantur ad cōstituendum talem numerum, qui sub genere quantitatis discretæ, nō solum est vnum per se, sed vna species quantitatis ex genere, & differentia composita, cum sit per se quantitas discreta, quæ est genus proximum, & diuisibilis in tres vnitates 267 diuisione discreta, quam diuisibilitatem habet pro vera, atq; intrinseca differentia: & ex tali vna essentia resultant proprietates verè de ea demonstrabiles, vt esse parem, aut imparem, esse numerabilē, & similes: ecce quo pacto nullum eorū numerandū est inter entia per accidens,

dens, neque vllum vnquam enumerauit pro secto Aristoteles, sed ea solum entia per accidens esse voluit, quæ ex concursu multorum, a & non ordinatorum resultant, vel (vt proprius loquamur) quæ non sunt aliud, quam multa
268. absque vllo ordine aggregata.

II. Solutio impugnatur. Ex quibus planè infertur non minus esse friuolam posteriorem solutionem de scientia, quam verbis adeò expressis negauit Aristoteles circa entia per accidens versari, licet enim non sit necessarium definitionem habere vniuersa obiecta scientiarum, cum sint quædam adeò vniuersalia, vel simplicia, quæ definitione careant, sed de qualibet re determinata præsupponendum esse docuit Aristoteles, an sit? eiusq; definitionem, aut quidditatiuum conceptum per se vnum medium esse, per quod demonstrantur passiones, cum ergo entia per accidens determinata sint, non vniuersalissima, nec simplicia, si definitione careant (vt probatum est) obiecta scientiarum nequaquam esse poterunt.

269. Quod non minus euidenter ostenditur ex principijs, & passionibus, vel proprietatibus: nam si non habent vnam aliquam essentiam, quas possunt habere proprietates demonstrabiles, quæ principia per quæ demonstrentur? considera hominem album, vel ædificatorem musicum, & videbis nullam proprietatem habere, ab homine quidem propter essentiæ vnitatem, & pariter ab albedine fluere proprietates possunt, sed ab vtroque simul, ex quo non
270. resultat vna aliqua natura, vna aliqua essentia, quo pacto vnum aliquod per modum proprietatis emanabit? & si principia scientiæ ab essentia subiecti desumuntur, vbi non est vna aliqua essentia, neque vnum principium ab ea desumi poterit, à qualibet parte accipere principia possumus nequaquam ex aggregato, cum non sit vnum.

Nec ex principijs vtriusque partis demonstrare aliquid de aggregato possumus: nam quemadmodum partes ipsæ per accidens con-
271. iunguntur, pariter etiam principia: ex principijs autem per accidens coniunctis extrui demonstratio minimè potest: nam cum principia sint causa per se conclusionis per se debent coniungi in demonstratione ad illam producendam.

Relinquitur ergo verum esse vtrumq; pronunciatum ab Aristotele, nullum ens per accidens esse definibile, nec obiectum scientiæ, quod cum D. Thoma in eiusdem loci Commentarijs recipiunt vniuersi eius interpretes, & communi totius scholæ voce firmatum est, à qua recedere non licet: & argumentum oppositæ sententiæ, inter corroborandā nostram patet solutum esse.

TRACTATVS QVARTUS de Sapientia.

QVAESTIO VNICA.

Quid nam sapientia sit, & quonam modo ab intellectu, scientia, cæterisq; virtutibus intellectualibus distinguatur.

Sapientiæ dignitatem (vt ab ea exordium sumamus) sic extulit Philosophus, vt non solum scientiarum omnium facilè principem, sed reginam, ducem, regulam, atq; mensuram iure appellandam esse voluerit, cui tanquam ancillæ deseruiunt 3. Metaph. lib. text. 3. hisce verbis. *Ex his itaque, quæ ab antiquis determinata sunt, quæ scientiarum appellanda sit sapientia, rationabile videtur, vnamquamq; ita appellandam esse: verū quatenus principalissima, & honorabilissima, & cui cæteras scientias tanquam ancillas non contradicere decet; illa est ipsius finis, & boni: huius enim causa cætera.* Sapientiæ dignitas ex Arist. 1. Arist.

Ex quibus valde à se approbatis sapienter intulit D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. quod cum scientiæ iuxta diuersam naturam, & conditionem scibilium diuidantur: sapientia tamen non est nisi vna, & merito quidem nam eminentia intellectualis cognitionis nō potest in multis reperiri. 2.

Vt autem absolutissimā eius conditionem perspectam vtcumque habeamus, tria erunt à nobis expedienda, primum, quid nomine sapientiæ intelligendum sit: secundum, quid sit res ipsa tali nomine designata, & tertiū (quod ex vtroque constabit) quo nam pacto à cæteris intellectualibus virtutibus distinguatur, intellectu præsertim, & scientia iam explicatis: nam cum sit vnum ex quinque membris generalis illius diuisionis positæ ab Aristotele 6. Ethic. cap. 3. & membra cuiuslibet bonæ diuisionis distincta esse oporteat necesse erit sapientiam à cæteris membris separare, quod non erit diffi-

erit difficile, si semel propriam eius rationem tenuerimus.

Quid significetur nomine sapientia. Ab ipsa igitur nominis significatione incipientes multiplicem esse acceptionem sapientiæ affirmamus, vt ex diuersis testimonijs Aristotelis, ac D. Thom. planè colligitur.

Prima acceptio sapientiæ. Accipitur sapientia primo pro omnium pluriumue scientiarum congerie, in quibus excellit quispiam: & iuxta hanc acceptionem multarum scientiarum cognitione instructum hominem solemus vocare sapientem, sic accipitur ab Arist. 1. lib. Metaph. cap. 2 non longè à principio, vbi talibus conditionibus sapientem prædítum fore vult. 3. *Primo igitur opinamur sapientē maximè omnia vt possibile est scire, non habentē singulariter eorū scientiam: deinde illū, qui difficiliora, neq; scitu facilia homini cognoscere possit sapientem existimamus, sentire enim omnibus commune est, quamobrem facile, & nequaquam sapiens est. item illum, qui certior, ac magis docere valens, causas reddat, sapientem in omni scientia esse.*

Secundo accipitur sapientia pro excellentia cuiuscunque scientiæ, vel artis, in quo sensu quemlibet vocamus sapientem, qui non vulgatem alicuius artis peritiam consecutus est, sed ad perfectionis culmē peruenit, vt sapientem Medicum, aut Philosophum. 4.

Quo pacto accipitur ab Arist. 6. lib. Ethic. cap. 7. sic incipiente. *Sapientiam autem in artibus attribuere illis assueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt, vnde Phydiam sapientem marmorariū, Polycletum statuarium sapientē dicimus, nihil aliud hic sapientiæ nomine, quam artis ipsius virtutē significantes*: eiusdem acceptionis meminit D. Thom 1 p. quæst. 1. art. 6. sic loquens. *Ille sapiens dicitur in vnoquoque genere, qui considerat altissimam causam illius generis, vt in genere ædificij artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens architector respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides.* Eiusmodi tamen conditiones communes sunt, & ex quibus non deducitur quid propriè sapientiæ nomine intelligamus. 5.

Accep. 3. Propterea accipitur tertio pro vna aliqua scientia omnium excellētissima, à qua simpliciter denominatur sapiens, qui eam assequutus est, vt docuit planè Aristoteles 6. lib. Ethic. cap 7. sic inquiens *Cæterum esse alios quosdam omnino, & non ex parte sapientes existimamus, neque alia aliqua in re sapientes, quemadmodum inquit in margite.*

It nec fossor erat, nec erat robustus arator,
Aut alia re aliqua sapiens, si numina diuum
concessere

Quapropter exactissimam scientiarum esse sapientiam manifestum est, &c. & quia inter scientias quas lumine naturali cognouit Aristoteles perfectissima est Metaphysica, idcirco eam nō obscurè vocat simpliciter sapientiam 1. lib. Metaph. & cap. non procul à fine dicens *Cuius autem gratia nunc sermonem facimus illud est, quod appellatā sapientiam circa primas causas, & principia omnes arbitrantur versari.* Et D. Thom. cui scholastici omnes consentiunt, Theologiam in ordine supernaturali absolutissimam merito sapientiam appellauit. 6. Metaphysica est sapientia ex Arist.

Conditiones sapientiæ tertio modo sumptæ. Ad rationem autem sapientiæ hoc modo sumpiæ tales desiderantur conditiones, prima, vt circa res altissimas, atque vniuersalissimas versetur. Secunda, vt vniuersalissimas causas, atque principia rerū tradat (particularia namque cuiuslibet obiecti, vel scibilis principia in qualibet scientia particulari traduntur) Tertia, vt de principijs aliarum scientiarum, atque ex consequenti de conclusionibus iudicet, iuuans ad eorum explicationem, & confirmationem tanquam facultatem habens ea probandi aduersus proteruè negantes Postrema, vt gratia sui ipsius sit, & non alterius: vnde cum scientia practica nō sui ipsius, sed operis faciendi, vel dirigendi sit: speculatiua verò non propter alterum, sed propter se, sapientiam speculatiuam, & nō practicam esse omnino oportebit, & talem, quæ ad alteram scientiam, & facultatem non ordinetur, sed cui deseruiant omnes: has ferè omnes conditiones docuit Aristoteles in veram sapientiam conuenire 1. lib. Metaph cap. 2. in hæc verba. *Scientiarum quoque illam, quæ gratia sui ipsius, & propter ipsum scire, quam illam, quæ aliorum gratia eligenda sit, magis sapientiam esse, & principaliorem, quam ei subministrantem potius sapientiam esse: non enim, vt sapienti præcipiatur, sed vt ille præcipiat, nec vtile ab altero, sed vt ab eo minus sapienti suadeatur decet, &c* & quibusdā interpositis. *Talis autem est eius quod maximè scibile, maximè autē scibilia sunt ipsa prima, & causæ, propter hæc enim, & ex his cætera cognoscuntur sed nō hæc per subiecta: principalissima autē scientiarū, & principalior subministrante est, quæ cognoscat id, ob quid quodque agendum sit; hoc autem est bonum cuiuscunque, & vniuersaliter, quod in omni natura optimum est ex his omnibus itaq; dictis in eandem scientiam cadit, quod quæritur nomen: opor-* 7. III. IIII. 8. 9.

tet etiam primorū principiorum, & causarum, eam speculatiuam esse, nam & bonum, & cuius gratia vna de causis est: quod autem non factiua etiam ex primis Philosophantibus patet, qui propter fugā
10. *ignorantiæ philosophati sunt; vnde patet, quod causa cognoscendi, & nullius vsus gratia ipsum scire prosequebantur, &c.*

Tertiam. D. Thom. Tertiam verò cuius non videtur meminisse Aristoteles tradidit D. Thom. 1 p. quæst 1 art. 6. & 1. 2. quæst 57. art 2. quam omnes eius expositores recipiunt, & hoc modo interpretantur: non quidem quod altissima hæc scientia de principijs aliarum sic iudicet, vt per propria illarū media, vel rationes probet, sed per communia, cuius pulchram certè rationē attulit D. Thom in priori loco, quia cum principia aliarum scientiarum sint per se nota, non possant intra suum genus, vel ordinem probari, sed probantur per sapientiam ex communibus gradibus: gratia exempli, principium illud, omne totū est maius sua parte, per se notum est in Mathematicis disciplinis, quod proinde per mediū proprium non potest pro-
11. bari, probatur tamen per communia à Metaphysica hoc modo, quidquid aliud includit, & aliquid amplius, maius est illo, sed totum includit quamlibet partem, ac cæteras, ergo necesse est qualibet maius esse.

Præterea sic probari intelligendum est, vt nō semper demonstrentur, sed aliquando probabiliter dumtaxat, ex quibus concessis ab aduersarijs argumento (vt aiunt) ad hominem nec enim probatione indigent principia se-
12. cundum se, cum per se nota sint, ex proprijs terminis, sed pro his, qui ea non satis percipiunt, vel percipientes proteruè negant.

Cernens autem Aristoteles in sola Metaphysica cōcurrere has omnes cōditiones, eam non obscure sapientiam appellasse vidimus 1. metaph. cap. 1.

Et eandem ob causam D. Thom. Sacram Theologiam, & ex his satis constat, quid nominis ipsius sapientiæ.

Reliquum est, vt quid rei explicemus, de quo magna est inter viros doctos dissentio quibusdam opinantibus ad eius naturam pertinere non solum conclusionum notitiam sed etiam principiorum.

Quid rei sapientiæ. Quod duplicem sensum habere potest, primum, ita vt sapientia vnus sit habitus qui circa principia versetur, & conclusiones, vel quod idem est circa totam demonstrationem.

Secundum non vt vnus sit habitus, sed quid aggregatum ex multis, nempè ex habitu principiorum, & conclusionum.

Itaque iuxta primum sensum Metaphysica prout sapientiæ nomine insignitur, vnus quidam habitus est, qui versatur circa principia, & conclusiones, vel circa totam demonstrationem in materia constitutam, iuxta secundū vnum quasi coniunctum ex vtroq; habitu.

Sit ne Metaphysica vnus habitus ad quem pertineat versare circa principia & conclusiones: duæ sententiæ oppositæ.

I. Opinio. IVxta hunc igitur duplicem sensum duplex est opinio eorum, qui vtramque notitiam claudere arbitrantur, prima tenet vnū esse habitum simpliciter, qui in totam fertur demonstrationem per modum vnius obiecti, quam Gabriel ex mente Ochami sequutus est in prologo sententiarum quæst. 8 & nouissime. Mag. Zumel. 1 p. quæst art. 6. ad finem.

Quam probat ex mente Aristotelis 6. Ethic. 14.
Probatur ex Arist. cap 7. vbi ita loquitur. *Sapientem igitur non solum ea, quæ, ex principijs sunt cognoscere sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet, quare sapientia erit intellectus, & scientia (& paulo infra) quasi rem concludens, constat igitur ex his, quæ dicta sunt, sapientiam esse rerum præstantissimarum scientiam, & intellectum.*

I. Argum. Probat deinde ratione, quia sapientia est membrum quoddam generalis illius diuisionis, qua diuiditur ab Aristotele virtus intellectualis in ipsam, & intellectū, scientiam, prudentiam, & artem, ergo non minus à cæteris membris distincta debet esse, quam cætera 15
membra inter se se, at si posueris esse habitum principiorum dumtaxat, non poteris eam ab intellectu separare, si verò solas conclusiones respiciat, non separabitur à scientia, ergo necesse est has, & illa, seu integram demonstrationem respicere per modum vnius habitus, vt sic ab vtraq; separetur: nec mirū est vtramq; rationem respiciendi principia, & conclusiones, in sapientia vniri, & quasi eminēter contineri, cum sit excellentissimus habitus iuxta vulgatum illud in schola receptum, & multis exemplis confirmatum, quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus reperiuntur vnita, sicut cernimus in anima rationali gradus sentiendi, ac vegetandi in inferioribus animabus diuisos sub vnitate continente.

II. Arg. Secundo probatur, quia non repugnat eundem

16. dem actum, & habitum scientiæ versari circa conclusiones. & principia, illis si quidem propter hæc assentitur, ergo simul circa vtraque versatur, & D. Thom. 1. 2 quæst. 8. art. 3 id expressè sentire videtur affirmans voluntatem eodem actu ferri in medium, & finem, sicut intellectus eodem actu fertur in conclusiones, & principia, respicit igitur idem habitus sapientiæ, vtrumq; obiectum per modum vnius.

II. Opinio. Secunda sententia quid coniunctum ex vtroque habitu formaliter incluso asserit esse sapientiam iuxta posteriorem sensum, quã nouissime tenet noster Molina, in commentarijs 1. p. quæst. 1. art. 6 cui nonnulli ex modernis interpretibus subscripsere, pro se afferentes idem testimonium Aristotelis aperiè satis asserentis scientiam, & intellectum claudere.

Ratio. Deinde ratione eam confirmantes, quia sapientia exactissima quædam cognitio est rerũ
17. altissimarum, sed talis non habetur per solum habitum scientiæ nisi accedat intellectus, per quem earundem rerum altissimarum quidditates, quantum fieri potest, contempletur sapiens absq; vllo medio, vel causa, ergo vtrumque habitum completam sapientiam claudere necesse est: nam per vnum principia, & conclusiones respicientem non videtur possibile, cum noster intellectus (pro hoc præsertim statu) ita sit limitatus, vt non nisi per plures habitus, principia, & conclusiones respicere valeat, vt circa aliam quamcunq; materiam cernimus: vnde licet sapientiæ Angelorum possibile hoc sit, & conueniens, minimè tamen nostræ, limitata subiecti capacitate obstat.

Statuitur vera sententia D. Thomæ.

II. Opinio. SEntentia D. Thom. magis doctrinæ Aristotelis, & veritati consentanea (quam
18. nos libenter amplectimur) valdè diuersa est ab vtraque, tenet namque sapientiam esse vnum habitum absolutissimæ scientiæ, qui propter excellentiam, & vniuersalitatem sui obiecti, sub quo continentur particularia scientiarum, & propter absolutissimum modum procedendi per altissimas causas, quas propriè contemplatur, non solum versatur circa proprias conclusiones, eas ex proprijs principijs demonstrando, sed etiam circa principia aliarum scientiarum, illa, vbi opus est, explicando, demonstrando, vel probabiliter ostendendo, aduersus proteruos ea negantes (vt vidimus.)

Versari itaque circa principia, non de proprijs intelligendum est, sed de principijs aliarum scientiarum, vt docet apertè Arist 11. metaphysic. summa 2 cap 2. (nam liber iste textuali diuisione caret) cuius verba hæc sunt: *Cum autem etiam mathematicus propriè specialiter communibus vtatur, horum quoque principia speculari, primæ Philosophiæ profectò erit.* & cap. 19.
sequenti principia secundũ se omnino indemonstrabilia ad hominem demonstrare metaphysicum docet, hoc est ex concessis ab aduersario, in quo etiam sensu etiam communissima principia demonstrare docet. 1. lib. post. text. 27 his verbis: *Vt si aliquis vniuersaliter tentet demonstrare cõmunia, vt quod omne asserere, aut negare, aut quod æqualia ab æqualibus*: & quidem non sicut proprij habitus illorum, qui sine medio ea respiciunt, sed per discursum, & ratiocinationem, tanquam scientia nõ ex proprijs cuiuslibet materiæ, in qua apertum est indemonstrabilia esse, sed ex proprijs sui obiecti, quæ respectu aliarum scientiarum communia sunt: vnde fit, propria eius principia, quę vniuersalissimã sunt, quasi fundamenta esse, quibus particularia principia scientiarum firmantur, atque consistunt, & cum his modis perfectissimis circa omnia principia sub proprijs contenta versetur, continet absq; 20.
dubio perfectionem intellectus, qui est habitus principiorum non formaliter, cum non modo simplici, hoc est ex terminis circa illa operetur, quo pacto operatur habitus principiorum, sed eminenter sub quadam ratione scientifica superiori, ea quasi per modum conclusionum respiciens, licet nonnihil ab eo diuersum, quo respicit proprias, quas ex proprijs principijs, atque adeò per modum proprium probat. Principia verò aliarum non per medium, quod respectu earum sit proprium, sed commune, quapropter diuerso modo se habet ad principia aliarum scientiarum, ac subalternans ad principia subalternatæ, quæ per pro- 21.
prium, ac proximũ medium à priori demonstrat (vt cap. 10. prioris libri copiosè ostendimus) defectu, cuius licet conditiones ad subalternationem requisitas haberet metaphysica (quam sapientiæ nomine intelligimus) nõ essent ei omnes scientiæ propriè subalternatæ (vt suo loco, & tempore explicabitur) sapientia itaque scientia cum sit, circa principia non propria, sed aliarum scientiarum versatur ac propterea intellectus quodammodo vocatur, & scientia quodammodo respectu suarũ conclusionum.

Hæc est

Hæc est igitur sententia D. Thom. quam 6,
Ethic. lect 5. ad finem, mentem Aristotelis
circa naturam sapientiæ exponens, profitetur,
& 1. 2. quæst. 57. art 2. cui videntur subscri-
bere Caiet 1 lib post. cap. 10. dub. vltimo, &
Magister Vañ 2 1 part. quæst 1 art. 6

I. Probat. Probatur efficaciter aduersus primam, & se-
22. cundam sententiam, ab vtraque enim necessa-
rio admittendum est virtutem intellectualem
in communi diuisam esse ab Aristotele in quin-
que speciales virtutes, ergo necessario etiam
fatendum est sapientiam esse vnam virtutem
specie distinctam à cæteris, si ergo est vna vir-
Ostendit falsitas 2. sententiæ. tus, ergo vnus habitus, ab inferiori ad superius
affirmatiue, nam habitus genus virtutis est,
falsa est igitur secunda opinio, & menti Ari-
stotelis planè contraria, ponens sapientiam es-
23. se multiplicem habitũ intellectus, & scientiæ,
quos formaliter claudere docet per modum
vnius coniuncti, vel aggregati: de sapientia itẽ
loquens Aristoteles (vt vidimus) docuit ex
presse altissimam esse scientiam, quod si scien
tia est repugnat esse intellectum formaliter,
cum intellectus sine medio versetur circa pro-
prium obiectum, scientia verò medio discur-
su: ac tandem cum assensus principiorum sit
actus specie diuersus à scientifico, sequitur sa-
pientiam duplicem habere actũ specie diuer-
sum non materiali, sed formali, quem ab vna
virtute: & habitu elici repugnat.

Occurrit solutioni. Nec satis fit, si dicatur quemlibet esse in-
adæquatum, & ex vtroque vnum adæquatum
fieri, hoc enim impossibile est, nam cũ assen-
sus principiorum sine medio sit, scientificus
24. verò medijs principijs habeatur, non est dabi-
lis vnus aliquis assensus, vel vna ratio superior
vtrumque complectens, nam vel talis erit sine
medio, & non poterit continere scientificum,
vel per medium, & non poterit continere as-
sensum principiorũ, qui sine medio habetur.

Ostenditur falsitas 2. opinionis. Et hæc ratio planè conuincit, non minus
falsam esse primam sententiam ponentem
vnam esse virtutem sapientiam, vnumque
habitum simplicem, qui circa principia ver-
satur, & conclusiones, nec enim per vnum
simplicem habitum circa vtrumque obiectum
25. versari potest, cum assensus principiorum, &
conclusionum ex parte medij sint diuersi, nec
possint sub aliquo tertio conuenire, vnde licet
ponant sapientiam esse vnam virtutem, &
vnum habitũ distinctum à cæteris, vt ex men-
te Aristotelis oportet ponere, sed talis modus
vnitatis impossibilis est.

Quod probatur 2. quia quicumque assensus II. Prob.
scientificus per demonstrationẽ genitus deri-
uatur ex assensu principiorum, tanquam ex
propria, ac proxima causa, ergo ex propria ra-
tione ab eo distinguitur, non solum reali, sed
specifica distinctione, cum alterius sit condi- 26.
tionis ab eo, pugnat igitur cũ natura demon-
stratiuæ scientiæ: vt idem actus sit cum assen-
su principiorum, atque adeò vt idem sit habi-
tus, nam sicut actus se habet ad actum, ita ha-
bitus ad habitum, talis enim vnicus actus, &
habitus, per quẽ in principia simul, & conclu-
sionem, vel in totam demonstrationẽ tende- 27.
ret intellectus, nec esset sine medio, & ita non
posset esse intellectus principiorum: nec per
medium, & sic non esset scientia, ab vtraq; au-
tem ratione abstrahere impossibile est, cũ nul-
lus sit possibilis, nec excogitabilis euidens as-
sensus nostri intellectus, qui non sit, vel ex
sola terminorum notitia genitus, vel ex prin-
cipijs per demonstrationem deriuatus, posset
quidem vna simplex cognitio circa principia,
& conclusiones versari per modum vnius ob-
iecti, si esset simplex, aut sine discursu, qualis
est scientia angelorum, si autem discursiua sit,
vt nostra, omnino repugnat, nam de intrin-
seca eius ratione est ex præuia alia non scienti-
fica tanquam ex causa fieri (vt docuit expresse
Aristoteles in huius operis principio) necesse
est ergo à notitia principiorum (quam voca-
mus primam) omnino esse distinctam, atque
adeò contradictionem continet apertam sub
eodem habitu (qui sapientia vocatur) vtrumq;
contineri.

Proponitur iam vera conclusio.

Superest ergo non solum veram, sed ne- Vera sent.
cessariam esse sententiam D Thom. à no-
bis explicatam, cum non sit alius modus
excogitabilis ponendi sapientiam vnicam vir-
tutem, atq; etiam vnicum habitũ distinctum
à cæteris intellectualibus: modum autem, quo
ab intellectu, & scientia distinguitur, egregiè
tradidit. 1 2 quæst. 57. art. 2. ad 2 in hæc ver- 28.
ba: *Istæ tres virtutes non ex æquo distinguuntur* D. Thom.
ab inuicem, sed ordine quodam, sicut accidit in to-
tis potentialibus, quorum vna pars est perfectior
altera, sicut anima rationalis est perfectior, quam
sensibilis, & sensibilis, quam vegetabilis: hoc enim
modo scientia dependet ab intellectu sicut à princi-
paliori, & vtrumque dependet à sapientia, sicut à
principalissimo, quod sub se continet, & intellectũ,
& scien-

& scientias, & de conclusionibus scientiarum diiudicans, & de principijs earundem, &c.

Itaque generalis diuisio virtutum intellectualium quantum ad hæc tria membra similis est ei, qua diuiditur anima in vegetatiuam,
29. sensitiuam, & rationalem, quæ dicuntur partes potestatiuæ eius: nam anima quasi genus est. & ideò totum quoddam potentiale respectu horum partium quas sub ambitu propriæ potestatis continet: constat autē nō ex æquo, sed sensitiuam, perfectionem vegetatiuę claudere, & rationalem, perfectionem vtriusque: pariter ergo habitus intellectualis, qui versatur circa vniuersalia, diuiditur in intellectum, scientiam, & sapientiam, quasi totum quoddam potentiale in partes potestatiuas, vel subiectiuas, non quidem ex æquo distinctas, sed quarum vna dependet ab alia, quasi perfectionem eius claudente, & vtraq; a sapientia tanquam à perfectissimo, perfectionem vtriusque continente: pendent namque vniuersa principia scientiarum, circa quæ versatur intellectus à sapientia, per quam modo superius explicato probantur, atq; adeò conclusiones earum, quæ ex principijs deducuntur: vnde sequitur eandem habere dependentiam vtrumque habitum.

Ex quibus intelligitur facilè quantum sapientia supra ipsos eleuetur, & supra commu-
30. nem rationem scientiæ apertum est, propter altissimas caussas, vniuersalissimaque principia, ex quibus procedit: & quia non solum ad conclusiones, sed ad principia scientiarum propria, & vniuersis communia, quæ vniuersalissima, & dignitates vocantur, eius virtus extenditur, supra intellectum verò, nam licet simplicior sit modus procedendi huius habitus, qui sine vllo medio percipit veritatē principiorum, sapientia verò discursiua est non solum circa conclusiones, sed etiam circa principia aliena: in hoc tamen multum excellit, quia principia eadem, quibus simpliciter assentitur ille, elucidat hæc, firmat, & quasi consistere facit, & vbi opus est, eorum veritatem ostendit, corroborat, confirmat, defendit, atque demonstrat: quod sapienter docuit D. Thomas in commentarijs 6. libri ethicor. le-
31. ctio n. 5 ad finem sic inquiens: *Quia sapientia est certissima (vt ait Philosophus) principia autem demonstrationū sunt certiora conclusionibus, oportet, quod sapiens non solum sciat ea, quæ ex principijs demonstrationis concluduntur circa ea, de quibus considerat, sed etiam quod verum dicat circa ipsa principia prima, non quidem, quod demonstret ea, sed in quantum ad sapientes pertinet, notificare communia, puta totum, & partem, æquale, & inæquale, & alia eiusmodi, quibus cognitis principia demonstrationum innotescunt: vnde, & ad huiusmodi sapientem pertinet disputare contra negantes principia, vt patet, in 4. metaphysic. text. 8.* Hæc D. Thom. qui dum negat, sapientem demonstrare principia aliarum scientiarum, ex proprijs illius scientiæ, vel ordinis intelligendum est: nam ex communibus aliquando demonstrare (vt admonuimus) non est negandum.

Opposita argumenta soluuntur.

ET ex doctrina tradita soluuntur facilè argumenta vtriusque sententiæ: testimonium quidem Aristotelis in fauorem primæ inductum: cum expositum iam sit, sapientiam versari circa principia omnium scientiarum, & modo quodam excellentiori, quam intellectus ipse, vnde habitus principiorum iure vocatur ab Aristotele, atque intellectus, & scientia, cum circa proprias conclusiones, quas per altissimas caussas demonstrat, absolutissima scientia sit. Soluitur testimonium Arist. 32.

Primum etiam argumentum solutum est, cum ostensum iam sit, quomodo sapientia à cæteris membris diuisionis separetur, præsertim ab intellectu, & scientia: de quibus aliqua posset esse difficultas, quibus illud addendum est, quod D. Thom. adnotauit opusc. 70. super librum Boëtij de Trinitate quæst. 5 art. 1. nempè Aristotelem 6 ethicorum de habitibus intellectualibus disseruisse, prout sunt virtutes intellectum suis operationibus perficientes, nam virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum. 33.

Constat autem sapientiam diuerso modo, ac longe perfectiori perficere intellectum, quā habitū principiorum, & scientiam, & ex consequenti esse virtutem intellectualem ab eis distinctam.

Secundum argumentum soluit distinctio hæc, qua vtitur D. Thom. in eodem articulo: finis comparatus ad voluntatem, & principia ad intellectum duobus modis considerantur, aut secundum se, vel in quantum ille est per se appetibilis, & hæc per se vera, alio modo vt finis est ratio volendi media, & principia rationes formales assentiendi conclusionibus, quæ distinctio alijs verbis explicari solet, finem, & principia considerari vt quod, hoc est, vt id in quod Ad 2. arg.

in quod feruntur voluntas, & intellectus, vel vt quo, id est, vt finis est ratio volendi media, & principia assentiendi conclusionibus, &
34. quidem sub consideratione priori repugnat eodem actu ferri voluntatem, in finem, & media, aut intellectum in principia, & conclusiones, sub posteriori verò necessarium est: vnde fit eundem scientiæ habitum, imo eundem eius assensum circa principia, & conclusiones versari, circa illas quidem, vt quibus assentitur, circa hæc verò non vt quibus assentitur, sed tanquam rationes assentiendi: cuius hæc est pulchra ratio, quia ex obiecto quod, & ratione sub qua, vnum totale completum, atque formale fit, circa quod versatur potentia, vel habitus, & à quo speciem capit.

Ad formã arg. Ad formam igitur argumenti admittimus sapientiam versari circa proprias conclusiones, atque etiam circa propria principia, tan-
35. quam rationes formales assentiendi considerata, si tamen considerentur secundum se, vel vt quibus assentitur intellectus, repugnat eodem actu percipi, quo percipiuntur conclusiones, imo vllo actu, vel habitu scientiæ: nam quilibet assensus scientiæ habetur ex principijs, tanquam ex medio, vel causa, à qua deriuantur, sed assensus principiorum non habetur per medium, neque ex altero tanquam ex causa deriuatur, ergo ad scientiam pertinere aperte repugnat.

Ad II. partem. Quod autem additur, vtramque rationem principiorum, & conclusionum in sapientia, tanquam in eminentiori habitu vniri quamuis in inferioribus scientijs sint dispersæ, fundamento rationis caret, nam licet altior sit sapientia cæteris habitibus intellectualibus, modum nihilominus procedendi scientificum, atque adeò discursiuum vtpotè sibi intrinsecum exuere non potest, cui repugnat assentire
36. sine medio, & ex consequenti, quod in actu, vel habitu eius fiat vnio vtriusque rationis intellectus, & scientiæ.

Ad argum. secundæ sententiæ. Argumentum secundæ opinionis facilè soluitur: nam ad sapientiam solum pertinet proprias conclusiones per altissimas causas, & ex vniuersalissimis principijs demonstrare: hoc est enim exactissimam scientiam rerũ altissimarum habere, quantum per lumen naturale possibile est: vniuersalissima autem principia, atque earundem rerum quidditates præsupponuntur, quasi fontes, ex quibus conclusiones eædem deriuantur, atque adeò sapien-
37. tia ipsa in earundem cognitione consistens, itaque perfectior est vtraque cognitio principiorum, & conclusionum, sed hæc sola est sapientia, illa quasi sapientiæ initium.

Quæ dicta sunt de dignitate, ac certitudine sapientiæ, de eiusque excellentia supra cæteros habitus intellectuales accipienda sunt de eadem secundum se considerata, nam prout est in nobis innumeras contrahit imperfectiones: notum est enim intellectum nostrum pro statu præsenti nec substantias separatas posse quidditatiue cognoscere, sed sub velamine rerum materialium, & per earundem similitudines: nec vniuersalissimas rationes, vel principia vtpote à sensibus remotissima, nisi confusè nimis percipere valet, vnde fit imperfectissimam nunc habere sapientiam. Institutum huius tractatus.

POSTREMVS TRACTATUS de Opinione, & fide humana.

QVatuor se offerunt consideranda de opinione. Primum an sit cognitio specie diuersa à fide humana, vbi propria vtriusque essentia, vel conditio expenderetur: secundum, an formido, & pia affectio voluntatis ad eius essentiam, & consequenter humanæ fidei exspectent: tertium, an simul possit esse cum scientia: ac tandem, an possibile sit fidem humanã simul stare cum scientia: quatuor igitur controuersijs præsens tractatus absoluetur.

QVAESTIO PRIMA.

An opinio, & fides humana essentialiter distinguantur.

Natura opinionis, & fidei explicatur.

VT quæstionis difficultatem aperiamus, propriam rationẽ opinionis, & huma- 1.
næ fidei exponere oportebit: & ab opinione incipientes certum est nõ consistere in 2.
sola vi, aut potentia imaginãdi, vt Platoni placuit Arist. 3. lib. de anima cap. 4. & 11 testante, sed aliquam absq; dubio intellectiuam cognitionem importare non quidem necessariam,

sed cui falsum subesse potest, vel ex parte obiecti materialis, circa quod versatur, si sit propositio contingens, vel certè ex parte medij assentiendi, si sit de re necessaria, vt planè docet Aristot. 1. lib. post. cap. 23. necesse est enim opinionem, vel de re necessaria per medium probabile, vel contingens esse, aut de re contingenti per medium necessarium, seu etiam contingens: at ex vno vel altero est debilis quædam cognitio, cui non repugnat subesse falsum, quam propterea sapienter Arist. 6 lib. Ethic cap 3. à diuisione virtutum intellectualium depulit, quia quemadmodum virtus moralis efficit actum semper bonum, pari ratione intellectualis semper verum: opinio autem aliquando est falsa: ob imperfectam item conditionem nō pertingit perfectionem habitus, vt benè. Magist. Sotus adnotauit in prædicamento qualitatis.

Ratio ostendens opinionem nō esse habitum.

Cuius ea est efficax ratio, quia habitus (vt ibidem nos ex doctrina Aristotelis, & D. Thom. attulimus) qualitas est difficilè mobilis à subiecto, non quomodocunque, (sed ex propria natura) hoc est ex propria causa, opinio verò debilem habet causam, nempè medium probabile, vndè ex parte eius facilè à subiecto

3. expelli potest, quod ergo nimis sit in subiecto radicata ex frequentatione actuum materialem dumtaxat rationem habitus ei confert, non formalem: sed cum sit qualitas ex propria natura facilè mobilis à subiecto, sub dispositione collocanda est in prædicamento qualitatis.

Duplex opinio ex Arist.

Est autem duplex opinio, vt apertè colligitur ex doctrina Aristot. 1. lib. post. cap. 26. & ratio ipsa conuincit: vna immediata, cui intellectus assentitur nō per medium, vel rationem probabilem, sed auditis statim, vel expositis terminis, qualis est assensus huius propositionis, omnis mater diligit filium suum, ac simi-

4. lium, quas vt probabiles iudicemus non rationem vllam, aut argumentum postulamus, sed veritas ipsa probabilis intellectum conuincit, vt probabiliter assentiatur.

Altera mediata.

Altera est opinio mediata, quæ, vel ex hac deducitur, aut ex alia propositione probabili per euidentem, vel probabilem consecutionem, vel certè ex propositione euidenti per probabilem dumtaxat.

Immediata definitio ex Arist.

Immediatam opinionem (quam vocare solent primam) descripsit Aristoteles cap. 26. 1. lib. dicens esse acceptionem immediatæ propositionis, & non necessariæ, nam & si necessario probabilis sit, non tamen necessario vera, cum possit esse falsa: nec enim repugnat etiam probabile primum esse falsum: hanc autem solam descripsit, quia facilè erat ex eius definitione definitionem alterius elicere, cuius & meminit eodem capite illis verbis. *Si quidem per immediata opinabitur, si autem nō per immediata ipsum, quod solum opinabitur*: nam si 5.

immediata opinio est illa, quæ ex se probabilis est, erit mediata, quæ non ex se, sed vel per euidentem consecutionem ex probabili, vel per ineuidentem ex euidenti deducitur, itaque quemadmodum assensus euidens intellectus vnus est talis ex se, cui intellectus statim exploratis terminis præbet assensum, alius, quem ex eo per demonstrationē deducit, & ille vocatur intellectus, iste scientia: pari ratione probabilis, vnus est talis ex se, & qui non habetur per medium, vel discursum, quem vocare licebit primum, & quasi intellectum in suo genere: alius, quem per discursum deducit intellectus, & appellari potest secunda opinio, aut per discursum genita.

Soti opinio de vtraque opinione.

Inter vtramque opinionem non videtur ponere essentiale discrimen Magist Sotus vbi supra, quasi velit atomam rationem opinionis à cæteris intellectualibus cognitionibus distinctam esse infimā quandam cognitionem, cui nō repugnat subesse falsum, siue per solam notitiam terminorū habeatur, siue per discursum, vtraque enim ratio ei accidentalis est.

Refutatur.

Nihilominus si similitudinem teneamus inter duplicem modum euidentis, & probabilis cognitionis nuper expositam, necessarium censebimus essentialiter differre, nā propterea 7.

dicimus euidentem cognitionem principiorum specie esse diuersam à scientifica: quia sine medio illa habetur, hæc verò eo mediante: intellectuales namque cognitiones per diuersas rationes formales assentiendi separamus: sed in ordine probabilium nō minus differunt prima, & secunda opinio per diuersas rationes formales assentiendi ex terminis, aut per discursum, ergo non minus distinguuntur essentialiter.

Impugnatur.

Quod igitur infirma sit vtraque cognitio, & cui non repugnat subesse falsum, non est atoma ratio opinionis (vt voluit Mag. Sot.) sed generica, sub qua prima, & secunda opinio specie distinguuntur, non secus ac sub euiden- 8.

ti cognitione, cui omnino repugnat subesse falsum, specie differunt cognitio principiorum, & conclusionum.

Vnde

Statum. Vnde infertur per probabilem notitiam ex terminis habitam, ac per discursum diuersos habitus, vel (vt proprius loquamur) diuersas dispositiones similitudinem habituum tenentes generari: nam si assensus, vel actus specie distinguuntur, necesse est habitus (qui ab eis speciem sortiuntur) specie distingui: & ex his constat propria ratio opinionis.

Fides humana, vt colligitur ex doctrina D. Thom. 1 2. quæst. 2. art. 1. non est aliud, quam
9. cognitio ab humana autoritate, seu testimonio profecta, hæc enim tria ait D. Thom. scientia, fides, & opinio, aliquid commune habent, & aliquid etiam proprium, quo separantur, conueniunt namque in ratione assensus, nam quælibet inclinat intellectum ad assensum alicuius propositionis: differunt tamen ex modo assentiendi, quia scientia inclinat intellectum ad assentiendum conclusionibus demonstratis ex ipsa rei euidentia, sed ex determinatione voluntatis assensum eliciunt: & si in tali modo assentiendi per rogationes probabiles procedi tur, opinio gignitur: si vero per autoritatem, assensus fidei: diuinæ quidem, si diuinum fuerit testimonium, humanæ, si humanum: vnde fit, humanam fidē talem esse, cui ex parte medij assentiendi (quod est humanum testimonium) non repugnat sub esse falsum: in quo cum opinione conuenit: vnde sapienter D. Thom. 2 2. q. 4 artic. 5. ad 2. eam à ratione virtutis intellectualis excludit: quemadmodū Aristotel. 6 lib. ethico. c 3. exclusit opinionē,
10. & eadem ratione: quia non semper efficit actū verum, sed aliquando falsum. Quibus expeditis patet iam controuersiæ status, an discrimē, quod ex propria conditione opinionis, & humanæ fidei colligitur, essentiale sit, seu specificum, vel solum accidentale.

Proponuntur duæ sententiæ negatiuæ.

I. Opinio. TEnuit vltimam partem Sotus lib. 1. post. cap. 26. quæ. vnica, quē sequitur Masius.
11. controu. 2. eiusdem cap. sic differre opinionem à fide inquiens, ac idem homo puer à se ipso iam viro: quasi inchoatus est enim, ac tener assensus opinionis, atque adeò infirmus, firmatur autem per fide digni testimonium, ita vt iam intellectus non fluctuet, sed firmiter adhæreat propositioni probabili.

Patet ex Arist. Quod docuit Aristoteles 4. libro topicor. capit. 5. loco 60 & 61. dicens, fidem esse vehementem quandam opinionem, quod si verum est, sequitur primo, vnam prædicari de altera, nempè opinionem de fide: secundo sequitur, sola vehementia, vel maiori conatu differre, & ex vtroque solum accidentaliter, non enim prædicatur de altero, quod essentialiter est ab eo diuersum: nec maior, vel minor 12
conatus essentiale discrimen inter assensus potest efficere.

Et ratio ipsa ostendit essentialiter non differre, nam vtraque cognitio talis est, cui non repugnat subesse falsum, ergo conueniunt in ratione formali, per quam à cæteris cognitionibus intellectualibus separantur, quod ergo medium assentiendi in opinione sit ratio probabilis, & in fide autoritas, materialem dumtaxat, vel accidentalem procul dubio differentiā constituit, si quidem vtrumque medium eiusdem est fallibilis conditionis. Ratio.

Quidam autem recentiores, neque omnem fidem humanam ab opinione distinguūt, neque omnem esse eiusdem speciei sentiunt, sed distinctione opus esse arbitrantur, cui hoc notabile præmittunt. 2. Opinio. 13.

Fides quæcunque his duobus principijs innititur, & quod aliquid dicitur, & quod illud testificans verax est, aut fide dignus, & quanta fuerit horum principiorum certitudo, tanta erit in ipsa fide: ita vt, quo veracior existimatur ille, qui testimonium perhibet, & quo certius constiterit eūdem esse, qui testificatur, eo sit certior fides, minus autem certa ex vtriusq; vel alterius minori certitudine: contingit autem euidens esse vtrumque principium non solum in fide diuina, sed etiam in humana, vt docet assensus huius propositionis: Roma est, qui innititur his duobus principijs. Innumeri homines nemine discrepante affirmant Romam esse: & rursus, id quod tanta hominum multitudo testificatur euidens est esse verum: tum ex ipsa rei natura, quia audita hac propositione, quod innumeri homines testificantur verum est, statim assensum præbemus, significatione eius percepta, tum etiam ratione, nam impossibile est tot conuenire homines ad confingendum mēdacium, & longè impossibilius quod casu, & sine consultatione ad talem effectum illud confingendi concurrant: præterea illud est certum, & euidens, cuius oppositum nunquam contingit, sed tale est, quod innumeri homines se vidisse testantur, nūquam enim contingit, quod à cunctis hoc modo affirmatur esse falsum, ergo quoties vtrumque illud Notabile. 14.

principium euidens est, erit etiam certum, & euidens, quod per fidem credimus: vnde nunquam aliquis dubitauit de veritate illius propositionis, sed pro certa, atque euidenti à cunctis habetur: quod si vtrumque, vel aliquod in certum sit, incerta erit etiam fides, vt si constet Petrum esse veracem, non tamen euidens sit, hoc, vel illud affirmare, sed probabile, quia, à multis dicitur, vel si forte non sit euidens illũ esse veracem, sed probabile, certum tamen q̃ hoc, vel illud affirmet, incerta erit fides, & cui falsum subesse potest, & minus longe certa, si neutrum sit euidens.

I. Assertio. Hac igitur distinctione præmissa his duabus assertionibus explicant propriam sententiam: prior est, quoties vtrumque illud princi-
16. pium, cui fides innititur, certum, atq; euidens est, specie distinguitur ab opinione.

I. Ratio. Probant primo, quia assensus humanæ fidei ex euidentibus principijs causatus, certus, atque euidens est, cui repugnat subesse falsũ, sed assensus opinionis ex propria conditione est incertus, atque ineuidens, & quantum est ex parte medij, potest esse falsus, ergo absq; dubio distinguũtur specie, etenim opinio qualibet, siue ex terminis habeatur, vel per syllogismum euidentem ex probabilibus sit præmissis deducta, vel certe per probabilem ex euidentibus, talis est vt ex parte obiecti sit contingens, vel saltem ex medio assentiendi: ex vno igitur vel altero semper est incerta, atque ineuidens, & cui non repugnat subesse falsum.

Confirm. Confirmatur ex pronunciato illo Iacobi, cap. 2 epistolæ canonicæ. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Quasi dicat, conuictos credere, quia signorum euidentia cõuincuntur ad credendum ea, quæ innumeri penè homines testificantur, est igitur fides eorum certa, euidẽs, & necessaria, atq; adeò specie distincta à quacumq; alia fide, cuius principia euidentia nõ sunt, & ab opinione essentialiter incerta.

2. Assert. Assertio secũda, quoties vtrumq; illud principium, vel alterum non est certum, & euidẽs, sed solum probabile, nõ distinguitur fides specie ab opinione.

2. Ratio. Probat 1. quia talis fides innititur opinioni, ab eaq; deriuatur, & quidquid habet incertitudinis, & ineuidentiæ participat, ergo erit essentialiter opinio, antecedens ostendit, quia dum ego credo dictis alicuius, propterea fidẽ adhibeo, quia probabiliter intelligo esse vera-
17. cem, vel si euidens hoc mihi est, quia probabiliter credo eum talem rem affirmare: tunc vltra, vel id probabiliter credo per fidem, vel per opinionem, si per opinionem, iam tota fides in opinione fundatur, ab eaque suam probabilitatem mendicat, si vero per fidem, ergo propter alterius testimonium, de quo idem erit argumentum: & procedetur in infinitum, vel deuenire tandem oportebit ad hoc, vt talis fides opinioni innitatur, quapropter nunquam erit specie distincta ab opinione.

Secundo: quia ratio probabilis, & humanũ II. Ratio.
testimonium non variãt obiectum in ratione cognoscibilis, ergo neque variabunt cognitionem: probatur antecedens, nam variare obiectum in ratione cognoscibilis est efficere, vt sit magis, vel minus certum, aut clarum, sed iã obscurum est, quod fide dignus testificatur, atque illud, quod ratione probabili deducitur, nec magis certum vnum, quam alterum, ergo non sunt assensus distincti specie.

Opposita, & verior sententia D. Tho. explicatur.

Postrema sententia distinguit quamlibet fidem humanam ab opinione, quam III. Sent.
absque dubio tenet D. Tho 1. 2. quæstio. 2. artic. 1. vbi assensum humanæ fidei à scien- 18.
tifico separat per incertitudinem, atque ineuidentiam, sed etiam ab opinione, quod hæc rationi probabili innitatur, illa vero fide digni testimonio, & videtur nobis lõge probabilior.

Primo, quia cognitiones, vel assensus intel- Probat.
lectus distinguũtur specie per diuersa media, 19.
quę sunt rationes assentiendi formales, & ideò quasi formalia obiecta, vel rationes, sub quib⁹ intellectus assentitur, sed fides humana, & opinio habent media formaliter diuersa, ergo distinguuntur specie: minor euidens est in opinione immediata, cui sine medio assentimur, assensus autem fidei pro medio formali habet humanum testimonium: sed non est minus certa in opinione mediata, quæ probabili, vel 20.
euidenti syllogismo innititur, syllogismus autem vterq; medium longe diuersum est ab autoritate, ergo generat assensum valde diuersum.

Probatur secundo ex fide diuina specie di- II. Probat.
stincta à sciẽtia propter diuersum medium assentiendi diuinę autoritatis, ac demonstratio- 21.
nis, quod profecto discrimen locũ haberet etiã si vtrumque genus cognitionis esset euidens, vel etiam vtrumque obscurum, nam adhuc medium autoritatis diuersum esset à demon-

stra-

ſtratione Conuincit exemplum Theologiæ, & eiuſdem diuinæ fidei, nam vtraque cognitio certa eſt, & obſcura, & nihilominus ſpecie diſtinguuntur, quia medium vnius eſt diſcurſus alterius vero ſimplex teſtimonium: etenim ſi concluſio Theologica ex altera præmiſſa diuinæ fidei, vel certe ex vtraque deriuetur, nō poteſt alia via ab ipſamet fide ſeparari, niſi ratione diſcurſus, & autoritatis, cum tamen imperfectus ſit vterque aſſēſus ratione obſcuritatis, perfectus tamen ratione certitudinis. Modo etiam ſimili ſeparantur habitus principiorum, & concluſionum, quia ille ſine medio rationis iſte vero per ratiocinationem procedit, cū tamen certus vterque ſit, atque euidens, ſeparabantur ergo eodem pacto opinio, & humana fides, etiam ſi vtraque ſit incerta, & obſcura, etiam ſi talis ſit aſſenſus vtriuſque, cui non repugnet ſubeſſe falſum ex parte medij aſſentiendi, ratione cuius diuerſa eſt vtriuſque incertitudo, atque ineuidentia, quamuis contingat eſſe æqualem.

III. Probat. Probatur tandem aduerſus primam ſententiam, nam ſæpe contingit humanam fidē minus certam eſſe, quam opinionem, quia teſtificans non adeò verax habetur, vel nō adeò probabiliter conſtat autoritate eius confirmatum eſſe, quod dicitur, cum tamen adſit ratio valde probabilis, per quam ex principio euidenti, vel ex terminis probabili deducitur, ergo falſum eſt humanam fidem ex ſe certiorē, ac firmiorem eſſe opinione, falſū atque proinde eſſentialiter eſſe vehementem opinionē, cum conſtet debilem eſſe aliquando, atq; infimum aſſenſum, & opinione infirmiorem.

22.

Soluuntur fundamenta primæ ſententiæ.

VT autem germanū ſenſum illius Ariſt. axiomatis, fides eſt vehemens opinio, eliciamus, aduortandū eſt multiplicem eſſe acceptionem opinionis & fidei apud Ariſtotelem, ſed (vt interim omittamus cæteras) his duabus frequentius vtitur: vtramq; in communi, & in particulari accipiens: opinionem quidem primo in communi accipit pro aſſenſu, vel cognitione, quomodocumq; probabili, ſiue per rationem, vel autoritatem habeatur, atq; adeò communi ad fidem, & opinionem propriè acceptā, quam ſic definit 1. lib. top. c. 1. *Probabilia autē ſunt quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus & his, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè familiaribus. Et probatis.* Secūdo modo accipitur propriè pro aſſenſu probabili ex terminis, vel per probabilē ſyllogiſmū habito, in quo sēſu de opinione differt, eā que definit, (vt vidimus) cap. 26. 1. lib.

24.

Soluitur teſtimoniū Ariſt.

25

Fides etiam humana ſub quadam ratione cōmuni vſurpatur ab Ariſtotele pro certa exiſtimatione, vel certè pro determinata, vt diſtinguitur ab aſſenſu dubio, dubius enim intellectus ad neutram partē determinatur, ſed inter vtrāq; hæret, & ſimilis eſt ratio de ſuſpicione, ſi vero ad vnā partē determinetur, ſiue per aſſenſum euidentem principiorum, aut cōcluſionum, ſiue per probabilem, fidē habere dicitur, hoc eſt, certam, vel determinatam exſtimationem, in qua acceptione fidem accipit Ariſtoteles 1. lib. top. c. 1. aſſerens prima principia non per alia, ſed per ſemetipſa fidem habere, quæ vero medium admittunt non per ſe ſed per prima, ad quę reducuntur, fidē habent, propriè autem accepit fidem, dum dixit eſſe opinionem vehementem 4. lib. top. cap. 5. ſed opinionem ſub ratione cōmuni, quo pacto genus eſt ad opinionem, & fidem in ſecunda acceptione conſideratas: quod euidenter cōſtare poterit, ſi contextum eiuſdem loci expendamus: de locis namq; arguendi à genere differens illum defectum explicare contendit committi ſolitum ab his, qui in aſſignanda definitione quidditatiua genus pro differentia, & ex oppoſito differentiam pro genere ponunt: cuius duplex exemplum deſignat, vnū in paſſionibus animæ, alterum in fide, & opinione, vt ſi quiſpiā ſtuporem definiēs diceret eſſe ſuperabundantiam admirationis, & fidem vehementiam opinionis, cum ex oppoſito dicendum ſit ſtuporem eſſe admirationem ſuperabundantem, & fidem opinionem vehementē, nam admiratio genus eſt ſtuporis, & opinio genus fidei, verba Ariſt. hæc ſunt *Amplius aliquoties è conuerſo genus quidem, vt differentiam, differentiam autem vt genus aſſignant, vt ſtuporem ſuperabundantiam admirationis, & fidem vehementiam opinionis, nam neq; ſuperabundantia neq; vehementia genus, ſed differētia, videtur enim ſtupor admiratio eſſe ſuperabundans & fides opinio vehemens, quare genus admiratio, & opinio eſt ſuperabundantia autē, & vehementia differentia, &c.*

26

Ex quibus duo euidenter elicio Primū, opinionem, & fidem nō conuerti, nam ſi opinio genus eſt fidei, ſuperior ea erit. Secundum, opinionē, hac in parte accipi in cō muni, prout ſuperior cognitio eſt reſpectu fidei, atq; eiuſdē opi- I. Illatum.

opinionis propriè sumptæ, non est enim alia cognitio, cui conuenire possit: siquidem principiorum notitiæ, vel assensui scientifico non quadrat, sed neque suspicionis, vel assensui dubio: si autem genus est euidenter sequitur fidem, & opinionem specie distingui iuxta proprias acceptiones ex mente Aristotelis.

Sed quorsum dicet aliquis fidem vocat Aristoteles opinionem vehementem? Non alia
II. certè ratione, nisi quia cum maximè assensus eius dependeat ex imperio voluntatis, vt docuit Diu. Thom. 2.2. quæst. 2. artic. 1. ad 3 vehemens esse solet, dum ex vehementi, aut tenaci affectu voluntatis determinatur intellectus ad credendum: accedit illud, quod sæpe solet euenire, nempe multiplicatis testimonijs, vel autoritatibus humanam fidem adeò in certitudine crescere, vt omne dubiũ moraliter excludat, ex quo etiam vehemens opinio iure vocatur, opinione sumpta in cõmuni pro genere opinionis, & fidei iuxta proprias acceptio
27. nes, vnde fit, testimonium hoc in fauorem primæ sententiæ oppositum, in proprio sensu acceptum proprius probare essentiale discrimen inter fidem humanam, & opinionem sub proprijs conceptibus sumptas, quàm identitatem.

Sed neque argumentum eiusdem sententiæ identitatem conuincit, nam cum fides, & opinio sint distinctæ species cognitionis probabilis, in multis conueniunt, vtraque enim ex se est incerta, debilis vtraque, & infirma: talisque, cui non repugnat subesse falsum, sed communes istę conditiones ad conuenientiã, vel identitatem genericam pertinent, sub qua specifica distinctio locum habet ex diuerso medio formali assentiendi petita, nempè ex autoritate, vel testimonio, cui per se innititur fides, & ex ratione probabili, per quam opinio procedit, vel certe ex modo assentiẽdi, ex terminis absque vlla ratione, vel autoritate, si opinio immediate fuerit.

Soluuntur fundamenta secundæ sententiæ.

Nota. PRo solutione argumentorum secundę opinionis obseruãdum est, quod licet duo illa requirantur ad credendum, nempè veracem esse, qui loquitur, & ab eo esse
30. prolatum, quod dicitur, his tamen non innititur fides tanquam medio formali, sed soli autoritati, & testimonio: quod in vtraque fide diuina, & humana ostẽdi potest: in diuina quidem, nam valdè probabile est vtrumq; illud principium euidens fuisse Angelis in primo instanti, quo conditi sunt, nempè quod Deus loquebatur, dum mysteria fidei eis reuelabat, & quod adeò verax esset, vt mentiri nullo modo posset: quibus adhuc stantibus veram habuere fidem, non ergo eis tanquam medio formali assentiendi innitebatur, sed diuinæ autoritati, nam si ex illis procederet, cum euidens esset, vtrumque, euidens quoque esset assensus mysteriorum, & ex consequenti non fides, de cuius ratione intrinseca est obscuritas & cui proinde repugnat euidentia. Non me 31.
latet communis illa distinctio hac in parte adhibita de euidentia attestantis, vel rei creditæ, dicunt enim (& verum est) mysteria Angelis reuelata, si comparentur ad duo illa principia, quæ de attestante, hoc est, de eo, qui aliquid testificatur euidenter constanr, esse quoque euidentia Cæterum quia talia principia extrinseca sunt respectu eorundem mysteriorum, nõ efficiunt euidentiam eorum simpliciter, sed cum illo addito diminuente, videlicet in attestante, cum qua stare simul potest, quod in se considerata non nisi obscure cognoscantur ab his, quibus facta est eorum reuelatio, ideò assensus, quem habuerũt angeli, obscurus fuit intrinsece, & ex proprio medio assentiendi, atque adeò simpliciter: euidens autem non nisi ab extrinseco, & secundum quid euidentia attestantis, eodem modo se res habet in fide humana, dum vtrumque illud principium euidens est: morali quidem euidentia, nam metaphysica (quæ sola dicitur simpliciter talis) locũ habere non potest in humano testimonio.

Rem efficiet manifestam exemplum illud de hac propositione, Roma est, & similibus, Exempl.
quarum si les multorum testimonijs constat, & licet de singulis non sit euidens esse veraces, 32.
certo tamen moraliter constat de omnibus simul, quod non mentiantur: vnde fit, euidentes esse tales propositiones euidẽtia morali attestantis, sed obscuras secundum se, & simpliciter, quia in se non constant eis, à quibus credũtur, sed solum per autoritatem testificantium.

Ex quibus intelligitur, quam falsum sit tales assensus simpliciter euidentes appellare: nã I. Illatum.
eum essẽtialiter sint fidei, repugnat esse ab intrinseco, ac secundum se euidentes: ad rationẽ namque cuiuslibet assensus fidei non solum diuinæ, sed humanæ spectat obscuritas.

Secundo infertur eiusdem esse speciei fidẽ, dum vtrumque illud principium attestantis euidens II. Illatũ.

euidens est, atque dum sola opinione tenetur, nam cum fides non innitatur ei tanquam medio assentiendi formali, sed testimonio, & testimonium sit idem, licet magis, aut minus perfecte cognitum, sequitur planè eiusdem speciei esse vtrumq; assēsum ab eadem ratione formali assentiendi, quanquam minus sit obscurus, si euidentia sint: nam euidentia attestātis (licet extrinseca) redundat quodammodo in assensum fidei: & ex eadem redundantia assensus humanæ fidei, qui ex propria conditione est incertus, ab extrinseco, & secūdum quid certus redditur multiplicatis testimonijs.

III. Illatū. Infertur tertio, assensum humanæ fidei, dū adhuc duo illa principia euidenter constant specie distinctum esse ab opinione, nam si verè est assensus fidei, & testimonio innititur, tanquam medio intrinseco, non autem euidentia attestantis (quæ medium omnino extrinsecum, atque accidentale est, sequitur alterius esse conditionis ab opinione, vt probauimus: quod autem dicitur ex opinione deriuari, planè falsum est: nam vt bene Diu. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 1. quamuis assensus fidei præsupponat aliquē discursum, vel ratiocinationē circa attestantem, vel circa miracula in confirmationem veritatis credēdæ facta: his tamen non innititur, sed soli autoritati: vnde nec per discursum procedit, aut ratiocinationē, sed per simplicem modum assentiendi his, quæ à fide digno dicuntur, quod si per discursum procedatur hoc modo, quæ à fide digno dicuntur sunt vera, hoc affirmat fide dignus, ergo est verū, non erit cōclusio talis syllogismi vera fides sed opinio, vel ad summum cōclusio Theologica, si circa mysteria diuinæ fidei versetur, & quanquam ex opinione deriuaretur fides, nō bene infertur eiusdem fore speciei: nam etiam deriuatur conclusio demonstrationis ex principijs, & cōclusio Theologica ex articulis fidei à quibus tamen specie distinguūtur, imo opinio etiam ex fide humana, vt si quispiam ex acceptis à fide digno per syllogismum inferat alia: horum namq; assēsus vere est opinio, quia discursui innititur tanquā medio proximo, cū illorum vera fides testimonio innitatur.

IV. Illatū. I. Argum. solutio. Postremo infertur solutio argumentorum, nam ad primum dicimus, fidem quidem præsupponere opinionem de veracitate attestantis, ac de eius testificatione, ei tamen non innititur tanquam medio assentiendi, sed testimonio, vel autoritati, à qua tanquam à causa formali, & propria accipit quidquid habet incertæ veritatis.

II. Solutio. Secundum argumentum non bene infert eiusdem esse speciei fidē, & opinionem ex eo, quod vtræque est incerta atque obscura, sufficit enim obscuritatem, & incertitudinem vtriusq; ex diuerso medio prouenire, vt formaliter censeantur diuersæ, atque adeò assensus ipsi, vel cognitiones, quibus conueniunt, nam quemadmodum non repugnat duas cognitiones certas, atque euidentes specie differre propter medium, vel modum diuersum, pariter non repugnabit, duas incertas, atque obscuras, si per diuersa media habeātur, vt in opinione, & fide contingere ostendimus.

Dubiū notandum. Vt vltimam manum huic controuersiæ imponamus, appendix quoddam dubium soluendum est, quod à multis hac in parte proponitur, an videlicet dentur opiniones specie diuersæ, vel omnes sint eiusdem rationis, & modo simili de humana fide, an vnica sit, pro quibuscunque credibilibus, vel pro diuersis diuersa secundum speciem.

Ratio pro parte negatiua. Apparet namque neutram esse multiplicā dam: nam siue opiniones sint mediatæ, vel etiam primæ, sub eadem ratione formali assentiendi conueniunt, illarum enim ratio probabilis discurs⁹ est, harū vero probabilitas intrinseca propositionis, in quam sine medio fertur intellectus: de fide autem magis certum videtur, cum eiusdem rationis sit quodcumq; testimonium humanum, propter quod vniuersis credibilibus assentimus.

Conclusio. Diuerso tamen modo de vtraque statuendum censeo, nam opiniones differunt specie absque dubio pro diuersitate rerum, vel obiectorum circa quæ versantur, si sint immediatæ, & si mediatę pro diuersitate principiorum à quibus per diuersum syllogismum deriuantur: gratia exempli, opiniones philosophicæ diuersę sunt ab opinionibus metaphysicis, sicque de reliquis, quæ circa materiam diuersarū scientiarum admiscentur.

Ratio. Probatur euidenter ex similitudine scientiarum, quæ pro diuersitate obiectorum distinguuntur, quāquam in certitudine, euidentia, atque demonstratione conueniant, eiusmodi enim cōuenientia generica est, sub qua diuersitas specifica continetur, pariter ergo de opinionibus censendum erit, quamuis sub genere probabilis, ineuidentis, atque incertæ cognitionis omnes conueniant.

Fides autem humana vnica secundū speciē

Quid de fide sit dicendum.

statuit pro diuersis credibilibus: quemadmodum vnica est diuina fides, quia eiusdem rationis sunt humana testimonia, propter quę credimus: ratio autem discriminis inter opinionem, & fidem ea est, quia opinio deriuatur ex principijs probabilibus, aut euidentibus, per
40 euidentem, vel probabilem syllogismum tanquam per medium proprium, atque intrinsecum, vnde cum principia sint diuersa, & ex cōsequenti syllogismi, necesse est conclusiones, vel assensus diuersos esse: variato namq; medio formali assentiendi necesse est assensum quoq; variari: testimonium autem medium quoddam extrinsecum est, & eiusdē rationis, licet vnum sit altero firmius, quo veracior est, qui aliquid testificatur: vnde fit, eiusdem rationis esse omnes assensus humanę fidei, sicut & diuinæ, quas tamen testimoniorum diuersitas essentialiter distinctas facit.

QVAESTIO SECVNDA.

Pertineant ne ad rationem intrinsecam opinionis, & humanæ fidei formido, ac pia affectio voluntatis.

Discrimen inter scientiam, opinionem & fidem.

VNVM habet humana fides, & opinio, quo separantur à scientia, videlicet de re contingenti esse, vel necessaria per medium probabile, aut contingens, cui non repugnat subesse falsum: cum tamen scientia nō modo de necessarijs sit, sed etiam per necessarium medium: aliud, quo à suspicione, & assensu dubio,
41 & huiusmodi est determinatio ad alteram partem contradictionis: etenim qui aliquid suspicatur, aut de eo dubitat, non habet assensum determinatum vllius partis, sed inter affirmatiuam, & negatiuam hæret: opinans autem, vel humana fide credens vni parti assentitur, veramque esse iudicat: cæterum cum talis assensus vnius partis non sit certus, sed rationes adsint in fauorem oppositæ partis etiā probabiles, & humanum testimonium fallabile sit, nō ita firmus videtur, quin cōnexum habeat timorem de opposita parte, an videlicet vera sit, & falsa, quæ reputatur vera: eiusmodi autem timor est, quod formidinis nomine intelligitur in titulo quæstionis.

De quo merito dubitatum est, an sit opinioni, & humanæ fidei essentialis, vel accidentalis potius, & sine quo aliquādo reperiantur: & hæc est prior pars præsentis controuersiæ. Status quæstionis.

An formido pertineat ad rationem fidei, & opinionis variæ sententiæ.

MAg. Masius opinionem distinguit in imperfectam, & perfectam, eam appellans perfectam, quæ testimonio innititur, & vocatur in schola fides humana: imperfectam vero, quę probabilibus rationibus, & appellari solet opinio. I. Sententia Masij. 42.

Qua distinctione supposita tenet formidinem non pertinere ad rationem humanæ fidei, vel perfectæ opinionis, quia hæc (ait) non solum importat determinatū assensum vnius partis, sed firmum, ac certum, nō propter testimonij firmitatem, sed propter determinationem efficacem voluntatis, ratione cuius firmiter etiā intellectus eidem parti adhæret: nec solum firmiter, sed tenaciter, vt testatur Aristoteles 6. ethic. cap. 3. docens sæpenumero euenire vt firmius, ac tenacius adhæreant nōnulli suis opinionibus falsis, quam sapientes certissimis veritatibus: quod indubitata experientia confirmat, cum videamus impios hæreticos firmissime adhærere erroribus diuinæ veritati contrarijs: ex quibus aperte videtur constare oppositæ partis formidinem longè abesse à perfecta opinione.

Imperfecta tamen, quæ non autoritati, sed probabili innititur rationi, essentialem habet annexam formidinem, sine qua nec reperitur, nec reperiri potest: & hoc dicit tenere viros sapiētes Capreo. in 3. dist. 23. q. 1. in solutionibus argumentorum aduersus secundam conclusionē: præsertim in solutione 5 & 6. & Caiet. in cōmentarijs, ca. 26 prioris libri, & quod amplius est, D. Tho. in 3. dist. 23. q. 2. art. 2 q. 1 de veritate q 14 art. 1 & 2. 2 q 2. art. 1. & quidem Cai. videtur in hāc partē incliuare, dub. 1. eiusdem cap. vbi opinionē ait ex parte subiecti habere annexam formidinē, a qua nec D. Thom. longè abesse constabit, si verba illius referamus: sic enim ait in 2 loco *Quandoque intellectus inclinatur magis ad vnum, quam ad alterum,* 43
sed tamen illud inclinans non sufficienter mouet intellectum ad hoc, quod determinet ipsū in vnā partem totaliter, vnde accipit quidem vnam partem, tamen semper dubitat de opposita, & hæc est dispositio opinantis. Locus autem postremus hæc verba 44

ba continet *Quidā actus intellectus habent quidē cognitionem informē absque firma assensione, siue in neutram partem declinent: sicut accidit dubitanti, siue in vnam partem magis declinent, sed tenentur aliquo leui signo, sicut accidit suspicāti, siue vni parti adhereāt, tamē cum formidine alterius, quod accidit opinanti, &c.* Sed expressius videtur idē sentire 1 2 q 67. art 3 sic loquens: *Ex parte vero subiecti differunt secundum perfectum, & imperfectum opinio, fides, & scientia: nam de ratione opinionis est, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi, vnde non habet firmam inhæsionem, &c.*

I. Ratio. Sed rationibus agens primo eam cōfirmat ex recepta definitione opinionis, quod sit assensus obscurus, incertus, & formidolosus, vt

45 per primā particulā separetur à scientia, per cæteras vero à fide, quæ est assensus certus, & sine formidine.

II. Ratio. Secundo, nam qui opinatur iudicat opinionem, quam ipse sequitur posse esse falsam, cū per argumenta probabilia procedat, quæ sæpe fallacia euadunt, sed qui iudicat aliquid posse esse falsum, timet, atque formidat de eius veritate, dubitatque, an oppositum sit verum, ergo formido intrinseca erit opinioni: hanc partē tenet Durand in 1. q. prologi.

II. Sentent. Moderni superius à nobis relati in sua illa sententia persistentes de distinctionē fidei, & opinionis, quā præcedēti quæstione retulim⁹,

46 ac refutauimus, aiūt, quotiescunq; humana fides vtriq; principio euidenti innititur, ab opinioneq; distinguitur, non habet annexam formidinem, cum sit certus, atque euidens assensus, qualis est huius propositionis, Roma est, si vero vtrumque, vel alterum principium solū sit probabile, quo casu cum opinione identificatur, annexam habet essentialiter formidinē: sentiunt itaque de ratione opinionis intrinseca esse formidinem, cum præcedenti sententia, quanquam alia via incedant.

Vera sententia statuitur & argumenta opposita diluuntur.

III. Sent. Communis tamen sententia, quam Magist. Sot. & omnes ferè moderni sequūtur, duplicem formidinem distinguit: aliā enim est actualis, quam nos in ipso statim quæstionis initio timorem appellauimus, vt magis rationem eius manifestam efficeremus alia est aptitudinalis, siue radicalis non in aliquo timore, vel dubitatione consistens sed in eo solum, quod est medium opinionis, aut e- 47
ius obiectum incertum esse, atque contingens & tale, cui non repugnat subesse falsum: & formido hæc merito radicalis dicitur, quia radix est, & origo actualis: ex eo enim contingit opinantem actualem habere timorem de veritate oppositæ partes, ac de falsitate eius, quā sequitur, quia vel contingens est, vel per medium probabile, atque contingens ei assentitur.

Nunc ergo actualem formidinē, quam 1. & 2. sententia essentialiter esse annexam opinioni contendunt, extra essentiam illius esse docet, radicalem vero ei omnino intrinsecam: & hanc reputo non solum probabiliorem, sed veram sententiam, iuxta quam negandum non est aliquando conuenire opinioni actualem formidinem, est enim quasi quoddam eius accidens, quod licet aliquando conueniat, plerumque tamen ab eo absoluitur. Explicat. 48

Hæc sine dubio est mens Aristot 7. li. eth. cap. 3. vbi non de fide, sed de opinione loquebatur, dum verba, quæ sequuntur protulit: *Nam si vera opinio, & non scientia sit, ex qua continenter agunt homines, nihil ad rationem id refert, cum nonnulli ex his, qui opinantur, non ambigant, sed certo se scire existiment.*

Quod manifesta experientia conuincitur, nam multæ sunt opiniones in philosophia, aut Theologia, communi fere consensu totius scholæ approbatæ: fortissimisque argumentis intra latitudinem probabilitatis confirmatæ, quas sine vlla prorsus formidine, vel timore sequimur, & secuti sunt priores eisdem rationibus suffulti, ergo actualis formido nō pertinet ad rationem opinionis intrinsecam.

Etsi varios opinādi modos altius perpendamus, videbimus ita esse necessario tenendum, opinio enim non solum versatur circa propositionem contingentem, nec solum circa necessariam, per mediū probabile vt tale cognitū, sed etiā per mediū probabile reputatum necessarium, vt si quispiā ex præmissis necessarijs per syllogismum probabilem, quem euidentē reputat, conclusionem deducat, verè putat se demonstrationem, & scientiam habere, ergo nulla ei suboritur dubitatio de veritate illius, neq; vllam penitus formidinem, aut timorem habet, de veritate oppositæ: cum tamen non scientificum, sed opinatiuum duntaxat assensum illius habeat, sequitur ergo formidinem non esse opinioni intrinsecam. Ratione probat. 49. Exemplū.

Simile exemplū afferre possumus in eo, qui ex præmissis necessarijs, & per euidentem syl-

 logis-

logismum deducit conclusionem putans vtrãque præmissam esse immediatam, cum tamen verè sint per priores alias demonstrabiles ipso nesciente eas ad prima principia referre, talis namque non habet veram scientiam conclusionis, licet se habere existimet, vt docuit expresse Arist. 1. lib. post. capit 2. dicens: *Non scit, qui demonstrationem horum non habet*: hoc est, qui nescit præmissas demonstrabiles vsque ad prima indemonstrabilia referre: solum ergo habet opinionē: quem tamen non formidare, non timere, nec dubitare, de eius falsitate, aut de veritate oppositæ luce clarius est: ergo non solum probabilis erit nostra sententia, sed ve-
50. ra, & cui non est difficile occurrere argumentis alterius.

Ad testim. D.Thom. Nam testimonia D. Thom. eo tendunt, vt discrimen inter scientiam, & opinionem non solum ex parte obiecti cōtingentis, & necessarij, nec solum ex parte medij assentiendi secūdum se sumpti statuant: hoc enim non semper sufficeret: cum cōtingat quempiam ex premissis necessarijs, ac per medium vere necessariū, seu demonstratiuum conclusionem deducere, & nihilominus non habere scientiam illius, sed opinionem: ex eo solum quod medium verè necessarium, aut aliquam præmissam verè necessariam probabilem reputat, sed ex parte subiecti, cuius existimatio sufficit conclusionē
51. alioquin scientificam opinatiuum dumtaxat assensum efficere: itaq; dum affirmat D.Tho. opinionem, & scientiam non solum ex parte subiecti vnam partem accipientis cum formidine alterius, non de actuali formidine loquitur, sed de radicali in eo consistente, quod obiectum opinionis, vel medium verè sint cōtingentia, aut certe ex parte subiecti vnū, vel alterum vt tale accipiētis, vndè fit, opinionē quasi defectum scientiæ merito reputari.

1. Solutio. Primum argumentum minus aptam definitionem opinionis assumit, nam exacta definitio nihil dubium, vel in opinione positum continere debet, sed ex his, quæ ab vniuersis tā
52. quam essentialia recipiuntur, constituenda est: cuius ea est euidēs ratio, quia definitio rei, de qua agitur, tanquam principiū totius disputationis præsupponitur: in ea igitur disputantes cōuenire omnino oportet: alioquin nullū firmum argumentum ex ea deduci poterit, de formidine autem non est certum, quod ad essentiam opinionis spectet, sed in controuersiā vocatum: ergo nō est in eius definitione ponēda, præsertim vt ex tali definitione argumentum desumatur ad probandum, quod ei sit intrinseca.

Ad formā argum. Negamus ergo ad formam argumenti opinionem per formidinem actualem esse definiēdam: sed per radicalem, quam nullus negat ad eius essentiam pertinere, erit autem exacta eius definitio. Opinio est cognitio, vel assēsus rei contingentis aut necessariæ per medium verè probabile, vel vt tale existimatum genitus: loquimur autem de opinione mediata: nā primam bene descripsit Aristoteles, dicēs esse acceptionem immediatæ propositionis, & nō necessariæ.

Solutio 2. argum. Secundum argumētum falsum assumit antecedens, necessarium videlicet esse, vt opinās iudicet eius assensum posse esse falsum: cum euidenter sit à nobis probatum oppositum in eo, qui ex præmissis, quas putat necessarias, & per medium etiam necessarium reputatum, 51.
quod tamen necessarium non est, sed probabile, conclusionem infert: talis enim non iudicat assensum, quem de conclusione habet, posse esse falsum, sed verè necessarium, ac sciētificum, cū tamen vera sit opinio: sed etiam si verum esset assumptum, non bene ex eo infertur, actualē formidinem esse opinioni intrinsecam: nam esto opinans iudicet posse esse falsum eius assensum, rationes tamen adeò efficaces esse solent (adhuc intra latitudinem probabilitatis) vt omnem timorem, vel formidinē depellant: animumq; quietum reddāt, vt multis experientijs firmatum est.

Quid dicendum de fide. Quod autem de opinione definitum est, de fide humana secundum proportionem est accipiendum, de qua euidētius constat, nō habere essentialiter annexam actualem formidinē, vt naturam eius perpendenti facile constare 54
poterit, quæ cū rationibus & argumentis probabilibus nō innitatur, sed fide digni testimonio, nō est necessarium, vt ei opponantur aduersæ rationes in fauorē oppositæ partis, propter quas formidare debeat de falsitate eius, quod creditur, vel de veritate oppositi, sed quietum plerumq; animum reddit.

Formido autem radicalis non est ei minus intrinseca, quam opinioni, nam & si aliquando accidat, vt multiplicatis testimonijs certus sit moraliter assensus humanæ fidei, per accidens est: quia si secundū propriam conditionē humanæ autoritatis adhuc talis assensus expēdatur, incertus est, & cui nō repugnat subesse falsum, in quo consistit radicalis formido. Et hæc de prima quæstionis parte.

Quæ-

Quomodo voluntatis pia affectio requiratur ad opinionem, & fidem.

II. Pars quæstionis.

AD secundam veniamus, in qua de pia voluntatis affectione agendum est in ordine ad fidem, & opinionem.

Notab. 1.

Sed prius quam quid nomine piæ affectionis intelligatur, explicemus, obseruandum est obiecta fidei, & opinionis imperfectam rationem veritatis continere, cum contingentia sint ex se. vel saltem ex parte medij assentien-
55. di, probabilis videlicet ratiocinationis, aut humanæ autoritatis, ideoque intellectum non conuincunt ad assensum eliciendum, sed liberum sibi manet assentire, vel non: & cum formalis libertas intellectus à voluntate dependeat, à qua applicatur ad operandum, necesse est ab ea applicetur, si circa eiusmodi obiecta operaturus sit: itaq; talis applicatio libera est, & non quomodocumque, nam etiam ad assensum principiorum, & cõclusionis demonstratiuæ libera applicatio voluntatis est necessaria (vt superius docuimus,) sed libera est quantum ad exercitium, & specificationem, ita vt applicare possit voluntas intellectum, vel non applicare, sed assensum suspendere, & insuper ad assentiendum, vel dissentiendum: liberum est enim homini proposito obiecto
56. opinionis, vel fidei assentire, vel dissentire, hoc est, verum esse iudicare, vel falsum: cum tamen assensus principiorum solum sit liber quantum ad exercitium, ita vt licet applicare, vel diuertere intellectum voluntas possit: si tamen eum applicet, non nisi ad assensum. necesse itaq; est voluntatem cum intellectu concurrere ad assensum opinionis, & fidei, vt quod ex parte obiectorum deficit ad plenè determinandum intellectum suppleatur ex parte
57. voluntatis. Nec solum in fide humana, & opinione necessarium est, sed etiam in fide diuina supernaturali, cuius obiectum non valet intellectum conuincere, non quidem defectu necessitatis (imò si de principali loquamur, quod est Deus Opt. necessarium est) sed ex imperfecta propositione, quia in hac vita sub obscura reuelatione, & quasi in ænigmate (vt docuit D. Paul. 1. ad Corint. 13) credendum proponitur: eiusmodi autem necessitatē liberi concursus voluntatis disertissimis verbis explicuit D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 1. ad 3. sic inquiens. *Intellectus credentis determinatur ad vnum non per rationem, sed per voluntatem, & ideò assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod à voluntate determinatur ad vnum.*

Quo præsupposito obseruandum secundo est actum voluntatis, per quem voluntas intellectum applicat ad assensum opinionis, aut fidei, duplicem esse: vnus est simplex quędam Notab. 2.
electio, per quam ratione, vel autoritate præ- 58.
suppositis voluntas eligit potius credere, vel probabiliter assentire quã discredere, vel dissentire, aut operari circa obiectum harum cognitionum, quam operationem suspendere: ita vt in tali electione non moueatur potius ex maiori affectu, vel inclinatione ad vnam partem, quam ad alteram, sed solum ex maiori, vel minori conueniẽntia obiecti, vel certè à propria libertate: alius est actus electionis quidem liberæ, in quo potius voluntas mouetur ad determinandum intellectum ex affectu
ad vnam partem, quam non habet erga alte- 59.
ram: vnde solet procedere, quod hanc potius opinionem quispiam sequatur, quã alteram, quia magis erga patronum eius afficitur, & motus voluntatis ex hoc affectu procedens vocari solet pia affectio voluntatis.

Status secundæ partis quęstionis.

De vtroque igitur actu secunda pars tituli quæstionis sciscitatur, an necessarius sit ad opinionis, vel humanæ fidei assensum.

Responsio.

Et de hoc postremo tanquam de faciliori respondeo, minimè necessarium esse, sed sufficere cum motum voluntatis, quem vocamus electionem, quemadmodũ ad alia opera aliarum potentiarum, quæ voluntati subduntur, præstanda.

Ratio.

Quod euidenter (nisi ego fallor) probari potest ratione ab experientia petita: experimur namq; sæpenumero nos eam potius opinionem amplecti, quam scimus esse sapientis hominis, erga quem minori propensione voluntatis afficimur, quam oppositam alterius, in quem magis propensi sumus, quia rationes illius efficaciores nobis videntur: ergo pia affectio voluntatis non est necessaria ad assensum opinionis, vel humanæ fidei.

I. Opinio.

Sed circa modum necessitatis actus qualiscumque liberi, quem sufficere dicimus duo extrema reperio, vnum, quod tanquam Scoti
proprium retulit Caiet. 1. 2. quæst 65. art. 4. 60.
videlicet nõ esse necessarium positiue, sed negatiuè, hoc est, actum voluntatis non esse necessarium ad determinandum intellectum, sed satis esse voluntatem non repugnare, vel non moueri in contrarium.

II. Opinio. Caietan.

Aliud extremum est eiusdemmet Caiet. vsque adeò esse necessarium positiuum actum,

vt sufficiens sit determinare intellectum ad assensum opinionis, aut fidei absque vlla prorsus
61. ratione, vel autoritate: verba eius sic habent: *Sicut voluntas determinat potentiam rationalem ad alterum contrariorum, ad quæ neutraliter se habet, vt dicitur. 9. metaph. sic determinat intellectum ad alterã partem contradictionis credendam: & sicut Medicus ex solo odio determinat artem ad occidendum infirmum, ita ex solo amore alicuius quantumcunq; extranei determinatur quis ad credendum id, cuius nullam habet rationem, &c.*

Propria sententia media statuitur.

III. Opin. EGo vero media inter vtrumque extremum via incedendum esse arbitror: dicendumque nec satis esse voluntatem nõ repugnare, vel non moueri in contrarium, vt determinetur intellectus ad assentiendũ, contra Scotum, nec sic esse requisitum, & sufficientem positum actum, vt absque vllo rationis, vel autoritatis pondere possit voluntas eo mediante determinare intellectum, contra Caietanum.

I. Pars probatur. Probatur primum: quia intellectus non conuincitur ab obiecto fidei, vel opinionis, ergo neque ab eo sufficienter determinatur, à
62. se autem determinari minime potest, cum non sit potentia formaliter libera, indiget ergo aliquo determinante extrinseco, quod non potest esse nisi sola voluntas, à qua cæteræ potentiæ, & in primis intellectus (vt pote intimius ei coniunctus) determinantur, determinatio autem voluntatis est quædam eius motio, nec, nec enim aliquid imperat, vel determinat, nisi mouendo, mouere autem non potest nisi operando, & operatio est positiuus actus, ergo repugnat determinare intellectum ad assensum, nisi per actum.

II. Pars. I. Probat. Probatur secundum: quia contradictionem implicat aliquam potentiam operari, nisi circa aliquam rationẽ sui obiecti, neque enim visus operatur nisi circa visibile aliquod: neq; auditus nisi circa aliquem sonum, vbi ergo nulla est ratio visibilis, vel audibilis eis propo-
63. sita, non operabuntur: sed veritas saltem apparens est obiectum intellectus, ergo vbi non est aliqua veritas, vel eius apparentia, repugnat intellectum operari. sed si nulla adsit ratio nullaue autoritas, nulla erit apparens veritas, nec poterit intellectus assensum elicere.

Probatur. Secundo. Fides, & opinio innituntur testimonio, vel rationi probabili, à quibus eatum assensus speciem capiunt, vbi ergo nullum est autoritatis, vel rationis momentum, aberit omnino medium assentiendi: ergo non minus repugnat dari assensum opinionis, vel fidei sine vlla ratione, vel autoritate, quam dari assensum absque ratione formali assentiendi, & ex consequenti nullius speciei, falsum est ergo voluntatem posse determinare intellectum non præsupposito aliquo medio autoritatis, vel rationis.

Sed quid dicendum est, vbi ratio vel autoritas est æqualis pro hac parte, & opposita: aut vbi minor est pro vna, quam pro altera: poterit ne voluntas in casu determinare intellectum ad tales assensus? Dubium. 64.

Respondeo, solutionem huius dubij ex illa controuersia moralis Theologiæ satis difficili dependere, an voluntas possit eligere æquale bonum, vel minus in comparatione maioris, quam tetigit D. Thom. 1. 2. quæst 13 art. 6. ad 3. & ibidem ab eius expositoribus ex professo agitatur, quam licet in eum locum remittendam censeamus nostra tamen sententia est, liberam esse voluntatem ad eligendum æquale, vel etiam minus bonum in comparatione maioris.

QVAESTIO TERTIA & vltima.

Possit ne opinio de eadem propositione, & in eodem intellectu simul esse cum scientia.

EXplicata opinionis essentia comparatur modo cum scientia, & inquiritur, an simul cum ea esse posit: de eadem in primis propositione, nam circa eandem rem simpliciter certum est versari vtramque cognitionem posse: quis enim prohibet circa eandem quantitatem continuã versari Geometricam scientiam, & opinionem simul, an sit re ipsa diuersa à substantia? nec solum de eadem propositione, sed in eodem intellectu inquirimus: nam in diuersis exploratum est, scientiam, & opinionem eiusdem propositionis reperiri, ecquis enim negare poterit vnum posse habere scientiam alicuius propositionis, quam per veram demonstrationem cognoscit, alium vero opinionem, si per probabilem dumtaxat syllogismum eam acceperit? simul denique scischita- 65.

sciscitatur titulus quæstionis, nam successiue
nihil obstat, quod idem homo de eadem pro-
66. positione vtramque cognitionem habeat, pos
sibilis namque casus est, vt quispiam per pro
Quæstionis status. babile argumentum cognoscat veritatem ali-
cuius propositionis nunc, post vero in cogni-
tione proficiens per veram demonstrationem:
eiusmodi igitur est præsentis controuersiæ sta-
tus, an scientia, & opinio de eadem proposi-
tione, & in eodem intellectu simul possint ex-
istere: ita vt vnus, & idem homo scientiam ha-
beat illius per veram demonstrationem, & opi-
nionem per dialecticum argumentū, est nam-
que sermo de opinione affirmante eandem
propositionem scientificam verè esse, nam
opinio negans error esset, de quo in aperto
est, non posse simul esse cum scientia.

Nota. Quibus expeditis (vt clarius procedamus)
adnotandum est, quadruplicem comparatio-
nem institui posse inter scientiam, & opinio-
67. nem: primam, inter earum actus, vel assensus:
secundam inter habitus: nam etsi opinio verè,
& propriè habitus non sit, quandā habet cum
habitu similitudinem, in quantum per repeti-
tionem actuum adquiritur in intellectu dispo-
sitio quædam permanens habitui similis, de
qua idem est iudicium, quantum pertinet ad
præsens institutum, ac si verè esset habitus: ter-
tiam, inter habitum opinionis, & actū scien-
tiæ: quartam denique inter habitum scientiæ
& actum opinionis: de singulis enim compa-
rationibus specialem habet difficultatem præ-
sens quæstio, & licèt non omnes opinantes
adeò distinctè loquantur, sed multi sub con-
fusa quadam ratione scientiæ, & opinionis
doceant, simul stare posse, vel non posse: ex
verbis tamen singulorum licet colligere, quid
quisque sentiat, vel in quam partem magis in-
clinet.

Proponitur sententia Scoti omnino negatiua.

I. Opinio. DVas igitur extremas sententias circa
hanc quæstionem reperio, & alteram
mediam: negat omnino primum extre-
mum scientiam, & opinionem simul stare
68. posse, siue pro actibus, siue pro habitibus: quod
sequuntur Scotus in 3. d. 24. quæst. vnica. §.
contra hæc primo. Caiet. in commentarijs 26.
cap. lib. prioris. dubio vlt. Mag. Sotus. quæst.
vnica eiusdem capitis, quorū sententiam no
tissimè amplectitur. Mag. Masius, ibidem q. 5.
Et reputatur expressa sententia Aristotelis
cap. 26. primi libri, vbi quæstionem illam in Ex Arist.
proprijs terminis agitans, an idem possit esse probatur.
scitum, & opinatum ab eodem, partem ne-
gantem determinans, hac potissima ratione
confirmat: scibile est, quod non potest aliter
se habere, vt ex definitione scientiæ constat:
opinabile verò, quod potest aliter se habere,
vel secundum se, si sit contingens, vel saltem
ex parte medij, videlicet rationis probabilis,
si sit necessarium: sed repugnat idē obiectum 69.
posse se aliter habere, & non posse; cum con-
tradictoria non verificentur simul de eodem,
ergo repugnat idem esse scibile, & opinabile,
seu scitum, & opinatum, sed hæc sunt propria
obiecta opinionis, & scientiæ, ergo tam erit
impossibile has esse simul respectu eiusdem,
quam illa ex mente Aristotelis.

Sed rationibus etiam probatur: primo de I. Argum.
actibus, secundo de habitibus: de actibus qui- de actibus.
dem, nam scientia, & opinio non pugnant ex
parte obiecti, cum obiectum vtriusque possit
esse necessarium, neque ex parte medij, cum
contingere possit per idem medium demon-
stratiuum quempiam assequi scientificam no- 70.
titiam conclusionis, cuius alter solum proba-
bilem adquirit: ex eo solum, quod ille effica-
ciam demonstrationis percipit, iste probabile
dumtaxat argumentū reputat, ergo solum pu-
gnant ex parte subiecti: sed pugnantia ex parte
subiecti nequeunt simul in eo reperiri, vt con-
traria, & priuatiue opposita ostendunt: ergo
pugnat aperte cum natura horum actuum, si-
mul in eodem intellectu circa eandem conclu-
sionem existere.

Et confirmatur: quia impossibile est eundem Confirm.
hominē simul iudicare, quod aliquid nō possit
se aliter habere, & quod illud idem possit se
aliter habere: cum eiusmodi sint contradicto- 71.
ria iudicia, sed id sequitur euidēter, si scientia,
& opinio simul dentur in eodē, & circa idem:
ergo apertam vtrumq; inuoluit contradictio-
nem: probatur minor, nam si habet scientiam
conclusionis, iudicat non posse aliter se habe-
re, & si opinionē simul, iudicabit etiam, quod
possit aliter se habere cum hoc sit opinioni in-
trinsecum. II. Argum.

Secundo: scientia, & opinio pugnant tan-
quam euidens, & ineuidens, cum de intrinseca
ratione scientiæ sit euidentia, qua ex propria
cōditione caret opinio, opponuntur ergo pri-
uatiuè sicut lumen, & tenebræ, sed priuatiue
opposita intrinsecā habent repugnantiā circa
idē subiectum: ergo simul in eo esse repugnat:
non est

non est intelligibile eundem hominem simul esse videntem, & cæcum: neque eundem aerem simul illuminatum, & tenebrosum: ergo non erit intelligibile eundem intellectũ simul videre obiectum, & circa illud esse obcæcatum, vel priuatum lumine, per actum scientiæ videt, per actum opinionis eadem euidentia, ac visione priuatur, aperta igitur contradictio est vtrunque simul habere.

Confirm. Et confirmatur, quia duæ istæ propositiones opponuntur contradictoriè obiectum hoc est euidens, obiectum hoc non est euidens designata eadem propositione, cum sint affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: sed si scientia, & opinio secundum actum simul sint in eodem intellectu de eadem propositione, stabunt simul in veritate, ergo cũ hoc sit impossibile, erit etiam illud: probatur minor: quia si scientia habetur de tali propositione, vera erit affirmatiua, & si opinio non erit minus vera negatiua, cum non sit minus intrinseca opinioni ineuidentia, quam scientiæ euidentia.

72. I. Argum. de habitibus. De habitibus etiã ostenditur, primo, nam habitus est propter actum, ex cuius repetitione generatur: habitus item respicit idem obiectum, ac per idem medium, sed in actibus est aperta repugnantia iam probata, ergo eadẽ erit in habitibus.

II. Argum. Secundo, non minus repugnant ex parte subiecti habitus, quam actus, nec minus priuatiuè opponuntur, sed propter repugnantiam ex parte subiecti, & priuatiuam oppositionem probatum est simultatem actuum esse impossibilem, ergo eadem repugnantia probabitur de simultate habituum: vnus est enim certus, & euidens, alter incertus, & in euidens, vt de actibus conclusum est: & hoc argumento conuincei solet, quod fides diuina nequit in beatis permanere, nec secundum actum, nec secundum habitum, quia priuatiue opponitur ratione obscuritatis visioni Dei intrinsecam habenti claritatem.

73.

Opposita sententia Durandi proponitur.

II. Opinio. PRo altero extremo refero Dur in 1 quæst. prologi à num. 20 vsque ad 38 vbi duobus modis ait accipi distinctionẽ scientiæ, & opinionis: vno quidem ex parte conclusionis scitæ, & opinatæ: ita vt scientia dicatur habitus conclusionis necessariæ, quam impossibile est aliter se habere, & quod de hoc constet scienti, vt postulat Arist. cap. 2 prioris libri, opinio verò proportionaliter sit habitus conclusionis vere contingentis, & possibilis aliter se habere, vel quæ talis ab opinante existimatur, sic autẽ accipiendo scientiam, & opinionem, impossibile est simul esse in eodem intellectu, ac de eadem conclusione, nec pro actibus, nec pro habitibus.

Probatur repugnantia 1. de actibus, impossibile est contradictoria simul esse vera, sed eandem conclusionem necessariam esse, & contingentem includit contradictionem, scilicet posse aliter se habere, & non posse aliter se habere, & existimare eam non posse aliter se habere, quod fit per scientiam, & posse aliter se habere, quod fit per opinionem, dicit expressam contradictionem in intellectu opinantis simul, & scientis illam, ergo haud quaquam possibile est, & in hoc sensu docuit Aristoteles cap. 26. lib. prioris, quod non contingit eundem hominem simul scire, & opinari eandem conclusionem. 74.

Probat secundo de habitibus, nam habitus, qui causantur ex actib⁹ formaliter incompossibilibus sunt incompossibiles, sed habitus scientiæ, & opinionis sub tali consideratione causantur ex actibus incompossibilibus, ergo non sunt minus incompossibiles, quam ipsi actus. II. Probat.

Alio modo ait accipitur distinctio opinionis, & scientiæ ex parte mediorum, per quæ procedit per medium necessarium, opinio per medium contingens, & hæc distinctio formalior est prima, quia distinctio actuum, & habituum intellectualium immediatius, atque formalius ex medio (quod est quasi formale obiectum) accipitur, quam ex conclusione (quæ est quasi materiale.) II. Distin. 75.

Sed adhuc opinio ex parte medij considerata duobus modis haberi potest, primo per medium contingens, aut probabile vt tale cognitum, aut per medium verè quidẽ contingens, sed reputatum necessarium, & si per medium prioris conditionis habeatur, non potest esse simul cum scientia, nec pro actu, nec pro habitu.

Probat repugnantiam eisdem argumentis, quibus eam probauit iuxta priorem sensum. Si autem opinio habeatur per medium probabile, sed reputatum necessarium simul esse potest cum scientia, tam pro actu, quam pro habitu, quod sic ait intelligendum esse, vt si possibile sit duos realiter distinctos simul esse in intellectu, non repugnet assensus opinionis, & scientiæ 76.

scientiæ tanquam re distinctos simul esse: si vero talis multiplicitas repugnet (quod ipse potius credit) hac sola de causa repugnabit simul esse actus scientiæ, & opinionis, tanquam re distinctos, non propter aliquam repugnantiam inter eos repertam, vnde fit adhuc in casu, quod multiplicitas actuum repugnet, simul esse posse assensum opinionis, & scientiæ tanquam vnum, eundemque realiter, sed qui formaliter sit opinionis, & scientiæ prout ab vtroque habitu procedit.

Probat. de actibus.

77. Probat nullam continere repugnantiam, quod actus scientiæ, & opinionis simul existant: nam duo actus, qui respectu eiusdē conclusionis conformantur, simul esse possunt: sed actus scientiæ, & opinionis conformantur respectu eiusdē conclusionis: quia per vtrumq; iudicatur necessaria, & quod impossibile sit aliter se habere, ergo poterunt esse simul.

Confirm. Secundo quia tota repugnantia horum assensuum in eo sita est, quod per vnum existimatur conclusionem non posse aliter se habere, per alterum aliter se habere posse, sed dum prædicto modo habetur opinio, existimatur non posse aliter se habere, cum medium reputetur necessarium, conuenit igitur in existimatione opinantis cum scientia, & ideo cessat omnino repugnantia, ac propterea simultas redditur possibilis.

Probatur de habitibus.

78. De habitibus vero planè sequitur non esse incompossibiles, nam si aliqua esset inter eos repugnantia, ex actibus orta esset per quos generantur, sed in actibus nulla est, ergo nec erit vlla in habitibus.

Hanc sententiam Durandi sequuntur moderni quidam, quàm his ferè rationibus confirmant.

I. Ratio huius sentent. D. Thom. Primo, Demonstratio, & syllogismus probabilis possunt applicari ad confirmandā eandem conclusionem, vt expresse docuit D. Tho. & experientia ipsa testatur, quod si fiat assentietur absque dubio intellectus propter vtrumque medium, habebitq; proinde duplicem assensum, scientificum ex demonstratione, & opinatiuum ex syllogismo probabili: & si dicatur nihil tunc efficere syllogismum dialecticum, non fit satis argumento: quia ex necessarijs præmissis demonstrationis dispositis sequitur tanquam effectus infallibilis conclusio scientifica, atq; adeò scientificus assensus: pari ergo ratione ex probabilibus dispositis in syllogismo euidenti sequitur probabilis

79. conclusio, quæ est actus opinionis, sicut ergo repugnat applicari demonstrationem ad aliquam cōclusionem, & nō sequi assensum eius necessarium: sic repugnat applicari dialecticum syllogismum, & non sequi probabilem, alioquin frustranea esset talis applicatio.

Nec rursus soluitur nodus argumenti si dicatur, aliquid efficere nō tamen assensum opinatiuum, sed intendere certitudinem scientiæ, cum hoc planè sit impossibile, nam quod incertum est, non potest certitudinem generare, ergo neq; eam intendere: item quod imperfectum est in aliquo genere, nō potest perficere aliud se perfectius eiusdem generis: sed assensus scientificus perfectior longè est opinatiuo, nequit ergo ab eo perfici, nihil est igitur, quod præstare possit syllogismus dialecticus præter proprium assensum, qui simul erit cum scientifico, imo etsi aliquid aliud præstare posset, nōn nisi medio assensu proprio, quē si præmissæ non inducunt, nihil in intellectu producere poterunt. 80.

II. Argum. Secundo, scientia, & opinio se habent tanquam perfectum, & imperfectū lumen; vt lumen solis, & candelæ ad illuminandū aërem, sed hæc possunt applicari simul, ita vt quodlibet suum habeat effectū circa eandem partem aeris: ergo pari ratione, si illæ applicentur ad eandem conclusionem, neutra priuabitur effectu proprio, sed producent proprios assensus simul in eodem intellectu.

Media sententia præfertur.

III. Sent. Medium inter hæc extrema tenet communis sententia scholasticorum, videlicet opinionem, & scientiam esse pro actibus incompossibiles, non verò pro habitibus: quod sequuntur Alexand. Alensis 3. p. quæst. 79. memb. 3. Altisiodor lib 3. summæ Theolog. tit. 3. quæst 4. D. Bonauent. in 3. d. 24. quæst. 2. Gab. ibid. art 3 Henricus quodlib. 8. quæst. 14. & videtur Aristot. ac D. Thom. consentaneum. 81.

Patet ex Arist. Probatur hoc vltimum, quia dum Arist. cap 26. lib. prioris decernit, & probat non posse idem scitum esse, & opinatum ab eodem, de solis actib' loquitur, vt verba ipsius, & contextus totius capitis ostendunt, & D. Thom. 1. p. quæst. 58. art. 7 ad 3. & quæst. 72. art. 7 ad 1. affirmat medium probabile, & demonstratiuum posse simul concurrere ad eandem conclusionem, sed expressius 3 p. quæst. 9 art 3. ad 2. vbi statuit opinionem ex syllogismo dia- 82.

lectico causatam permanere adueniente scientia eiusdem conclusionis: permanentia autem non conuenit actibus statim transeuntibus, sed habitibus ex propria conditione diuturnis, sentit igitur habitus non esse incompossibiles, sed actus.

I. Ratio. Sed ratione probatur, nam si quispiam habitum opinionis habeat circa aliquam conclusionem necessariam, quam ex necessarijs etiam principijs intulit, sed per probabilem syllogismum, & tandem demonstrationem eiusdem assequatur, non valebit scientia per talem demonstrationem genita habitum opinionis nimis in subiecto radicatum statim corrumpere, etiamsi demus esse ei contrariam, quod enim per diuturnam consuetudinem, actuumque repetitionem adquisitum est, non nisi per contrariam expellitur.

Contra solutionem. Nec satis est opponere, quod per primam demonstrationem generetur habitus scientiæ, atque adeò habitus opinionis omnino

83. corrumpatur, nam licet verum hoc sit, quantum ad essentiā habitus propter efficacitatem causę, cæterum quantum ad modū non est habitus talis scientia, sed quasi inchoatio, ac dispositio eius, quia nō est adhuc radicata in subiecto, nec præbet ei facilitatem, & promptitudinem, vnde si ex parte subiecti nō est habitus, nō poterit statim excludere opinionem, quamquam ei contrariam: quousq; modum intensionis, & radicationis habeat, quam sicut paulatim assequitur, sic expellit sensim habitum oppositum: permanebit igitur habitus opinionis cū scientia per primam demonstrationem adquisita, cuius illud est euidenti argumento, quod post aduentū demonstrationis, nō minori facilitate assentitur eidem conclusioni is, qui habitū opinionis habebat, quam prius: ergo signum est adhuc durare cum habitu scientiæ, vt docuit D. Thom. expresse 3. p. q. 9. art. 1. ad 2. cuius verba mox referemus.

Solutio Caietan. Vidit hoc argumentum Caiet. in commentarijs eiusdem loci, simulq; verba D. Thomæ perspexit, & ne videretur ei contrarius negans

84. vtrumque habitum simul reperiri, quandam excogitauit est distinctionem: dicens, permanere quidem eundem habitum opinionis, nō tamen sub ratione formali opinionis, per quā adquisitæ scientiæ contrarius est, sed forte in ratione qualitatis, vel cuiuspiam alterius materialis.

Refutatur. Cæterum, quam sit friuola hæc solutio, &

1. planè falsa, quis non videat: etenim habitus opinionis, vel qualitas illa adquisita per frequentationem actuum essentialiter est opinio, non minus quam adquisita qualitas per cōtinuas demonstrationes essentialiter scientia, sed repugnat hāc permanere, & esse in intellectu quin sub ratione scientiæ permaneat: ergo nō minus erit impossibile, quod permaneat qualitas adquisita p assensum opinionis, quin pmaneat sub formali ratione opinionis.

Secundo, opinio permanens cum scientia Refutat. II. continetur intrinsece sub genere qualitatis: ergo erit etiam sub aliqua specie, non intellectus, non scientiæ, vel sapientiæ, non pruden- 85. tiæ, vel artis, ergo opinionis, non est enim alia species habitus per syllogismum dialecticum adquisita, necesse est ergo speciē habeat, atq; essentiam opinionis inclinantem ad opinatiuum assensum.

Probatur secundo hæc sententia argumen- II. Ratio. to ex cæteris habitibus quantumcunque contrarijs desumpto, habitus namque intemperantiæ adquisitus non expellitur per vnum, aut alterū actum oppositæ virtutis: sed per continuam repetitionem eius, quemadmodū per continuam repetitionē proprij actus adquisitus est, sed permanet in subiecto quousq; nimis sit in eo radicata temperantia, habens modū, atq; statū virtutis: sic igitur erit necessario fatendum de scientia post opinionem adquisita, non excludere habitum opinionis, à subiecto quousq; in eo fuerit nimis radicata, & id quidem supposito, quod contrarij sint habitus scientia, & opinio (cuius oppositū tamen osten- 86. demus inferius) & hæc pro cōmuni sententia.

Resolutio quæstionis iuxta communem sententiam.

Recensitis, atque confirmatis omnium sententijs, tribus assertionibus nostram à communi minimè recedentem explicamus: quibus plenè satisfaciemus quæstioni propositæ.

Prima igitur assertio est, non repugnat actū I. Assertio. opinionis esse simul cum habitu scientię: hanc puto esse indubitabilem, cum in quibuscunq; habitibus acquisitis contrarijs vera sit: constat enim simul cū habitu temperantiæ non semel reperiri vnum, vel alterum actum vitiosum in I. Ratio. temperantiæ: ergo licet daremus habitū opinionis, & scientiæ esse contrarios, necessario admittenda esset simultas actus opinionis cū habitu scientiæ.

Secundo.

II. Ratio. Secundo. Nam habitibus vtimur, cum volumus, ergo habens habitum scientiæ, potest
87. eo non vti pro aliquo tempore, sed dum actu non consideratur medium scientificum, nihil prohibet oblata ratione probabili per eã assentiri conclusioni scientificæ, tũ ergo simul existet opinatiuus assensus cum habitu scientiæ.

II. Assertio. Secunda assertio, possibile est etiam ex opposito simul cum habitu opinionis reperiri actum scientiæ.

De hac etiam dubitare non licet, cum certo constet simul cũ habitu vitioso reperiri vnum, vel alterum actũ virtutis oppositæ, vt cum habitu intemperantiæ vnum, vel alterum temperantiæ actum, nam nõ potest esse maior inter scientiam, & opinionem, quam inter habitus virtutum, & vitiorum: ergo nec maior repugnantia simultatis vnius, vel alterius actus scientiæ cum habitu opinionis: accedit illud, quod in confirmationem communis sententiæ attulimus, videlicet possibile esse eum, qui habet habitum opinionis, scientiam adquirere per primam demonstrationem, per quam non expellitur præexistens habitus, erit ergo simul assensus scientiæ cum eo.

III. Assert. Tertia assertio Possibile est scientiam, & opinionem pro habitibus simul esse, sed pro actibus incompossibiles sunt.

88. Vtramque partem huius assertionis tenet communis sententia, quam sequuti sumus, & probauimus.

Sed præcipua earum difficultas, ac totius controuersiæ in eo sita est, an scientia, & opinio, actus, & habitus oppositos importent: nã
89. primæ sententiæ patroni putant esse habitus contrarios, vel priuatiuè oppositos, quod anquam fundamentũ accipiunt ad sustinendam repugnantiam simultatis: Durand. quoq; oppositionem admittit, ideò nunquam concedit opinionem, vt talem cognitam, simul esse posse cum scientia: sed ex nostris etiam non pauci haudquaquam negant, putantes adhuc ea admissa non repugnare habitus, sed solum assensus.

Et quanquam hoc modo defendi posset communis sententia, supposito, quod habitus scientiæ per primum actum comparetur, minime tamen si per repetitionem multorum, quemadmodum cæteri: sed adhuc (supposito quod adquiritur per primum) facilius multo sustinebitur, & notior eius veritas fiet, & difficultas fere vniuersa argumentorum, quibus innituntur reliquæ, euacuabitur: si ostendamus nullam esse oppositionem inter opinionem, & scientiam, siue pro habitibus, vel pro actibus accipiantur: hac enim via eam defendit D. Thom. 3. part. quæst. 9. art. 3. ad 2. cuius verba, tanquam fundamentum totius doctrinæ referre placet: habent enim sic: *Opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem adquiritur: qua tamen adquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam, quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam potest magis cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus*

Hæc D. Thom. quæ si rectè expendantur, tria ex eis conflare poterunt: primũ huiusmodi cognitiones non habere vllam oppositionem: secundo simul esse posse habitus: tertium incompossibiles esse assensus: & duo postrema sunt partes nostræ assertionis: primum verò potissimum vtriusque fundamentum. 90.

Opinionẽ esse dispositionẽ ad scientiam.

Primum profitetur D. Thom. dum docet opinionem esse dispositionem ad scientiam: dispositio enim similis est formæ introducendæ, cum subiectum capax efficiat eam recipiendi, nec potest vllo modo esse contraria, vel opposita: pugnat enim cum ratione subiectum præparari ad recipiendã formam per dispositionem ei contrariam: nam dispositio contraria potius agit ad expulsionem formæ, quam ad introductionem: non disponit calor subiectum pro forma aquæ introducenda, neque frigus pro forma ignis, sed potius eam expellere contendit. 91.

Probatur. Quod autem opinio disponat ad scientiam, valdè conforme est naturæ eiusdem scientiæ, & intellectus, in quo recipienda est, opinio etenim cum scientia in eo conuenit, quod veram esse conclusionem affirmat: & rursus media vtriusque valdè assimilantur, nam quemadmodum demonstratio ex præmissis infert conclusionem, sic etiam syllogismus dialecticus, sed hoc differunt, quod demonstratio firmum, atque stabile medium est, dialecticus syllogismus infirmum, & quod proinde deficere potest: posse autem deficere, & non posse deficere non importat vllam repugnantiam (vt plures decepti arbitrantur) sed se habent, vt perfectum, & imperfectum, quod multis exemplis ostendi potest 92.

Exemplũ. Sed appositissimum est voluntas hominis viatoris in gratia existentis, & beati: vterque enim Deum Opt. diligit, sed iste firma quidem,

dem, atque stabili dilectione, ac deficere non potente: ille verò infirma, & cui non repugnat deficere, vel ad culpam deflectere, & nihilominus status isti non sunt oppositi, vel contrarij, sed se habent tanquam inchoatum, & perfectum, quia eundē fidem respiciunt: quanquam vnum per omnimodam determinationem ad bonum, alterum verò nō nisi cum potentia ad oppositum: ita ergo censendū est de

93. statu opinionis, & scietiæ, iste enim omnimodam determinationē ad veritatē continet, ille verò quanquam veritatem respiciat infirmus est, & ab ea deficere potest: similis est ergo iste statui viatoris hominis, ille verò beati.

Sed ita se habent perfectum, & imperfectum cuiuslibet generis, vel ordinis, vt imperfectum negationem perfectionis importet, & essentialem quidem si ex propria cōditione sit imperfectum, & alterius naturæ à perfecto essentialiter diuerso, vt se habet opinio respectu scientiæ: vnde ex hoc videntur oppositæ, sed re vera non sunt, quia positiuæ rationes vtriusq; valdè sunt similes, vt ostendimus. Negationem leonis essentialem importat homo, & vniuersaliter species quælibet negationem alterius, sed non propterea dicuntur oppositæ, quanquam diuersæ sint, quia positiuæ rationes non opponuntur.

In quo sensu opinio est incerta.

Ecce in quo sensu opinio dicitur incerta, & ineuidens, non per positiuam qualitatem, vel rationem certitudini, vel euidentiæ contrariam, non per priuationem harum perfectionum, cum non sit nata illas habere: nec demū per purā negationem, quod necessario requiritur ad oppositionem contradictoriam, cum rationem habeat positiuam, in quo talis negatio perfectionis clauditur: sed per communem rationem, qua imperfectum negationem perfectionis claudit absq; vlla oppositione: solum

94. ergo important perfectum, & imperfectum, atque adeò opinio, & scientia quandā incompossibilitatem in duobus consistentem: primò respectu eiusdem formæ, cui simul conuenire repugnat, impossibile est enim dispositionem, & habitum, (vbi essentialiter differunt) eidem qualitati conuenire, atque adeò impossibile est eandem qualitatem esse opinionem, & scientiam. Secundò, respectu eiusdem subiecti, cui simul actu conuenire repugnat: non est possibile idem corpus simul esse perfectè, & imperfectè calidum, perfectè, & imperfectè album, sicque de cæteris eiusdem conditionis actibus respectu eiusdē subiecti, & cum scientia, & opinio pro habitibus, vel pro actibus accipiantur: pugnabit profectò cum natura vtriusque, simul conuenire eidem subiecto secundum actus, vel assensus: nam si intellectus per assensum scientificum omnino determinatur ad veritatem: firmus, ac stabilis in ea est, 95.
non potens ab ea deficere: repugnabit profectò simul esse non omnino determinatum, vel infirmum, ac deficere potentē circa eandem conclusionem, atque adeò simul habere assensum opinionis.

Quid arg. conuincat.

Et argumentum conuincit profectò contra Durandum omnino esse incompossibiles assensus opinionis, & scientiæ circa eandem conclusionem: etiam si assensus opinionis habeatur per medium probabile, sed necessarium reputatum: nam & si hoc modo illam habens putet non posse aliter se habere, verè tamen in eius intellectu assensus opinionis est essentialiter, ergo non omnino determinat, aut conuincit intellectum, nec verè firmum, & stabilem reddit, licet putet se firmum esse: verè igi- 96.
tur est incompossibilis cum assensu scientiæ, per quam omnino determinatur, atq; conuincitur, & firmam habet, & stabilem conditionem: manifestam enim repugnantiam continet, intellectum circa eandem conclusionem verè esse plenè, & non plenè determinatum: firmam habere adhæsionem, ac deficere, non potentem, & infirmam, ac potentem deficere, conuictum esse, & non conuictum, licet in eius apprehensione firma adhæsio appareat, falsa enim apprehensio non tollit naturam, & essentiam actus, vel assensus, quemadmodum hæreticus discredens vni articulo fidei, non habet certam fidem aliorum, sed humanam, 97.
ac fallibilem, quamuis putet se infallibiliter eos credere.

Hoc arg. impugnatur Dur.

Argumentum hoc non est contemnendum, nam (nisi ego fallor) non potest alia via efficaciter impugnari sententia Durandi: infirmum est enim argumentum contra ipsum, quod ex contrarietate, vel oppositione scientiæ, & opinionis fit, dum sic dicitur: per scientiam æstimatur non posse aliter se habere conclusionem, & per opinionem posse se aliter habere: sed repugnat simul quempiam existimare, quod possit se aliter habere, & quod non possit: ergo repugnabit simul habere assensum opinionis, & scientiæ: facilè enim negat Durand. vtramque antecedentis partem 98.
quantum ad assensum opinionis, dicens non esse necessarium talem habere existimationem.

tionem, qui eum habet per medium verè probabile, sed necessarium à se existimatum, conuincendus est gitur ex his, quæ habet essentialiter assensus opinionis, siue habeatur per medium probabile, & tale existimatum, siue existimatum necessarium: siue enim hoc, siue illo modo habeatur, essentiale est ei non plene
99 determinare intellectum, infirmum, & instabilem esse, & cui à veritate deficere non repugnat: implicat autem contradictionem eundē intellectum circa eandem conclusionem plene, & non plenè determinatum esse firmum, & non firmum habere assensum: conuictum, & non conuictum simul esse circa eādem veritatem, posse, & non posse ab ea deficere, atq; adeò assensum simul opinionis, & scientiæ circa illam habere. Si autem dicatur, repugnare quidem intellectum simul esse plene determinatum, vel conuictum, & non plene determinatum, vel conuictum circa eandem veritatem per idem medium, non tamen per diuersa, qualia sunt demonstratiuum, & probabile. Respondeo, etiam per diuersa media repugnare sicut repugnat simul assentire, & dissentire per diuersa media.

Hinc sequitur communem opinionem defendere longè melius D Thom. docentem scientiam, & opinionem non habere oppositionem, sed differre tanquam perfectum assensū,
100 & imperfectum ex proprijs essentijs, quàm cæteros, qui putant propter oppositionem, vel cōtrarietatem esse incompossibiles

Quomodo nō detur repugnantia inter habit⁹ Scientiæ, & opinionis.

Inter habitus vero non est talis repugnantia, quia modum potius potentiarum & habilitatum ad eliciendos actus habent, quam actuum: habitibus autem vtimur, cum volum⁹, vnde fit, non repugnare simul in eodem intellectu potentias vel habilitates diuersas, quarū vna imperfecta, altera perfecta sit ad eliciendos actus perfectos, atque imperfectos diuersis temporibus.

Ratio efficax.

Probatur efficaciter Nam repugnantia habituum accipitur ex actibus, sed non repugnāt actus perfectus, & imperfectus respectu eiusdē subiecti, nisi pro eodem tempore, ergo nec habitus erunt incompossibiles, nisi in quantum repugnat simul operari, sed non est necessarium, vt in eodem subiecto simul existentes operentur simul, ergo non erunt in eodem subiecto incompossibiles, sed neque otiosus erit habitus opinionis: nam præterquam, quod simul potest concurrere cum habitu scientiæ ad eandem cōclusionem, in quantum cum eo cō-

conuenit (vt inferius explicabitur) contingere potest, eum, qui vtrumq; habet obliuioni tradere medium demonstratiuum permanente 101.
probabili tanquam faciliori, & tunc poterit eo vti ad assentiendum conclusioni, eiusque notitiam conseruandam.

Exemplū.

Et habemus appositissimum exemplum in cæteris qualitatibus, quo simul doctrina hæc explicatur, & confirmatur: repugnat enim eandem qualitatem tribuere subiecto esse album, & aliud esse accidentale imperfectius, quod est non album, sed non repugnat diuersis qualitatibus vtrumque accipere posse: videlicet ab albedine esse album, & ab alia qualitate non album, sed esse alterius denominationis, qualitas enim tribuens esse, quod non est album, non tollit, nec prohibet, quin possit ab altera qualitate scilicet albedine tribui esse album: pari ergo ratione de scientia, & opinione censendum est, non est enim possibile, quod ab eodem habitu euidens, & ineuidens cognitio tribuatur subiecto circa eandem conclusionem, quia repugnat eūdem habitum esse euidentem, & ineuidentem, non tamen repugnat, quod ab vno habitu tribuatur euiden- 102
tia, & ab altero alia cognitio euidentiam non pertingens, sed infirmum eiusdem veritatis assensum producens, & talis est opinio, quæ in hoc sensu ineuidens appellatur: sed euidentiā non tribuens, non prohibet, quin ab altera qualitate, vel habitu perfectiori simul tribuatur, vnde non magis repugnat simul cum habitu sciētiæ existere opinionem in eodem subiecto, quam simul cum albedine existere aliā qualitatem minus perfectam, dans ei aliud esse, quod perfectionem albedinis non pertingit, & ideò non album potest vocari.

Ecce quo pacto vera sunt tria illa in testimonio D Thom. contenta, videlicet opinionem disponere ad scientiam, permanereque 103.
in intellectu secundum habitum ea adueniente, non vt possit simul intellectus vtriusq; assensum habere, cū id plane repugnet propter perfectam, atq; imperfectam vtriusq; rationem, sed bene diuersis temporibus, quod sufficit, vt habitus opinionis permaneat, in quo nulla est repugnantia.

Ratio discriminis.

Cuius ea est discriminis ratio, quia perfectū & imperfectum secundum actum incompossibilia sunt, nequaquam per modum habitus: cum ex habituum simultate fiat in eodem subiecto simul esse habilitatem, seu potentiam

 elicien-

eliciendi actum perfectum, & imperfectum circa eandem conclusionem diuersis temporibus, quod profecto non repugnat.

Obiectio. Si autem opponatur, non solum diuersis temporibus, sed simul posse vti vtroq; habitu circa eandem conclusionem, qui illum habuerit, cum non repugnet simul ei assentire per medium necessarium & probabile, præsertim apud D Thom. id expresse admittentem, quo
104. admisso euidenter infertur assensum vtriusq; simul existere, quid enim potest efficere habitus opinionis, simul cum scientia concurrens, nisi opinatiuum assensum, sicut habitus scientiæ assensum scientificum, ex simultate igitur vtriusq; habitus in eodem subiecto infertur nō repugnare actus: incidemusque in sententiam Durandi.

Solutio. Respōdemus verum esse assumptum, quod vtrumque medium cōcurrit simul ad eandem conclusionem, & ex consequenti vterq; habitus, non tamen nisi in eo, quod possunt, hoc est in eo in quo concursus scientiæ non impedit concursum opinionis: habent enim eiusmodi habitus media, quibus in obiecta feruntur, & assensus, quos eliciunt, aliquid in quo cōueniunt, & aliquid in quo valde differunt: conueniunt namq; in genere cognitionis: deinde in eo, quod vtrumq; fertur in conclusionem veram, imo & necessariam, nā licet possit opinio versari circa contingentem, non tamen simul cum scientia, quæ omnino de necessarijs est: itaq; vterq; habitus in casu, vtrumque medium, & assensus vterque affirmat veram esse cōclusionem, & sub hac ratione nihil prohibet simul concurrere: quid autē simul cō currens cum scientia habitus opinionis efficiat, nō eodem modo ab omnibus traditur: nec enim verum esse potest, quod à quibusdam dicitur, & à nobis refutatum est, intendere certitudinem, aut euidētiam sciētiæ, nam cum ea omnibus modis careat, iuuare ad eius intēsionem directe, & per se minime potest, id igitur
105 præstat, vt intellectus eo mediāte, tanquam facilior, & [illegible] expeditior fiat, atq; ad [illegible] capax [illegible] melius cal[illegible] medium demonstratiuū, perfectiusq; participandi effectum eius, videlicet certitudinem, atque euidētiam, ita vt assensus scientificus certior, atque euidentior producatur, quam si solum medium demonstratiuum applicaretur. & quia remouens prohibens, vel tollens impedimēta, saltem vt causa per accidens, dicitur ad principalem effectū concurrere, dici potest habitum opinionis, & medium probabile hoc pacto intendere certitudinem, & euidentiam scientiæ, in quantum remotis virtute vtriusq; impedimentis fortius operatur habitus scientię, perfectioremq; producit assensum, vt autem id præstet, nō necesse est proprium assensum producat, quem producere repugnat stante impedimento scientifici assensus.

Satisfit argumentis aliarum opinionum.

SVperest aliarum opinionum argumenta diluere, & a testimonio, & ratione Aristotelis in fauorem primæ oppositis incipiē- Ad testim. Arist
tes, dicimus ex ipsomet verborum contextu, 106
ac modo loquendi constare, de solis actibus, aut assensibus opinionis, & sciētiæ eum loqui quos incompossibiles probare contēdit, quod & nos libenter admittimus.

Primum, & secundum argumentum eiusdē Ad 1. & 2.
sententiæ de actibus etiam probare contendūt prim. sent.
esse incompossibiles, quare ex hac parte pro nostra, & communi sententia faciunt.

Hac solum animaduersione indigent, quod Nota.
aduersus Durandum non conuincunt: qui op- 107
positionem harum cognitionum admittit solum, vbi opinio habetur per medium contingens tale reputatum, sed si habeatur per idem medium reputatum necessariū opponi negat, & meritò, cū non reputet tunc opinans conclusionem aliter se habere posse, sed esse necessariam, & non posse se aliter habere, non secus ac per medium necessarium, vnde nihil tunc oppositionis reperitur in eius intellectu per vtrumq; medium assentientis: hæc igitur via oppositionis satis inefficax est, & nullius roboris ad conuincendum opinionē, & scientiam pro habitibus, vel actibus esse incompossibiles.

Duobus alijs argumentis de habitibus pro- Ad 1. & 2. eiusdē sent. de habit.
cedentibus satisfacit doctrina nuper à nobis tradita, nam repugnantia actuum ex propria eorum conditione accipitur, valde diuersa à natura habituum, licet enim ex actibus generentur, genere tamen propter diuersum mo- 108
dum essendi ab eis differre compertum est, repugnantiam igitur actuum concedimus, quia repugnat actum perfectum, atque imperfectum (etiam si sola ratione accidentali intensionis, & remissionis differant) idem subiectum afficere simul, vt calorem intensum, & remissum, maior igitur erit repugnātia inter eosdem actus specie diuersos, quorum vnus ex pro-

propria conditione essentiali imperfectus est, perfectus alter, neque ille ad perfectionem huius tendit, aut peruenire potest, & tales sunt assensus opinionis, & scientiæ, ab isto enim plene determinatur intellectus, ab illo non plene
109 determinatur, iste cum in veritate firmat, stabilemque efficit, & non potentem deficere, ille infirmum, instabilem, deficereq; potentem, nõ est autem possibile vtrumq; modum simul habere circa eãdem conclusionem, & in hoc sita est repugnantia actuum, habitus vero diuersũ modum habet afficiendi subiectum, per modũ habilitatis, aut potentiæ ad eliciẽdos actus; aptitudinẽ autẽ perfectam, & imperfectam simul habere intellectũ ad actũ perfectum, & imperfectum eliciendum circa eãdem cõclusionem repugnaret quidem, si necesse esset vtrumq; simul elicere, & tunc ex repugnantia actuum inferre liceret incompossibilitatem habituum cum euidens foret nullam posse haberi operationem in tali subiecto, cæterum cum hoc nõ sit necessarium, sed liber sit eorum vsus, ita vt pro libito possimus, nunc vno eorum vti, post vero altero, non continet vllam repugnantiã simultaneæ eorum existentia.

110 Ratio. Quod efficaciter probari potest ex natura intellectus, a quo repugnat simul elici eosdém actus opinionis, & scientiæ circa eandem conclusionem, ceterum cum nõ sit necessarium simul vtrumque elicere, sed in potestate nostra sit nũc vnũ, post vero alterum pro oblata occasione, non repugnat simul habere aptitudinẽ, vel habilitatem vtrumq; eliciẽdi, quam habet essentialiter intellectus, in quo proinde nõ tenet a repugnantia simultatis actum ad repugnantia simultatis actuum ad repugnantiam
111 potentiarum, vel aptitudinum. Cum ergo habitus opinionis, & scientiæ modum habeant habilitatum, seu potẽtiarum, non licebit ex repugnantia simultatis actuum repugnantiam simultatis eorum inferre.

Ad formã argum. Sed ad formam argumenti dicendum est: actus incompossibiles propter contrarietatem, vel oppositionem generare etiam habitus oppositos: cæterum si nõ sint incompossibiles ratione oppositionis (vt contingere in proposito ostẽdimus) nõ erit necessarium incompossibiles producere habitus: cuius ea est ratio, quia incompossibilitas actuum, non illud, quã ex actuali ratione prouenit, quam cum nõ habeant habitus, sed longe diuersam, nec vllã repugnantiam simultatis continent.

Ad vltimũ. Postremum argumentum oppositionem contrariam, vel priuatiuã habituum, & actuũ opinionis, & scientiæ assumit ad probandam repugnantiam simultatis, quam nos cum D. Thom. omnino negamus: quod enim habitus opinionis inclinet ad assensum, cui nõ repugnat subesse falsum, & qui se aliter se habere potest: habitus autem scientiæ ad actum nõ potentem aliter se habere: non arguit maiorẽ repugnantiã ea, quę inter habitum, & actum perfectum ex vna parte, & habitũ, & actum imperfectum ex altera reperitur: quod autem hæc nulla sit oppositio propriè loquendo satis clarè ostẽdimus; licet ex eo opposita appareant, quod imperfectum negationem perfectionis includit: quemadmodũ vna quælibet species absq; vlla oppositione importat alterius negationem, affirmatio enim non opponitur cõtradictoriè nisi puræ negationi, vbi autem ratio positiua in vtroq; extremo interuenit, nõ habet locum talis oppositio, de contraria autem, aut priuatiua apertum est in eisdem non reperiri, nã quod euidens, & certa sit scientia, opinio incerta, & ineuidens ex eadem ratione perfecta, & imperfecta prouenit nullam arguens oppositionem: & quod tandem additur in eodem argumento, eo conuinci, quod diuina fides nequeat simul cum clara visione in beatis permanere, nec secundũ actum, nec secundum habitum, absolute negandum est, nam & si de actu fidei repugnare cõueniat, nequaquam de habitu, cum non repugnet potestas eliciendi actum incompossibilem cum eodem actu, vt ex se est manifestum: habitus autem quasi potestas sit eliciendi actum.

Argumenta Durandi ad triplicem ordinem reuocantur iuxta diuersas considerationes scientiæ, & opinionis, ad primũ ordinẽ ea pertinẽt, quibus probare contẽdit ex parte cõclusionis acceptas omnino repugnare, siue pro actibus, vel pro habitibus accipiãtur: sed hæc fundãtur in oppositione harum cognitionum, quã nos minime admittimus, quare eodẽ prorsus modo soluuntur ac præcedentia.

Argum. 2. ordinis. In secundo collocãtur duo alia, quibus probat adhuc ex parte medij consideratas, in quãtum opinio habetur per medium probabile tale cognitum, incompossibiles esse pro actibus, vel habitibus, & primum, quod de actibus probare contendit, non est necessarium soluere, cum & nos eosdem putemus incompossibiles: ad repugnantiam vero de habitibus, quam ex eo colligit, satisfactum est iam inter soluenda argumenta Scoti.

Argu-

Ad argum. 3. ordinis. Argumenta tertij ordinis eo tendūt vt con
uincāt, opinionem habitam per medium pro
babile reputatum necessarium, simul existere
117 secundum actum, & habitum cum sciētia: quę
ergo de actibus procedunt, directè aduersus
nostram sententiam militant, id eo diluenda
sunt.

Et circa solutionem primi extat sententia
Circa I. argum. solutio Caiet. Caietan. dub. vlt. 26. c. quē sequitur Mag. Sot.
vbi, supra negātis assensum habitum per syllo-
gismum vere probabilem, sed necessarium ex-
istimatum esse opinionem (vt arbitratur Du-
rand.) sed ait esse actum procedentem ex
ignorantia prauæ dispositionis, quæ parum,
Ratio Cai. vel nihil ab errore distinguitur.

Ratio huius sententiæ est, quia talis assen-
sus ex errore, vel deceptione procedit eius, qui
necessarium medium reputat illud, quod vere
probabile, seu contingens est.

Impugnatur à Dur. Vidit hanc solutionem Durand. prius quā
à Caietan. adhiberetur, quam hoc argumento
impugnauit, non est contra rationem opinio-
nis, quod opinans decipiatur circa medium,
118 vel circa conclusionem, cum non repugnet o-
pinioni subesse falsum, quamuis ergo decipia-
tur circa medium, necessarium reputās, quod
solum probabile est, non tollit talis deceptio,
quin assensus conclusionis vere, & propriè o-
pinionis sit.

Nos quoq; planè falsum existimamus, quod
talis assensus non sit opinionis, quod duplici
ratione probamus, priori quidem, nām si ex
opposito habuerit quispiam syllogismum ve-
rè demonstratiuum, putans solum esse proba-
bilem, conclusio non est error, nec procedit ex
ignorantia prauæ dispositionis, sed vera opi-
119 nio ex virtute præmissarum sic dispositarum
in existimatione illius, quæ licet falsa sit, non
tollit quin assensus conclusionis probabilis in
feratur. Ergo nec falsa existimatio eius, qui pu
tat necessarium esse syllogismum, cum solum
sit probabilis, tollet, quin suum effectum pro-
babilis conclusionis inferat.

Secunda ratio: medium illud, per quod in-
fertur conclusio, vere est syllogismus probabi
lis, & licet existimetur necessarius, non amit-
tit suam probabilitatem propter talem existi-
mationem falsam, ergo conclusionem proba-
bilem absque dubio infert, & assensus, quem
de tali conclusione format intellectus arguen-
tis, vere probabilis est, vera igitur erit opinio:
probatur euidenter antecedens: nam qui ex-
istimat aliquam propositionem esse necessari-
am, (cum solum sit probabilis) veram esse cre-
dit, ergo non erit in eius existimatione falsa,
quamuis falsum sit necessitatem ei tribuere,
quam non habet, tantundem ergo de medio
iudicandum est, nam qui illud necessarium re
putat, legitimum credit, ergo nō sophisticum,
vel deceptorium, quare nec erroneum assen-
sum, vel ex ignorantia prauæ dispositionis pro
cedentem, sed verum generabit, quamuis non
adeò verum, vt existimatur: itaque sicut ma-
ior veritas existimata nō tollit minorem, quā
habet propositio necessaria reputata etiam in
intellectu decepto: pari ratione maior necessi-
tas medij probabilis existimata non tollit mi- 120
norem, quam ex se habet. Quis enim existima
bit aliquam propositionem, quam per solam
auctoritatem alicuius sancti fide humana cre-
dimus, falsam esse in intellectu eius, qui puta-
ret certam esse infallibili certitudine diuinæ
fidei? nullus profecto. Quia falsa illa apprehen-
sio, vel attributio infallibilis veritatis non tol
lit minorem, quā ex se habet in intellectu ad-
huc decepti hominis, plus veritatis ei tribuen-
tis, quam in se habeat.

Hic fortasse rationibus conuictus Cai. præ-
dictam sententiam retractauit 2. 2. q. 1. artic. 5.
affirmans assensum productum per syllogis-
mum probabilem reputatum necessarium esse
opinionem hisce verbis: *Si enim conclusio, vel
ratio secundum se est impossibilis aliter se habere,* 121
*& ab hoc non penetratur quod si talis, opinans est:
& similiter si ratio, aut conclusio possibilis est ali-
ter se habere, & iste putat quod impossibile sit ali-
ter se habere, opinans est &c.*

Supposito igitur quod talis assensus opinio
nis sit (vt Durand. affirmat) argumentum illi Ad I Durand arg. 3. ordinis.
us soluimus negantes simul esse posse cum as
sensu scientiæ, nam licet in apprehensione fal
sa eius, qui medium probabile, necessarium re-
putat, conformetur assensus probabilis scienti-
fico, hæc tamen conformitas nō tollit eius es-
sentiam, vel naturam verè difformem, vnde
fit intellectum non plenè determinare, licet
falso existimetur plenè determinatus, si ergo
simul sit cum assensu scientiæ, erit simul intel-
lectus plenè, & non plenè determinatus, fir-
mus, & stabilis, infirmus, & instabilis circa eā 122
dem conclusionem, & ab eius veritate muta
bilis, & immutabilis, quæ cum non tollantur
per falsam apprehensionem maiorem necessi-
tatem attribuentem medio ea, quam ex pro-
pria conditione habet, & manifestam contri-
neant repugnantiam, fit incompossibiles esse

tales

tales assensus opinionis, & scientiæ, non enim cessat repugnantia in ipsa veritate rei, quamuis cessare videatur in apprehensione falsa.

Ad confir. Confirmatio eiusdem argumenti facilè soluitur, nam repugnantia horum assensuum nō consistit in eo, quod existimetur assensus opi-
123. nionis posse se aliter habere: eiusmodi enim existimatio variari potest, sed in natura eius se habens tanquam quid imperfectū intra idem genus cognitionis respectu assensus scientifici: perfecta autem, & imperfecta notitia eiusdem veritatis non possunt stare simul in eodem intellectu, cum aperte repugnet simul esse plenè, & non plenè determinatum circa illam: vnde fit intrinsecam repugnantiam simultatis ex propria vtriusque conditione emanantem nō tolli etiam in intellectu falso attribuente necessitatem medio probabili, falsoque existimante se scire, cum verè opinetur ipso adhuc Durand. consitente.

Ad vltimum. Argumentum postremum de habitibus procedit, quos contendit simul esse, propterea solutione non indiget, cum & nos (licet alia via
124. incedentes) ita esse sentiamus.


Ad I. modernorum in fauorem Durand. Soluenda tamen supersunt argumenta, quibus moderni sententiam Durand. complectentes illam nouissimè confirmant: & primū solutum est à nobis in corpore quæstionis, vbi applicare simul posse medium necessarium, & probabile ad eandem conclusionem admisimus: in casu autē hoc non generare proprium assensum impediente scientifico, quem tamen iuuat in eo, quod potest, & ideò non censetur inutilis eius applicatio:

Ad II. argum. Ad secundum admittimus se habere opinionem, & scientiam, vt perfectam, & imperfectam cognitionem, non tamen omnino sicut lumen intensum, & remissum: quia hæc eius-
125. dem speciei cum sint, effectum etiam eiusdem rationis habere nata sunt: vnde coniungi possunt ad eundem numero effectum producendum, in qua coniunctione nō operatur lumen remissum eo modo, quo operaretur separatum ab intenso, sed tanquam pars vnius agentis totalis ex vtroque simul concurrente constituti: vnde nec habet effectū cum illa imperfectione remissionis, vt haberet si separatum operaretur, sed perfectū lumen productum ab vtroque proportionaliter ei correspondet: & hinc est, quod simul recipi potest effectus vtriusque in eadem parte medij, quia per modum vnius, & ideò absque vlla imperfectione recipitur: 126.
scientia autem, & opinio se habent vt perfectum, & imperfectum lumen essentialiter diuersa, ita vt perfectio sit intrinseca scientiæ, & imperfectio intrinseca opinioni: vnde prouenit, vt non possint per modum vnius agentis speciei eiusdem coniungi, neque ad vnum numero effectum producendum, ita vt quælibet proprium assensum, vel effectum producat: quia nō possunt proprium effectum nisi essentialiter distinctum, & cum essentiali perfectione, vel imperfectione annexa producere: repugnat autem sic distinctos simul afficere intellectum circa eandem conclusionem (vt ostendimus) ergo etiam repugnabit simul concurrere ad eandem conclusionem, ita vt quilibet habitus proprium eliciat assensum, sicut coniun- 127.
guntur paruum, & magnum luminosum, sed coniunguntur respectu eiusdem conclusionis, in eo, in quo scientia, nō impedit opinionem, in eo enim se iuuari ab ea permittit, vt remotis impedimentis perfectiorem producat assensum, quam sola produceret.

Solent hac in parte moderni disputare, an scientia simul possit esse cum diuina, & orthodoxa fide, circa eandem propositionem? Ego verò controuersiam hanc verè Theologicam Theologis consultò discutiendam relinquo, cum ex natura diuinæ fidei maximè dependeat. Eam discutit D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 5. & ibidem illius interpretes: quare nihil iam de vniuerso nostro opere superest disputandum: faxit Deus, vt totus noster qualiscunque fuerit labor, in illius cedat honorem, & gloriam, & studiosorum vtilitatem.

FINIS.


Laus Deo, & Augustissimæ eius Matri Virgini.



INDEX

INDEX CAPITVM, DVBIORVM, ET QVÆSTIONVM, QVAE IN LIBRIS DE INTERPRETATIONE, ET DE POSTERIORI resolutione continentur.

Liber Primus Perihermenias.



Liber Secundus Perihermenias.

Liber Primus. De Posteriori Resolutione.

INDEX RERVM OMNIVM, QVAE IN HAC POSTERIORI PARTE CONTINENTVR.

Litera C. columnam Litera N. numerum designat.

Quomodo

Ne-

quo-

L A V S D E O.